8.M.H 10

ETHICA SACRA
SPECULATIVO-PRACTICA
FRATRIS AMANDI HERMANN.

Ex charitate Emi Pi Card. Lucci.
Pertinet ad Conv. S. Bonav. de Urbe.

Digitized by Google

Digitized by Google

Exemplar Virtutum
Dirigit Ecce meos a tenebris ad lumina gressus
Secundum Exemplar tuum
ATHICA
SACRA
Illustris ac
Amplissimus Dnus
ROBERTO
Archiepiscopus
Philippus Jacob Leidenhoffer fec. A.V.



Digitized by Google

ETHICA SACRA,
SCHOLASTICA, SPECULATIVO-
PRACTICA,
Seu
TRACTATUS & DISPUTATIONES
MORALES
De
VIRTUTIBUS,
Tàm in communi, quàm in particulari,
FIDE, SPE ET CHARITATE,
THEOLOGICIS, ET MORALIBUS
PRUDENTIA, TEMPERANTIA, FORTITUDINE, JUSTITIA COMMUTATIVA SECUNDUM SE, ac *in* Contractibus, & Judiciis : Item de Distributiva in Officiis ac Beneficiis, Juréque Patronatûs, & Restitutione : De Religione, & Ejus actibus principalioribus, Decimarum redditione, Festorum celebratione, & Ecclesiastica Immunitate, &c. &c. ac de Partibus Subjectivis, & Potentialibus ejusdem Religionis;

Nec non de singularum Virtutum
OPPOSITIS VITIIS.

Ad mentem
JOANNIS DUNS SCOTI Doctoris Subtilissimi, & profundissimi.

AUTHORE
P. F. AMANDO HERMANN, Ord. Min. Reformat.
Provinciæ Bohemiæ Professo, Lectore Jubilato, olim Ministro Provinciali.

OPUS
Claro stylo elaboratum, XX. Emblematibus & Aphorismis illustratum, naturam virtutum omnium, accuratè explicativum, & ad mores ritè instruendos, vitámque beatam consequendam debitè ordinatum.

Ut propriè sit
ETHICA SACRA,
Theologis, Prædicatoribus, & Confessariis admodum utilis, & respectivè necessaria.

Cum Permissione & Approbationibus Superiorum.

HERBIPOLI,
Typis JOBI HERTZII.
Sumptibus JOANNIS ZIEGERI
&
GEORGII LEHMANNI.
Anno M DC XCVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO, PERILLUSTRI,
Ac
AMPLISSIMO DOMINO,

DOMINO
NORBERTO,

Ex
ANTIQUA, ILLUSTRI, AC EQUESTRI
MARCOMANNA FAMILIA
DOMINORUM
DE
POCZENITZ,

Sacri Candidiſſimi, & Canonici Ordinis Regularis
Præmonſtratenſium, & Celeberrimæ Canoniæ
Gradicenſis ad Olomucium

ABBATI LI. Electus 1679.
VISITATORI GENERALI, Factus 1687.
Atque per Provincias Cæſareas
GENERALI VICARIO, Factus 1699.

DOMINO GRATIOSISSIMO,
PATRONO & MECOENATI MUNIFICENTISSIMO

Vitam & Perennitatem!

Digitized by Google

TIbi ſoli debetur hoc opus Ethico-Theologicum, *Reverendiſſime ac Ampliſſime Præſul*, tàm ex Authoris voto deliderioſo, obſervantia reverentiali, & inſolubili obligatione: Tum ex materiæ præſtantia, proportione & convenientia: Cum enim olim à Muſis fuiſſem ad Muros, à Maria ad Martham, à ſpeculatione ad praxim, à ſchola ad culinam, & mendicariam œconomiam Franciſcanam translatus, decidi ad con-Territorium veſtrum Olomucenſe, ubi in novo vitæ Ordine, toto genere â priori diverſo tyronem agens, quæ capere alibi non potui, ad munificentiæ veſtræ Januas pulſando hilariter cœpi, liberaliter, & abundanter acquiſivi, tali enim Doctore, Datore, feliciter ex Poëta Rhetor, & ex ſcholari factus ſum œconomus; Ob hanc igitur novam mei efformationem, & plurimarum, tam humili Perſonæ meæ, quàm Conventui Olomucenſi, totique Religioni gratiarum collationem, totum me debeo Reverendiſſimæ, ac Ampliſſimæ Dominationi Veſtræ, totique Inclytæ Canoniæ Gradicenſi; plus enim merentur ii Præceptores, qui erudiunt ad praxim bonam & pingvem, quàm ad magna rationis entia, & metaphyſicos conceptus, frequentius aliud non parientes, quàm ventoſos fumos, qui proinde non niſi inflant, nihil autem ædificant, nec illis ullum reale ſolvitur debitum.

In realibus igitur obligatus offero opus reale, morale tamen, & ædificatorium, quod ex virtutum ratione, & materia Ethica, nulli convenientiùs inſcribere potui, nec debui, quàm Reverendiſſimæ, Perilluſtri, ac Ampliſſimæ Dominationi Veſtræ, quia nec ulli magis ſymbolyzans, aut proportionatum; nam cum inſigni, Illuſtrique antiqua ſanguinis Proſapia nobiliſſimas Tibi copulâſti virtutes; Religionemque profitendo candidam omni morum candore repleviſti mentem propriam, aliorumque ſuavitate & affabilitate ſic allexiſti animos, ut omnium applauſu & jubilo olim Anno 1679. in Abbatem antiquiſſimæ & famoſiſſimæ Gradicenſis Canoniæ, candidiſſimi Præmonſtra-

Digitized by Google

monſtratenſis Ordinis fueris electus, in qua Dignitate, *quaſi Sol refulgens in Templo DEI emines*, & ſub S. Stephani titulo *quaſi Lilia in tranſitu aquæ* inter ſtellas flores, & quaſi tot ſtellis, quot Religioſis coronaris; ſed & vicißim à Te S. Stephanus tanquam fortis Athleta, & victorioſus Chriſti Pugil in ſua Eccleſia, Equeſtri tuò plumatò pileò, veluti coronâ eſt decoratus.

Eccleſ. cá. Inſigne Conventûs ſunt ſtellæ & lilium.

Dignitates enim & Nobilitas ſibi invicem adſtipulantur, & altera alteri præſtat honorem & decorem; *Gratior* enim *eſt claro veniens de ſanguine virtus*; Quidni igitur plumata tua Mitra decorem præſtaret? cum flaminibus olim Romanis Pileus Sacerdotii fuerit ſymbolum, & ſacrificulis à Numa Pompilio attributus, ità ut nefas fuerit Flamines ſinè pileo, *Flamineo* dicto, comparere. Aliis pileus libertatis erat inſigne, uti videri poteſt apud Livium & A. Gellium Lib. 7. cap. 4. nam in nummo *Gordiani Pii Imperatoris*, cuſo ab eo, erat Pileus cum Epigraphe: *Libertas Aug.* Et in nummis Galbæ, & Nervæ Pileus impreſſus erat cum inſcriptione: *Libertas publica.* Unde proverbium illud: *Servos ad pileum vocare*, ſignificabat eos libertate donare. Ac proinde optimè D. Stephano Gradicenſi, ſuisque Myſtis & Levitis à ſervitute ſæculi vocatis ad libertatem vitæ & gratiæ, in nobilitate ſpiritûs & omnigenæ virtutis, congruit tuus Gentilitius Pileus, virtute bellica promeritus, liberalitate donatus Regia Equiti illi, qui in prælio victor, totus ſanguinolentus abſque capitegio Regi præſentatus, ab eomet fuit ſuo verticis tegumento remuneratus.

Hic non abſque myſterio & ſymbolo turritus & pyramidalis eſt, talisque, quales olim Romani ex quatuor conficiebant laciniis panneis, vel holoſericis pro diverſitate Patriarum, modò cum cavitate plana, modò cum altitudine, margine pro libitu protenſa, vel reſtricta; mihi verò quatuor laciniæ contextæ ſignificant Cardinales quatuor Virtutes coadunatas, quas Pluma honoris & gloriæ coronat. Vides, quomodo & à ſtemmate, & à dignitate Prælaturæ, & morum integritate omnes pyramidali Galerò cupiant inſcribi virtutes Theologicæ, & morales, totáque ſimul Ethica ſacra; nam à pileo ſortiuntur umbram, à pluma honorem, ab infula gratiam, à Pedo ſuſtentaculum, à liliis attrahunt odorem, à trinis ſtellis verò clariorem conſequuntur ſplendorem, & claritatem publicæ evulgationis.

Scio enim ſtellas favorum & donorum eſſe prognoſticas, quod atteſtantur ipſiusmet Salvatoris cunæ, meque pediſſequum jubent quoque ſperare meliora. Optimè ſcio trina hæc ſidera Canoniæ quoque veſtræ Gradicenſi extitiſſe ominoſa, præmonſtrantia gloriam ſpecialem, præ cæteris hu-

jus

jus Candidiſſimi Ordinis Canoniis ſingulare decus, ac pretioſiſſimum donum, quod divina præſtitit Clementia, & humana poſtulavit indigentia, nempe ſacratiſſimam amabilis Matris Iconem, quæ Angelicis allata manibus Anno 1633. inter ſtellas Virginem Virginum repræſentat, ulnis ſtellam ex Jacob ortam, dulcem JESUM complectentem; quæ, quanta ſit gloria veſtra, conſolatio, DEI benedictio, & gratia, nec lingua exprimere valet; nam licet de celebritate & Eminentia hujus Candidiſſimi Ordinis, deque fructu multiplici in Eccleſiam DEI illato, tàm propter Pontificiæ Authoritatis & Sanctiſſimæ Evchariſtiæ defenſionem, quam propter Sanctorum multitudinem, & virorum clariſſimorum in doctrina, & Pietate etiamnum ubique excellentium copiam, nullus ambigendi ſit locus; nihilominus ſingulare hoc eſt, quantum legerim, alteri nondum datum, montem habere Præmonſtratenſem, à venuſtiſſima tali imagine Mariæ gratiis variis & innumeris penè miraculis famoſum, ad quem tantus populorum diverſorum concurſus, & peregrinorum devotio, ut communicantium numerus annuatim excedat centum millia; nam prout memoriæ traditum eſt in uno ſolo Feſto *B. V. Mariæ* Viſitantis Anno 1690. fuerunt 16556. Anno 1691. extiterunt 16556. Anno 1692. communicârunt 13180. Anno 1693. fuerunt 14228. Anno 1694. communicârunt 10549. Anno 1695. communicârunt 15506. Et Anno 1696. communicârunt in hoc ſolo B. Virginis viſitantis Feſto 15086. Hujus Eccleſiæ & Domûs honorem, gloriam & decorem quo zelô Reverendiſſime, ac Ampliſſime Domine dilexeris, duæ turres nobiliſſimæ illi appoſitæ, & pro cuſtodia ſacratiſſimæ Imaginis, Reſidentia atteſtatur elegans, ad quam duodecim Sacerdotes, velut cubiculares adjungens, conſtituiſti, qui indefeſſo labore peregrinantibus in Sacramentorum adminiſtratione, errantium inſtructione, ac afflictorum conſolatione, die, noctuque inſerviunt.

Quamvis autem quærere rationem, cur inſcrutabilis Divinæ Sapientiæ Providentia penes Canoniam & Monaſterium ſub Territorio veſtro elegerit Præmonſtratenſem montem? manifeſta ſit inſipientia; congruentiam tamen factorum illius, qui ſuis temporibus humano generi congruas novit adhibere medicinas, præſtare gratias, & conſolationes, inquirere, aut demonſtrare piarum eſt mentium; atque ego præter ſtellarum omina, reverentialiter judico eſſe continuam hujus Gradicenſis Canoniæ pietatem in DEUM, zelantem erga B. Virginem devotionem, & perpetuam in Reges ſuos & Cæſares fidelitatem; nam à quo candidiſſimus Ordo veſter in hocce Monaſterium ab Ottone III. Marchione Moraviæ, Fundatoris Nepote, & Durantia

rantia Ejus Conjuge, cum summ i Pontificis Adriani IV. An-
no 1151. consensu fuit introdu ctus, legitimis Dominis
suis semper fidelissimè adhæsit, l icet tota vicinia, proditō-
rie aliquoties in alienas manus fi iisset devoluta. Ob sin-
gulares hasce virtutes, pietatem & fidelitatem scilicet, Se-
reniſſimi Bohemiæ Reges, etiam ve stros Confratres se effe-
cerunt, nam Wladislaus II. Boëmi æ Rex, bonis adauctis,
privilegia privilegiis accumulavit, effectus Confrater; ita
enim ipsemet in diplomate Anno 1 160. vobis concesso, de
Religiositate vestra loquens conclu dit: *Unde Omnipotentis*
DEI inspirante Clementia, ac institutione ac monitus Canonicâ, Vene-
rabili Ejusdem Eccleſiæ Abbate Domino Blas. o, meo occurrente ac fa-
vente, desiderio fratrum Protho-Martyris Ste hani precibus me subdidi,
atque ut eorum orationum particeps sine fin e fierem, devotè munus
Communionis susscepi. At ego, nè Fratres meos in Christo dilectissimos &c.
Przemislaus verò III. item Bohemiæ Re x dictus *aureus* & *vi-*
ctoriosus in Regia sua Bulla vobis elargita Anno 1202. fusiùs
virtutes vestras describens ait: *Ante omnia tamen piæ conversa-*
tionis eorum studium, Justitiæ formam, & virtutis constantiam in man-
datis Divinæ Legis & SS. PP. statutis prævidens, ut essem plantatus in
Domo Domini, & memoriale meum in atriis Dom ûs Ejus, ut cedrus
Libani perpetuò sic efflоreret; tantorum DEI Ath etarum orationum
particeps cupiens fieri, desiderio animi in DEUM f erventis accensus,
tandem me precibus ipsorum commendavi, & devotè m unus Communio-
nis susscepi. Posteriores verò ut Wenceslaus IV. Cocles dictus
Ottocarus pius, à Tartaris incineratum resuscita vit; & Wla-
dislaus IV. Bohemiæ & Ungariæ Rex abalienat a ejus bona
restituit in integrum, alter effectus Fundator, q ui in diplo-
mate Regio Gratiarum & concessionum eman. ato MDX,
Canoniæ Gradicensis Abbatis Pauli, & reliquorum per plu-
ra sæcula Antecessorum fidelitatem ita laudat: *Nos igitur*
attendentes, quomodo idem Abbas Antecessoribus nostris in omni fideli-
tate constanter assistebat, nobiscum quoque fideliter persevera t, ac plu-
rimas obtrectationes & incommodo pro nobis grato & patienti animo
ferendo, integerrima mente nobis adhæret.

Tandem in principio hujus sæculi nostri jam emorientis
insigniſſimam erga Regem suum & Principem Ferdinan-
dum II. Imperatorem demonstrârunt fidelitatem Gradi-
censes, ob quam intrepidè servatam Leodegarius XXXXII.
Abbas Gradicensis, unà cum Maximiliano Bracher Con-
ventûs Priore in carceres conjecti fuerunt, sicut etiam Ca-
nonicis Olomucensibus evenit; Hi proinde à pientissima
Domo Austriaca Gentilitia ejus arma, & prædicatum *Fide-*
lis Capituli remunerationis gratiâ acceperunt, Vobis autem
latè patens gratiarum janua clementissimè reserata fuit.
Habet & Monasterium varietatibus virtutum circumami-
ctum hoc speciale Privilegium, quòd duo Abbates *Abraha-*

mus,

Digitized by Google

mus, & *Bernardus* morum excellentiâ, & vitæ ſanctitate claruerint, & è vivis glorioſi ſub hac deceſſerint opinione. Quantâ autem ſemper locus hic totusque Ordo coluerint Beatiſſimam Virginem devotione, ſole clarius eſt, & nullò meò eget encomio.

Hoc pium Omen meum fuit rememorativum, ſed prognoſticum futurorum eſſe autumo, quoniam Divinus cultus, & incredibilis in B. Matrem tanquam afflictorum omnium conſolatricem populorum devotio, à nullo Ordine, audacter dico, fructuoſiùs, ſanctiùs, & utiliùs poterit in Præmonſtrato monte Olomucenſi promoveri; nam Conventus iſte celebris Gradicenſis duabus alis Cherubinicis ſuper montes & colles ſeſe elevare natus eſt *Pietate* & *Doctrinâ*, quibus ſolis omnis ſtabilita & fundata ſubſiſtit Religio. Ob prærogativam primam Gradicium eſt verum perfectumque Aſceterium, in quo, quantum vigeat punctualis Diſciplinæ monaſticæ rigor, edicere veſtra mihi inhibuit modeſtia.

Et hæc omnia *Abba Pater* Reverendiſſime, ac Amplisſime Domine, ex tua induſtria œconomica, Paſtorali cura, vigilantia Abbatiali, & ſuavi, fortique gubernio; nam utique quod vidi, negare non valeo, quodque audivi, ſcribere non erubeſco. *Norbertus Abbas* ſuos gubernat *Amore & Timore;* nam ex natura videtur *natus Abbas*, ex Indole induſtrioſa & generoſa, *Oeconomus;* ex affabilitate morum & vitæ, *Prælatus;* ac proinde, ſicut Magnatibus cunctis gratus, ità DEO indubiè charus. Hinc illæ gratiæ, hinc iſtæ Benedictiones, quibus abundanter affluentibus nobile Monaſterium hoc primitus extrà omnia conſtituiſti debita; controverſias litium ſuavitate & utilitate Monaſterii complanâſti: bona reſtaurâſti præhabita, & quibusdam prædiis ampliâſti coëmptis; ac inſuper Religioſorum numerum auxiſti, ità ut præſentibus punctualiter cuncta ſubminiſtrentur, & futuris ſit frugaliter proviſum. Hæc ſunt opera manuum tuarum Reverendiſſime, ac Ampliſſime Domine Præſul, hæc tua, totiusque Equeſtris Familiæ & plumati pilei gloria perennis; Hæc tua particularis Laus, Virtus, quæ tantò magis ſunt appretianda, quanto temporum major difficultas, & gravitas onerum, propter ubique ſævientem Martis furorem.

Verùm nec hìc præpedivit hactenus, quin alteram alam *Doctrinæ* in altum extuleris, quemadmodum Gradicium veſtrum *Pietate* ad omnia utili ſtabiliſti & firmâſti, ità Religioſos tuos Studiis Philoſophicis & Theologicis, domique, foriſque erudiri procurâſti, quo fructu & ſucceſſu felici, enarrent illi, qui tantam habent loquendi libertatem, quantam ego obſequendi & tacendi promptitudinem; hoc

ſolùm

ſolùm omittere nequeo, Gradicium jure merito famoſum Muſarum Athenæum compellari poſſe, in quo Reverendiſſime, ac Ampliſſime Domine veluti clarus præſides Apollo, Sapientiæ Phœbus, & Mecœnas omnium Litteratorum; ita, ut hoc Athenæum mihi fuerit Promontorium bonæ ſpei; cùm enim virtutes à me ſcholaſticè elaboratæ & methodicè declaratæ vagæ fluctuarent; tandem levavi oculos meos ad montem ſanctum & præmonſtratum refulſit ſidus ad Gradicium ſiſtendum gradum, non inſuper à Doctioribus viris audire mihi videbar illud Poëtæ: *hic gradum jubet ſubſiſtere Plato.* Pareo proinde, & humiliter vel rependo accurro, adorans illud magnum ſignum in cœlo, quod omnigenas influit gratias in Monte hoc Præmonſtrato, & omni, quà par eſt, reverentia in valle & Parnaſſo Præmonſtratenſi, Gradicenſi Canonica, venerans Apollinem Præſidentem, Te videlicet Reverèndiſſime, ac Ampliſſime Domine, cui ex Muſæo meo hunc de virtutibus Tomum ſub *Ethicæ Sacræ* nomine ex obligationis titulo offero, præſento, dedico tanquam debitum, atque ex Religioſo perpetuæ obſervantiæ affectu ſacro, conſecro, quia æquum eſt & juſtum, ut, qui multa de virtutibus omnibus laboriosè conſcripſi, tres ſaltem ſinè vitio uſque ad mortem ſervaturum profitear, *Pietatem, Obſervantiam, & Gratitudinem* erga Graticenſes omnes in Capite & in membris. Reverendiſſimæ autem ac Ampliſſimæ Dominationi veſtræ quartum addam de ſubmiſſione perpetua indiſſolubili obligatione votum, augurando Equeſtri veſtro Plumato pileo, ut quemadmodum juncta jam eſt infula candida, ità purpureus, vel viridis ſuperimponatur galerus, & cœleſte tandem Diadema, qui ex voto & toto maneo

REVERENDISSIMÆ ac AMPLISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

obligatiſſimus Servus

Fr. Amandus Hermann.

)( )(APPRO-

APPROBATIONES

Theologorum Ordinis Minorum S. P. N. Francisci, ex Conventu S. Mariæ ad Nives Pragæ.

POstquam Reverendus Pater Amandus Hermann Provinciæ Boëmiæ Reformatæ Ex-Minister Provincialis, & Lector Jubilatus, feliciter quatuor tomos Theologiæ speculativæ quorum primus, est de DEO Uno & Trino: Secundus, de Deo Creatore, & Gubernatore: Tertius de Deo Redemptore, Ecclesia & Pontifice: Quartus, de Deo Sanctificatore, seu de Sacramentis, & hominis Beatitudine absolverat, typisque actu evulgaverat, restabant adhuc materiæ, de Virtutibus, scilicet Theologicis, & Moralibus, de Jure & Justitia, Religione, & alijs; ideo ne morales illi tractatus utilissimi desiderari possent, ad plenam Totius Theologiæ perfectionem, in unum particularem tomum, novâque concinatum methodo, judicavit redigendas, *Ethicam Sacram speculativo-practicam* nominando, quam variis exornat emblematibus, & aphorismis declarativis ad mores debitè instruendos, miràque, more suo, illustrat varietate doctrinæ. Nos igitur tomum hunc acuratè & diligenter relegimus quoad omnia & singula, deprehendimúsque opus verè Ethicum & mori-dicum, ac brevibus sensum aperimus nostrum dicentes: Tomum istum sinè ulla erroris suspicione, & legi, & inoffenso decurri posse pede (uti quondam ad Lætam scripsit Sanctus Hieronymus de libris S. Hilarii) quia quidquid dicitur, nihil est, quod non esset fundatum in sacrâ pagina, Conciliis, & Sanctis Patribus, & ubi dubia sunt, aut controversa, non minus subtiliter ex uberrima Doctoris subtilis doctrina nusquam reprobata, quam stylo claro, & facili methodo dilucidè explanantur, ac idcirco dictum Tomum arbitramur virtutum studiosis maximè utilem esse, ac necessarium. Datum in Conventu Pragensi Virginis Mariæ ad Nives Ordinis Minorum S. P. N. Francisci Reformatorum Anno 1696. 26. Januarii.

Fr. Antonius Harttmann, Lector Jubilatus & Provinciæ Pater.

Fr. Sebastianus Schambogen, Lector Jubilatus, Provinciæ actualis Custos, & Pater.

Fr. Gregorius Gerzabek, SS. Theologiæ Lector Generalis, & Provinciæ Diffinitor actualis.

Ex Con-

Ex Conventu Beatæ Virginis Mariæ immaculatè conceptæ R. R. P. P. Hibernorum.

Ethicam Sacram Speculativo-practicam, ſeu Tractatus & Diſputationes Theologicas de Virtutibus & Vitiis tam in communi quàm in particulari theologicis & moralibus, Jure & Juſtitia, ac Legibus. A. R. Patris Amandi Hermann Sacroſanctæ Theologiæ Lectoris Jubilati, Almæ Provinciæ Bohemiæ Patris &c. dum attentiùs evolveremus, tantùm abfuit, ut tœdio afficeremur, ut ad iteratam & reiteratam ejus lectionem ſympathetica quàdam vi, dulcique violentia raperemur; in eo ſiquidem voluptuoſa cum admiratione cernebamus Authorem, licèt multiplicibus tum Almæ Provinciæ ſuæ, tum aliarum honoribus oneribus auctum, prægravatum, ne latum quidem unguem a ſeipſo in aliis ſuis lucubrationibus recedere; omnes enim acre ingenium *ejus* adumbrant, ſermonis idem ubique nidor Majeſtas eadem illæſa ſtyli continuata ſuavitas, imperturbatus ordo methodicus, dilucida pro dignitate materiæ brevitas, multa & gravia ſubtiliter & clarè, non inani verborum farragine fucata, ſed immani Scoticæ veritatis indagine comparata comprehendens. Verbo præſens Ethica eſt Chriſtiana, docens ſine vitio, moribus aut fidei contrario, virtutes, quibus in hac vita hominibus nihil utilius eſſe docet Sapiens cap. 8. Nec mirum cum ex Ariſtotel. Virtus ſit pars felicitatis, & ideo pretioſus animæ cenſus, à Caſſiod. vocatur, quo ipſa beatitudo acquiritur. Quæ cum ità ſint jure merito hanc Ethicam in ſubſidium eorum, qui de virtute in virtutem progredi nituntur beneficio prœli publicandum cenſuimus. Neo-Pragæ in Collegio R. R. P. P. Hibernorum, Ord. Min. ſtrict. obſerv. die 30. Maji 1696.

Fr. Petrus Marianus, SS. Theologiæ Lector Jubilatus, & Collegii ejusdem Guardianus.

Fr. Ludovicus Macnamara, SS. Theologiæ Lector Jubilatus.

Fr. Joannes Scotus, SS. Theologiæ Lector.

Alia ex eodem Collegio.

OPus, cui titulus *Ethica Sacra Speculativo-practica &c.* (titul) accuratè perlegimus ſinguláque in eo contenta ad ſanctuarii ſtateram ſtudioſius perpendentes ſuum Authorem per omnia referre & exprimere deprehendimus. Siquidem, qui olim triplici ſole Philoſophico mirâ luce Univerſum colluſtravit, dein eruditiſſimis, concignóque applauſu ubique exceptis Theologicis editis libris, de Republica theologico-ſpeculativa optimè meritus eſt; nunc Ethicam offert; non talem qualem fabuloſa antiquitas mentita eſt Socratem è cœlo evocàſſe, ejusque diſcipulus Plato mirà ingenii felicitate excoluit Ariſtoteles cætérique illi priſcæ Philoſophiæ heroës & Antiſtites, doctiſſimis ſuis lucubrationibus auxerunt, ornârunt, & tantùm non omnibus abſolutam muneris ad poſteritatem tranſmiſerunt; ſed aliam tantò excellentiorem, quantò humanis Divina vera, ſolidáque felicitas, fucatæ illi & umbratili Ethnicismi beatitudini præſtant. Si igitur illi quòd formandis moribus, eósque ad finem dirigendos naturalem præceptiones literarum monumentis peridoneas conſignàrint, nunquam ſatis laudari potuerint; quantò juſtiùs tota Chriſtiana Reſpublica ſacræ hujus Ethicæ ſe devinctam fatebitur Authori? ut qui tam luculenter tam nervosè, tam facili & ſuavi methodo, ea omnia, quæ ſingulis hominibus ſecundùm ætatem, ſtatum & conditionem ad veram felicitatem adipiſcendam, neceſſaria ſunt pertractat, digerit & examinat, ut legentibus non minorem utilitatem, quàm voluptatem allaturus ſit: tantùm abeſt, ut aliquid ſanæ fidei caſtísve contrarium moribus contineat. Quare digniſſimum judicamus, qui beneficio prœli, publicam, quantociùs lucem aſpiciat. Dat. in Collegio Immacul. Concept. B. V. Mariæ Fratrum Minorum Hibern. ſtrict. obſerv. ad S. Ambroſium Neo-Pragæ hac die 1. Junii 1696.

Fr. Thomas Dolan, SS. Theol. Lector.

Fr. Ludovicus Oneill, SS. Theol. Lector.

Fr. Franciſcus Odeulin, SS. Theol. Lector.

APPEC-.

APPROBATIO

A Reverendorum Sacro-Sanctæ Theologiæ Magiſtrorum Ordinis Prædicatorum, ex Conventu S. Ægidii Antiquo-Pragæ.

Ethicam Sacram Speculativo-Practicam ad mentem Subtiliſſimi Doctoris Joannis Duns Scoti ab A. R. ac Eximio Patre Amando Hermann, Ordinis Minorum Sancti Franciſci Reformatorum Sacro-Sanctæ Theologiæ Sapientiſſimo Lectore Jubilato, Miniſtro Provinciali, per Bohemiæ Provinciam Emerito compoſitam accepimus; eandémque Juſſu Perilluſtris ac Reverendiſſimi Domini Domini Officialis (titul) non tantùm attentè quantum cum ſumma animi voluptate perlegimus, quam eſſe luce publicâ digniſſimam cognoſcimus, & ut omnino Typis mandetur, omnium non ſolum Theologorum, ſed & Theo-Politicorum manibus volvatur, probamus. In quo ſubtiliſſimo opere ſuſpicimus, ac veneramur Sapientiſſimum Authorem eſſe illum Evangelicum *Scribam Doctum, qui de theſauro ſuo, profert nova & vetera*; dum non tantùm Sacræ Scripturæ Patrúmque Teſtimonia, ac rationum momenta, in aliis Authoribus bene digeſta laudat & allegat, ac ea quæ apud cæteros deprehendit obſcura, vel debilibus fundamentis innixa clariſſimè explicat, ſolidat, atque roborat; proprio Marte novas objectiones, & difficultates invenit, & ad vivum reſcindit. Verùm ſingulariter ſubtiliſſimi Authoris in prioribus Tomis Intellectum Speculativum, in hoc opere tanta cum ſubtilitate reveremur extenſione practicum, dum ſic ea, quæ ad Metaphyſicas, ac Theologicas Speculationes pertinent, cum iis, quæ ad morum ac Reipublicæ Doctrinam ſpectant comprehendit, ut ſicut in illis reliquos, ità in iſtis ſeipſum ſuperare videatur, acerrimo enim ſtudio, examinatis Authorum ſententiis, perpenſis utriusque Juris ac Philoſophiæ Moralis monimentis, ſolidâ Authoritate, ſtabili ſubtilitate, maturo Judicio ac Prudentia ſingula ad morum doctrinam aptiſſima, conſcientiæ regimen Neceſſaria, àdque Pſeudo-Politicorum confuſionem utiliſſima colligit. Quare Sapientiſſimo Authori & ſubtiliſſimo Opere gratulamur, ùtque pro bono pub-

 lico

lico in lucem publicam prodeat, dignissimum censemus, in Conventu S. Ægidii Fratrum Ordinis Prædicatorum Vetero-Pragæ 20. Augusti Anno 1696.

Fr. Thomas Albertus Tranquillo, SS. Theol. Magister.

Fr. Antoninus Pfrenger, SS. Theologiæ Magister.

FACULTAS

Reverendissimi Patris Nostri Ministri Generalis totius Ordinis Seraphici.

CUm juxta Apostolicas nostríque Ordinis Constitutiones, per idoneos Censores, ac Revisores, uti nobis aperte constat revisum, & approbatum fuerit, quoddam Opus Theologicum, cujus titulus est *Ethica Sacra* à Reverendo Patre Amando Hermann Provinciæ nostræ Reformatæ Bohemiæ, Lectore Jubilato, & Ex-Ministro Provinciali Præsentium nostrarum Vigore, & cum Salutaris Obedientiæ merito, eidem Reverendo Patri Amando Hermann facultatem impertimur, quatenus Sero-in Reliquo servandis, illud Typis mandare possit & valeat, ut in Lucem publicam pro bono publico prodeat. Dat. Romæ ex Aracœli die XXVIII. Mensis Julii 1696.

(L. S.)

Fr. Bonaventura Poërius, Minister Generalis.

FACUL-

Digitized by Google

FACULTAS

Admodùm Reverendi Patris Miniſtri Provincialis Bohemiæ.

REverendo Patri Amando Hermann Ord. Minorum S. Patris Noſtri Franciſci Reformatorum Prædicatori, Lectori Jubilato, Profeſſori Polemicæ, & Almæ Provinciæ Bohemiæ Patri ſalutem & benedictionem. Cum Opus Theologicum, cui Titulus *Ethica Sacra Speculativo-practica &c.* ad mentem Doctoris ſubtilis à veſtra Paternitate, non minùs fructuosè, induſtriosè & eruditè elaboratum ac antecedentia à Theologis noſtræ Provinciæ viſum & approbatum fuerit, facultatem concedo illud typis mandandi, ſervatis de reliquo ſervandis. Dedi in Conventu noſtro Brunenſi ad S. Magdalenam die XX. Julii 1696.

(L.S.)

Fr. Caſtulus Martin, Miniſter Provincialis Bohemiæ.

CONSENSUS

REverendiſſimi ac Ampliſſimi Domini, Domini Officialis & Vicarii Generalis in Spiritualibus Archi-Dioceſis Pragenſis & ejusdem S. Eccleſiæ Metropolitanæ Capituli Decani &c. &c.

Imprimatur

Wenceslaus Bilek à Bilenberg, Officialis.

INDEX TRA-

INDEX
APHORISMORUM, DISPUTATIONUM, ET QUÆSTIONUM,
In hac Prima Parte Ethicæ Sacræ contentarum.

APHORISMUS I.

De bona Juventutis Educatione. pag. 3.

TRACTATUS I.

De Virtutibus & Vitiis in communi.

Disputatio I.

De Virtutibus Christi Domini cœlestis Doctrinæ, & totius Ethicæ Magistri.

Quæst. I. An in Christo fuerint Virtutes Theologicæ? pagina 7.
Quæst. II. An in Christo fuerint Virtutes Morales? pag. 11.
Quæst. III. An in Angelis bonis ponendæ sint Virtutes Morales? pag. 13.

Disputatio II.

De Natura Virtutum.

Quæst. I. Quid & quotuplex sit Virtus? pag. 15.
Quæst. II. Utrum omnes Virtutes Cardinales sint æqualis perfectionis, & quænam sit perfectior illarum? p. 19.
Quæst. III. De Subjecto Virtutum Moralium. p. 21.
Quæst. IV. An & quomodo sit verum axioma: Virtus consistit in medio? & utrum hoc medium consistat in indivisibili? p. 26.
Quæst. V. Utrum habitus Virtutis sit essentialiter Virtus, ut non possit vitiari? p. 29.
Quæst. VI. De Connexione Virtutum moralium tam inter se, quàm cum Theologicis. p. 32.
Quæst. VII. Utrum Virtutes morales connexæ sint cum Prudentia? & è contra? p. 37.

Disputa-

Disputatio III.

De Virtutibus Theologicis in communi.

Quæst. I. An dentur Virtutes Theologicæ per se infusæ? pag. 40.
Quæst. II. De Natura Virtutum per se infusarum. p. 43.
Quæst. III. Utrum Virtutes per se infusæ distinguentur ab acquisitis per ordinem ad objecta, & utrum creentur? p. 45.
Quæst. IV. De Connexione Virtutum per se infusarum tam inter se, quam cum moralibus. p. 47.
Quæst. V. An præter Virtutes Theologicas dentur aliæ Virtutes per se infusæ? p. 48.

Disputatio IV.

De Octo Beatitudinibus, Donis Spiritus Sancti, ejusque fructibus, & gratiis gratis datis.

Quæst. I. De octo Beatitudinibus. pag. 54.
Quæst. II. De donis Spiritus Sancti. p. 56.
Quæst. III. De fructibus Spiritus Sancti. p. 59.
Quæst. IV. De gratiis gratis datis. ibid.
Quæst. V. An Beatitudines, dona, & fructus Spiritus Sancti distinguantur à Virtutibus moralibus & Theologicis? p. 60.
Quæst. VI. Ethica. Quis in Mundo sit optimus Ethicus? p. 63.

APHORISMUS II.

De Futurorum consideratione. pag. 64.

Disputatio V.

De Vitiis in Communi.

Quæst. I. Quid sit Vitium quodque ejus subjectum? p. 67.
Quæst. II. De Oppositione Vitiorum cum Virtutibus. p. 68.
Quæst. III. De varia Vitiorum divisione. p. 69.
Quæstio Ethica. Unde vitia in genere humano multiplicantur? & tam segnis ad studia affectus. p. 71.

APHORISMUS III.

De vera Fide amplectenda & tenenda. pag. 72.

TRACTATUS II.

De Prima Virtute Theologica, quæ est Fides.

Disputatio I.

De Natura Fidei secundum se.

Quæst. I. An sit Fides aliqua ponenda in hominibus? pag. 75.
Quæst. II. Quid & quotuplex sit Fides. p. 76.
Quæst. III. Quæ & qualis fides sit & semper fuerit ad salutem homini necessaria p. 79.
Quæst. IV. An fides sit habitus intellectualis, unus specie in omnibus respectu omnium credibilium, & an sit practicus vel speculativus? p. 83.

)( )( )(Disputa-

Digitized by Google

Disputatio II.

De Objecto Materiali Fidei.

Quæst. I. Quod nam sit Objectum materiale fidei, seu quænam sint, quæ credi possint. pag. 86.
Quæst. II. An Objectum materiale fidei creverit? p. 89.
Quæst. III. An Objectum materiale fidei possit esse evidens in se? p. 09.
Quæst. IV. An Objectum materiale fidei possit esse evidens in attestante? p. 94.
Quæst. V. An Objectum materiale fidei sit, & esse debeat evidenter credibile? p. 95.
Quæst. VI. De decem motivis, & viis, quibus homo ratione utens persuaderi potest ad veram cognoscendam nostram fidem. p. 99.

Disputatio III.

De Objecto Formali Fidei.

Quæst. I. An & quomodo prima Veritas sit objectum formale Fidei? pag. 105.
Quæst. II. Quomodo prima Veritas in dicendo debeat cognosci, ut sit objectum formale fidei. p. 107.
Quæst. III. An & qua ratione Revelatio pertineat ad objectum formale fidei p. 109.
Quæst. IV. In quid nam ultimò resolvatur fides? p. 114.
Quæst. V. An Deus possit se solo infundere habitum vel actum Erroris? p. 118.
Quæst. VI. An Deus possit aliquem decipere, vel mentiri per se aut alium? p. 120.

Disputatio IV.

De Actu interno Fidei.

Quæst. I. An actus fidei sit verus & certus? seu de veritate, & certitudine actus fidei? pag. 126.
Quæst. II. An & quomodo requiratur imperium Voluntatis ad eliciendum actum fidei seu pius credulitatis affectus, ubi etiam an sit liber? p. 130.
Quæst. III. An actus fidei sit discursivus? Ubi etiam de supernaturalitate ejus p. 134.

Disputatio V.

De Mysteriis credendis.

Quæst. I. Quæ olim modo fuerint, & sint necessariò credenda necessitate medii. p. 140.
Quæst. II. Quænam sint credenda fidelibus necessitate præcepti. p. 146.
Quæst. III. An detur speciale præceptum fidei, & quando illud obliget? p. 148.
Quæst. IV. Quale nam sit præceptum fidei, & an æqualiter omnes obliget? p. 152.

Disputatio VI.

De Confessione externa Fidei.

Quæst. I. De præcepto affirmativo Confessionis externæ. pag. 154.
Quæst. II. De præcepto negativo fidei respectu confessionis externæ. p. 156.

Disputatio VII.

De Vitiis Fidei Oppositis.

Quæst. I. Quid & quotuplex sit Infidelitas? pag. 159.
Quæst. II. De Atheismo. p. 169.

Quæst. III.

Digitized by Google

Quæſt. III. De Paganiſmo & Turciſmo. p. 167.
Quæſt. IV. De Paganiſmo Chinenſium. p. 172.
Quæſt. V. De Obcæcato Judaiſmo. p. 175.
Quæſt. VI. De Hæreſi, & quomodo incurratur, ubi de Dubio & Dubitatione. p. 180.
Quæſt. VII. An quilibet in fide ſua poſſit ſalvari? p. 183.
Quæſt. VIII. An Hæretici, Judæi, & Pagani cogi poſſint ad Fidem Chriſtianam, & Catholicam ſuſcipiendam? p. 183.
Quæſtio Ethica. Quare in quibusdam Regnis & Regionibus tam frequentes ſint Fidei mutationes. p. 187.

APHORISMUS IV.
De Spe & Fiducia in ſolo Deo habenda. p. 188.

TRACTATUS III.
De Virtute Theologica Spei, & Vitiis Oppoſitis.

Diſputatio I.
De Spe ſecundum ſe.

Quæſt. I. Quid ſit ſpes, an ſit Virtus Theologica, à Fide & Charitate diſtincta. p. 191.
Quæſt. II. Cujus potentiæ ſit actus ſpei? p. 193.
Quæſt. III. De Objecto materiali & formali Spei. p. 195.
Quæſt. IV. An liceat operari ex ſpe mercedis, & ſperare Salutem æternam ex meritis noſtris? p. 197.
Quæſt. V. De ſubjecto remoto ſpei, nempe in quibus ſit & maneat, ubi etiam de certitudine ejus. p. 199.

Diſputatio II.
De Vitiis Spei oppoſitis.

Quæſt. I. Quid ſit Præſumptio & Deſperatio? p. 201.
Quæſt. II. An ſi Deus revelaret alicui ſuam damnationem æternam, teneretur adhuc ſperare ſalutem æternam, vel an poſſit licitè deſperare? p. 203.
Quæſt. Ethica I. Quæ cauſa ſit, quod multi ſpem amittant, & deſperent? p. 207.
Quæſt. II. An deſperanda ſit ſalus eorum, qui in aquis ſe ſubmergunt, vel laqueo enecant? p. 207.

APHORISMUS V.
De Deo ſummo Bono diligendo. p. 209.

TRACTATUS IV.
De Virtute Theologica Charitatis.

Diſputatio I.
De Charitate reſpectu Dei.

Quæſt. I. An & quid ſit Charitas? pag. 212.
Quæſt. II. An Charitas ſit vera amicitia Hominis erga Deum? p. 215.
Quæſt. III. De objecto materiali & formali Charitatis. p. 216.
Quæſt. IV. An & qua ratione teneamur Deum ſuper omnia diligere. p. 217.
Quæſt. V. Quando obliget præceptum de diligendo Deo ſuper omnia? p. 220.
Quæſt. VI. Utrum Charitas maneat in Patria, & an ſit ejusdem rationis cum Charitate viæ? p. 221.

Disputatio II.

De Charitate erga Proximum.

Quæst. I. An eadem Charitate diligendus sit proximus, qua diligitur Deus? pag. 224.
Quæst. II. Quomodo teneamur proximum, aut nosmet ipsos ex charitate diligere. p. 228.
Quæst. III. Quomodo teneamur inimicos ex charitate diligere? p. 229.
Quæst. IV. De Ordine Charitatis. p. 230.
Quæst. V. Quando, aut quomodo obligat præceptum dandi eleemosynam? p. 233.
Quæst. VI. De Correctione Fraterna. p. 235.

Disputatio III.

De Vitiis Charitati oppositis.

Quæst. I. De Odio Dei & Proximi. p. 238.
Quæst. II. De Invidia, Acedia, Discordia, Contentione & Rixa. p. 240.
Quæst. III. De Bello & Seditione. p. 243.
Quæst. IV. De Belli effectibus. p. 247.
Quæst. V. An Christianus Princeps bellum gerens in societatem belli vocare possit infideles, eorumque uti auxilio, ubi etiam de Technis bellicis, & pactis in bello servandis. p. 251.
Quæst. VI. De Duello & Torneamento. p. 254.
Quæst. VII. De Scandalo. p. 259.
Quæst. VIII. De Schismate. p. 260.
Quæst. Ethica. Quantum differant ista duo Ethicæ sacræ principia: Ama Deum, & time Deum. p. 261.
Quæst. II. Inter quos & qualis amicitia sit colenda? p. 262.

APHORISMUS VI.

De Prudentia, in vita & actione. p. 264.

TRACTATUS V.

De Virtutibus Ethicis, seu Cardinalibus in particulari.

Disputatio I.

De Prudentia.

Quæst. I. Quid sit Prudentia? p. 267.
Quæst. II. De Actibus Prudentiæ. p. 271.
Quæst. III. De Partibus Integralibus Prudentiæ. p. 274.
Quæst. IV. De Partibus subjectivis Prudentiæ. p. 278.
Quæst. V. De Partibus Potentialibus Prudentiæ. p. 280.
Quæst. VI. De Vitiis negativè Prudentiæ oppositis, ut sunt: Imprudentia, præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, & Negligentia. p. 282.
Quæst. VII. De Vitiis positivè oppositis Prudentiæ, ut sunt: Prudentia carnis, Astutia, Dolus, Sollicitudo temporalium, & sollicitudo futurorum. p. 285.
Quæst. Ethica. Quæ sunt Regulæ Prudentiæ? p. 288.
Quæst. II. Quænam sint signa Imprudentiæ? p. 289.

APHORIS-

APHORISMUS VII.

De Vita temperate agenda. pag. 289.

Disputatio II.

De Temperantia.

Quæſt. I. Quid ſit Temperantia. pag. 291.
Quæſt. II. De Munere & Regulis Temperantiæ. p. 293.
Quæſt. III. De Partibus integrantibus Temperantiæ. p. 294.
Quæſt. IV. De Partibus ſubjectivis Temperantiæ, quoad delectabilia in cibo & potu, quæ ſunt: Abſtinentia, ſeu Jejunium & ſobrietas. p. 295.
Quæſt. V. De Speciebus Temperantiæ, quoad delectabilia in tactu, quæ ſunt Pudicitia, & Caſtitas. p. 300.
Quæſt. VI. De ſpeciebus Temperantiæ, quoad delectabilia Honorum & Dignitatum. p. 303.
Quæſt. VII. De Partibus Potentialibus Temperantiæ, quæ ſunt: Continentia, Clementia, Manſuetudo, & Modeſtia. p. 306.
Quæſt. VIII. De Vitiis oppoſitis Temperantiæ, quoad Cibum & potum, quæ ſunt: Gula & Ebrietas. p. 308.
Quæſt. IX. De Vitiis oppoſitis Temperantiæ, quoad venerea, quæ ſunt: Aſpectus, Factus, Oſcula, Amplexus, & Concubitus. p. 312.
Quæſt. X. De Impudicitia in opere completo, ſeu de Luxuria, & primo de Fornicatione. p. 314.
Quæſt. XI. De Adulterio. p. 316.
Quæſt. XII. De Stupro & Raptu. p. 319.
Quæſt. XIII. De Inceſtu & Sacrilegio in Luxuria. p. 322.
Quæſt. XIV. De Peccato contra Naturam. p. 324.
Quæſt. XV. De Vitio oppoſito Temperantiæ quoad oppetendas honores, quod eſt Superbia. p. 327.
Quæſt. XVI. De Vitiis oppoſitis Temperantiæ, quoad partes potentiales, quæ ſunt: Incontinentia, Ira, Crudelitas, & Scurrilitas. p. 333.
Quæſt. Ethica. An Intemperantia ſit turpior in Sene, quàm in Juvene? p. 338.

APHORISMUS VIII.

De Adverſitatibus fortiter perferendis. p. 339.

Disputatio III.

De Fortitudine.

Quæſt. I. Quid ſit Fortitudo, quod ejus officium aut fructus? p. 341.
Quæſt. II. De partibus ſubjectivis Fortitudinis. p. 343.
Quæſt. III. De partibus integrantibus & Potentialibus Fortitudinis. p. 345.
Quæſt. IV. De Vitiis oppoſitis Fortitudini, quæ ſunt: Timor ſeu Ignavia & Audacia, Puſillanimitas, Ambitio, Præſumptio, Impatientia, Inſentibilitas, Inconſtantia, & Pertinacia. p. 340.
Quæſt. Ethica. An ſit actus Fortitudinis in peccato mortali exiſtentem abſque Confeſſione, vel Contritione ire cubitum? p. 351.
Quæſt. II. An Fortitudinis actus particularis ſit eſſe liberalem? p. 352.

Disputatio IV.

De Juſtitia.

Quæſt. Unica. De Notione Juſtitiæ, ejuſque munere, ac de ejusdem partibus, tam Integralibus, quàm ſubjectivis & Potentialibus ſummariè. p. 353.

APHORISMUS IX.

De Justitia cum Hominibus servanda. p. 355.

TRACTATUS VI.

De Justitia & Jure, seu de Jure & Justitia.

Disputatio I.

De Justitia & Jure secundum &c.

Quæst. I. Quid sit Justitia. p. 359.
Quæst. II. De Multiplici divisione Justitiæ. p. 361.
Quæst. III. Inter quos possit & intercedat Justitia Virtus?
Quæst. IV. De Objecto Justitiæ. p. 366.
Quæst. V. De Regula Justitiæ, quod est Jus Legale. p. 367.

Disputatio II.

De Justitia in Rerum Temporalium Dominiis & Possessionibus.

Quæst. I. Quid sit Dominium & Possessio? Quid Usus, Usus fructus? Quid Habitatio & servitus? p. 371.
Quæst. II. Quarum rerum justum homo habet Dominium? p. 376.
Quæst. III. An Imperator vel Pontifex sit Dominus totius Orbis? p. 379.
Quæst. IV. An licita, & quo jure introductasit Dominiorum divisio? p. 383.
Quæst. V. An & quorum bonorum Episcopi ac reliqui Clerici possint esse Domini? p. 385.
Quæst. VI. An & quorum rerum dominium habere possint Religiosi? p. 390.
Quæst. VII. An Fratres Minores sint Domini panis quem manducant? p. 394.
Quæst. VIII. An Peccatores maneant Domini suorum rerum? p. 397.
Quæst. IX. An Uxores, Filii Familias, parvuli, amentes, & servi possint esse Domini? p. 398.
Quæst. X. An duo pro eodem instanti possint simul esse Domini ejusdem rei in solidum? p. 400.

Disputatio III.

De Justitia circa translationem Dominiorum.

Quæst. I. De iis quæ acquiruntur per Occupationem. p. 402.
Quæst. II. De Aliis modis transferendi & acquirendi rerum dominium. p. 405.
Quæst. III. De acquirendo rerum dominio per possessionem. p. 406.
Quæst. IV. De acquirendo rerum dominio per Usucapionem. p. 408.
Quæst. V. An Bona Ecclesiæ liceat juste transferre ad alium Dominum? seu an liceat ea alienare? p. 412.

Disputatio IV.

De Justitia in transferendis & acquirendis liberaliter propria authoritate oblatis, vel donatis.

Quæst. I. Quid sit promissio, & quomodo obliget? p. 416.
Quæst. II. Quid sit Donatio liberalis. p. 419.
Quæst. III. An Donatio, quæ fit per metum, aut ignorantiam, realiter transferat dominium rei in alterum. p. 420.
Quæst. IV. De Donatione inter vivos. p. 423.
Quæst. V. De Donatione mortis causa, & ultimis Voluntatibus. p. 426.
Quæst. Ethica. In quibus subjectis Justitia sit illustrior? p. 432.
Quæst. Altera. In quibus subjectis Justitia maximè periclitetur? p. 433.

APHORIS-

Digitized by Google

APHORISMUS X.

De Fidelitate in ſervandis Contractibus. pag. 435.

Diſputatio V.

De Juſtitia in celebrandis contractibus in genere.

Quæſt. I. Quid & quotuplex ſit Contractus? p. 437.
Quæſt. II. Qui Contractus celebrare poſſint? p. 439.
Quæſt. III. De Materia, Forma, & Conſenſu ad Contractus neceſſario? p. 441.
Quæſt. IV. De Errore, dolo, & metu, qui intervenire poſſunt in Contractibus eóſque reddere nullos? p. 443.
Quæſt. Ethica An Contractus & pacta Judæis quoque & Gentibus ſint ſervandæ? p. 445.
Quæſt. Juridica. An Principes obligentur ex contractu cum ſuis ſubditis inito? p. 446.

APHORISMUS XI.

De Fugiendo Uſurariorum vitio. p. 448.

Diſputatio VI.

De Juſtitia in Celebrandis Contractibus, Re initis, & Principaliter, de Mutuo & Uſura.

Quæſt. I. Quid & quotuplex ſit Mutuum? pag. 451.
Quæſt. II. Quid ſit Uſura? p. 452.
Quæſt. III. De Uſura Mentali. p. 456.
Quæſt. IV. De Uſura Lucratoria. p. 457.
Quæſt. V. De Uſura Punitoria. p. 459.
Quæſt. VI. De Uſura Compenſatoriæ, ſeu Intereſſe? p. 460.
Quæſt. VII. Licet Cenſum dare Cæſari, an non? p. 462.
Quæſt. VIII. An Cambia ſint Uſuris obnoxia? p. 464.
Quæſt. IX. An Montes Pietatis Uſuram redoleant? p. 467.
Quæſt. X. An Uſurarius acquirat Dominium Uſuratum, ſeu illius rei, quam ſupra ſortem accipit? p. 469.
Quæſt. XI. De Commodato & Precario. p. 471.
Quæſt. XII. De Depoſito. p. 474.
Quæſt. XIII. De Pignoribus & Hypothecis. p. 467.

Diſputatio VII.

De Juſtitia ſervanda in Contractibus Verbo, & Scripto initis.

Quæſt. I. De Contractu Stipulationis. pag. 479.
Quæſt. II. De Contractu Fidejuſſionis. p. 480.
Quæſt. III. De Contractu Sponſionis, Ludi, & Sortium. p. 481.
Quæſt. IV. De Contractu Emphyteutico. p. 485.
Quæſt. V. De Contractu Feudali. p. 487.
Quæſt. Ethica. An detracto Chriſtiani poſſint fœnerari Judæis, Turcis, & Gentilibus? p. 489.
Quæſt. Altera. Cum quo ſit fructuoſiſſimum fœnerari? p. 490.

APHORIS-

APHORISMUS XII.

De Juſtè emendis & vendendis rebus. p. 491.

Diſputatio VIII.

De Juſtitia ſervanda in Contractibus ex conſenſu initis.

Quæſt. I. Quid & quotuplex ſit Emptio, Venditio, quæque licita? pag. 494.
Quæſt. II. An liceat carius merces vendere ob dilatam ſolutionem, & vilius emere ob ſolutionem anticipatam? p. 497.
Quæſt. III. An Venditor teneatur aperire defectum rei vendendæ, ubi etiam de Venditione & Emptione alienæ rei. p. 500.
Quæſt. IV. An & quæ Venditio-Re Emptio, & Emptio-Re Venditio ſit licita? qui Contractus Hiſpanis Mochatra dictus eſt. p. 502.
Quæſt. V. An Monopolia ſint licita? p. 504.
Quæſt. VI. De Contractu Locationis Conductionis. p. 505.
Quæſt. VII. De Contractu Societatis. 508.
Quæſt. VIII. De Contractu Mandati. p. 511.
Quæſt. Politica. An Nobiles, Viroſque Illuſtres deceat agere Negotiatores? p. 512.
Quæſt. Altera. An in Republica, meliores ſint Ruſtici, & Agricolæ, quàm Mercatores? p. 513.

IHS

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Ethici antiqui enumerantur.

ETHicam compello, eamque ſacram & Divinam, pus hoc morale & Theol gicum, non ſolùm quia Aphoriſmos ſingulis materiis Ethicos d ctrinales, ing eſſum paraturus præmitto, ſed potiſſimùm, quia tractatus iſti, ſingulæque diſputationes ſecundùm Regulas æternæ veritatis hominem ad moraliter bene vivendum, & æternaliter beatè præmiandum completè inſtruunt, tanto enim perfectiori hoc præſtant modo, quanto ab excellentiori principia ſua promanant Magiſtro; Quidquid enim Pythagoras Thales Mileſius, Iſocrates, Cato, Ariſtoteles, aliique Philoſophi, ingenii beneficio, & vigore naturalis luminis de moribus inſtruendis tradiderunt, umbra fuit & obſcuritas meris commixta tenebris: Aſt *Umbram fugat Veritas*, illaſcilicet, quæ ſubſtanti liter talis eſt; Ille qui dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Ille qui dixit: *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, &c.* Ille qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, totius cœleſtis doctrinæ unus Magiſter noſter JESUS Chriſt s; Homines illi fuerunt, hic *DEUS erat verbum*; Philoſophi illi naturales, hic æterni Patris ſapientia; Ariſt telis docendi locus Peripatus erat, hujus *Crux facta eſt Cathedra Magiſtri docentis.*

Joann: 14. Joann: 8. Joann: 1.

Auguſtini.

Prima igitur prærogativa Ethicæ Chriſtianæ & hujus præ naturali eſt Authoris Excellentia & Divin tas. Finis Philoſophiæ fuit, eſtque dirigere, regere, formare, & moderari actiones naturales tam quoad ſe, quàm quoad alios; Ethicæ verò hujus eſt dirigere hominem ad ſupernaturalem beatitudinem, & inſtruere in talibus virtutibus, quæ actiones divinas & ſupernaturales facit. Philoſophorum Ethicæ pluribus ſcatent erroribus, licèt recta quædam doceant, nam Ariſtoteles lib. 7. Politicorum cap. 16. cenſet filios cæcos, mancos, ſurdos eſſe abjiciendos dicens: *Circa expoſitionem & educationem filiorum lex ſit, nihil orbatum naturâ educandum ſore; in aliis verò ſi mores, inſtitutióque Civitatis prohibeant natos exponere, ac multitudo tanta prolis contigerit, ut duplicatus ſit filiorum numerus (nam is definitus eſſe debet) ad multitudinem nimiam evitandam, anteverti oportet, ut non concipiantur.* Similia habet Seneca, qui etiam cultum idolorum, quem tamen reprobat alibi, ob publicam quietem admittit. Verùm hæc ſunt erronea dicta & facta, nam prima inſtructio docet homicidia, & parricidia, ut teſtatur Tertullianus Apol. cap. 9. dicens: *Homicidii feſtinatio eſt, probibere naſci: nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet: homo eſt qui futurus, & fructus hominis jam in ſemine eſt.*

Ethicæ Ariſtotelicæ reparatio.

Ariſtoteles Ethicam partitus eſt ſuam in *Monaſticam*, quæ mores docet hominem in quantum homo eſt: *Oeconomicam*, hæc mores inſtruit, in quantum homo pars familiæ, ſeu domeſticæ communitatis eſt: Et in *Politicam* dirigentem hominem, in quantum homo pars Reipublicæ, pars Religionis, & pars ordinis eſt. Poſſem & ego Ethicam hanc, in has aut ſimiles partes dividere, nam tractatus de Virtutibus moralibus monaſticè quemlibet moderatur. Materia autem de Jure & Juſtitia Commutativa, & diſtribu tiva in univerſum dirigit inſtructione ſua abundanti hominem, ſeu conſideretur ut pars familiæ, ſeu Reipublicæ; verùm fructui utilitatique ſtudentium conſultans nolui novitate hac antiquorum Theologorum invertere m ethodum, ut quilibet in ſuo determinato poſſit in eniri loco: Ethicæ tamen nomen tribuo, quia hæc materia tractat virtutes omnes, quæ ſingulis hominibus ſecundùm ætatem, ſtatum & conditionem ad ſalutem ſunt neceſſariæ, aut utiles ad æternam conſequendam ſalutem, nam ut dicit Auguſtinus: *Virtutis præmium eſt DEUS*, unde non ſolùm ex hoc ſupernaturali fine, cujus ignarus fuit Philoſophus, *Sacram* & *Divinam* nomino, ſed etiam quia meris divinis innititur principiis tum in ſacra pagina Teſtamenti veteris & potiſſimùm in Salomonis Proverbiis, Jeſu Sirach Eccleſiaſtico, atque in Prophetis comprehenſis, tum ab æterna Patris Sapientia apud Evangeliſtas, & præcipuè D. Matthæum traditis, nam cap. 5. hominis octo beatitudines oſtendit, & Decalogi præcepta declarat, eorum defectum adimplendo, & explicando. Et cap. 6. docet, quomodo orandum, ac eleemoſyna facienda, quomodo oculus mentis mundandus, & pro futura vita theſaurizandum. Et cap. 7. Explicando juris naturalis principia faciendum aliis quod nobis fieri volumus, & per anguſtam portam intrandum

Chriſtus Dominus ſummus Ethicus.

Digitized by Google

introndum ad cœlum, in illis enim totius Ethicæ summa comprehenditur.

4. Apostoli quoque Ethica tradiderunt documenta

Magistrum suum secuti sunt Discipuli, Petrus, qui in Epistolis suis brevibus gnomis perfectionem Christianam insinuat, & totum breviter à fide deducit, & in charitate concludit epist. 2. cap. 1. *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.* Divus Paulus quoque in epistola ad Romanos cap. 12. instruit illos, ut à sæculi vanitate totos se abstrahant, DEO se dedant, & virtutibus se impendant, & proximorum utilitati deserviant. *Charitate fraternitatis invicem diligentes: Honore invicem prævenientes: Solicitudine non pigri: Spiritu ferventes: Domino servientes: Spe gaudentes: In tribulatione patientes: Orationi instantes.* Idem fecit Jacobus in sua doctrinalissima epistola, & alii Apostoli.

Hinc etiam Sancti Patres omnia sua scripta & dicta in illum potissimùm finem direxerunt, ut sese debitè regerent, & alios in moribus & pietate instruerent; Elegantissimas sententias Ethicas ponit S. Augustinus l. b. de vita Christiana c. 14. habetur in tomo 9. Ambrosius Serm. 58. S. Hieronymus in diversis opuscul. D. Gregorius lib. 10 Moralium cap. 16. admirabilem & plenè perfectissimi hominis Ethicam describit dicens: *Sapientia justorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quàm facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare.* & cap. 17. *Electus quisque ante occulti Judicis oculos virtutibus emicat, vitæ meritis coruscat: honorari metuit despici non refugit: corpus continentiâ afflicit: sola in animo dilectione pinguescit: mentem semper ad patientiam præparat; & erectus pro justitia de perceptis contumeliis exultat, afflictis ex corde compatitur, de bonorum prosperitatibus quasi de propriis lætatur, sacri verbi pabula in mente sollicitus ruminat, & inquisitus quodlibet eloqui dupliciter ignorat.* O quanta Christianæ perfectionis sublimitas! Quapropter etiam sanctos Patres præcipuè imitatus, sic materias de singulis virtutibus tractabo, & in veritate rei Aphorismos tales præmittam, ac præmittendo explicabo, per quos sicut viri eruditi ac illuminati in gravioribus difficultatibus adjutorium & subsidium deprehendent, ita etiam juniores competentem reperient instructionem. Et hoc est, quod Ethicam hanc dicam *speculativo-practicam*, Quia quæstiones plures speculativæ intercedunt, quas pro modulo tenuitatis meæ debitè discutio, omnes tamen ad praxim deserviunt, & ad illam ordinatæ sunt, idque unicè exopto, atque spero, quidquid enim de singulis virtutibus & vitiis in particulari refero ac dico, hoc sacræ scripturæ testimoniis munio, Patrum gravissimorum sententiis firmo, ac rationes eas adhibeo, amplector, eas opiniones sequor, quæ securiores mihi videntur reddere posse conscientias, ut in nullam incliner relaxationem, nisi quando periculum est scrupulis & anxietatibus implicandi mentes pias; Benevolus Lector bene dicta & scripta æternæ sapientiæ cœlestis doctrinæ Magistro, & DEO tanquam omnium Largitori bonorum adscribat, quæ insufficientia deprehendet, debilitatem meam excuset. Volui autem hunc tomum particulâ iter à quatuor prioribus Theologiæ totius separatum edere, tam ut speculativæ materiæ à moralibus secernerentur, & hæ simul in eodem tomo deprehendentur conjunctis, tam nè volumina in quantitate excrescerent, quia exempri tomi has materias capere non valuère.

4. Modus tradendi materiam præsentem.

Modus Procedendi in hoc opere.

Methodus & modus procedendi, quem in libro isto sum habiturus, hic erit, cuilibet Virtuti particulari & tractatui vel disputationi præmittam unum Aphorismum, cum aliquo ingenioso Symbolo, sive invento, sive ex aliis desumpto, cum proportionato gnoma, de qua ethicum formabo discursum, longum vel breviorem prout materia exegerit.

Secundò tractabo per Disputationes materias morales & Theologicas, prout Scholasticè fieri solet, singulas quæstiones stylo consveto, facili, & claro discutiendo.

Tertiò, velut ad originem & principium redeundo concludam materias quæstione Ethica, quæ vel ad mores instruendos, vel ad discursus formandos inter homines conducere valebunt. In omnibus laudetur & benedicatur DEUS, sit proinde

Ethicæ

ETHICÆ SACRÆ

APHORISMUS PRIMUS.

De BONA JUVENTUTIS EDUCATIONE.

Declina à malo, & fac bonum. Psal. 36. v. 27.
Discite bene facere. Isaiæ 1.

SYMBOLUM.

Curva Cervicem eius in iuventute. Ecclesiast. 30.

Ah ardore ad amorem in tempore flectendum est.

Declaratio Aphorismi, & Symboli.

Ethicæ prima principia sunt duo.

GEneralissimum hoc est principium, sed simul etiam summè necessarium ad Ethicè coram mundo conversandum, & coram DEO fructuosè vivendum, ac moriendum, duo namque complectitur, unum negativum, alterum positivum, & neutrum sinè altero sufficit, sicut perperam existimant quidam hæretici asserentes satis esse mala non facere, nec requiri bona agere, cùm tamen hoc posterius excellat primum, nam ut ipse dixit Aristoteles 4. Ethic. cap. 1. *Major virtus est bona operari, quàm turpia non operari.* Nec bene operari quis poterit, nisi mala declinaverit, nam ut eleganter quispiam scripsit: *Ubi vitia prius usu-capionem sumunt, virtutibus non datur locus*: quod fundatur in illo Proverb. 22. *Proverbium est: Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Et Jerem. 13. ironicè exprobrat Judæis, *si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum*: nam ut Poëta bene cecinit:

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu . . . . .

Ita etiam in moribus & virtutibus, quo semel animus infartus humore, aut qualitate quâ vel maximè habituatus fuerit, perseverabit usque in finem, unde ait Jeremias Thren. 3. *Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua.*

Inculcat proinde Aphorismus iste Parentibus, Prælatis, Magistratibus, & qui-

Juventus debitè est educanda.

quibuscunque curam aliorum habentibus eximiam diligentiam in educanda juventute, ficuti enim ager Novalis proferet fruges qualia conceperit femina, aut si absque cultura deseritur, non generat nisi Zizania, tribulos, & spinas, ita etiam in Republica politica omnia salus, conservatio & gloria familiarum totiusque communitatis ab educatione juventutis pendet, ita enim dicit Dogenes. *Filii sunt educati famuli nobis parentum.* Aristoteles: *Juventutis disciplina negotia magnum Reipublicæ facit detrimentum.* Et Cicero: *Ubi pravi volueritis, maximæ Respublicæ pernicies assentes mali morigeratæ ejus labes, fallaces, experientia.* Quod Tapientissimus Ethicus jam olim præcipit Proverb. 29. *Virga atque correptio tribuit sapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. . . . Qui delicate à puritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem:* Unde Plato voluebat filios etiam in utero matris esse educandos, interdictis pregnantibus eos cibos, qui eis aliquam intemperiem causare poslent virtutibus efficientem: Et non absque ratione, nam Angelus uxori Manue dixit Judicum 13. *Cavere debet mulier virum, ne aversum, ne immundum audiamus comedere, quia complet sibi partes filium.*

Itaque quod primum universaliter pro statuta politia in juventute occurrit, est, ut animus ab ineunte ætate bonis ac honestis artibus imbuatur, five in re militari, five in pace prudentia, sive in eloquentia; Neque tradenda est proles vili alicui perlonæ emutrienda, fed in commutrienda. D. Hieronymus harum inutilium educationum mentionem faciens, vocat vicaniam nutrienda rationem, quam non probat; ex fuppolitione tamen quod debeant illi, monetaritices, ne fint mercenarii, lafcivæ, aut garrulæ. Pulcher Rhetoris thefaurus eft bonis effe procreatum parentibus, et non malitiam juvenis, nifi etiam bonis moribus imbuatur fuerit, quod fieri debet ftatim ab ineunte ætate, hæc enim ratio novella ad fingendam facilis eft velut cera mollis ad recipiendas quascunque figuras. Audi Phocylidem Poetam de hoc ipso testem

Juventus in quibus virtutibus exuendis.

Dii tener eſt gratia generoſos inſtrue mores.
Malta laude dignus eft Carolus Magnus, qui fummam habuiffe filiorum, filiarumque fuarum in educando curam, teftatur Eginhardus, fuus Cancellarius: *Liberos*, inquit, *ita curavit inſtituendos, ut non filii quam nepotes primo liberalibus ſtudiis erudirentur, deinde more Francorum equitare, armis ac venationibus exercerer: Filias vero lanificio adjicere, colo, ac fuſo operam impendere, atque ad omnem honeſtatem erudiri poſſit.* D. Hieronymus Tract. ad Athletam ſcribens: *Pudoram*, inquit, *filia quæritis, ubi ſis ſuperſti, pergat ad templum cum paterfamilias nunquam ſe exuat, nunquam ſine matre in publicum prodeat, ſola non mamut, colloquia virorum fugiat. Diſcat præterea linum facere, colum tenere, in gremium volutabra ponere, fuſum rotare, ſtamina ducere. Cibus ejus ſit ſolanum, car. 65 piſcium, herbæ, mel at, at ſtatim ſiliæ, fatiare non debent, mentiri lacrymas putet.* Caveant autem ipſi parentes, ne ætatem inhonestam exerceant coram filiis, ne habeant quod imitentur. Plato ſuadet, ut poſt ſex annorum ætatem fœminæ ab maſculis diſcernantur, ut vel ſic illecebrarum cautilla reſtinguantur.

Parentes coram filiis honeſte vivant.

Somno etiam moderate ſtruntur, quia *Cibi* qui nimium dormit, rebus agendis mi- *lus juve-* nus apius eſt, neque alacrius pietis plus- *nibus dan-* quam ſi non vixiſſet. Cibo & potu mo- *di.* derato untur ad virtum refectionem, non vero oppreſſionem. Vidit aliquando Diogenes imaturum adoleſcentem, quafi mente alienatum dixit: *Bene adoleſcet, ſi mente ſeminovit puer.* S. Bernardus epiſt. 113. de juvenum educatione. *Quam reſtam, inquit, mens habitatio inſtet corporis ſtatum, cervicem ſubmittit, ſupercilia ponit, vultum componit, ligat oculos, colubet cachinnos, moderatur motus, frangit geſtus, ſedat iram.* Inter Laconica inſtitutis fuit & hæc mos receptus, ut puer non modo ſuos parentes, virum etiam ſtrenuos honore proſequerentur, caput deregendo, e ſedibus aſſurgendo, coram iis facendo &c. unde ſit cum Lacones non modò in propriis, ſed etiam in vicinos ius & authoritatem habeant eosdem corrigendi, quare ſimpex Pedagogus, qui ſibi juventui bonos quæſiverunt Pædagogos.

Parentes, literæ boni filiis præſcindi.

Cicero Philippum Macedo ſummæ fibi gratulantus fuit, quòd eo tempore Alexander natuſſit, quo Ariſtoteles vixit, de quo ita ait Gellius lib. 8. cap. 3. *Epiſtolæ Philippi Regis Macedonum ad Ariſtotelem Philoſophum celeberrimo natum filio effe filium nomine Alexandrum ſignificavit his verbis: Philippus Ariſtoteli ſalutem: Filium mihi genitum ſcio, pro quo equidem Diis habeo gratias, non quatenus, ſed quia eo tempore natus, quo tu vivis. Nam ſpero, ut à te educatus eruditus, dignus eruſtus ſis regnorum noſtrorum hæres, & virtutum tuarum imitator. Vale.*

Marcus Aurelius Imperator ad Præceptorem ſilii ſui Commodi: *Inopido, inquit, ad Dandum tetra & mihi filius Commodus, quem mihi Dii ego vobis mortalem dedi, ut vos mihi ipſum & Deis immortalem reſtituatis.* Theodoſius quoque Imperator felicem ſe teſtimavit, quod Arſenium magnum illum virtum nactus fuerit hæredem pro Directore, & Inſtructore filiorum ſuorum Arcadii & Honorii, quos promde fic fuit exhortatus, *Filii mei, delegi vobis præceptorem optimum & ſapientiſſimum, eui non commendo, ut olim Ariſtoteli Neronem, & Superii mihi hæredes reliquere poſſint*, ad mores igitur debite inſtruendos plurimum valent Præfecti, qui diligenter ſecum

Præfecti curate

curate juventutem doceant, quomodo debeat quilibet declinare à malo, & diſcat bene agere, juxta quod admonet Iſaias cap. 1. *Quieſcite agere perverſè, diſcite agere bene.* Optimo opus eſt Magiſtro, nam ut bene docuit Plutarchus: *Quærendi ſunt magiſtri, quorum inculpata ſit vita, mores juſtæ reprehenſioni non ſunt obnoxii, debita autoritas, & peritia minimè vulgaris.* Ratio eſt, quia inſtructio juventutis non eſt œconomicum aut privatum, ſed politicum & publicum, quod etiam D. Paulus clarè atteſtatur, *qui domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ DEI & juventutis diligentiam habebit.* 1. Timoth. 3. Unde parentes inexpertum providentes aut ponentes filiis ſuis magiſtrum minorem curam de proprio ſanguine & familia habere cõvincuntur, quàm de pecudibus, qui porcis optimum ſubulcum, equis & aſinis quærunt agaſonem, eoque magis lætantur, quo repererint meliorem, iſtos enim curant, illos negligunt, idque aſſequuntur, ut filii veluti pecora efficiantur in moribus, nam bene olim dixit Plato, hominem natura manſuetiſſimum ferociſſimum fieri animal, aut nulla aut non prudente accedente inſtructione: Exemplum eſt clarum in Eſau, qui venationi ſoli addictus ferox eſt effectus, lenis & manſuetus in laboribus Jacob, nam ſicuti duo catuli ab eadem matre enixi, quorum unus culinæ, alter diſciplinæ applicetur, ille mopſus manebit, hic fidelitati blandimenta, artes, ſaltusque adjunget, quidque inſtructio poſſit, demonſtrabit: Nam juventus non ſolùm eſt, ut ſupra dixi, ſicut cera mollis quamlibet ſuſcipiens figuram, ſed eſt quoque ſicut virgultum tenerum, huc illucque flexibile, ad bonum & ad malum, ad honeſta & delectabilia, & laborioſa & mollia, & hoc facili negotio, Inſtructio enim pro natura inoleſcit, quòd ſi virgultum in arborem trabeam excreverit, non niſi ventis & turbinibus commovetur; Saulus enim nunquam fuiſſet effectus Paulus niſi fulgure fuiſſet proſtratus.

Religioſi quales ſint ſuſcipiendi.

Quod dico de ſtatu politico, idem per omnia ſentiendum de Religioſo; In agro enim Dominico ſunt ſicut novellæ olivarum, fovendi proinde ſunt, & inſtituendi, nè in oleaſtros nutriamus, nam ex duodecim cauſis Excidii Monaſtici, quas ſusè Abbas Spanhemius pertractat, duas potiſſimum deprehendo, quarum prima eſt inutilium perſonarum ſuſceptio, & mala qualificatarum educatio ſuſceptarum; Religiones enim non ſunt columbaria, & publica diverſoria quaſi omnibus pateret aditus; ſunt templa DEI, juſti & juſtificandi magis intrare debent, excludi debent fatuæ Virgines: ſunt horrea magni Patris-familias, triticum inferre oportet, non fruges conſumere nati, in quo paſſu ſæculares ut plurimum errant, qui dum filiis diſponunt, ingenioſos Reipublicæ, fortes armis, ſagaces artibus applicant, debiles, infirmos, & claudos deſtinant Religionibus, quaſi verò ex forent infirmorum & languentium Xenodochia, ſicque DEO offerunt, quod vile & reprobum coram illis eſt cum Cain, eandem proculdubio recepturi, ſi depravata foret intentio, mercedem. Falluntur proculdubio exiſtimantes infirmos & debiles valere pro vigiliis & pſalmodiis, aut delicatulos paraſytos aſſueſcere poſſe rigidis abſtinentiis, & jejuniis, acedioſos ad labores. Et ſtolidi quomodo in lege Domini meditabuntur? Sapientiùs fecit Anna Phenennæ æmula, quæ unicum filium ſuum Samuelem commendavit Domino. Hinc ſanctiſſimè Pontifices de qualitate ſuſcipiendorum particulares ediderunt conſtitutiones, ut Sixtus V. in bulla *Cùm de omnibus.* Clemens VIII. *Altiſſimæ.* Urbanus VIII. *Militantis.* & Innocentius X. *Ad propagandam.* quæ videri poſſunt. Mea opinione ſit Juvenis ſuſcipiendus honeſtus, voluntarius, docilis, ingenuus, obſequens, induſtrius, cujus fronti inſit tranquillitas, oculis modeſtia, verecundia genis, ori ſilentium, frugalitas gutturi, divinus amor pectori, in manibus operatio, promptitudo in pedibus, & talem non pœnitebit ingreſſus, nec Religionem pudebit receptûs, generoſa enim mens modico agitata ſtimulo velociùs currit, promptiùs obedit, & fœcundiùs inſitum ſuſcipit verbum, æthiopem enim lavat, quæ ſtultum erudit, & ut ſapientiſſimus Ethicus dixit Eccleſ. 22. *Qui docet fatuum, quaſi qui conglutinat teſtam,* quæ ſolvitur imbribus, & ardoribus hiare incipit, atque rumpitur.

Studia in Religione florere debent.

Quam ſtudiosè autem novellæ plantulæ in Religionibus ſint educandæ, præclarè docent S. Auguſtinus in ſerm. ad Fratres in eremo, Mellifluus Bernardus, Seraphicus S. Bonaventura in ſuo aureo ſpeculo Novitiorum, Victorinus, Hugo, olim etiam S. Baſilius, Ephrem, & Caſſianus, brevi lemmate ego complector *Virtute & ſtudio* omnis conſervatur Religio, virtus paſſiones moderatur tam quoad ſe, quàm quoad alios, ſtudium ab otio arcet, hominem debitè format, adoleſcentiam regit, ſenectutem oblectat, res ſecundas ornat, in adverſis ſolatium præbet, delectat domi, non impedit foris, nobiſcum ſcientia acquiſita pernoctat, peregrinatur, ruſticatur, militat, & aulizat, ſinè ſtudiis & ſcientia, teſte D. Auguſtino, *Vita mors eſt*, per litteras enim docti diſtinguuntur ab indoctis ut vivi à mortuis, adeoque

Diſcite virtutem Juvenes, nam ſola beatos
Nos facit, & diræ non timet arma necis.

Digitized by Google

Et vos quoque ô Patres-familias, Prælati, & Magistratus compello, ac Ethico aphorismo Aristotelis 7. Politicorum alloquor, & concludo:

Prima sit cura de animæ bono, nam bonum animæ est optimum bonum, atqui hoc est virtus, ergo sit

TRACTATUS I.

De Virtutibus & Vitiis in communi.

Procœmium.

Virtutum encomium.

VIrtutis gloria, excellentia, & dignitas nullo satis encomio condignè exprimi potest, nihil enim illâ nobilius, potentius, aut utilius inveniri potest, quod etiam Ethnici Philosophi cognoverunt antiquitus, nam ipse Aristoteles lib. 1. Ethic. cap. 9. dicit: *Virtutis merces ac finis optimum quiddam est, divinum & beatum.* Et lib. 9. cap. 4. ait: *Est virtus & vir bonus mensura rerum omnium.* Socrates: *Virtus est statua quædam in sua basi.* Cicero Tusc. ult. *Virtus omnia, quæ cadere in hominem possunt, subter se habet, eáque despicions casus contemnit humanos, culpaq; omni carens, præter se ipsam nihil censet ad se pertinere.* Sat Christianè, sed magis ad propositum nostrum SS. Patres, qui omnes uno quasi ore conclamant Civitates, Provincias, & Respublicas virtutibus solum beari temporaliter, & æternaliter in regno cœlesti, nam ut D. Augustinus lib. 17. Civit. cap. 12. dicit: *Virtus via est, qua bonus utitur ad gloriam, honorem, imperium. Hinc Romani conjunctissimas constituerunt ædes virtutis, & honoris, pro Diis habentes, quæ dantur à DEO.* Ambrosius in officiis: *Bonus circuitus est, si Justitia quærit, Prudentia invenit, Fortitudo vendicat, Temperantia possidet, ut Justitia sit in affectu, Prudentia in intellectu, Fortitudo in effectu, Temperantia in usu.* Lactantius lib. 7. cap. 10. ait: *Vitia, commotiones, & perturbationes animi sunt, Virtus è contrario lenitudo, & tranquillitas animi est, quia vitia temporalia & brevia sunt. Virtus perpetua & constans & par sibi semper, virtus nunquam nisi morte finitur, imò nec morte, sed in ea perficitur, glorificatur, & præmiatur.* Nam secundùm S. Hieron. monitum iis scientiis & virtutibus incumbendum, quæ in cœlis permaneant ad coronam, sicut ergo mortalibus nihil utilius, gloriosius & efficacius ad beatitudinem consequendam, ita etiam materia de iis tractans dignissima est, ut illarum vis, natura, qualitatesque explicentur, quod in hac Ethica sacra præstare conator, à generalioribus ergo, uti ratio postulat, incipiendo, tractatum hunc, de Virtutibus & Vitiis in communi, præmitto. Accedite ergo parvuli, festinate studentes, & discite Virtutum naturas, quas opere aliquando compleatis, proficientes, ut sitis perfecti. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De

Virtutibus Christi Domini cœlestis Doctrinæ & totius Ethicæ Magistri.

PErfectissimus Magister ille est, qui primitus facit, quod docet, nam sicut ipsemet Christus dixit: *Si hæc scitis, & feceritis, beati eritis.* Abs re proinde non est, præmittere breviusculas quæstiones, an in nostro divino cœlestis doctrinæ, & sacræ Ethicæ Magistro Christo (quod Theologi in tertio sententiarum faciunt) virtutes, quæ, & quales fuerint? D. Joannes quidem cap. 1. attestatur se vidisse illum *Plenum gratiæ, & veritatis*, nulla facta aliarum virtutum mentione; attamen ipsamet Sapientia Divina, & Verbum Patris invitat cunctos populos & Nationes Matth. 11. *Venite ad me omnes & discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et etiam in præcitato Joannis loco secundùm quosdam Doctores per *gratiam*, Evangelista videtur insinuare Misericordiam, Benignitatem, & Beneficentiam: per *Veritatem* autem putant gratuitam denotari DEI & Christi bonitatem, promissorum fidelitatem, solet enim scriptura has virtutes conjungere, ut Psalm. 24. *Universæ viæ Domini misericordia & veritas.* & Psalm. 84. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.* Sed sinamus, quòd ibi Evangelista loquatur de plenitudine gra-

Digitized by Google

gratiæ gratum facientis, ut communiùs volunt alii interpretes, exinde tamen optimè plenitudinem virtutum infert S. Thomas p. 3. q. 7. Art. 2. dicens: *Ex gratia Christi derivatæ fuerunt in animam ejus virtutes, quibus singulæ potentiæ perficerentur secundùm omnes actus, & ita Christus habuit omnes virtutes.* Nullum ergo dubium esse potest in Christo virtutes fuisse, & quidem mea opinione omnes in summitate perfectionis, quamvis de nonnullis à quibusdam controvertatur. Adeoque sit

Quæstio I.

An in Christo fuerint virtutes Theologicæ?

HIc præliminariter omnia supponenda erunt, quæ fusius infrà explicabuntur, Et Primò quidem virtutes Theologicas secundùm D. Paulum, Ecclesiam, & Theologos tres sunt istæ: Fides, Spes & Charitas, juxta illud 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.*

Fides varie accipitur.

Suppono 2. ex tractatu sequent. Disp. 1. q. 2. Fidem variè sumi, Primò ut est gratia gratis data. 2. Pro fidelitate in servandis promissis. 3. Pro fiducia, quæ est fides cum spe simul, vel sola spes, & ut omittam alias. 4. Capitur pro credulitate seu assensu de non visis, & hæc alia est humana, alia divina, quæ nititur testimonio divino, tenditque in DEUM, & ideo dicitur Theologica, de qua hic debet esse sermo.

Suppono 3. ex eodem tractatu disp. 4. q. 2. Ad fidem requiri duos actus unum in intellectu, qui est ipsa fides, alium qui est in voluntate, qui est aliqua motio activa ipsius voluntatis imperantis intellectui, ut eliciat actum credendi juxta illud 2. Corinth. 10. *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* & fidei, & vocatur à Doctore subtili *Imperium voluntatis*; ab aliis *Affectus credulitatis*, ut à Patribus Concilii Arausicani Can. 8. ab aliis: *Pia voluntatis affectio*, vel honesta credendi voluntas. Quòd autem talis motio ad actum fidei eliciendum ab intellectu sit necessaria, omnes ex eo probant, quia cum objectum fidei sit evidens, & obscurum, non est sufficiens ad movendum intellectum, ut eliciat actum fidei circa illud, adeoque debet intellectus moveri à voluntate ad credendum; & sic definitum est in Concilio Arausicano II.

Suppono 4. Quantum ad spem ex eodem tractatu disp. 8. q. 3. Objectum spei aliud esse primarium, scilicet quod primò & per se speratur, ut beatitudo objectiva: aliud secundarium ut sunt aliqua bona corporis vel animi, quæ beatitudinem consequuntur, adeoque ad beatitudinem sperantis aliquo modo spectant, talia ex parte Christi poterunt esse exaltatio propriì nominis, & glorificatio corporis. His præsuppositis.

Fides theologica non fuit in Christo.

Dico 1. *Actus Fidei theologicæ non fuit in Christo Domino.* Hæc est communis cum Magistro in 3. d. 15. & communi Theologorum. Et Probatur 1. Christus ab instanti suæ conceptionis fuit perfectè beatus juxta illud Psalmi 64. *Beatus quem elegisti & assumpsisti.* & ad Colossenses 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, uti etiam fusius cum Theologis communiter ostendi in 3. sentent. disp. 17. q. 2. sed cum visione clara DEI non stat cognitio fidei, quæ est obscura juxta Paulum 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum* &c. ergo non fuit in Christo fides theologica. Secundò, Quia secundùm Apostolum fides excidit in Beatis, *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*, hoc propter incompossibilitatem, quæ est inter cognitionem DEI claram, qualem habent Beati, & obscuram quam habent illi, qui vident per fidem, ergo Tertiò, Quia fides est argumentum non apparentium, sed Christo nihil fuit non apparens juxta illud quod dixit illi Petrus Joann. ult. *Tu omnia nosti*, ergo non fuit in ipso fides. Sed in contra Arguitur 1. Christus docuit fidem, & fuit etiam author ejus ad Hebræ. 12. *Aspicientes in Autborem fidei, & consummatorem JESUM*, ergo illam habuit, patet consequi: Quia non docuit veritates, quas non habuit juxta illud Actor. 1. *Cœpit facere & docere*, ergo. Resp. neg. consequ. ad cujus probationem dico Christum habuisse meritum fidei, quod consistit in hoc, quod homo ex obedientia DEI assentiatur illis, quæ non videt, & sic nihil spectans ad meritum docuit Christus quod ipse excellentius non impleret, quo modo intelligendum est illud cœpit facere & docere. Arguitur 2. Fides est virtus nobilior quàm morales, sed hæ sunt in Christo, ergo & fides. Respond. Illas, quæ habent annexam imperfectionem sicut pœnitentia non fuisse in Christo, itaque quamvis fides sit nobilior, quia tamen infert quendam defectum in ordine ad materiam, circa quam versatur, non fuit in Christo, in quo ille defectus non fuit.

Arguitur 3. ex Doctore 3. d. 31. q. unic. ad 3. in Beatis potest dari actus fidei circa illa quæ non spectant ad suam beatitudinem v. g. si DEUS revelaret ipsis aliquid de novo, quod non vident in Verbo, ergo

gò etiam in Chriſto datur fides circa aliqua, quæ non videt, non obſtante quòd ſit beatus. Antec. eſt Doctoris ubi ſupra aſſerentis credibilia eſſe in triplici differentia, quorum quædam viſio per ſe ſpectat ad beatitudinem, v. g. Deitas & Trinitas, quædam quorum viſio ſpectat ad beatitudinem non eſſentialiter ſed tantùm concomitanter, ut v. g. Incarnatio Chriſti quædam denique, quæ neutro modo ſpectant ad beatitudinẽ, ut ſunt facta quædã humana, de quib⁹ non repugnat remanere fidem, quã beatus hic acquiſivit, ergo ſecundùm hoc fides poteſt manere in beatis, conſequenter in Chriſto. Reſpond. omiſſo antec. neg. conſeq. & ratio diſparitatis eſt. Quia licet aliquis actus fidei maneat in beatis, hoc contingit, quia eorum beatitudo neque in actu neque in habitu extenditur ad cognitionem illorum objectorum, quæ neque eſſentialiter neque concomitanter ſpectant ad eorum beatitudinem, quia beatitudo ipſorum quoad objecta ſecundaria extenditur tantùm ad determinata objecta non ad quæcunque, ſecus dicendum eſt de viſione Chriſti, qui videt omnia in Verbo, ac proinde nihil ipſum latet, reſpectu cujus poſſet in ipſo eſſe fides.

Habitus fidei non eſt in Chriſto.

Dico 2. *Probabile eſt, neque habitum fidei theologicæ fuiſſe in Chriſto.* Hæc eſt communis Theologorum contra Durandum in 3. d. 23. & 24. q. 1. & diſt. 31. q. 3. & 4. dicens: quòd licèt in Chriſto non fuerit actus fidei, fuit tamen in beatis, quod etiam concedit de omnibus beatis, quem quidem quoad ultimam partem de beatis ſum ſecutus in Quarto ſentent. tract. 10. diſp. 2. q. 1. Nihilominus ut paulò ſuperiùs notavi, magna eſt diſparitas inter Chriſtum & beatos. Probatur concluſio 1. Quia habitus fidei ex ſuo genere includit imperfectionem & defectum, inclinat enim ad actum obſcurum, & nunquam poteſt conferre evidentiam, eſtq; in genere notitiæ imperfectus, ergo nequit poni in Chriſto. Secundò: Ille habitus eſt ſuperfluus in ſubjecto, qui nullo modo poteſt exire in aliquem actum, ſed habitus fidei in Chriſto nunquam exibit in actum, ergò. Tertiò: Quia habitus fidei ad nihil poteſt eſſe in Chriſto requiſitus neque ad entitatem, neque ad ornatum.

Dices 1. Manere ibi potentias nutritivam & generativam, quarum tamen actus ibidem non ſunt, ergo non obſtante, quòd ibi non ſit actus fidei, poteſt tamen ipſius habitus manere. Reſpond. Illas potentias manere ibi, quia faciunt ad integritatem naturæ, neque ipſi debetur habitus fidei neque ſpectat ad integritatem naturæ, ſed eſt forma quædam ſupernaturalis data ſolum propter inclinationem potentiæ ad actus in viatore, qui non habent objectum præſens, ſed hi actus in Chriſto ſunt impoſſibiles propter præſentiam objecti.

Dices 2. Habitum fidei debere manere in Chriſto ad integritatem formæ juſtificantis, quia ex Tridentino ſeſſ. 6. de Juſtificat. cap. 7. *In juſtificatione hæc ſimul* infuſa accipit homo fidem, ſpem, & charitatem, ergo. Reſpond. neg. antec. Quia Concilium tantùm loquitur de prima impii hominis juſtificatione, qui per tres prædictos habitus debet reparari, licèt non omnis ſit forma juſtificans, quia ex eodem Concilio ibidem cap. 7. *Unica formalis cauſa eſt juſtitia DEI, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit: qua videlicet ab eo donati, renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed vere juſti nominamur, & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes.* Et ſtatim ſubjungit: *Id tamen in hac juſtificatione impii fit, dum ejuſdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum S. charitas DEI diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret.* Ergo charitas ſola, vel forma cum charitate identificata eſt cauſa formalis juſtificationis. Sed adhuc incontra Arguitur 1. Iſaiæ 7. de Chriſto dicitur: *Erit fides cinctorium renum ejus.* Cinctorium autem ſignificat aliquid permanens, ergo fides ſaltem habitualis erit in Chriſto. Reſpond. neg. conſequ. Quia ibi per fidem intelligitur veritas, & fidelitas in ſervandis promiſſis, quæ eſt virtus moralis, quam lubens concedo in Chriſto.

Arguitur 2. Caput & membra in phyſicis relativè ſe habent, ſortiunturque eandem formam corporeitatis, ergo idem contingit in membris metaphoricis, ſed omnes Chriſtiani & fideles ſunt membra Chriſti per fidem tanquam propter formam, ergo etiam hæc eadem debet in Chriſto eſſe tanquam in capite. Reſpond. neg. conſequen. Quia metaphora ſeu metaphorica locutio non debet in omnibus univocari, ſed ſufficit, quòd Chriſtus influat in membra ſua per modum principii, & ſic habeat rationem capitis. Deinde ſatis eſt, quòd habeat formam excellentiorem fidei ejus notitiam eminenter continentem, ſcilicet lumen gloriæ, & viſionem beatam, per quæ poteſt eſſe caput hominum & Angelorum, qui non ſunt membra per fidem, ſed per lumen & viſionem.

Affectus pius credendi fuit in Chriſto.

Dico 3. *In Chriſti Domini voluntate non fuit motio illa ſeu pia affectio abſoluta, quæ moveret intellectum ejus ad aſſenſum fidei, bene tamen conditionata.* Hæc eſt Patris Del Caſtillo Vellaſco diſp. 12. q. 1. Item P. Felicis cap. 18. difficult. 1. Et eam quoque deduco ex noſtro Aretino & Doctore ſubtili, & etiam ex Doctore angelico, qui in 3. p. q. 7. art. 3. docet, licèt in Chriſto non fuerit fides, fuiſſe tamen meritum ejus, quia paratiſſimus fuit ad obediendum DEO, quod maximè probatur in prompto habi-

tu

tu & voluntate, quod obediret etiam in mysteriis, si statui suo possibile foret sicut nos obedimus. Probatur 1. pars. Quia intellectus Christi non potuit de facto habere actum fidei, ergo nec in voluntate ejus dabatur talis motio, cujus officium præcisè est determinare intellectum ad assensum fidei. Probatur 2. pars. Quia non repugnat Christo propositum hoc objectum complexum: Si DEUS mihi revelaret aliquod mysterium, deberem credere, quia est summè verax, ergo non repugnat, imò summè congruum fuit, quòd circa tale objectum sic propositum eliceret actum, quo vellet credere, si DEUS revelaret. Tum 2. Quia sicut fuit in Christo promptitudo animi circa bonum DEI, ita congruit, quòd habuerit promptitudinem circa veritatem DEI, sed hæc promptitudo est pia affectio ad credendum, ergo. Tertiò: Quia Christus fuit perfectissimè obediens juxta illud: *Factus obediens* &c. Sed obedientia virtualiter & eminenter continet promptitudinem & affectum pium omnia faciendi, quæ DEUS ordinaret, ergo.

Arguitur incontra: Actus fidei non est possibilis in Christo, ergo nec pia affectio. Respond. 1. neg. antec. absolutè, Quia absolutè poterat DEUS non omnia repræsentare Christo in Verbo: vel scientia infusâ aliquid non cognoscere, de quo haberet fidem, ut docet Scotus in 3. d. 31. in fine. Respond. 2. Ad actum conditionatum sufficere objectum impossibile, negatur ergo consequent. licèt antecedens verum sit.

Instatur: Ad actum inefficacem non requiritur habitus, & si requiritur, sufficit habitus obedientiæ, quia poterat Christus velle credere ex motivo obediendi DEO, ut dicebat probatio conclusionis tertiæ. Respond. Transeat. antec. Quia licèt absolutè non requiratur pia affectio illa, est tamen perfectius Christo illi dari, prout Thomistæ communiter docent, etiamsi habitus ei negaretur.

Habitus fidei sine imperfectione potuit in Christo fuit.

Dico 4. *Potest etiam probaliter dici in Christo Domino fuisse habitum fidei seclusa omni illo quod imperfectionem dicit, in quantum est fides unum ex donis Spiritûs sancti.* Ita Durandus, nec credo sub hac limitatione negari posse. Probatur 1. ex illo Isaiæ 11. *Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cingulorium renum ejus*, in quo loco tam bene fides in Christo ponitur quàm justitia, sed justitia in Christo fuit perfectissima, ut patet ex illo Marci 12. *Reddite igitur quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEI DEO*, ergo. Probatur 2. Quia in Christo fuerunt omnia dona spiritus sancti, & gratiæ gratis datæ ex illo Isaiæ 11. *Requiescet super eum spiritus Domini*, & tamen inter dona enumeratur timor & consilium, quæ si accipiantur cum imperfectionibus omnino non debent, nec possunt poni in Christo, licet tamen quod esse perfectum, nam in illo fuit timor filialis, fuit etiam consilium, non quidem prout importat dubitationem de medijs, aut supponit ignorantiam, sed benè prout importat actum intellectûs, quo dirigitur voluntas circa media eligenda, quæ ad finem conducunt. Tertiò certum est Christum fuisse Prophetam, ut patet ex illo Lucæ 7. *Quia Propheta magnus surrexit in nobis.* & cap. 24. *Dixerunt de JESU Nazareno, qui fuit vir Propheta potens in opere & sermone coram DEO & omni populo.* Joann. 4. *Dicit ei mulier: Domine video, quia Propheta es tu*: atqui Prophetia videtur involvere obscuritatem ac fides, ergo si illa in Christo admittitur, etiam fides quoad illud, quod imperfectum est, nam etiam eodem modo dicitur de prophetia 1. Corinth. 13. *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.* Quo non obstante tamen fuit in Christo, non enim in comprehensoribus omnia evacuanda sunt in beatitudine, sed ea solùm, quæ ex parte & imperfecta sunt, adeoque etiam in Christo ut beato esse possunt & poterant. Quartò Probatur: Quia fides secundùm substantiam aliud non denotat nisi certam cognitionem articulorum fidei, abstrahendo ab obscuritate & claritate, sed dempta obscuritatis imperfectione, in Christo fuit perfectissima cognitio articulorum fidei, ergo fuit quoque habitus fidei, quod Confirmatur, quia habuit facultatem declarandi alijs difficultatem articulorum à se propositorum, & confutandi hæreses contrarias, ut patet ex Joann. cap. 6. ubi perfectissimè declaravit mysterium de Eucharistiæ Sacramento, & confutavit eos, qui retro abierunt, ergo. Nunc progredior ad virtutem spei, &

Spes non fuit in Christo de gloria suæ animæ.

Dico 5. *In Christo non fuit actus spei circa gloriam animæ suæ.* Hæc est communis Theologorum & Probatur 1. ex illo ad Rom. 8. *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?* Secundo Rationibus: Tum, Quia spes est de bono divino non habito, est enim desiderium efficax, & expectatio certa futuræ beatitudinis ex gratia DEI habendæ, sed Christus ab instanti suæ conceptionis habuit omne bonum divinum quoad animam, ergo. Tum, Quia sicut motus physicus requirit quod mobile non sit in termino ad quem, quia acquisito termino cessat motus, ut ait Aristoteles, sic spes est veluti quidam motus animi ad rem consequendam, ergo requirit in subjecto carentiam, quæ cum in Christo nunquam fuerit consequenter quoad gloriam animæ spem non habuit.

Christus Dominus habuit fiem respectu gloriæ corporis

Dico 6. *In Christo Domino fuit actus spei quoad gloriam sui corporis, suique nominis exaltationem.* Ita noster Pater Felix, Arriaga, & complures Recentiores, videtur quoque esse mens Scoti in 3. dist. 26. quæ [illegible] Durandi, Suarez &c. Ratique Divæ corporis

Thomæ 3. p. q. 7. art. 4. Probatur 1. ex Scriptura Psalm. 7. *Salvum me fac ex omnibus persequentibus me & libera me.* Psalm. 21. *Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis, & moverunt caput. Speravit in Domino eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Prout Judæi & Sacerdotes illi in cruce exprobarunt Matth. 27. Marci 15. videatur ibi Psalm. 27. *Dominus adjutor meus, & protector meus: in ipso speravit cor meum, & adjutus sum.* Qui omnes psalmi clarè expressèque loquuntur de Christò, ergo in ipso fuit aliqua spes alicujus objecti, quod nondum habuit.

Probatur 2. Ex D. Augustino qui in illud Psalm. 21. *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: Spes mea ab uberibus matris meæ.* in epist. 120. ad Honoratum dicit: *Neque enim spes alia intelligenda est, nisi qua futurum erat, ut DEUS eum exaltaret à mortuis. Totum hoc quippe secundum id quod homo factus est dicitur. An fortè quin utera fœminarum ab ipso conceptu in ubertatem promoveri perhibentur, sic intelligi voluit, ab uberibus, tanquam diceret, ex quo carnem sumpsit, cui carni fuerat speranda immortalitas: ut non ante spes ei esset, cùm in forma DEI esset, in qua nihil in melius mutandum esset, sed ab uberibus matris, id est, ab ipsa susceptione carnis, quæ concipiebatur in spe, cujus spei res futura erat, cum ad immortalitatem de morte transiret.*

Probatur 3. Ratione: Christus cognoscebat gloriam corporis sui futuram esse, & erat illi ardua, quia per labores acquirenda, quia habebat spem respectu illius. Probatur consequ. Quia hæc arduitas supponit contingentiam rei futuræ. Consistit autem hæc arduitas ad spem prærequisita in difficultate consecutionis rei speratæ, sive hæc difficultas oriatur ex magnitudine rei speratæ superante vires nostras, sive ex aliis circumstantiis, scilicet ex distantia, contingentia, temporis diuturnitate, labore, impensis, obstaculis, &c. Denique ter orans videtur sperâsse se exaudiendum, alioquin frustra orationem multiplicasset.

Dices: Molestia laborum est objectum audaciæ & fortitudinis, non autem spei, ergo &c. Respond. distin. antec. Est objectum materiale, conced. formale, nego. Quia audacia & fortitudo est agressio ardui, spes verò est animatio & erectio animi, ut arduum aggrediatur.

Dices 2. Sperare gloriam corporis non habet DEUM pro objecto, ergo non erit spes theologica. Respond. neg. antec. Quia objectum formale est DEUS, à quo speratur gloria corporis, sicut per charitatem diligimus proximum, qui non est DEUS, & per fidem credimus multa revelata propter DEUM, quæ non sunt DEUS, ergo. Sed contra conclusionem adhuc Arguitur 1. Gloria corporis erat Christo debita ex vi unionis & beatitudinis animæ, ergo non erat illi ardua. Respond. neg. consequ. Quia erat per labores crucis & mortis acquirenda, quæ gloria non est defacto aliis beatis ardua, adeoque illam non sperant. Nec obstat diuturnitas temporis, quâ differtur gloria corporis, quia jam sunt plenè extra statum merendi, habentque simul certitudinem, & insuper nihil amplius ex se applicandum propter illam gloriam.

Arguitur 2. Arduitas consistit in contingentia, sed Christo non erat gloria corporis contingens, ergo nec objectum spei. Respond. licèt contingentia sufficiat ad arduitatem, non tamen semper requiritur, quia sine contingentia est spes in animabus purgatorii, & fuit in B. Virgine Maria, & Apostolis, qui certi erant de sua beatitudine.

Instatur: In hoc distinguitur spes à desiderio efficaci, quod est sine timore, spes est cum timore, ergo cum contingentia. Respond. Quòd etiam certum timeamus, quia nihil certius morte, & tamen illam timemus.

Instatur iterum: Diverso modo desideratur contingens & nō contingens, sed qui desiderat contingens sperat, ergo qui desiderat non contingens non sperat. Res. Ad rationem virtutis spei contingens vel non contingens, dummodo sit acquisitu difficile, tantùm esse differentiam materialem, & sic utrumque speratur.

Christus Dominus speravit aliis gloriam & gratiam.

Dico 7. *Probabitur Christus Dominus actu spei theologicæ sperabat gloriam & gratiam aliorum, & consummationem Ecclesiæ.* Colligitur hæc ex Scoto dicente. Quia enim desidero mihi vel tali voluntati, non tollitur quin desiderem illud, ubi loquitur de spe. Pro intelligentia nota, si gratia & gloria sanctorum considereretur in illis ut sunt membra Christi, & spectabant ad ædificationem corporis mystici, ita est actus spei, quia ut sic talia dona confideravit veluti propria bona Christi, cùm esset caput hujus corporis mystici, & volebat illa ut bona sibi. Post resurrectionem tamen hic actus non erat spei, quia non erat gloria acquirenda sanctorum per labores ut ante mortem. Si verò talis gratia & gloria considerentur, ut sunt particularis personæ, potest Christus eas velle & actu spei & actu charitatis, Actu spei ut bona illarum, ita ut personæ se habeant tanquam *Cui* vult bonum: Actu charitatis, si velit illas ex complacentia personarum, ita ut persona sit tanquam *quæ seu quis.*

Habitus spei fuit in Christo.

Dico 8. *Ad hos actus eliciendos in Christo est habitus, adeóque habitus spei virtutis theologicæ depuratus tamen ab omni imperfectione.* Probatur: Quia est perfectio Christi, ut tales actus connaturaliter eliciantur, quia aliàs actus spei in nobis esset perfectior, quia iste procedit ab habitu. Sed in contra Arguitur 1. In Christo non est ponendus habitus, nisi quando est possibilis actus primarius talis habitûs, sed in Christo est impossibilis actus spei circa gloriam

am animæ propriæ, qui est primarius actus spei, ergo in illo non datur habitus spei. Respond. neg. maj. Quia habitus non solum ponuntur propter primarios actus eliciendos, sed etiam propter secundarios. Et certè Christus quamdiu fuit viator, potuit sperare, ergo conveniebat quòd actus ab habitu procederet.

In Christo fuit & est habitus charitatis.

Dico 9. *In Christo est & fuit perfectissimus actus & charitus habitatis.* Hæc est extra omne dubium. Probatur 1. Quia scriptura tota novi testamenti nihil magis commendat quàm charitatem Christi Joann. 13. *Cùm dilexisset suos, quia erant in mundo, in finem dilexit eos. Et Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.* Deinde dilexit quoque inimicos, quando pro eis oravit: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Vide ejus dilectionem ad proximum & totum mundum. Respectu verò ad Patrem cap. 14. *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem.* Denique D. Paulus ad Ephesios 11. 5. ait: *Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.*

Secundò Christi Domini natura sic dignificanda est, quantum dignificari potest, atqui habere habitum charitatis in gradu sumo atque eminenti magna est dignificatio, per hanc enim formaliter elevatur ad operandum supernaturaliter. Tertiò in sententia nostra charitas & gratia non sunt habitus distincti, ac proinde si gratiam summam habuit, consequenter & charitatem.

Quæstio II.

An in Christo fuerint Virtutes Morales?

Virtutes morales eæ dicuntur omnes, quæ versantur circa componendos mores hominum juxta præscriptum rectæ rationis. Quarum sunt quatuor principales, quæ etiam *Cardinales* vocantur, & sunt *Prudentia*, *Justitia*, *Fortitudo* & *Temperantia*, quibus omnes reliquæ subsunt tanquam partes subjectivæ, vel integrales, vel potentiales. Vocantur autem cardinales non solùm à scholasticis, sed etiam Patribus Ambrosio in illud Lucæ 6. *Beati pauperes* dicente in quatuor beatitudinibus amplexum esse *quatuor virtutes veluti cardinales*, & infrà: *Scimus quatuor esse virtutes Cardinales Temperantiam, Justitiam, Prudentiam, Fortitudinem.* quas lib. 1. offic. cap. 14. vocat *Principales.* D. August. Enarrat. in Psalm. 83. dicens: *Virtutes agendæ vitæ nostræ quatuor describuntur à multis, & in Scripturâ inveniuntur. Prudentia dicitur, quâ discernimus inter bonum & malum. Justitia dicitur qua sua cuique tribuimus, nemini quicquam debentes, sed omnes diligentes. Temperantia dicitur, quâ libidines refrænamus. Fortitudo dicitur quâ omnia molestia toleramus.*

Cardinales virtutes quatuor.

Prudentia versatur circa materias omnium virtutum, quia primò dirigit omnes operationes illarum dictando mediocritatem in materia illarum, & in aliis requisitis, unde licèt pertineat ad intellectum, dicitur tamen virtus moralis, quia versatur circa regulandos & componendos mores. *Temperantia* versatur circa moderandas resistentes passiones concupiscibiles. *Fortitudo* in molestus circa passiones irascibiles, & *Justitia* circa operationes in ordine ad alterum, unde D. Augustinus nunc generaliter vocat eas amórem, nunc scientiam. Cum igitur in Christo nec difficultas fuerit ad operandum, nec passiones habuerint resistentes tam in rationali quàm in sensitivo appetitu sicut in nobis experimur, hinc dubium exurgit an in Christo tales virtutes sint collocandæ. Considerari autem virtutes morales possunt dupliciter: Primò in gradu communi & dicuntur *purgantes animum.* Secundò in gradu heroico, & dicuntur à Philosopho virtutes *purgati animi*, ideoque differunt hi modi tanquam magis & minus, tanquam terminus, & via ad terminum. His præmissis

Cardinalium virtutum officia.

Dico 1. *In Christo Domino fuerunt virtutes Morales & Cardinales omnes perfectissimo modo & gradu heroico, non pugnantes cum statu beatifico, aut unione hypostatica.* Ita Doctor subtilis, & Probatur 1. generaliter ex scriptura Isaiæ 11. *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis*, sed dona hæc non distinguuntur ab aliquibus virtutibus moralibus, ergo. Probatur min. Tum ex communi sensu Theologorum; Tum Scoti in 3. d. 34. q. un. sub litt. O. §. *De donis* dico, ubi ait: *In donis enumerantur quatuor virtutes Cardinales, & tres Theologicæ.* Dum ex D. Augustino lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 4. ubi demonstrat, beatitudines esse ipsa dona Spiritûs Sancti, & ante per beatitudines universaliter virtutes perfectiores exprimi.

Virtutes Cardinales omnes fuerunt in Christo.

Probatur 2. Particulariter Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde,* Isaiæ 42. *Ecce servus meus . . . Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris, calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate judicium educet. Non erit tristis neque turbulentus,* ubi ejus justitia indicatur, quòd non accipiet personam, nam ad justum judicem pertinet dare unicuique, quod debetur, & distribuere secundùm merita & demerita hominum. Tempe-

Temperantia per se non includit.

Christus habuit in esse virtutes ab instanti conceptionis.

Christus habuit omnes virtutes moralis.

Christus habuit virtutes in habitu.

Christus habuit virtutes in actu.

Christus habuit virtutes heroicas.

Christus habuit virtutes infusas.

Christus habuit virtutes connexas.

Christus habuit virtutes perfectissimas.

Christus habuit virtutes augmentatas.

Christus habuit virtutes consummatas.

Christus habuit virtutes in gradu perfectionis.

Christus habuit virtutes in gradu excellentiae.

Christus habuit virtutes in gradu supremo.

Christus habuit virtutes in gradu infinito.

Christus habuit virtutes in gradu immenso.

Christus habuit virtutes in gradu incomprehensibili.

Christus habuit virtutes in gradu inaestimabili.

Christus habuit virtutes in gradu omnipotentiae.

Christus habuit virtutes in gradu omnipotentiae.

*Christus habuit virtutes in gradu omnipotentiae

ctum hominem, quantum ad usum rationis absolutum, & ad omnes virtutes, nam vir à virtutibus dicitur. Probatur 2. Quia sine novo miraculo, quod non est concedendum, non potuerunt occurrere Christo materiæ omnium virtutum. Tertiò. Quia aliàs caruisset aliquo tempore Christus virtutibus quibusdam. Denique, Quia alioquin non haberet actus illarum in gradu perfecto utpote non procedentes ab habitu, in Christo autem fuerunt omnes virtutes in gradu heroico.

Dico 5. *Christo infuerunt omnes virtutes morales per infusionem.* Probatur, Quia non per acquisitionem, aliàs non fuissent in ipso in instanti conceptionis, nam in illo instanti non poterant omnes simul acquiri, quia acquirendo unam per aliquem actum intensissimum, reliquæ adhuc non fuissent acquisitæ, ergo. Dices: Virtutes morales ponuntur ad vincendam inclinationem appetitûs contra rationem; sed in Christo non fuit talis inclinatio, nec fomes peccati, ergo nec sunt necessariæ tales virtutes. Respond. neg. conseqn. Quia virtutes non solùm propter hanc rationem in Christo erant ponendæ, sed etiam ut connaturalius operaretur, & ipsum perficerent, atque etiam ut inclinationem illam tollerent, nam illa ablata fuit non præcisè per unionem, sed etiam per alia dona gratuita Christo à DEO collata, ut docui in 3. Sent.

Dices 2. Licèt Christus non habuisset habitus virtutum potuisset elicere actus virtutum ita perfectos atque integros sicut cum illis, ergo. Respond. distin. antec. Ita perfectos perfectione essentiali, id est ejusdem speciei cum illis, conc. perfectione connaturali, & felicitatis, neg. antec. & conseq.

Quæstio III.

An in Angelis bonis ponendæ sint virtutes morales?

Angeli non habent difficultatem ad operandum

CHristus caput est Angelorum & hominum, examinata ergo difficultate & resoluta in capite Magistro nostro fuisse, & esse omnes virtutes morales, Et Ethicam summam, antequam ad homines progrediar, præmitto dubium, an in Angelis quoque virtutes debeant admitti, nam cum voluntas eorum non sit conjuncta appetitui sensitivo, non est nata condelectari illi, & sic sine difficultate tendit ad bonum morale, consequenter nullus est in ipsis necessarius habitus. Veruntamen

Virtutes fuerunt in Angelis theologicæ.

Dico 1. *In Angelis fuerunt virtutes theologicæ cùm in via essent ad beatitudinem.* Hæc deducitur ex Scoto in pluribus locis, Et Probatur, Quia certum est in illis fuisse charitatem - - gratiam cum qua creati fuerunt, & in qua meruerunt, ergo. Fuit quoque in illis spes, nam ut dicit Scotus 1. dist. 6. q. 2. §. Ad videndum, ubi ait: *Boni Angeli potuerunt appetere beatitudinem, ut habentes illam, perfectius amarent summum bonum, & iste actus concupiscendi beatitudinem, esset meritorius, quia non ut fruar fruendo, sed fruitur eo: quia bonum, quod concupisco mihi, ad hoc concupisco, ut plus amem illud bonum in se.* Denique Angeli habuerunt fidem, quâ cognoverunt mysterium S. Trinitatis, quod naturali ratione est indemonstrabile cuicunque intellectui creato juxta illud Matthæi 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius & cui voluerit Filius revelare.* Ergo neque Angelus nisi sibi fuerit revelatum, & patet ex Angelorum illuminatione, & mysterio Incarnationis, de quo S. Bernardus tract. ad Hugonem de S. Victore cap. 5. de Angelis omnibus & de ipso Gabriele dicit: *Mihi verò videtur ipsi quidem (ut patet ejus librum) qui*

nunciabit. Quod & ipse fatetur, si ejus verba diligenter advertimus. Respondens quippe, Spiritus sanctus super veniet in te, nonne apertè mittit ad magisterium Spiritus sancti, cujus unctione docentur de omnibus, quorum ipse sibi non præsumit scientiam, & discat experiendo, quod audiendo non poterat.

Virtutes morales fuerunt in Angelis.

Dico 2. *Probabile quoque est in Angelis virtutes morales, & ipsam temperantiam & fortitudinem esse.* Ita Scotus in 3. d. 33. q. 1. § Ad primum, quem sequuntur Cavellus, Smising, Pontius & alii. Probatur 1. ex Doctore subtili citato sic: Voluntas Angeli non est necessariò imperfecta, igitur potest sibi competere habitus, quo velit mihi bonũ temperantiæ, in quantum est mihi bonum conveniens, & habitus iste non potest dici charitas, quia ut dictum est, iste habitus non est tantùm bonum, ut quoddam ordinatum ad diligendum DEUM: sed sub ratione propriæ bonitatis in eo. Nec est alius habitus quam temperantiæ, quia per mihi & tibi non variatur ratio formalis habitus; igitur sicut habitu temperantiæ formaliter elligo mihi hoc bonum, ita habitu ejusdem rationis potest mihi quilibet velle hoc bonum.

Probatur 2. Ex S. Bernardo serm. 12 in Psal. 90. dicente: *Quid sub tantis custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci; minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus?* Itaque licèt Angelus non habeat passiones appetitûs sensitivi, sibi inexistentes, potest tamen circa illas in universali à ratione ostensus ut moderandas in quocunque subjecto illarum capaci plures rectas electiones elicere, ex quibus generaretur habitus virtutis, quia nullus negat posse

test, Angelos bonos velle nos fortiter & temperatè vivere, ita ut circa delectabilia & terribilia non excedamus nec deficiamus, sed talis volitio est honesta & virtuosa, & non est ullius virtutis, quàm moralis, ergo. Probatur minoris secunda pars: Si ullius alterius maximè charitatis, sed hujus non, ergo. Probatur min. Motivum charitatis est infinitum bonum propter se amandum, ex eo autem quòd Angelus velit mihi bonum honestum virtutum moralium, non vult formaliter in ordine ad bonum divinum, sed ut in se formaliter bonum, ergo actus ille est actus virtutis moralis. Nec valet dicere, illum non esse actum temperantiæ aut fortitudinis ex eò, quòd sibi Angelus illum non desideret, aut velit, quia contra arguit Scotus supra per *mihi* & *tibi* non variatur ratio formalis virtutis, ergo. Probatur antec. Ratio formalis virtutis sumitur ex conformitate cum recta ratione circa bonum honestum, sed per hoc, quod bonum honestum sit mihi vel tibi, non variatur ratio boni honesti, bonum enim temperantiæ in me vel in te est ejusdem speciei, ergo. Nec per *mihi* & *tibi* variatur ratio formalis virtutis, quæ sumit suam varietatem à varietate objecti & non subjecti. Confirmatur per hoc, quòd prudentia dictet esse à me vel à te jejunandum, non variatur ratio formalis Prudentiæ, ergo nec similiter variatur actus conformis tali Prudentiæ per hoc quod ego volo me vel te jejunare.

Probatur 2. Ipse D. Thomas ejusq; sectatores ponunt in homine pro statu innocentiæ virtutes morales, sed in illo statu nullæ essent passiones moderandæ, ergo esto de facto in Angelis non sunt ullæ passiones in se ipsis moderandæ, non propterea deneganda est eis virtus moralis per quam ferantur ad bonum honestum volendum. Tertiò: In Angelis possunt esse difficultates, quæ in tolerantia injuriæ, & humilitate consistunt, cùm enim objecta illa sint speculativa, possunt tam bene Angeli quàm nos sentire repugnantem appetitum rationalem, & voluntatem, adeoque possunt in illis poni virtutes ad illam repugnantiam superandam.

Arguitur 1. Cum Medina: Si ad temperantiam sufficeret velle illam alteri, sequeretur patrem intemperatum habere temperantiam, eam desiderando frequenter suo filio, similiter incastũ esse castum per simile desiderium erga filium aut alium, & sic vitiosus manens talis esset virtuosus, quod esset absurdum. Cavellus & Smising negant sequel. Quia, inquiunt, ad virtutem temperantiæ non sufficit velle bonũ temperantiæ sibi aut alteri quomodocunque, sed requiritur ultra ut efficaciter velit in quocunque subjecto capaci, quod non facit ille, cum sit ipse capax & sibi non desideret, sed plane videtur, quod possit talis pater efficacissimè desiderare filio temperantiam, ac in ordine ad hoc omnia media applicare, & hoc etiam ex motivo temperantiæ. Respond. ergo aliter distin. sequel. quantum ad desiderandam eam filio, conc. sequel. quantum ad eam sibi procurandam, neg. seq. Et si quæratur an deberet dici absolutè & simpliciter temperans. Respond. negativè, Quia per temperatum absolutè & simpliciter intelligitur ille qui est habituatus, aut inclinatus ad non intemperatè vivendum, ille autem pater non esset talis. Sed si quæras adhuc, quare potest inclinare ad desiderandum talem virtutem alteri, non verò sibi? Respondeo, quòd possit eam desiderare sibi, si vellet, ratio autem quare hoc non facit, non est alia, quàm quòd sit in sensu ejus pravus oppositus habitus, qui non tollitur nisi per ablationem objecti delectabilis à sensu, & per varias prohibitiones voluntatis, ne apprehendatur tam perfectè & abundanter delectabile. In casu autem conclusionis Angeli boni volunt bonum honestum efficaciter propter seipsum, & etiam pro se ipsis si esset possibile.

Instatur: In hoc distinguunt communiter Authores temperantiam & fortitudinem à justitia, quod illæ reddant operantem bene ordinatum ad se, justitia verò bene ordinatum in ordine ad alterum, ergo temperantia & fortitudo non possunt inesse alicui nisi in ordine ad seipsum bene ordinandum & per consequens per hoc, quòd Angelus velit mihi bonum temperantiæ non sequitur, quòd in eo sit virtus temperantiæ. Respond. 1. distin. antec. communiter & ordinariè, transeat antec. ita ut non possint aliter fieri, neg. antec. & consequ. in eodem sensu. Respond. 2. distin idem antec. quoad secundam partem; Justitia verò bene ordinatum in ordine ad alterum communicando & dando ipsi illud, in quod habet jus, conc. antec. non communicando, neg. antec. & consequ. Temperantia autem & fortitudo esto aliquando ordinentur ad alterum, non tamen communicant alteri bonum ab habente eas, sed simpliciter volendo objectum illarum virtutum aliter à seipso & per proprios actus principaliter obtinendum. Justitia verò dat alteri non solùm volendo, sed etiam exequendo ut bene notant Baronius & Scotus in 4. distin. 46. Justitia non est totaliter ad alterum, sed etiam subinde ad seipsam realiter & moraliter, nam qui utiturre sua, facit actum justum, licèt nihil facit alteri: similiter Pater castigans filium minorennem propter crimina, exercet actum justitiæ punitivæ, & tamen filius secundùm communem non est alius ab ipso, quia est pars ejus, sicut ramus arboris pars est.

Arguitur 2. Virtus moralis versatur circa bonum honestum arduum & difficile

cile juxta Philosophum 1. Ethic. 3. sed bonum honestum non est arduum aut difficile Angelis, ergo. Respond. distin. majo. in voluntate conjuncta appetitui sensitivo, transe. maj. In voluntate non conjuncta, neg. majo. & consequ. Quia quòd virtus non sumat suam rationem essentialem ab arduitate & difficultate operis ex eo patet, quia bonum illud potest esse arduum, & non arduum respectu duorum actuum ejusdem speciei, ut quando quis acquirit habitum virtutis respectu primi actûs objectum est arduum, quando autem quis utitur habitu jam acquisito frequenter objectum non erit arduum aut difficile, unde si plures habitus intensos tales habebit potentia, objectum erit facillimum, & juxta hæc intelligendus est Philosophus, nempe quòd nos in prima acquisitione, non verò quòd virtus ut sic, requirat objectum arduum.

Arguitur 3. Si in Angelis ponendæ sint virtutes morales ponerentur etiam in DEO, sed hoc est falsum, ergo & antec. majo. patet à paritate rationis. min. probatur: virtus moralis est habitus electivus medii à prudentia definiti, sed in DEO actus voluntatis non est regulabilis à prudentia, cùm ipsa voluntas divina sit rectissima, immutabilis & prima regula omnium agendorum, ergo in DEO talis virtus non habet locum. Resp. admittendo sequel. & neg. min. cujus probationis maj. distin. respectu voluntatis creatæ & regulabilis, concedo maj. Increatæ & obliquabilis, neg. maj. & consequ. Ad virtutem moralem non requiritur, ut medium semper actu practicè à prudentia præscribatur, sed sufficit, quòd circa medium virtutis eliciatur actus adeò rectus, & conformis rationi speculativæ, ut si voluntas respectu talis actûs ullo modo esset regulabilis à ratione, illa ratio esset sufficienter regulativa talis actûs, hoc modo posset concedi in voluntate divina actus virtutis temperantiæ. Respond. 2. negando sequ. Quia ad rationem harum virtutum requiritur ut inclinent ad earum objectum propter se ipsum eligendum, sed DEUS non eligit bonum istarum virtutum propter se ipsum bonum sed potius propter suam divinam bonitatem, & hic est affectus divinæ charitatis, ergo in DEO virtus temperantiæ & fortitudinis non habet locum, nam ut patet in Disput. de objecto divinæ voluntatis, voluntas divina non movetur à bonitate propria ullius objecti creati, alias vilesceret, sed à sola divina & infinita bonitate. Angelus verò potest sic moveri à bonitate creata. Nec valet dicere Scotum admisisse in DEO rationem virtutum, quia tamen non propter bonitatem propriam ipsius objecti, sed propter divinam vult mihi illud, ideo istud velle non est propriè actus virtutis moralis sed charitatis.

DISPUTATIO II.

De Natura Virtutum.

Præmissa disputatione superiori, qua viam præparavi ad materiam virtutum explicandam, quoniam ipse est Dominus virtutum, & causa meritoria omnium operum bonorum seu virtuosorum, nunc incipio Virtutum explicare naturam physicam. Ad quam cognoscendam me revoco imprimis ad Philosophiam, & ad omnia ibi de Habitibus dicta: videlicet in quo consistant? A quo producantur? & qualiter ad actus concurrant? & cætera hujusmodi, unde similibus omissis ad rem progredior, & sit

Quæstio I.

Quid & quotuplex sit Virtus.

Virtutis diversæ acceptiones.

Cujusvis rei cognitio dependet ab etymologia, & definitione rei, tanquam à duabus basibus & fundamentis, quibus innititur tota ædificatio. Secundùm etymon igitur, virtus derivatur à *vire*, Cicerone teste, 2. Tusc. Quæst. Vir verò ideo dicitur ex eo, quòd in ipso major sit vis quàm in fœmina, unde virtus primò sumitur pro præstantia in re militari, pro robore animi, & fortitudine corporis. Secundò capitur, prout extendit se ad naturam seu potentiam aliquam; in qua acceptione Psalmista dicit: *Verbo Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, hinc est vulgatum axioma, virtus est ultimum de potentia. Tertiò sumitur virtus pro quacunque dispositione bona ordinata ad finem similem, in quo sensu Aristoteles 7. Ethic. cap. 17. dicit, quod *virtus sit dispositio ad optimum*, quæ acceptio universalis est, comprehenditque virtutes tam corporales quàm intellectuales & morales, nam & sapientia & scientia, doctrina & prudentia, ars & praxis virtutes appellantur, unde Cicero lib. 5. de finib. ait: *Atqui in sensibus est sua cuique virtus.* & Quint. lib. 4. cap. 2. sunt hæ quidem, quas retuli, virtutes aliorum quoque partium. Quartò accipitur virtus propriè prout ad præsens attinet (ut omittam alias acceptiones plures, ut est, quæ

Et vos quoque ô Patres-familias, Prælati, & Magiſtratus compello, ac Ethico aphorismo Ariſtotelis 7. Politicorum alloquor, & concludo:

Prima ſit cura de animæ bono, nam bonum animæ eſt optimum bonum, atqui hoc eſt virtus, ergo ſit

TRACTATUS I.

De Virtutibus & Vitiis in communi.

Proœmium.

Virtutum encomium.

VIrtutis gloria, excellentia, & dignitas nullo ſatis encomio condignè exprimi poteſt, nihil enim illâ nobilius, potentius, aut utilius inveniri poteſt, quod etiam Ethnici Philoſophi cognoverunt antiquitus, nam ipſe Ariſtoteles lib. 1. Ethic. cap. 9. dicit: *Virtutis merces ac finis optimum quiddam eſt, divinum & beatum.* Et lib. 9. cap. 4. ait: *Eſt virtus & vir bonus menſura rerum omnium.* Socrates: *Virtus eſt ſtatua quædam in ſua baſi.* Cicero Tuſc. ult. *Virtus omnia, quæ cadere in hominem poſſunt, ſubter ſe habet, eáque deſpiciens caſus contemnit humanos, culpaq; omni carens, præter ſe ipſam nihil cenſet ad ſe pertinere.* Sat Chriſtianè, ſed magis ad propoſitum noſtrum SS. Patres, qui omnes uno quaſi ore conclamant Civitates, Provincias, & Res publicas virtutibus ſolum beari temporaliter, & æternaliter in regno cœleſti, nam ut D. Auguſtinus lib. 17. Civit. cap. 12. dicit: *Virtus via eſt, qua bonus utitur ad gloriam, honorem, imperium. Hinc Romani conjunctiſſimas conſtituerunt ædes virtutis, & honoris, pro Diis habentes, quæ dantur à DEO.* Ambroſius in officiis: *Bonus circuitus eſt, ſi juſtitia quærit, Prudentia invenit, Fortitudo vendicat, Temperantia poſſidet, ut Juſtitia ſit in affectu, Prudentia in intellectu, Fortitudo in effectu, Temperantia in uſu.* Lactantius lib. 7. cap. 10. ait: *Vitia, commotiones, & perturbationes animi ſunt, Virtus è contrario lenitudo, & tranquillitas animi eſt, quia vitia temporalia & brevia ſunt. Virtus perpetua & conſtans & ſibi ſemper, virtus nunquam niſi morte finitur, imò nec morte, ſed in ea perficitur, glorificatur, & præmiatur.* Nam ſecundùm S. Hieron. monitum iis ſcientiis & virtutibus incumbendum, quæ in cœlis permaneant ad coronam, ſicut ergo mortalibus nihil utilius, glorioſius & efficacius ad beatitudinem conſequendam, ita etiam materia de iis tractans digniſſima eſt, ut illarum vis, natura, qualitatesque explicentur, quod in hac Ethica ſacra præſtare conator, à generalioribus ergo, uti ratio poſtulat, incipiendo, tractatum hunc, de Virtutibus & Vitiis in communi, præmitto. Accedite ergo parvuli, feſtinate ſtudentes, & diſcite Virtutum naturas, quas opere aliquando compleatis, proficientes, ut ſitis perfecti. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De

Virtutibus Chriſti Domini cœleſtis Doctrinæ & totius Ethicæ Magiſtri.

PErfectiſſimus Magiſter ille eſt, qui primitus facit, quod docet, nam ſicut ipſemet Chriſtus dixit: *Si hæc ſcitis, & feceritis, beati eritis.* Abs re proinde non eſt, præmittere breviuſculas quæſtiones, an in noſtro divino cœleſtis doctrinæ, & ſacræ Ethicæ Magiſtro Chriſto (quod Theologi in tertio ſententiarum faciunt) virtutes, quæ, & quales fuerint? D. Joannes quidem cap. 1. atteſtatur ſe vidiſſe illum *Plenum gratiæ, & veritatis*, nulla facta aliarum virtutum mentione; attamen ipſamet Sapientia Divina, & Verbum Patris invitat cunctos populos & Nationes Matth. 11. *Venite ad me omnes & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Et etiam in præcitato Joannis loco ſecundùm quosdam Doctores per *gratiam*, Evangeliſta videtur inſinuare Miſericordiam, Benignitatem, & Beneficentiam: per *Veritatem* autem putant gratuitam denotari DEI & Chriſti bonitatem, promiſſorum fidelitatem, ſolet enim ſcriptura has virtutes conjungere, ut Pſalm. 24. *Univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.* & Pſalm. 84. *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Sed finamus, quòd ibi Evangeliſta loquatur de plenitudine gra-

Digitized by Google

gratiæ gratum facientis, ut communiùs volunt alii interpretes, exinde tamen optimè plenitudinem virtutum infert S. Thomas p. 3. q. 7. Art. 2. dicens: *Ex gratia Christi derivatæ fuerunt in animam ejus virtutes, quibus singulæ potentiæ perficerentur secundùm omnes actus, & ita Christus habuit omnes virtutes.* Nullum ergo dubium esse potest in Christo virtutes fuisse, & quidem meâ opinione omnes in summitate perfectionis, quamvis de nonnullis à quibusdam controvertatur. Adeoque sit

Quæstio I.

An in Christo fuerint virtutes Theologicæ?

Hæc præliminariter omnia supponenda erunt, quæ fusius infrà explicabuntur, Et Primò quidem virtutes Theologicas secundùm D. Paulum, Ecclesiam, & Theologos tres sunt istæ: Fides, Spes & Charitas, juxta illud 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, trin hæc: major autem horum est charitas.*

Fides varie accipitur.

Suppono 2. ex tractatu sequent. Disp. 1. q. 2. Fidem variè sumi, Primò ut est gratia gratis data. 2. Pro fidelitate in servandis promissis. 3. Pro fiducia, quæ est fides cum spe simul, vel sola spes, & ut omittam alias. 4. Capitur pro credulitate seu assensu de non visis, & hæc alia est humana, alia divina, quæ nititur testimonio divino, tenditque in DEUM, & ideo dicitur Theologica, de qua hic debet esse sermo.

Suppono 3. ex eodem tractatu disp. 4. q. 2. Ad fidem requiri duos actus unum in intellectu, qui est ipsa fides, alium qui est in voluntate, qui est aliqua motio activa ipsius voluntatis imperantis intellectui, ut eliciat actum credendi juxta illud 2. Corinth. 10. *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* & fidei, & vocatur à Doctore subtili *Imperium voluntatis*; ab aliis *Affectus credulitatis*, ut à Patribus Concilii Arausicani Can. 8. ab aliis *Pia voluntatis affectio*, vel honesta credendi voluntas. Quod autem talis motio ad actum fidei eliciendum ab intellectu sit necessaria, omnes ex eo probant, quia cùm objectum fidei sit evidens, & obscurum, non est sufficiens ad movendum intellectum, ut eliciat actum fidei circa illud, adeoque debet intellectus moveri à voluntate ad credendum, & sic definitum est in Concilio Arausicano II.

Suppono 4. Quantum ad spem ex eodem tractatu disp. 8. q. 3. Objectum spei aliud esse primarium, scilicet quod primò & per se speratur, ut beatitudo objectiva: aliud secundarium ut sunt aliqua bona corporis vel animi, quæ beatitudinem consequuntur, adeoque ad beatitudinem sperantis aliquo modo spectant, talia ex parte Christi poterunt esse exaltatio proprii nominis, & glorificatio corporis. His præsuppositis.

Dico 1. *Actus Fidei theologicæ non fuit in Christo Domino.* Hæc est communis cum Magistro in 3. d. 15. & communi Theologorum. Et Probatur 1. Christus ab instanti suæ conceptionis fuit perfectè beatus juxta illud Psalmi 64. *Beatus quem elegisti & assumpsisti.* & ad Colossenses 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, uti etiam fusius cum Theologis communiter ostendi in 3. sentent. disp. 17. q. 2. sed cum visione clara DEI non stat cognitio fidei, quæ est obscura juxta Paulum 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum* &c. ergo non fuit in Christo fides theologica. Secundò, Quia secundùm Apostolum fides excidit in Beatis, *Cùm venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*, hoc propter incompossibilitatem, quæ est inter cognitionem DEI claram, qualem habent Beati, & obscuram quam habent illi, qui vident per fidem, ergo Tertiò, Quia fides est argumentum non apparentium, sed Christo nihil fuit non apparens juxta illud quod dixit illi Petrus Joann. ult. *Tu omnia nosti*, ergo non fuit in ipso fides. Sed in contra Arguitur 1. Christus docuit fidem, & fuit etiam author ejus ad Hebræ. 12. *Aspicientes in Autborem fidei, & consummatorem JESUM*, ergo illam habuit, patet consequi: Quia non docuit veritates, quas non habuit juxta illud Actor. 1. *Cœpit facere & docere*, ergo. Resp. neg. consequ. ad cujus probationem dico Christum habuisse meritum fidei, quod constitit in hoc, quod homo ex obedientia DEI assentiatur illis, quæ non videt, & sic nihil spectans ad meritum docuit Christus quod ipse excellentius non impleret, quo modo intelligendum est illud cœpit facere & docere. Arguitur 2. Fides est virtus nobilior quam morales, sed hæ sunt in Christo, ergo & fides. Respond. Illas, quæ habent annexam imperfectionem sicut pœnitentia non fuisse in Christo, itaque quamvis fides sit nobilior, quia tamen infert quendam defectum in ordine ad materiam, circa quam versatur, non fuit in Christo, in quo ille defectus non fuit.

ca non fuit in Christo.

Arguitur 3. ex Doctore 3. d. 31. q. un. ad 3. in Beatis potest dari actus fidei circa illa quæ non spectant ad suam beatitudinem v. g. si DEUS revelaret ipsis aliquid de novo, quod non vident in Verbo, ergo

go etiam in Christo datur fides circa aliqua, quæ non videt, non obstante quòd sit beatus. Antec. est Doctoris ubi supra asserentis credibilia esse in triplici differentia, quorum quædam visio per se spectat ad beatitudinem, v. g. Deitas & Trinitas, quædam quorum visio spectat ad beatitudinem non essentialiter sed tantùm concomitanter, ut v. g. Incarnatio Christi quædam denique, quæ neutro modo spectant ad beatitudinẽ, ut sunt facta quędã humana, de quib⁹ non repugnat remanere fidem, quã beatus hic acquisivit, ergo secundùm hoc fides potest manere in beatis, consequenter in Christo. Respond. omisso antec. neg. conseq. & ratio disparitatis est. Quia licet aliquis actus fidei maneat in beatis, hoc contingit, quia eorum beatitudo neque in actu neque in habitu extenditur ad cognitionem illorum objectorum, quæ neque essentialiter neque concomitanter spectant ad eorum beatitudinem, quia beatitudo ipsorum quoad objecta secundaria extenditur tantùm ad determinata objecta non ad quæcunque, secus dicendum est de visione Christi, qui videt omnia in Verbo, ac proinde nihil ipsum latet, respectu cujus posset in ipso esse fides.

Habitum fidei non est in Christo.

Dico 2. *Probabile est, neque habitum fidei theologicæ fuisse in Christo.* Hæc est communis Theologorum contra Durandum in 3. d. 23. & 24. q. 1. & dist. 31. q. 3. & 4. dicens: quòd licèt in Christo non fuerit actus fidei, fuit tamen in beatis, quod etiam concedit de omnibus beatis, quem quidem quoad ultimam partem de beatis sum secutus in Quarto sentent. tract. 10. disp. 2. q. 1. Nihilominus ut paulò superiùs notavi, magna est disparitas inter Christum & beatos. Probatur conclusio 1. Quia habitus fidei ex suo genere includit imperfectionem & defectum, inclinat enim ad actum obscurum, & nunquam potest conferre evidentiam, estq; in genere notitiæ imperfectus, ergo nequit poni in Christo. Secundò: Ille habitus est superfluus in subjecto, qui nullo modo potest exire in aliquem actum, sed habitus fidei in Christo nunquam exibit in actum, ergò. Tertiò: Quia habitus fidei ad nihil potest esse in Christo requisitus neque ad entitatem, neque ad ornatum.

Dices 1. Manere ibi potentias nutritivam & generativam, quarum tamen actus ibidem non sunt, ergo non obstante, quòd ibi non sit actus fidei, potest tamen ipsius habitus manere. Respond. Illas potentias manere ibi, quia faciunt ad integritatem naturæ, neque ipsi debetur habitus fidei neque spectat ad integritatem naturæ, sed est forma quædam supernaturalis data solùm propter inclinationem potentiæ ad actus in viatore, qui non habent objectum præsens, sed hi actus in Christo sunt impossibiles propter præsentiam objecti.

Dices 2. Habitum fidei debere manere in Christo ad integritatem formæ justificantis, quia ex Tridentino sess. 6. de Justificat. cap. 7. *In justificatione hæc simul infusa accipit homo fidem, spem, & charitatem*, ergo. Respond. neg. antec. Quia Concilium tantùm loquitur de prima impii hominis justificatione, qui per tres prædictos habitus debet reparari, licèt non omnis fit forma justificans, quia ex eodem Concilio ibidem cap. 7. *Unica formalis causa est justitia DEI, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit: qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes.* Et statim subjungit: *Id tamen in hac justificatione impii fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum S. charitas DEI diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret.* Ergo charitas sola, vel forma cum charitate identificata est causa formalis justificationis. Sed adhuc incontra Arguitur 1. Isaiæ 7. de Christo dicitur: *Erit fides cinctorium renum ejus.* Cinctorium autem significat aliquid permanens, ergo fides saltem habitualis erit in Christo. Respond. neg. consequ. Quia ibi per fidem intelligitur veritas, & fidelitas in servandis promissis, quæ est virtus moralis, quam lubens concedo in Christo.

Arguitur 2. Caput & membra in physicis relativè se habent, fortiunturque eandem formam corporeitatis, ergo idem contingit in membris metaphoricis, sed omnes Christiani & fideles sunt membra Christi per fidem tanquam propter formam, ergo etiam hæc eadem debet in Christo esse tanquam in capite. Respond. neg. consequen. Quia metaphora seu metaphorica locutio non debet in omnibus univocari, sed sufficit, quòd Christus influat in membra sua per modum principii, & sic habet rationem capitis. Deinde satis est, quòd habeat formam excellentiorem fidei ejus notitiam eminenter continentem, scilicet lumen gloriæ, & visionem beatam, per quæ potest esse caput hominum & Angelorum, qui non sunt membra per fidem, sed per lumen & visionem.

Affectum pium credendi fuit in Christo.

Dico 3. *In Christi Domini voluntate non fuit motio illa seu pia affectio absoluta, quæ moveret intellectum ejus ad assensum fidei, bene tamen conditionata.* Hæc est Patris Del Castillo Vellasco disp. 12. q. 1. Item P. Felicis cap. 18. difficult. 1. Et eam quoque deduco ex nostro Aretino & Doctore subtili, & etiam ex Doctore angelico, qui in 3. p. q. 7. art. 3. docet, licèt in Christo non fuerit fides, fuisse tamen meritum ejus, quia paratissimus fuit ad obediendum DEO, quod maximè probatur in prompto habi-

tu

tua voluntate, quod obediret etiam in mysteriis, si statui suo possibile foret sicut nos obedimus. Probatur 1. pars. Quia intellectus Christi non potuit de facto habere actum fidei, ergo nec in voluntate ejus dabatur talis motio, cujus officium præcisè est determinare intellectum ad assensum fidei. Probatur 2. pars. Quia non repugnat Christo propositum hoc objectum complexum: Si DEUS mihi revelaret aliquod mysterium, deberem credere, quia est summè verax, ergo non repugnat, imò summè congruum fuit, quòd circa tale objectum sic propositum eliceret actum, quo vellet credere, si DEUS revelaret. Tum 2. Quia sicut fuit in Christo promptitudo animi circa bonum DEI, ita congruit, quòd habuerit promptitudinem circa veritatem DEI, sed hæc promptitudo est pia affectio ad credendum, ergo. Tertiò: Quia Christus fuit perfectissimè obediens juxta illud: *Factus obediens* &c. Sed obedientia virtualiter & eminenter continet promptitudinem & affectum pium omnia faciendi, quæ DEUS ordinaret, ergo.

Arguitur in contra: Actus fidei non est possibilis in Christo, ergo nec pia affectio. Respond. 1. neg. antec. absolutè, Quia absolutè poterat DEUS non omnia repræsentare Christo in Verbo: vel scientiâ infusâ aliquid non cognoscere, de quo haberet fidem, ut docet Scotus in 3. d. 31. in fine. Respond. 2. Ad actum conditionatum sufficere objectum impossibile, negatur ergo consequent. licèt antecedens verum sit.

Instatur: Ad actum inefficacem non requiritur habitus, & si requiritur, sufficit habitus obedientiæ, quia poterat Christus velle credere ex motivo obediendi DEO, ut dicebat probatio conclusionis tertiæ. Respond. Transeat. antec. Quia licèt absolutè non requiratur pia affectio illa, est tamen perfectius Christo illi dari, prout Thomistæ communiter docent, etsi amsi habitus ei negaretur.

Dico 4. *Potest etiam probaliter dici in Christo Domino fuisse habitum fidei seclusa omni illo quod imperfectionem dicit, in quantum est fides unum ex donis Spiritûs sancti.* Ita Durandus, nec credo sub hac limitatione negari posse. Probatur 1. ex illo Isaiæ 11. *Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides circumcirca renum ejus*, in quo loco tam bene fides in Christo ponitur quàm justitia, sed justitia in Christo fuit perfectissima, ut patet ex illo Marci 12. *Reddite igitur quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEI DEO*, ergo. Probatur 2. Quia in Christo fuerunt omnia dona spiritûs sancti, & gratiæ gratis datæ ex illo Isaiæ 11. *Requiescet super eum spiritus Domini*, & tamen inter dona enumeratur timor & consilium, quæ si accipiantur cum imperfectionibus omnino non debent, nec possunt poni in Christo, bene tamen quod esse perfectum, nam in illo fuit timor filialis, fuit etiam consilium, non quidem prout importat dubitationem de mediis, aut supponit ignorantiam, sed benè prout importat actum intellectûs, quo dirigitur voluntas circa media eligenda, quæ ad finem conducunt. Tertiò certum est Christum fuisse Prophetam, ut patet ex illo Lucæ 7. *Quia Propheta magnus surrexit in nobis.* & cap. 24. *Dixerunt de JESU Nazareno, qui fuit vir Propheta potens in opere & sermone coram DEO & omni populo.* Joann. 4. *Dicit ei mulier: Domine video, quia Propheta es tu*: atqui Prophetia videtur involvere obscuritatem ac fides, ergo si illa in Christo admittitur, etiam fides quoad illud, quod imperfectum est, nam etiam eodem modo dicitur de prophetia 1. Corinth. 13. *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.* Quo non obstante tamen fuit in Christo, non enim in comprehensoribus omnia evacuanda sunt in beatitudine, sed ea solùm, quæ ex parte & imperfecta sunt, adeoque etiam in Christo ut beato esse possunt & poterant. Quartò Probatur: Quia fides secundùm substantiam aliud non denotat nisi certam cognitionem articulorum fidei, abstrahendo ab obscuritate & claritate, sed dempta obscuritatis imperfectione, in Christo fuit perfectissima cognitio articulorum fidei, ergo fuit quoque habitus fidei, quod Confirmatur, quia habuit facultatem declarandi aliis difficultatem articulorum à se propositorum, & confutandi hæreses contrarias, ut patet ex Joann. cap. 6. ubi perfectissimè declaravit mysterium de Eucharistiæ Sacramento, & confutavit eos, qui retro abierunt, ergo. Nunc progredior ad virtutem spei, &

Dico 5. *In Christo non fuit actus spei circa gloriam animæ suæ.* Hæc est communis Theologorum & Probatur 1. ex illo ad Rom. 8. *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?* Secundo Rationibus: Tum, Quia spes est de bono divino non habito, est enim desiderium efficax, & expectatio certa futuræ beatitudinis ex gratia DEI habendæ, sed Christus ab instanti suæ conceptionis habuit omne bonum divinum quoad animam, ergo. Tum, Quia sicut motus physicus requirit quod mobile non sit in termino ad quem, quia acquisito termino cessat motus, ut ait Aristoteles, sic spes est velut quidam motus animi ad rem consequendam, ergo requirit in subjecto carentiam, quæ cum in Christo nunquam fuerit consequenter quoad gloriam animæ spem non habuit.

Spes non fuit in Christo de gloria suæ animæ.

Dico 6. *In Christo Domino fuit actus spei quoad gloriam sui corporis, suique nominis exaltationem.* Ita noster Pater Felix, Arcturus, & complures Recentiores, videtur quoque esse mens Scoti in 3. dist. 26. Ca[illegible] Durandi, Suarez & [illegible] Dicle com[illegible]

Christus Dominus habuit spem re[illegible] gloriam corporis

Thomæ 3. p. q. 7. art. 4. Probatur 1. ex Scriptura Psalm. 7. *Salvum me fac ex omnibus persequentibus me & libera me.* Psalm. 21. *Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis, & moverunt caput. Speravit in Domino eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Prout Judæi & Sacerdotes illi in cruce exprobarunt Matth. 27. Marci 15. videatur ibi Psalm. 27. *Dominus adjutor meus, & protector meus: in ipso speravit cor meum, & adjutus sum.* Qui omnes psalmi clarè expressèque loquuntur de Christo, ergo in ipso fuit aliqua spes alicujus objecti, quod nondum habuit.

Probatur 2. Ex D. Augustino qui in illud Psalm. 21. *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: Spes mea ab uberibus matris meæ.* in epist. 120. ad Honoratum dicit: *Neque enim spes alia intelligenda est, nisi quæ futurum erat, ut DEUS eum exaltaret à mortuis. Totum hoc quippe secundum id quod homo factus est dicitur. An fortè quia utera fœminarum ab ipso conceptu in ubertatem promoveri perhibentur, sic intelligi voluit, ab uberibus, tanquam diceret, ex quo carnem sumpsit, cui carni fuerat speranda immortalitas: ut non ante spes ei esset, cùm in forma DEI esset, in qua nihil in melius mutandum esset, sed ab uberibus matris, id est, ab ipsa susceptione carnis, quæ concipiebatur in spe, cujus spei res futura erat, cum ad immortalitatem de morte transiret.*

Probatur 3. Ratione: Christus cognoscebat gloriam corporis sui futuram esse, & erat illi ardua, quia per labores acquirenda, quia habebat spem respectu illius. Probatur consequ. Quia hæc arduitas supponit contingentiam rei futuræ. Consistit autem hæc arduitas ad spem prærequisita in difficultate consecutionis rei speratæ, sive hæc difficultas oriatur ex magnitudine rei speratæ superante vires nostras, sive ex aliis circumstantiis, scilicet ex distantia, contingentia, temporis diuturnitate, labore, impensis, obstaculis, &c. Denique ter orans videtur sperâsse se exaudiendum, alioquin frustra orationem multiplicasset.

Dices: Molestia laborum est objectum audaciæ & fortitudinis, non autem spei, ergo &c. Respond. distin. antec. Est objectum materiale, conced. formale, nego. Quia audacia & fortitudo est agressio ardui, spes verò est animatio & erectio animi, ut arduum aggrediatur.

Dices 2. Sperare gloriam corporis non habet DEUM pro objecto, ergo non erit spes theologica. Respond. neg. antec. Quia objectum formale est DEUS, à quo speratur gloria corporis, sicut per charitatem diligimus proximum, qui non est DEUS, & per fidem credimus multa revelata propter DEUM, quæ non sunt DEUS, ergo. Sed contra conclusionem adhuc Arguitur 1. Gloria corporis erat Christo debita ex vi unionis & beatitudinis animæ, ergo non erat illi ardua. Respond. neg. consequ. Quia erat per labores crucis & mortis acquirenda, quæ gloria non est de facto aliis beatis ardua, adeoque illam non sperant. Nec obstat diuturnitas temporis, quâ differtur gloria corporis, quia jam sunt plenè extra statum merendi, habentque simul certitudinem, & insuper nihil amplius ex se applicandum propter illam gloriam.

Arguitur 2. Arduitas consistit in contingentia, sed Christo non erat gloria corporis contingens, ergo nec objectum spei. Respond. licèt contingentia sufficiat ad arduitatem, non tamen semper requiritur, quia sine contingentia est spes in animabus purgatorii, & fuit in B. Virgine Maria, & Apostolis, qui certi erant de sua beatitudine.

Instatur: In hoc distinguitur spes à desiderio efficaci, quod est sine timore, spes est cum timore, ergo cum contingentia. Respond. Quòd etiam certum timeamus, quia nihil certius morte, & tamen illam timemus.

Instatur iterum: Diverso modo desideratur contingens & nō contingens, sed qui desiderat contingens sperat, ergo qui desiderat non contingens non sperat. Resp. Ad rationem virtutis spei contingens vel non contingens, dummodo sit acquisitu difficile, tantùm esse differentiam materialem, & sic utrumque speratur.

Christus Dominus speravit aliis gloriam & gratiam.

Dico 7. *Probabitur Christus Dominus actu spei theologicæ sperabat gloriam & gratiam aliorum, & consummationem Ecclesiæ.* Colligitur hæc ex Scoto dicente. Quia enim desidero mihi vel tali voluntati, non tollitur quin desiderem illud, ubi loquitur de spe. Pro intelligentia nota, si gratia & gloria sanctorum confideretur in illis ut sunt membra Christi, & spectabant ad ædificationem corporis mystici, ita est actus spei, quia ut sic talia dona considerat velut propria bona Christi, cùm esset caput hujus corporis mystici, & volebat illa ut bona sibi. Post resurrectionem tamen hic actus non erat spei, quia non erat gloria acquirenda sanctorum per labores ut ante mortem. Si verò talis gratia & gloria considerentur, ut sunt particularis personæ, potest Christus eas velle & actu spei & actu charitatis, Actu spei ut bona illarum, ita ut personæ se habeant tanquam *Cui* vult bonum: Actu charitatis, si velit illas ex complacentia personarum, ita ut persona sit tanquam *quæ seu quis.*

Habitus spei fuit in Christo.

Dico 8. *Ad hos actus eliciendos in Christo est habitus, adeóque habitus spei virtutis theologicæ depuratus tamen ab omni imperfectione.* Probatur: Quia est perfectio Christi, ut tales actus connaturaliter eliciantur, quia aliàs actus spei in nobis esset perfectior, quia iste procedit ab habitu. Sed in contra Arguitur 1. In Christo non est ponendus habitus, nisi quando est possibilis actus primarius talis habitûs; sed in Christo est impossibilis actus spei circa gloriam

am animæ propriæ, qui est primarius actus spei, ergo in illo non datur habitus spei. Respond. neg. maj. Quia habitus non solum ponuntur propter primarios actus eliciendos, sed etiam propter secundarios. Et certè Christus quamdiu fuit viator, potuit sperare, ergo conveniebat quòd actus ab habitu procederet.

In Christo fuit & est habitus charitatis.

Dico 9. *In Christo est & fuit perfectissimus actus & charitus habitatis.* Hæc est extra omne dubium. Probatur 1. Quia scriptura tota novi testamenti nihil magis commendat quàm charitatem Christi Joann. 13. *Cùm dilexisset suos, quia erant in mundo, in finem dilexit eos. Et Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.* Deinde dilexit quoque inimicos, quando pro eis oravit: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Vide ejus dilectionem ad proximum & totum mundum. Respectu verò ad Patrem cap. 14. *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem.* Denique D. Paulus ad Ephesios 11. 5. ait: *Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.*

Secundò Christi Domini natura sic dignificanda est, quantum dignificari potest, atqui habere habitum charitatis in gradu sumo atque eminenti magna est dignificatio, per hanc enim formaliter elevatur ad operandum supernaturaliter. Tertiò in sententia nostra charitas & gratia non sunt habitus distincti, ac proinde si gratiam summam habuit, consequenter & charitatem.

Quæstio II.

An in Christo fuerint Virtutes Morales?

Virtutes morales eæ dicuntur omnes, quæ versantur circa componendos mores hominum juxta præscriptum rectæ rationis. Quarum sunt quatuor principales, quæ etiam *Cardinales* vocantur, & sunt *Prudentia*, *Justitia*, *Fortitudo* & *Temperantia*, quibus omnes reliquæ subsunt tanquam partes subjectivæ, vel integrales, vel potentiales. Vocantur autem cardinales non solùm à scholasticis, sed etiam Patribus Ambrosio in illud Lucæ 6. *Beati pauperes* dicente in quatuor beatitudinibus amplexum esse *quatuor virtutes veluti cardinales*, & infrà: *Scimus quatuor esse virtutes Cardinales Temperantiam, Justitiam, Prudentiam, Fortitudinem.* quas lib. 1. offic. cap. 14. vocat *Principales.* D. August. Enarrat. in Psalm. 83. dicens: *Virtutes agendæ vitæ nostræ quatuor describuntur à multis, & in Scriptura inveniuntur. Prudentia dicitur, quâ dignoscimus inter bonum & malum. Justitia dicitur, qua sua cuique tribuimus, nemini quicquam debentes, sed omnes diligentes. Temperantia dicitur, quâ libidines refrænamus. Fortitudo dicitur, quâ omnia molestia toleramus.*

Cardinales virtutes quatuor.

Prudentia versatur circa materias omnium virtutum, quia primò dirigit omnes operationes illarum dictando mediocritatem in materia illarum, & in aliis requisitis, unde licet pertineat ad intellectum, dicitur tamen virtus moralis, quia versatur circa regulandos & componendos mores. *Temperantia* versatur circa moderandas resistentes passiones concupiscibiles. *Fortitudo* in molestus circa passiones irascibiles, & *Justitia* circa operationes in ordine ad alterum, unde D. Augustinus nunc generaliter vocat eas amorem, nunc scientiam. Cum igitur in Christo nec difficultas fuerit ad operandum, nec passiones habuerit resistentes tam in rationali quam in sensitivo appetitu sicut in nobis experimur, hinc dubium exurgit an in Christo tales virtutes sint collocandæ. Considerari autem virtutes morales possunt dupliciter: Primò in gradu communi & dicuntur *purgantes animum.* Secundò in gradu heroico, & dicuntur à Philosopho virtutes *purgati animi*, ideoque differunt hi modi tanquam magis & minus, tanquam terminus, & via ad terminum. His præmissis

Cardinalium virtutum officia.

Dico 1. *In Christo Domino fuerunt virtutes Morales & Cardinales omnes perfectissimo modo & gradu heroico, non pugnantes cum statu beatifico, aut unione hypostatica.* Ita Doctor subtilis, & Probatur 1. generaliter ex scriptura Isaiæ 11. *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis*, sed dona hæc non distinguuntur ab aliquibus virtutibus moralibus, ergo. Probatur min. Tum ex communi sensu Theologorum; Tum Scoti in 3. d. 34. q. un. sub litt. O. §. *De donis dico*, ubi ait: *In donis enumerantur quatuor virtutes Cardinales & tres Theologicæ.* Dum ex D. Augustino lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 4. ubi demonstrat, beatitudines esse ipsa dona Spiritus Sancti, & ante per beatitudines universaliter virtutes perfectiores expressit.

Virtutes Cardinales omnes fuerunt in Christo.

Probatur 2. Particulariter Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Isaiæ 42. *Ecce servus meus . . . Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris, calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate judicium educet. Non erit tristis neque turbulentus*, ubi ejus justitia indicatur; quòd non accipiet personam, nam ad justum judicem pertinet dare unicuique, quod debetur, & distribuere secundùm merita & demerita hominum. Tempe-

rati

rantia per *non turbulentus*. Fortitudo per *non tristis*, quia non conturbat justum quidquid acciderit ei. Prudentia verò per illud *in veritate educet judicium*. Item ad Philippenses 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Probatur 3. Virtutes ponuntur in homine ideo, ut eliciat operationes perfectas secundùm esse naturale & morale, sed Christus Dominus fuit perfectissimus, ita etiam habuit perfectissimas operationes, ergo etiam habuit perfectissimè virtutes. Patet maj. Quia virtus perficit potentiam in ordine ad perfectissimum actum. Probatur 4. Quia Temperantia & Continentia non solum dicunt abstinentiam in illis rebus, quæ appetitus malè & inordinatè appetit, sed abstinentiam ab illicitis sensibilibus sive præcesserit illorum concupiscentia sive non, sed hoc modo perfectissimè Christus ab omnibus illicitis abstinuit, ergo fuit in illo perfecto modo temperantia & continentia, quæ in tali acceptione & consideratione perfectiores sunt, quàm ubi præcedunt inordinatæ concupiscentiæ. Sed in contra

Temperantia & Continentia in Christo perfectissimè fuerunt.

Christus habuit omnes virtutes ab instanti conceptionis.

Arguitur: In Christo nec fuit liberalitas, nec pœnitentia, sed hæ sunt virtutes morales, ergo in illo non fuerunt omnes virtutes. Probatur min. Liberalitas versatur circa debitam distributionem divitiarum, & pœnitentia circa vindicationem peccatorum commissorum, sed Christus nec habuit divitias quas distribueret, quia non habuit ubi caput reclinaret. Matth. 8. nec habuit peccata, quæ plangeret, & castigaret, quoniam in ipso non est inventus dolus, vel mendacium ergo. Respond. neg. maj. cujus primam probationem distinguo: Liberalitas &c. circa distributionem bonorum temporalium exteriorem tantùm, neg. Circa interiorem, conc. Itaque liberalitas significat liberum animum ab affectu divitiarum distribuendo si adsunt, & affectando distribuere si adessent, non apponendo cor suum ad illas, sicut avari apponunt cor suum, prout Christus dixit: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Imo Christus Dominus non solùm interiores actus liberalitatis habuit, sed & exteriores quoque, nam de oblatis liberaliter distribuebat pauperibus, quod inde patet, quia aliqui murmurantes dicebant: *Poterat dari pauperibus*, pretium pro balsamo distractum, & Joannes attestatur, fuisse ex discipulis quondam, qui portabat ea, quæ offerebantur ad distribuendum, & insuper quia approbavit liberale factum effusionis olei & unctionis pedum suorum: *Ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium, etiam dicetur, quod hæc fuerit in memoriam ejus.* Ad secundam probationem dico, fuisse in Christo pœnitentiam, absque imperfectione, nam virtutes quædam sunt, quæ nullam dicunt connotationem ad imperfectionem, & de his dubitari non potest, fuisse in Christo. Quædam connotant imperfectionem, & hæ secundùm quod connotant imperfectionem, non fuerunt in illo, secundùm esse perfectionis fuerunt in illo. v. g. fides dicit perfectionem in eo quod assentiat primæ veritati dicenti, & sic non implicat in Christo esse, sed imperfectum est ænigmaticè & obscurè assentire, & sic abfuit; ita etiam spes facit adhærere summo bono, & hoc perfectionis esse nemo negabit, verum adhærere cum expectatione, & habendi desiderio imperfectionis est, hoc non fuit in Christo, bene tamen primum; sic etiam pœnitentia dicit detestationem peccati, & hoc est opus perfectissimum, fuitque in Christo, sed imperfectionis est esse peccatum commissum, & hoc non fuit in illo. Hæc de Christo.

Dico 2. *In Christo Domino fuerunt virtutes morales, quarum non habuit actum.* Hæc patet in justitia commutativa quoad emptionē, & venditionem, & in Evtrapelia, hæc virt° dicitur urbanitas & facetia in dictis, factis inter conversandum ad alterius consolationem & distractionem, non intendens aliud quàm animi recreationem, & distractionem, ut eò aptior postmodum sit ad labores intentionales prosequendos, sicut enim defatigato corpori conceditur requies, ita animo proportionata admittitur distractio, & ob hanc causam excusantur lusus, & honestæ conversationes, quia tamen actus hujusmodi non pertinebant ad nostræ Redemptionis cooperationem, Christus eos non habuit.

In Christo fuerunt virtutes morales quarum non habuit actum.

Dico 3. *Habitus Pœnitentiæ fuit quoque in Christo.* Hæc videtur Scoti in 4. d. 14. q. 2. & patet ex solutione data superius ad argumentum in oppositum. Probatur: Quia objectum Pœnitentiæ tantùm est detestari peccatum ut offensivum DEI, atqui hic actus fuit in Christo, quia nunquam aliquis potuit tantum detestari peccatum, quantum ipse detestabatur, nunquam enim aliquis habuit tantam oppositionem voluntatis ad aliquod malum. Deinde Christus habuit concupiscentiam & desiderium resarciendi injuriam DEO illatam per peccata, ergo in Christo fuit actus Pœnitentiæ. Neque dicas, Christum non habuisse proprium peccatum juxta illud, qui peccatum non fecit, neque inventa est iniquitas in eo, quia licèt non habuerit peccatum proprium, id non obstat, nam quòd peccatum sit proprium vel alienum est materiale pœnitentiæ.

Pœnitentia fuit in Christo.

Dico 4. *Christus omnes virtutes morales habuit in instanti suæ conceptionis.* Hæc Probatur 1. Quia communiter conceditur virtutes has fuisse statim infusas primis Parentibus in instanti creationis, ergò à fortiori Christo, & ideo in illo instanti Jeremia Propheta vocatur vir. Sapient. 31. *Femina circumdabit virum.* Id est perfectum

Christus omnes virtutes accepit in conceptione.

ctum hominem, quantum ad usum rationis absolutum, & ad omnes virtutes, nam sic à virtutibus dicitur. Probatur 2. Quia sine novo miraculo, quod non est concedendum, non potuerunt occurrere Christo materiæ omnium virtutum. Tertiò, Quia aliàs caruisset aliquo tempore Christus virtutibus quibusdam. Denique, Quia alioquin non haberet actus illarum in gradu perfecto utpote non procedentes ab habitu, in Christo autem fuerunt omnes virtutes in gradu heroico.

Dico 5. *Christo infuerunt omnes virtutes morales per infusionem.* Probatur, Quia non per acquisitionem, aliàs non fuissent in ipso in instanti conceptionis, nam in illo instanti non poterant omnes simul acquiri, quia acquirendo unam per aliquem actum intensissimum, reliquæ adhuc non fuissent acquisitæ, ergo. Dices: Virtutes morales ponuntur ad vincendam inclinationem appetitûs contra rationem, sed in Christo non fuit talis inclinatio, nec fomes peccati, ergo nec sunt necessariæ tales virtutes. Respond. neg. conseq. Quia virtutes non solùm propter hanc rationem in Christo erant ponendæ, sed etiam ut connaturalius operaretur, & ipsum perficerent, atque etiam ut inclinationem illam tollerent, nam illa ablata fuit non præcisè per unionem, sed etiam per alia dona gratuita Christo à DEO collata, ut docuit in 3. Sentent.

Dices 2. Licèt Christus non habuisset habitus virtutum potuisset elicere actus virtutum ita perfectos atque integros sicut cum illis, ergo. Respond. distin. antec. Ita perfectos perfectione essentiali, id est ejusdem speciei cum illis, conc. perfectione connaturali, & felicitatis, neg. antec. & conseq.

Quæstio III.

An in Angelis bonis ponendæ sint virtutes morales?

Angeli non habent difficultatem ad operandum

CHristus caput est Angelorum & hominum, examinata ergo difficultate & resoluta in capite Magistro nostro fuisse, & esse omnes virtutes morales, Et Ethicam summam, antequam ad homines progrediar, præmitto dubium, an in Angelis quoque virtutes debeant admitti, nam cum voluntas eorum non sit conjuncta appetitui sensitivo, non est nata condelectari illi, & sic sine difficultate tendit ad bonum morale, consequenter nullus est in ipsis necessarius habitus. Veruntamen

Virtutes fuerunt in Angelis logicæ

Dico 1. *In Angelis fuerunt virtutes theologicæ cùm in via essent ad beatitudinem.* Hæc deducitur ex Scoto in pluribus locis, Et Probatur, Quia certum est in illis fuisse charitatem - - gratiam cum qua creati fuerunt, & in qua meruerunt, ergo. Fuit quoque in illis spes, nam ut dicit Scotus 2. dist. 6. q. 2. §. Ad videndum, ubi ait: *Boni Angeli potuerunt appetere beatitudinem, ut habentes illam, perfectius amarent summum bonum, & iste actus concupiscendi beatitudinem, esset meritorius, quia non utitur fruendo, sed fruitur eo: quia bonum, quod concupisco mihi, ad hoc concupisco, ut plus amem illud bonum in se.* Denique Angeli habuerunt fidem, quâ cognoverunt mysterium S. Trinitatis, quod naturali ratione est indemonstrabile cuicunque intellectui creato juxta illud Matthæi 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius & cui voluerit Filius revelare.* Ergo neque Angelus nisi sibi fuerit revelatum, & patet ex Angelorum illuminatione, & mysterio Incarnationis, de quo S. Bernardus tract. ad Hugonem de S. Victore cap. 5. de Angelis omnibus & de ipso Gabriele dicit: *Mihi verò videtur ne ipsi quidem (ut patet ejus ille verbis) qui nunciabit. Quod & ipse fatetur, si ejus verba diligenter advertimus. Respondens quippe, Spiritus sanctus super veniat in te, nonne apertè mittit ad magisterium Spiritus sancti, cujus unctione doceatur de omnibus, quorum ipse sibi non præsumit scientiam, & discat experiendo, quod audiendo non poterat.*

Virtutes morales fuerunt in Angelis.

Dico 2. *Probabile quoque est in Angelis virtutes morales, & ipsam temperantiam & fortitudinem esse.* Ita Scotus in 3. d. 33. q. 1. § Ad primum, quem sequuntur Cavellus, Smising, Pontius & alii. Probatur 1. ex Doctore subtili citato sic: Voluntas Angeli non est necessariò imperfecta, igitur potest sibi competere habitus, quo velit mihi bonû temperantiæ, in quantum est mihi bonum conveniens, & habitus iste non potest dici charitas, quia ut dictum est, iste habitus non est tantum bonum, ut quoddam ordinatum ad diligendum DEUM: sed sub ratione propriæ bonitatis in eo. Nec est alius habitus quam temperantiæ, quia per mihi & tibi non variatur ratio formalis habitus; igitur sicut habitu temperantiæ formaliter eligo mihi hoc bonum, ita habitu ejusdem rationis potest mihi quilibet velle hoc bonum.

Probatur 2. Ex S. Bernardo serm. 12. in Psal. 90. dicente: *Quid sub tantis custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus?* Itaque licèt Angelus non habeat passiones appetitûs sensitivi, sibi inexistentes, potest tamen circa illas in universali à ratione ostensus ut moderandas in quocunque subjecto illarum capaci plures rectas electiones elicere, ex quibus generaretur habitus virtutis, quia nullus negat po-

tell,

test, Angelos bonos velle nos fortiter & temperatè vivere, ita ut circa delectabilia & terribilia non excedamus nec deficiamus, sed talis volitio est honesta & virtuosa, & non est ullius virtutis, quàm moralis, ergo. Probatur minoris secunda pars: Si ullius alterius maximè charitatis, sed hujus non, ergo. Probatur min. Motivum charitatis est infinitum bonum propter se amandum, ex eo autem quòd Angelus velit mihi bonum honestum virtutum moralium, non vult formaliter in ordine ad bonum divinum, sed ut in se formaliter bonum, ergo actus ille est actus virtutis moralis. Nec valet dicere, illum non esse actum temperantiæ aut fortitudinis ex eò, quòd sibi Angelus illum non desideret, aut velit, quia contra arguit Scotus supra per *mihi* & *tibi* non variatur ratio formalis virtutis, ergo. Probatur antec. Ratio formalis virtutis sumitur ex conformitate cum recta ratione circa bonum honestum, sed per hoc, quod bonum honestum sit mihi vel tibi, non variatur ratio boni honesti, bonum enim temperantiæ in me vel in te est ejusdem speciei, ergo. Nec per *mihi* & *tibi* variatur ratio formalis virtutis, quæ sumit suam varietatem à varietate objecti & non subjecti. Confirmatur per hoc, quòd prudentia dictet esse à me vel à te jejunandum, non variatur ratio formalis Prudentiæ, ergo nec similiter variatur actus conformis tali Prudentiæ per hoc quod ego volo me vel te jejunare.

Probatur 2. Ipse D. Thomas ejusq; sectatores ponunt in homine pro statu innocentiæ virtutes morales, sed in illo statu nullæ essent passiones moderandæ, ergo esto de facto in Angelis non sunt ullæ passiones in se ipsis moderandæ, non propterea deneganda est eis virtus moralis per quam ferantur ad bonum honestum volendum. Tertiò: In Angelis possunt esse difficultates, quæ in tolerantia injuriæ, & humilitate consistunt, cùm enim objecta illa sint speculativa, possunt tam bene Angeli quàm nos sentire repugnantem appetitum rationalem, & voluntatem, adeoque possunt in illis poni virtutes ad illam repugnantiam superandam.

Arguitur 1. Cum Medina: Si ad temperantiam sufficeret velle illam alteri, sequeretur patrem intemperatum habere temperantiam, eam desiderando frequenter suo filio, similiter incastû esse castum per simile desiderium erga filium aut alium, & sic vitiosus manens talis esset virtuosus, quod esset absurdum. Cavellus & Smising negant sequel. Quia, inquiunt, ad virtutē temperantiæ non sufficit velle bonū temperantiæ sibi aut alteri quomodocunque, sed requiritur ultra ut efficaciter velit in quocunque subjecto capaci, quod non facit ille, cum sit ipse capax & sibi non desideret, sed plane videtur, quòd possit talis pater efficacissimè desiderare filio temperantiam, ac in ordine ad hoc omnia media applicare, & hoc etiam ex motivo temperantiæ. Respond. ergo aliter distin. sequel. quantum ad desiderandam eam filio, conc. sequel. quantum ad eam sibi procurandam, neg. seq. Et si quæratur an deberet dici absolutè & simpliciter temperans. Respond. negativè, Quia per temperatum absolutè & simpliciter intelligitur ille qui est habituatus, aut inclinatus ad non intemperatè vivendum, ille autem pater non esset talis. Sed si quæras adhuc, quare potest inclinare ad desiderandum talem virtutem alteri, non verò sibi? Respondeo, quòd possit eam desiderare sibi, si vellet, ratio autem quare hoc non facit, non est alia, quàm quòd sit in sensu ejus pravus oppositus habitus, qui non tollitur nisi per ablationem objecti delectabilis à sensu, & per varias prohibitiones voluntatis, ne apprehendatur tam perfectè & abundanter delectabile. In casu autem conclusionis Angeli boni volunt bonum honestum efficaciter propter seipsum, & etiam pro se ipsis si esset possibile.

Instatur: In hoc distinguunt communiter Authores temperantiam & fortitudinem à justitia, quod illæ reddant operantem bene ordinatum ad se, justitia verò bene ordinatum in ordine ad alterum, ergo temperantia & fortitudo non possunt inesse alicui nisi in ordine ad seipsum bene ordinandum & per consequens per hoc, quòd Angelus velit mihi bonum temperantiæ non sequitur, quòd in eo sit virtus temperantiæ. Respond. 1. distin. antec. communiter & ordinariè, transeat antec. ita ut non possint aliter fieri, neg. antec. & consequ. in eodem sensu. Respond. 2. distin idem antec. quoad secundam partem: Justitia vero bene ordinatum in ordine ad alterum communicando & dando ipsi illud, in quod habet jus, conc. antec. non communicando, neg. antec. & consequ. Temperantia autem & fortitudo esto aliquando ordinentur ad alterum, non tamen communicant alteri bonum ab habente eas, sed simpliciter volendo objectum illarum virtutum aliter à seipso & per proprios actus principaliter obtinendum. Justitia verò dat alteri non solùm volendo, sed etiam exequendo ut bene notant Baronius & Scotus in 4. distin. 46. Justitia non est totaliter ad alterum, sed etiam subinde ad seipsam realiter & moraliter, nam qui utitur re sua, facit actum justum, licèt nihil facit alteri: similiter Pater castigans filium minorennem propter crimina, exercet actum justitiæ punitivæ, & tamen filius secundùm communem non est alius ab ipso, quia est pars ejus, sicut ramus arboris pars est.

Arguitur 2. Virtus moralis veritatis circa bonum honestum arduum & difficile

cile juxta Philosophum 1. Ethic. 3. sed bonum honestum non est arduum aut difficile Angelis, ergo. Respond. distin. majo. in voluntate conjuncta appetitui sensitivo, transf. maj. In voluntate non conjuncta, neg. majo. & consequ. Quia quòd virtus non sumat suam rationem essentialem ab arduitate & difficultate operis ex eo patet, quia bonum illud potest esse arduum, & non arduum respectu duorum actuum ejusdem speciei, ut quando quis acquirit habitum virtutis respectu primi actûs objectum est arduum, quando autem quis utitur habitu jam acquisito frequenter objectum non erit arduum aut difficile, unde si plures habitus intensos tales habebit potentia, objectum erit facillimum, & juxta hæc intelligendus est Philosophus, nempe quòd nos in prima acquisitione, non verò quòd virtus ut sic, requirat objectum arduum.

Arguitur 3. Si in Angelis ponendæ sint virtutes morales ponerentur etiam in DEO, sed hoc est falsum, ergo & antec. majo. patet à paritate rationis. min. probatur: virtus moralis est habitus electivus medii à prudentia definiti, sed in DEO actus voluntatis non est regulabilis à prudentia, cùm ipsa voluntas divina sit rectissima, immutabilis & prima regula omnium agendorum, ergo in DEO talis virtus non habet locum. Resp. admittendo sequel. & neg. min. cujus probationis maj. distin. respectu voluntatis creatæ & regulabilis, concd. maj. Increatæ & obliquabilis, neg. maj. & conseq. Ad virtutem moralem non requiritur, ut medium semper actu practicè à prudentia præscribatur, sed sufficit, quòd circa medium virtutis eligatur actus adeò rectus, & conformis rationi speculativæ, ut si voluntas respectu talis actûs ullo modo esset regulabilis à ratione, illa ratio esset sufficienter regulativa talis actûs, hoc modo posset concedi in voluntate divina actus virtutis temperantiæ. Respond. 2. negando sequ. Quia ad rationem harum virtutum requiritur ut inclinent ad earum objectum propter se ipsum eligendum, sed DEUS non eligit bonum istarum virtutum propter se ipsum bonum sed potius propter suam divinam bonitatem, & hic est affectus divinæ charitatis, ergo in DEO virtus temperantiæ & fortitudinis non habet locum, nam ut patet in Disput. de objecto divinæ voluntatis, voluntas divina non movetur à bonitate propria ullius objecti creati, aliàs vilesceret, sed à sola divina & infinita bonitate. Angelus verò potest sic moveri à bonitate creata. Nec valet dicere Scotum admisisse in DEO rationem virtutum, quia tamen non propter bonitatem propriam ipsius objecti, sed propter divinam vult mihi illud, ideo istud velle non est propriè actus virtutis moralis sed charitatis.

DISPUTATIO II.

De Natura Virtutum.

PRæmissa disputatione superiori, qua viam præparavi ad materiam virtutum explicandam, quoniam ipse est Dominus virtutum, & causa meritoria omnium operum bonorum seu virtuosorum, nunc incipio virtutum explicare naturam physicam. Ad quam cognoscendam me recipio imprimis ad Philosophiam, & ad omnia ibi de Habitibus dicta: videlicet in quo consistant? A quo producantur? & qualiter ad actus concurrant? & cætera hujusmodi, unde similibus omissis ad rem progredior, & sit

Quæstio I.

Quid & quotuplex sit Virtus.

Cujusvis rei cognitio dependet ab etymologia, & definitione rei, tanquam à duabus basibus & fundamentis, quibus innititur tota ædificatio. Secundùm etymon igitur, virtus derivatur à viro, Cicerone teste, 2. Tusc. Quæst. Virgô ideo dicitur ex eo, quòd in ipso major sit vis quam in fœmina, unde virtus primò sumitur pro præstantia in re militari, pro robore animi, & fortitudine corporis. Secundò capitur, prout extendit se ad naturam seu potentiam aliquam; in qua acceptione Psalmista dicit: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, hinc est vulgatum axioma, virtus est ultimum de potentia. Tertiò sumitur virtus pro quacunque dispositione bona ordinata ad finem similem, in quo sensu Aristoteles 7. Ethic. cap. 17. dicit, quod *virtus sit dispositio ad optimum*, quæ acceptio universalis est, comprehenditque virtutes tam corporales quàm intellectuales & morales, nam & sapientia & scientia, doctrina & prudentia, ars & praxis virtutes appellantur, unde Cicero lib. 5. de finib. ait: *Atqui in sensibus est sua cuique virtus.* & Quint. lib. 4. cap. 2. sunt hæ quidem, quas retuli, virtutes aliorum quoque partium. Quartò accipitur virtus propriè prout ad præsens attinet (ut omittam alias acceptiones plures, ut est, quæ

Digitized by Google

quæ virtutem accipit pro auxilio, succursu, & protectione, vel mediatione & ope, quo sensu dixit Plautus DEUM virtute eundem hospitio accipiam, & pro merito &c.) pro virtute tantùm morali prout opponitur intellectualibus & corporalib⁹, in qua acceptione plures ejus sunt definitiones, seu potius descriptiones. Nā imprimis Stoici omnem virtutem moralē, Cardinalem, scientiam appellārunt, ita ut Prudentia nihil aliud sit, quàm ratio & scientia rectè eligendi. Fortitudo scientia multa ardua & adversa strenuè perferendi. Temperantia scientia moderatè fruendi delicus & voluptatibus. Justitia scientia jus suum cuique tribuendi. Quæ definitiones, si sint secundum formam omnino sustineri non possunt, si verò sint secundum regulam, originem, & causam, absolutè malæ non erunt, nam in rei veritate prudentia est origo, norma & regula virtutis, licèt non sit cujusque virtutis forma. In oppositō modo S. Augustinus definit *lib. 1. de moribus* Manichæ. cap. 15. virtutem esse amorem dicens: *Quod si ad beatam vitam virtus nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem DEI. Namque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem: ut Temperantia sit amor, integram se præbens ei quod amatur: Fortitudo amor, facilè tolerans omnia propter quod amatur: Justitia amor soli amato serviens, & propterea recte dominans: Prudentia amor, ea quibus adjuvatur ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens.* Aristoteles virtutem moralem definit 2. Ethic. cap. 5. *Virtus est habitus qui perficit habentem, & ejus opus bonum reddit.* & cap. 2. *Virtus est habitus electivus in mediocritate consistens quoad nos ratione terminata, & ut sapiens terminaret.* Et alibi plures alias tradit, quæ tamen semper difficultates habent concomitantes.

Horatius lib. 1. Epist. dicit: *Virtus est vitium fugere, & sapientia prima stultitia caruisse.* Sed nec hæc placet, quia non tam per formam quàm per actum traditur, & ultima pars planè ad rationem virtutis impertinens est. Hinc nonnulli aliam communem ex D. August. lib. 3. de lib. arb. cap. 18. & 19. eliciunt definitionem. Quod *Virtus sit bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, & nullus malè utitur, quam DEUS operatur in nobis sine nobis.* Dixi notanter eliciunt, quia in terminis simul necibi, nec alibi, ea in operibus D. Augustini deprehenditur. Et quidquid sit de hac re, ista definitio virtutibus infusis divinitus tantummodo competit, illas enim *operatur DEUS in nobis sine nobis.* Deindè per eandē particulam intelliguntur virtutes actuales bonæ & meritoriæ, ad quas auxilium divinæ gratiæ necessarium est, non convenit ergo moralibus, quæ usu & consuetudine comparantur, conservantur & roborantur, & vel ideo morales vocantur: Tum etiam, Quia rectos vitæ mores tanquam rem objectam & materiam, in qua versantur, habent: Tum denique, Quia recta ratione & prudentia tanquam regula diriguntur. Quare aliter cum S. Augustino definio &

Dico 1. *Virtus est animi habitus naturæ, modo, atque rationi consentaneus.* Ita S. Doctor in terminis lib. 83. qq. quæst. 31. Quæ videtur desumpta ex mente Ciceronis & bona est sed generalis & comprehendit tam intellectualem quàm moralē, unde etiam statim illam partitur in quatuor species, dicens: *Habet igitur partes quatuor Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, Temperantiam*, quas ibidem explicat, & in suas partes & species subjectivas dividit. lib. autem 4. contra Julianum expressè cap. 3. approbat eam dicens: *Non enim absurdè virtus definita est, ab eis qui dixerunt: Virtus est animi habitus naturæ modo atque rationi consentaneus. Verum dixerunt, sed quid sit consentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium, nescierunt.* Hinc clarius definio virtutem moralem &

Dico 2. *Virtus est habitus electivus in ea consistens mediocritate, quæ est ad nos, definita ratione, & ut definierit ipse prudens.* Ita Aristotel. in terminis 2. Ethic. cap. 6. Et videtur quoque posse deduci ex D. Augustino lib. de bono conjug. cap. 21. ubi ait: *Qui vident continentiæ virtutem in habitu animi semper esse debere, in opere autem pro rerum ac temporum opportunitate manifestari: sicut virtus patientiæ sanctorum Martyrum in opere apparuit, cæterorum verò æquè sanctorum in habitu fuit.* Clarissimè autem ipse vel quisquis author est inter opera S. Augustini lib. de Spiritu & anima cap. 3. dicit: *Virtus est habitus mentis bene compositæ, componendi & instituendi atque ordinandi sunt dicti affectus ad id quod debent, & quomodo debent, ut in virtutes proficere possint, alioquin in vitia facilè decident.* Nunc Probatur conclusio explicatione. Dicitur enim *Habitus*, quia virtus nec est ipsa animæ facultas, quoniam virtus acquiritur, facultas animæ verò ab ipsa natura infita est: nec est affectus animi, quia hic corrigitur à virtute. Nec actus, nam virtus manet in animo, cessante omni actu, ergo habitus qui permanet per modum comprincipii inclinat, adjuvatque potentiam ad operandum. Dicitur *electivus*, hoc est secundum electionem, quia virtus non operatur nisi per electionem & deliberationem, ostenditurque virtutem moralem ad solam voluntatem in operante pertinere, cum electio sit ipsius voluntatis

Virtus est habitus electivus in mediocritate consistens

Digitized by Google

ris actus, per quod etiam diſtinguitur à virtute intellectuali & aliarum potentiarum. Dicitur *In mediocritate conſiſtens*, quia omnis virtus moralis, quæ in animi perturbationibus cohibendis verſatur ordinem & modum conſtituit inter duos affectus animi, quorum eſt alter minimum, alter nimium. Dicitur *quæ eſt ad nos* &c. ut præſcripſerit & definierit ipſe ſapiens, quia rectus modus, quem in affectibus eligit virtus recto prudentis judicio definiri debet, nam contingit, rationem quandoque eſſe rectam, quandoque erroneam, atque adeo ad hoc explicandum dicit ut ſapiens judicabit, vel determinabit, ſapiens enim qua ſapiens non determinat unquam niſi ſecundùm rectam rationem.

Opponitur Authoritas Doctoris ſubtilis 1. d. 17. q. 3. docet virtutem conſiſtere in relatione ad rectam rationem, ſeu in conjunctione & concomitantia ad prudentiam, ergo non eſt habitus electivus. Ita arguit Tannerus. Verùm Reſpond. 1. Tannerum malè intellexiſſe Scotum, Quia non dicit eſſe relationem, ſed expreſsè eſſe habitum, quamvis relatio quædam illum concomitetur, nam §. *Quantum ad iſtum.* ibidem ait: *Virtus moralis non addit ſuper ſubſtantiam habitûs, ut eſt forma de genere qualitatis, niſi conformitatem habitualem ad rationem rectam.* ita Scotus. Nihil ergo voluit, quàm virtutem materialiter conſiſtere in habitu phyſico, dicente relationem concomitantiæ ad prudentiam, ita ut virtus dicat utrumque & habitum & concomitantiam. Unde ſicut bonitas moralis actûs virtuoſi non conſiſtit in ſola phyſica entitate actûs, ſed etiam in connexione cum debitis circumſtantiis, & maximè cum recta ratione, ita & bonitas conſtituens habitum virtuoſum non ſumitur ex ſola phyſica ratione habitûs, ſed etiam ex connexione cum prudentia vel dictamine rectæ rationis.

Arguitur 2. Prudentia eſt virtus moralis, ſed non convenit ipſi iſta definitio, cùm non ſit habitus electivus, ergo non eſt bona. Reſpondeo diſtin. maj. eſt virtus moralis directivè & denominativè, conc. maj. electivè, neg. maj. & conſeq. licèt enim prudentia dirigat actus voluntatis liberos, & ex hoc denominativè dicatur virtus moralis, re tamen ipſa eſt virtus intellectualis non minus quàm reliqui habitus intellectûs, qui non faciunt hominem ſimpliciter bonum moraliter, ſed bene intelligentem.

Quantum ad 2. partem quæſtionis adæquatè virtus dividitur Primò generaliter in virtutem *Moralem* & *Theologicam*: Illa verſatur ad componendos mores: Hæc circa DEUM debitè colendum per fidem, ſpem & charitatem. Secundò in *Naturalem* & *Supernaturalem*. Tertiò in *Acquiſitam* & *Infuſam*, quarum termini de ſe patent. *Moralis* & *Naturalis* ſubdividitur in *Intellectualem* & *Moralem*, ſeu *Appetitivam* ex Ariſtot. 3. Ethic. cap. ult. *Intellectualis* ad ſolum intellectum ſpectat & comprehendit quinque habitus intellectuales, qui ſunt *Ars*, *Prudentia*, *Sapientia*, *Scientia*, & *Intellectus*. *Ars* eſt habitus cum recta ratione factivus. *Prudentia* verò cum recta ratione activus, ubi nota inter agibilia & factibilia eſſe talem differentiam, quòd agibilia ſint actiones immanentes ipſi operanti, factibilia verò operationes tranſeuntes in extrinſecam materiam, adeoque ars ſemper dirigat & inclinet ad operationes tranſeuntes extra artificem: Prudentia verò ad operationes immanentes. *Scientia* eſt habitus concluſionis. *Intellectus habitus* principiorum. *Sapientia* utrumque complectitur, & verſatur maximè in principiis univerſaliſſimis & ex parte objecti nobiliſſimis. Ex his aliqui ſpectant ad intellectum practicum, ut *Ars* & *Prudentia*, alii ad intellectum ſpeculativum ut *Sapientia*, *Scientia*, & *Intellectus*. Virtus Moralis ſubdividitur Primò in eas, quæ ſunt ad ſe, & illas quæ ſunt ad alterum. Ad alterum eſt *Juſtitia* in plures ſubdiviſa ſpecies. Ad ſe eſt *Fortitudo* & *Temperantia*, quibus ſi addas *Prudentiam*, quamvis ſit virtus intellectualis, habebis quatuor virtutes Cardinales. Unde

Dico 3. *Virtutes Morales tres ſunt, quatuor autem Cardinales, nempe Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, & Temperantia.* Ita communis Philoſophorum & Theologorum conſenſus. Probatur 1. Ex Scriptura Sapient. 8. *Labores hujus magnas habent virtutes: ſobrietatem enim & prudentiam docet, & juſtitiam & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus.* Ubi nomine ſobrietatis intelligitur *Temperantia*. *Virtutis* nomine fortitudo denotatur, ut pulchrè explicat D. Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 7. dicens. *His enim nominibus latinus interpres quatuor illas virtutes, quæ maximè in ore Philoſophorum eſſe adſolent, nominavit, ſobrietatem appellans temperantiam: prudentiæ imponens nomen, ſapientiam: fortitudinem verò virtutis vocabulo enuncians, ſolam juſtitiam ſuo nomine interpretatus eſt.* *Virtutes morales tres ſunt, quatuor cardinales.*

Probatur 2. Quia omnis virtus aut eſt in mente & ratione, quæ cum quadam animi ſolertia, quid in rebus agendis tenere & ſequi debeamus, proſpicit, & eſt Prudentia; aut eſt in appetitu rationis quæ alteri tribuit, quod ſuum eſt, & eſt Juſtitia; aut eſt in parte iraſcibili, nè per vim lædamus alterum, & ut ardua magna & difficilia libenter perferamus, eſtque Fortitudo, aut denique eſt in parte concupiſcibili, ut quisque in voluptatibus appetendis modum & ordinem ſervet, & hæc eſt Temperantia, atqui præter has facultates aliæ non ſunt, quæ corrigi & refrænari non deberent, ergo ex numero potentiarum & facultatum bene infertur numerus virtutum moralium.

Probatur 1. ex numero affectuum coerigendorum: Tot sunt & pono debent virtutes moralis principales, & Cardinales; quot affectus sunt in nobis coercendi; sed hi sunt quatuor, ergo. Probatur min. Quia sunt coercendi affectus circa timorem voluptatem, cupiditatem, timorem & fiudium laci, metum & dolorem, qui quatuor sunt, & per quatuor virtutes contrarias. Nam cupiditas & voluptas, quæ cupitus & fenfus obiectant, emendat & corrigit Temperantia; timorem & fiudium lucri compescit Justitia, ut æquum in commercijs & contractibus fervet ordinem; Prudentia peragitur, ne in agendis inconfultus leves & temerarij, ne videlicet nullo adhibito consilio facile credamus, neve in ne confiderationem ac modo quippiam aggiamur. Fortitudo denique retinent & temperat metus ac dolores, qui nos molestia & tristitia afficiunt. Itaque hos quadruginum numero & carni vita hominis fapientes & recte dicebetur ad fummum ultimum, ubique prærordinatum & rationi congruentem. Extendit enim eft veluti columna civitatis ftupa mentem politæ; Temperantia habena & frænum affectuum concupiscibilium; Prudentia norma & regulationis, & Justitia velut trutina æquitatis.

Virtutes Moralis ut sunt non distinguuntur ratione formali specifica, sed tantum ratione materiali.

Virtutes Moralis ut sunt non distinguuntur ratione formali specifica, sed tantum ratione materiali & officia, sed & genere in diecta opera subalterna. Hinc eft quod Philosophorum & Theologorum communior, & Probatur 1. Authoritate D. Augustini lib. 1. de lib. arbitr. cap. 6. dicentis. *Conferta mihi virtutes hoc videntur, quæ prudentia appellantur (S. virtutibus rerum scientia videtur, quæ prudentia dicitur.) Nam alia eft quæ justitia, qua omnia immunda & damna removentur: non in nobis potestate constituantur contrariorum. Alia eft temperantia, qua libidinosa & nobis correcta & cohibens appetitum ab in rebus, qua turpiter appetuntur: ab his autem potest & non ita se dicit fortitudo, qua nihil esse quod dicamus sit, nisi virtutem, qua ita cuique tribuuntur?* Ubi per affectionem generali vocabulo intelligit hominis passiones, hasce habitus singulas sunt & officia adjungit cuique propria, ergo. Probatur 2. Habitus omnes distinguuntur per actus & objecta, fed virtutes quatuor Cardinales habent actus & objecta diversa, diversumque modum tendendi in illa, ergo distinguuntur specie ab invicem. Confirmatur: Tunc habetur vera ratio generis, quando potest abstrahi ab omnibus inferioribus specificum & specierum concretis communis, fed ex quatuor enumeratis in qualibet potest abstrahi talis conceptus, ergo. Probatur min. Quia habitudine, caliditate, manfuetudine, clementia, & *Eutrapelia* (eft virtus bene convivendi & conversandi cum hominibus) potest abstrahi ratio communis, qua omnes convenium in regulatæ, non haut omnes aliquo diverse temperies circa diversas materias, & fic temperantia eft genus ad illas. Similiter ab Justitia (rectitudo confilii) *Synesi* (rectitudo judicij) *Gnomi* (ad hanc spectat judicare per rationes naturales, quando deficiunt leges communes) & *exercitiva prudentia* (hæc eft rectitudo imperij) potest abstrahi ratio communis & quidditativa, qua omnes fune rectitudines actuum circa materias agibilia, & ideo prudentia eft genus ad omnes. Sed

Opponitur Authoritas SS. Patrum ceterorum lib. 12. Mor. cap. 1. dicentis. *Una itaque fine alia aut vitia, aut imperfecta, quia neque fortitudo sine prudentia, neque temperantia & justitia non sit, nec temperantia, qua fortis, justa & prudens non sit, neque justitia, qua prudens, temperans & fortis non sit.* Ambrosius lib. 1. de offic. cap. 24. dicens: *Sit ergo individuum fortitudo & justitia contubernium, fed ubijs ait dividitur, nisi quodam forma virtutum ita nexa sit, communis quasi omnium quæ disparitis.* Item S. Isidor. lib 2. de sum. bono, ergo una fola virtus eft moralis & folum per communem opinionem vulgi dicitur in partes. Respon. SS. Patres nolle non velle quam virtutes morales effe materiam ad invicem connexas, & unam ad finem tempore & habitu ordinem circumstantiæ, & conditionis, nam cum verfentur circa objecta genere & specie diversa patet quia fit habitum specificatus una eademque virtutes effe non posfunt.

Quarres: Cur virtutes morales Cardinales appellentur? Quare appellentur quoddam illarum alij tantum Cardinales autem ideo dicuntur, quia fint reliquarum origines, fontes & cardines, nam cardo nalem effe dicitur illi, circa quem gyrus ejus pendet. Deinde Cardinales ideo dici poffunt, quia ficuti fores circa cardines vertuntur, fic omnes virtutes circa actiones & officia in illis verfantur, & univerfa bonis operis ftructura illis innititur, unde D. Augustinus lib. de fpiritu & anima cap. 2. ait: *Cum prudentes, modefti, fortes & juftæ anima & eadem inftituuntur, in virtutes autem quæ prudentiæ, fortitudinis & temperantiæ, fortitudinem atque juftitiam, quæ quafi virgines & cardines funt omnium virtutum.* D. Ambrosius lib. 1. de officijs in illa verba. *Defendit eum dominus & petit in loco compedis*, hafce quatuor virtutes *Cardinales* appellat. D. Gregorius vero lib. homilior. 9. in Ezechielem *Principales* vocat fic etiam in lib. Offic. Theodolfi Prafecti Cardinales appellantur Præfecti prætorio Alanæ, quod majores cæteris eflent. Et D. Augustinus lib. 1. contra Donatiftas, & 10. contra Epiftolam contra Cardinales dicit

Quæ-

Quæpropter inter nos & ipsos quodammodo cardinalis Donatthus, quorum episcopus apud Carthaginem Primasius est, quæ de hac re nullis est controversia. Postmodum verò hic terminus ad Principales Ecclesiæ Romanæ purpuratos Patres, veluti ad Cardinalitias translatus est, ut Pontificii Cardinalii à latere Assistores & Electores Cardinales vocarentur.

Quæstio II.

Utrum omnes Virtutes Cardinales sint æqualis perfectionis, & quænam sit perfectior illarum?

Itaci affirmant omnes virtutes esse æquales.

S Tici & post ipsos Romanus Philosophus est. 72. putat omnes virtutes esse æquales, nec unam posse iteri majorem aliqua, verum ii hoc dictum simpliciter accipiatur omnino falsum est, nam multiplicer possunt virtutes fieri in æquales, vel in suo genere, vel ex circumstantiis, objectis &c. Hinc præclarè ad propositum noftrum ait D. Gregorius Nazianzen. orat. de pauperitate juvenis: *Nequaquam juventa facile est, quanam virtutibus excellat, ut si potius victoria tribuatur, quemadmodum nec in corporibus forma, & variis festivitatibus, flocculum diligentes pulcherrimum, & fragrantissimum, cum alius alterum & odoratum ad se rapiat, atque ut primum decerpatur studeat.* Ut igitur quæstionem resolvam Notandum: Quæstionem propositam multiplicitur moveri posse: Primo de virtutibus Theologicis. Secundò comparando intellectuales ad se invicem. Tertiò mores & intellectuales posse primo comparando virtutes cardinales eas quæ in voluntate sunt cum illis, quæ in ratione est, seu comparando fortitudinem, justitiam, & temperantiam cum prudentia, & ipsis virtutibus voluntatis inter se, nempe an justitia sit perfectior quam temperantia vel fortitudo, & contra? quo præmisso duplex est sententia una Thomistarum, qui affirmat dictum quadruplex esse perfectionem reliquis virtutibus moralibus: Altera est Doctoris 3. d. 33. qu. unica. quem sequuntur Gabriel, Majoronius &c. Qui omnes docent virtutes morales qualitationes & perfectiones esse intellectuali. Ego cum Scoto sentiam, in omni ad primum cum communi sensu

Charitas Dico 1. *Inter virtutes Theologicas prius est perfectior, secunda Spei, tertia Fides, sine dubitatione ex D. Paulo 1. Corinth. 13.* *virtutibus Major harum est Charitas.* De reliquis potest, quia Fides & charitas sunt virtutes habituales potentiæ, & ordinantur ad nobiliores actus, subjectantur enim in voluntate, fides verò in intellectu. Charitas autem excedit, quia licet utraque ineratur in DEUM immediate, charitas tamen perficitur, quia charitas in DEUM ut bonum in se, ipsa autem in DEUM ut bonum nobis. Arriaga quidem ponit difficultatem de fide, quod non excedat fidem: Tum, Quia Spes amat DEUM qua fperati bonum, quafi DEUM adipisci bonum ordinabile, Fides verò assentitur immediate veracitati divinæ, propter fe, qui modus videtur longe nobilior tangendi DEUM: Tum etiam, quia virtutes intellectuales in esse physico nobiliores sunt iis, quæ in voluntate residunt, sed negatur inde fidem esse perfectiorem fpe, quia perfectius est amare DEUM quomodocunque quam credere DEO dicenti, cùm ille actus unius formarum aliqualiter DEO libere hic vero non, nisi adjunctur pia affectio voluntatis. Deinde præ fupponit intellectus aut ejus virtutes esse nobiliores voluntate, quæque actibus liberis & meritoriis.

Fides 2. *Inter virtutes Intellectuales ad sapientiam comparatur excellit sapientia.* Pro *perfectior* latur: Quia habitum intellectualum est *inter* perfectio Specialiter eft fervanda exuni *virtutes* verfalium & nobilium objecto, cujus intrin- *Intellec.* modi est Sapientia, quæ de Ente ut fic agit, sub quo continentur DEUS, Angeli, & omnes creaturæ. Secundum affignant quidam fcientiam, quia convenit in objecto cum prudentia & eft certior ipsa, nam inventio regulæ proximæ prudentiæ multum pendet ab affectu bene ordinato eorum, qui eas inveniunt, unde ait, ut quamodi regulæ proximæ magis subeste opiniones & etiam alienæ minus vera, quam concludionibus Scientiarum fpeculativarum. Sed hoc videtur minus probabile: Tum, Quia obiectum prudentiæ eft bonum morale feu ufu felicitas hominis, quod eft actibilis fcientia fpeculativa, ut eft habitus conclufiuus à fapientia: Tum, Quia dirigit virtutes morales, quæ funt fimpliciter perfectiones virtutibus intellectualibus: Tum denique, Quia inventio prudentiæ propriè dicte non pendet præcisè ab affectu bene vel male ordinato, fed potius ab intellectu inveftigante principia practica & regulas morum, & quomodo actus humani debeant conformari cum regulis æternis divinæ voluntatis, hinc verum puto prudentiam præfe eminere esse fpeculativa Scientiæ aut habitus conclusionis & conditinctus à fapientia, poft ergo illam collocentur fcientia, & poftea *Art.*

Dico 3. *Inter virtutes Cardinales in voluntate* *Virtutes* *fubjecte perfectiores funt fecundum hanc esse in* *Cardinales* *voluntarismem considerate quam virtus iustitiæ.* *inter subjecte.* Probatur. Ita Doctor fupra & Probatur 1. *Intellectuales* Quia virtutes perfectiores fint, quæ ver- *perfectiores* fantur circa perfectius objectum, cuiusmodi *sunt intel-* est bonum simpliciter bonum reddunt *lectuales.*

Digitized by Google

fed virtutes voluntatis tales funt, ergo majores virtutes certa. Probatur min, virtutes morales verfantur circa bonum honeftum & laudabile, virtutes vero intellectiuales circa bonum utile & delectabile, fed bonum honeftum eft perfectius quam bonum utile & delectabile, ergo. Probatur etiam minor quo ad iteratum partem, tempe virtutes morales fimpliciter bona in redore, quia melior eft bona vita eum fi pie & fanctè volumus, quam pie & fanctè vivendi notitia, ergo. Probatur 2. Illa perfectior eft virtus, quæ in nobiliori fubjecto fubjectatur, fed virtutes morales fubjectantur in nobiliori fubjecto, ergo. Major eft inter Scotiftas certa, nam ficut eft fubordinatio in fubjectis, ita eft etiam in formis in illis fubjectatis. Probatur min. Quia voluntas eft potentia libera, alias imperat, ne erur: Tum, ficut eft pejus male agere & vivere, quam bona vitam nefcire & tamen bene vivere.

Dixi in conclufione *fecundum fuam effe intrinfecum confiderete*, quia fi virtus intellectualis, feu prudentia confideretur in quantum alia, prior eft, in quantum alios dirigit, & lumen oftendit, videtur effe præftantior & nobilior, hoc tamen non eft fecundum ftam propriam & intrinfecam rationem, nam etiam fides dirigit fpem & charitatem, ita quod ficut nullæ virtutes morales poffunt effe fine prudentia, ita nec charitas & fpes fine fide effe poffunt, & tamen fides non eft præftantior quam fpes & charitas, cum Paulus hos præfert dicat ad Corinth. ipfis tribus manentem, effe charitatem. Item cognitio boni præcedit bonum, & tamen cognitio melius eft quam ipfum bonum.

Juftitia eft perfectior virtus inter morales virtutes.

Dico 4. *Si comparatio fiat virtutum moralium ad fe invicem, primum locum occupat Juftitia, fecundum Fortitudo, & tertium Temperantia.* Hæc in Schola Scoti etiam nunc eft controverfa, & Probatur 1. auctoritate D. Ambrofii fuprà Locum ubi dicit: *Juftitia communis eft virtus.* Probatur 2. Illa virtus perfectior eft, quæ habet obligationem obje&um, materiam, officium, & finem quam alia, fed Juftitia habet hæc præ cæteris, ergo. Probatur min. Quia Juftitia imprimis habet pro obje&o bonum alterius, feu alterius, quod eft difficile ac arduum, cum ad propria commoda natura humana fit totaliter propenfa. Deinde bona quocunque communicare cum aliis, quidpiam divinum eft, quod Juftitiæ ex æquo facit. Item quia Juftitia pacem, concordiam & focietatem inter homines confervat & tuetur. Denique quia Juftitia de legali forma eft non particularis, privata nomen alias principatur, & actus aliarum diriait, ergo eodem modo dicurrarur de aliis virtutibus. Sed in contra

Arriuitas Actus Fortiffimis, qui reperiuntur in Martyr bus excellentior eft & perfectior quam actus Juftitiæ, ergo Juftitia non eft perfectiffima virtus moralis. Confirmatur ex actu virginitatis, qui multo excedit petitio actum Juftitiæ tam fortitudinis, ergo. Sed Refpond. negando, tum argumenti quam confirmationis, verum quidem eft, quod aliqua fortitudo nobilior fit, quam hæc juftitia & aliqua temperantia nobilior eft quam hæc fortitudo, in conclufione tamen fuppono & facio tam ex comparationem, ut optimum individuum Juftitiæ comparetur cum optimo individuo fortitudinis & optimum individuum fortitudinis cum optimo individuo temperantiæ, aut etiam hoc multitudo nobilium actuum alicujus virtutis cum multitudine nobilium actuum alterius virtutis, & fic dico, quod cæteris paribus nobilior eft Juftitia quam fortitudo, &c.

Inftatur ex Ariftotele 3. Topic. Quod fi optimus homo eft melior optimo equo, quilibet bonus eft melior quolibet equo, ergo fi optimum Juftitiæ individuum eft melius optimo individuo fortitudinis, quodlibet individuum juftitiæ eft melius & excellenius quolibet individuo fortitudinis, & fic etiam de temperantia discurro &c. Sed quodlibet individuum juftitiæ non eft perfectius quolibet individuo fortitudinis, ergo &c. Refpond. negando primam confequentiam, nam Ariftoteles facit comparationem inter optimos, quia quem fpeciei fecundum entitatem & effentiam, non vero fecundum alia concomitantia, nam Juftitia ratione obje&i etiam quod habet folemnitatem habet femper perfectior eft quam fortitudo, maxime legalis juftitia, ex parte tamen circumftantiæ poteft fortitudo excedere juftitiam etiam diftributivam, quatenus ex fortitudine aliquis pro DEO, pro Patria, vel legibus mortem fubit, quod eft nobiliffimum virtutis officium. Imò dicere poffum ibam aliam fortitudinis effe tam nobilem non tam ex fe & difficultate obje&i, quam quod fit ex charitate in DEUM, vel ex religione, vel ex pietate in patriam, vel denique ex dignitate rei fortiter qua quis fortiter mortem fuftinet, que tunc ad juftitiam veluti partes potentiales reducuntur.

Inftabis. Cum Arriaga hic difp. 37. Religionem effe fuprema moralem, quia licet in fe intrinfecè non habeat DEUM pro obje&o, habet tamen honorem & cultum DEI, quod obje&um in genere moris eft præftantiffimum, quod poft DEUM congruat perfonæ poffumus. Refpond. Gratis hoc aflumi, quia Religio, Pietas, Obfervantia, Amicitia &c. continentur fub Juftitia.

Dices cum eodem: Sibi dirum videtur præponere fortitudinem humilitati, quia fortitudo tantùm habet fubjicere appetitum rationi in ordine ad eos, quæ ad mortem & vitam pertinent, at humilitas fubjicit in ordine ad ea quæ ad honorem pertinent.

Digitized by Google

stant, fed longe difficilius eſt pertolerare ſummam infamiam, quam exponere ſe periculo vitæ cum ſpe tamen evadendi, amare enim eſt fine ſpe id contingat, tam ſi hoc minimi dicatur: *Erat ex febri vel alio morbo moriturus* honeſtiſſime tamen, facilius eſt *portare* infamiam, quàm ſi dicatur: *Cras tamquam infamis decretaberis in perpetuum, & cedere ordini publico*, ergo humilitas ſubjecta appetitui, ut aquo animo quis ignominiam hanc toleret non cedit Fortitudini, ſi non excedit. Refpond. Fortem quamquod medium invenimus in quapiam re tam honorivitam, tamen dare oppoſito nihil concludituir contra non, quæ tam humilitas comprehenditur ſub fortitudine, nam pati infamiam propter humilitatem eſt poti mortem ci-idem.

Quæſtio III.

De Subjecto Virtutum Moralium.

Tramiſſa virtutes ponunt in appetitu.

QUoniam Virtus moralis una non eſt, ergo pluralis etiam dicit unicum ſui eſſe ſubjectum, quare dubium non eſt, quod virtutes intellectuales ſubjectentur in intellectu & infuſæ admittitur quoque de formali ſubſtitum, & eas virtutes quæ ad alium ſunt ſubjectari in voluntate; tota igitur controverſia inter Doctores eſt, de fortitudine & temperantia, & aliis quæ verſantur circa moderandas paſſiones appetitus irrationalis & ſenſitivi, utrum ſcilicet hi virtutes ſint in voluntate, an ſolum in appetitu ſenſitivo? nam de aliis potentiis ſenſitivis & corporalibus nulli queſtio eſt, an in aliquis illarum poſſit eſſe virtus, omnes enim ſcientur in nulla alia virtutem aliquam eſſe. D. Thomas part. 2. q. 56. art. 4. non tantum temperantiam, ſed & fortitudinem & omnes alias, quæ ſunt ad ſin appetitus conſtituendas dicet, hac tamen differentia, ut fortitudo ſubjectetur in parte irascibili, temperantia vero in concupiſcibili. D. Thomam ſequuntur Cajetanus Capreolus, Ferrarienſis, Soto, & Thoſtate communter. Ego autem cum Doctore hic 3. d. 33. q. un. & Scotiſta Durando, Bonaventura hic art. un. q. 3. Richardus, Vasquez difp. 87. cap. 2. Suarez.

Virtus moralis ſubjectatur in appetitu ſenſitivo.

Dico 1. *Nulla Virtus moralis ſubjectatur in appetitu ſenſitivo.* Hæc quoad Temperantiam & Fortitudinem eſt contra D. Themam ſupra. Probatur. In illa potentia non eſt collocandus virtutis habitus, quæ nullo modo poteſt attingere actione aut formalem rationem & finem in materia & objecto virtutis, ſed appetitus ſenſitivus neque actione ſua attingere rationem formalem virtutis, ergo in ipſo non poteſt nec debet collocari habitus virtutis. Major eſt certa, nam cum habitus ſit propter actionem, ubi nulla poteſt eſſe actio, fruſtra ponetur. Probatur mi: Ratio formalis virtutis ad quam requiſito eſt honeſtas in materia & in ipſa medio; circa objecta conſtituens, ſed appetitus ſenſitivus non poteſt ferri in ipſam honeſtatem, ſed ſolum circa bonum delectabile & commodum verſatur, ergo. Prob. batur mi: quia nulla potentia poteſt ferri in objectum voluntatis, quare licet appetitus obediat voluntati non obedit tamen circa objectum ejus quatenus, ut circa proprium, ne in illud feratur. Divus Bonaventura ſyra & Richardus Concludunt pro parte hic rationis. Virtus debet eſſe principium merendi, ſed operis meritorii, quæ ratio omnibus virtutibus convenit, ergo ubi non eſt principium operis meritorum, ibi non poteſt eſſe virtus, ſed in appetitu non eſt principium meritorum, quia non eſt primaria libertas, ergo non poteſt eſſe ibi virtus. Secundo. Virtus debet eſſe propria hominis ut homo eſt, ergo in ea potentia non poteſt conſtitui quæ non eſt propria hominis, ut homo eſt, ſed appetitus non eſt proprius hominis, ut homo eſt, quia etiam communis brutis, ergo. Plures rationes vide infra Concluſione 3.

Tramiſſa virtutes ponunt in appetitu.

Opponitur contra Concluſionem auctoritate Sacræ Scripturæ, ad Rom. 7. ubi Paulus docet quod tota difficultas in actibus virtutis provenit à violentia & paſſione appetitus ſenſitivi, ait enim: *Non enim quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum hoc ago, ſi autem quod nolo illud facio, Caro concupiſcit adversus Spiritum, ut non quæcunque velim illa faciatis.* Et quibus authoritatibus arguitur: Inde tota difficultas debet poni habitus virtutis in ea proprietur difficultas actionis, ſed illa difficultas proprietur in appetitu ſenſitivo, ergo ibi appetitu ſenſitivo debent collocari virtutes, majus patet, quia virtus verſatur circa difficile, minor eſt D. Pauli, ergo. Aſt Reſpondeo 1. Conceſſo authoritatibus Doctoris gentium, negando ma, ex eadem ratione virtus non debet poni in illa potentia quæ moderatur, regulatur, & ſobedire debet, ſed in ipſa quæ regunt habet & regulat ac percipit alia, ſed appetitus ſenſitivus, cui appetitus dicit obedire illi actibus eſt, quantum ad actus externos, & primitivos ad interiores. Reſpondeo 2. etiam in voluntate eſſe paſſiones moderandas, ut teſtatur ipſe D. Aurelius lib. 14. Trinit. & q. de Civit. cap. 4. per totum, licet in ea paſſiones ſenſitivæ, imo concupiſcibile ad voluntum congaudere & contriſtari appetitui ſenſitivo, licet in voluntate non ſint tales alterationes quales ſunt in organo appetitus ſenſitivi, vel ſubjecto paſſionum ſubſequentium, dropue in ſubjecto voluntate potentia ſunt habitus virtutum propter quas homo laude dignus eſt, non tamen propter illam operationem ſenſitivam.

Virtus moralis ſubjectatur in appetitu rationali.

Dico 2. *Virtus moralis ſubjectatur in appetitu rationali.* Hæc Concluſio eſt communis & fundamentalis. Probatur. Quia in illa potentia debet poni habitus virtutis, quæ nullo modo poteſt attingere actionem formalem rationem & finem in materia & objecto virtutis, ſed appetitus rationalis attingit actionem formalem virtutis, ergo in ipſo non poteſt nec debet collocari habitus virtutis. Major eſt certa, nam cum habitus ſit propter actionem, ubi nulla poteſt eſſe actio, fruſtra ponetur. Probatur mi: Ratio

instatur. Ex Aristotele 1. Eth. cap. ult. ubi dicit quòd virtutes sunt in parte irrationali, id est in ea parte quæ est rationalis per participationem, per rationale autem per participationem secundùm Commentatorem intelligit medium inter negativum & ratiocinativum, id est sensitivum, ergo secundùm Aristotelem adhuc virtutes collocari debent in appetitu sensitivo. Respond. negando Consequentiam, quia Aristoteles per rationale per participationem, intelligit voluntatem, quæ formaliter rationalis non est quamvis identicè sit, & essentialiter per rationem seu intellectum dirigibilis.

Urgetur. Aristoteles 3. Eth. cap. 10. dicit, postquam egisset de fortitudine, *Post hanc de temperantia dicamus, ea namque virtutes partium earum esse videntur, quæ sunt rationis expertes*, nempe fortitudo & temperantia, ergo simpliciter intelligit ibi etiam per rationale per participationem appetitum sensitivum, Respond. 1. Hic Aristotelem nihil determinâsse, nam eum dubium esse liquet ex sola particula *videntur*. Unde Respond. 2. Ipsum nec quidem per hanc Authoritatem contrarium esse conclusioni meæ, nam non dicit esse fortitudinem & temperantiam in ea parte quæ rationis expers est, veluti in subjecto, sed dicit esse earum partium, quæ quàm maximè per virtutem moderari debent secundùm suos inordinatos affectus.

Virtutes morales omnes sunt in voluntate ut in subjecto.

Dico 2. *Non solùm Justitia, sed etiam Fortitudo & Temperantia sunt in voluntate veluti in Subjecto.* Quantùm ad primam partem est D. Thomæ, quantum ad secundam est Doctoris subtilis 3. dist. 33. q. unica. §. Hæc opinio. Ubi dicit Virtutes morales non subjectari in appetitu sensitivo, sed in voluntate, sunt multæ authoritates Augustini, una de moribus Ecclesiæ, ubi vult, quòd quatuor virtutes morales non sunt, nisi amor ordinatus, vel amoris ordinati. item 14. de Civ. cap. 5. & 6. diffusè.

Augustini lib. 12. de Genesi ad litt. cap. 31. docentis Virtutis sedem esse in anima, sicut etiam vitia illi opposita. Et lib. de Civit. Dei cap. 16. Resolvit absolutè Conclusionem dicens, *Si igitur in primis positum atque firmatum, virtutem, qua recte vivitur, ab animi sede membris corporis imperare, sanctumque corpus usu fieri sanctæ voluntatis.* Et lib. 14. de Civit. cap. 5. Omnia vitia ab anima, non à carne originari, & cap. 6. ait omnes virtutes & defectus à voluntate proficisci. *Voluntas est quibus in omnibus*, motibus, scilicet rectis, & perversis imperat, *Imò omnes nihil aliud, quàm voluntates sunt. Nam quid est cupiditas & lætitia, nisi voluntas in eorum consensionem, quæ volumus? Et quid est metus atque tristitia, nisi voluntas in dissensionem ab his, quæ nolumus? Sed cùm consentimus appetendo ea, quæ volumus, cupiditas: cum autem consentimus fruendo his quæ volumus, lætitia vocatur.* Hæc Augustinus, quæ manifestè ostendunt omnia bona & mala à Voluntate prodire tanquam à principali causa, consequenter etiam concausa, quæ est virtus seu habitus facilitans ad actus eliciendos est in eadem Voluntate. Denique super titulum Psal. 31. inquit: *Quid enim in quoque homine nil malum operatur nisi amor? dilectio vacare non potest. Num vobis dicitur nihil ametis? absit. Amate, sed quid ametis videte. Purga amorem tuum aquam fluentem ad cloacam converte ad ortum.* Ex quibus verbis satis liquet virtutem moralem aliud non esse quàm amorem inclinantem ad bonum verum, & vitium habitum inclinantem ad bonum apparens.

Probatur 1. authoritate 1. Aristotelis Eth. qui dicit *virtus est per se principium actus laudabilis*; & ibidem quòd *sit habitus electivus*, sed laus nulli datur nisi voluntariè agenti, & electio est actus solius voluntatis præsuperposito Judicio Intellectûs: ergo ad voluntatem quæ sola est principium liberum electivum, spectat virtus moralis. Secundò virtus habet pro per se objecto bonum honestum, sed sola voluntas habet hoc objectum & nullo modo appetitus sensitivus, qui tantùm fertur in objectum commodum & delectabile. ergo.

Probatur Conclusio 3. ratione. In illa potentia sunt ponendi habitus virtutum, quæ de se non est simpliciter determinata ad agendum, vel ad promptè suaviter & delectabiliter agendum, ergo indiget habitu: major est certa & adversariorum, qui ideo concedunt quòd justitia sit in voluntate, ex eo quòd non sit ex se determinata ad agendum, & reddendum unicuique quod suum est, adeoque etiam aliæ debebunt ibi poni cùm non sit major ratio de una ac altera: Probatur mi: quia voluntas non solùm est indeterminata ad opposita objecta, sed etiam ad oppositos actus, seu libera contrarietatis, & contradictionis libertate, imò etiam est indeterminata in modo agendi, ergo. Probatur ultimum anteced. quia voluntas potest velle quodcunque bonum etiamsi rectè, vel non rectè agatur, & volendo tale bonum potest excedere vel deficere & sic à rectitudine deviare, ergo est indeterminata, & consequenter indigebit aliquo inclinante & determinante, quod aliud non est quàm virtus. Sed

Dices. Sufficere rationem quæ ostendat voluntati, quî agere rectè debeat & declinare à malo, adeoque superfluit virtus in voluntate, & si aliqua in potentiis animi poni debet sufficiet ut sit in intellectu. Sed contra 1. licet enim voluntas determinaretur sufficienter per intellectum ad rectè eligendum ex hoc tamen non licet inferri quod in ea non generetur habitus ex frequentatis actibus, quod probo à paritate, intellectus qui magis determinatur ad rectè judicandum, quàm voluntas ad rectè eligendum, & tamen in

in-

intellectu ex frequentatis actibus, generatur habitus ad rectè judicandum, nempe prudentia, ergo à fortiori etiam generabitur in voluntate, utpote quæ non & ſic determinata. Contra 2. habitus in potentiis non ponuntur ad ſimpliciter & rectè agendum, ſed etiam ad promptè & delectabiliter operandum, quia recte poteſt quis agere ſinè habitu acquiſito, ut patet in vitioſo noviter converſo ad bonum, cui ſi aliquid proponatur à recta ratione tanquam bonum, licèt oppoſitum conſueto vitio, licèt tunc bonum eligat, non eligit tamen delectabiliter & promptè, quia prior habitus nondum corruptus eſt, ſed vel modicum tantum vel nihil remiſſus, ergo ad hoc ut voluntas delectabiliter eligat requiritur habitus virtutis eam facilitans.

Probatur Concluſio 4. In ea potentia ponitur virtus moralis tanquam in ſubjecto, in qua ut in ſubjecto ponitur operatio virtutis, ſed ponitur in voluntate tanquam in ſubjecto, ergo: ma. patet. prob. mi. Operatio virtutis eſt electio confeſsè ſe habens ad rationem rectam, ſed electio eſt actus voluntatis immanens, ergo virtus moralis quæ eſt ſecundùm Philoſophum 2. Eth. 6. habitus electivus erit in voluntate.

Probatur 5. Actus virtutis eſt laudabilis, ergo eſt in voluntate. Probatur Conſequentia quia nulli debetur laus niſi voluntariè agenti, ergo ejus eſt ſtudioſè & laudabiliter agere cujus eſt agere liberè, ſed hujusmodi eſt voluntas, ergo actus laudabilis eſt in voluntate; Subſumo, ſed in eadem potentia ſubjectivè eſt habitus in qua ſubjectivè eſt actus, ergo ſi actus virtutis eſt in voluntate etiam habitus ibi erit. Sed in Contra pro Thomiſtis 10.

Arguitur 1. In illa potentia non debet poni habitus quæ de ſe eſt determinata, quæque nullam patitur difficultatem, ſed voluntas eſt de ſe determinata ad bonum temperantiæ & fortitudinis, nec ullam patitur difficultatem niſi reſpectu ad juſtitiam, ergo in voluntate non debet poni habitus temperantiæ & fortitudinis. Sed reſpond. diſt. ma. ad ſimpliciter operandum, tranſeat ma. ad faciliter & delectabiliter operandum, nego ma. & diſt. ſimiliter mi. nego Conſequentiam. Itaque licet voluntas bono judicato & oſtenſo per prudentiam poſſit eligere illud nihilominus hinc negari non debet habitus, aliquin etiam dicam quod nec in appetitu ſenſitivo poni deberet, quia hic ſufficienter determinatur per ſenſus externos, & per phantaſiam ut non poſſit in aliud objectum ferri, ergo ſi hac ratione non obſtante ponitur in illo habitus magis in voluntate poni debebit, videtur enim inconvenientiſſimum negare perfectiſſimæ potentiæ quod etiam imperfectioribus conceditur. Deinde intellectus etiam ſufficienter determinatur ad verum & tamen in eo admittitur habitus, ergo hæc determinatio minimè obeſt, quò minùs in voluntate poſſit poni habitus.

Inſtatur. Dicendo voluntatem propter ſuam perfectionem non debere habitum habere, potentiæ inferiores verò egent, quia minùs perfectæ ſunt. Sed contra Thomiſtæ univerſaliter tenent intellectum eſſe perfectiorem voluntate, & tamen in intellectu admittunt habitum, ergo etiam in voluntate; conſequenter major illa perfectio non obſtabit. Contra 2. Juſtitia eſt nobilior virtus, quàm fortitudo aut temperantia, & hæc tamen eſt in voluntate, ergo propter perfectionem habitûs, vel potentiæ non eſt negandus habitus voluntati.

Urgetur. Semper debet negari perfectiori potentiæ quod deſtruit ejus perfectionem, ſed ſi voluntas haberet habitum deſtrueret ejus perfectionem, ergo. Probatur mi. deſtrueretur ejus libertas quia ſuppoſito habitu deberet agere per modum naturæ. Reſpond. negando mi. cum ſua probatione, Quia hinc ſequeretur contra omnes Theologos, quod nec charitas nec ſpes deberent poni in voluntate, quia inclinant per modum naturæ. Imò quomodo ipſi Thomiſtæ non deſtruunt libertatem voluntatis per habitum Juſtitiæ, quæ per modum naturæ agit ſicut poteſt agere fortitudo vel temperantia. Reſpond. 2. negando minorem, ejusque Probatur min. quia licet habitus virtutum moralium non minùs quàm Theologicarum ſint cauſæ naturales neceſſariò agentes, ſunt tamen in ſuis actionibus ita ſubordinati & ſubjecti voluntati tanquam cauſæ principaliori, ut nihil prorſus agant niſi quomodo & qualiter voluntas eos applicat, quæ tanquam Domina & Regina ſuarum actionum utitur habitibus, quando & prout vult, hinc commune adagium *Habitibus utimur cùm volumus.*

Dices. Voluntas non indiget illis, ergo. Probatur anteced. propoſito objecto poteſt ſeipſam ſufficienter determinare ad operandum. Ergo nullo indiget habitu facilitante. Conformiter ſufficienter perficitur per virtutes Theologicas in ordine ad quodcunque bonum; ergo fruſtra ponuntur in ea morales. Hæc etiam Replica poteſt retorqueri de Juſtitia contra Adverſarios. Reſpondetur tamen negando anteced. ejusque Prob: Conſequentiam, licèt enim Voluntas poſſit abſolutè ſe determinare ad operandum ſinè ullo habitu ſuperaddito, ſicut ad primos actus virtutum ſe determinavit, non poteſt tamen ita promptè, aut expeditè ſe determinare ſinè, ac cum habitu, maximè quamdiu eſt annexa paſſionibus appetitûs ſenſitivi plerumque in oppoſitum inclinantibus. Ad Confirm. Reſpond. diſtin. antec. in ordine ad quodcunque bonum ſupernaturale aut etiam naturale ordinatum per ſe ad DEUM diligendum, con-

concedo anteced. in ordine ad objecta moralia naturalia, quæ per ſe in DEUM non referuntur, & propter propriam honeſtatem amari poſſunt. nego anteced. & conſequ. quia ut inquit Scotus hìc num. 20. Non tantùm poſſum Deum ordinatè amare, & hoc bonum in ordine ad Deum, ſed etiam bonum hoc, in quantum habet talem bonitatem mihi convenientem ſecundùm propriam rationem, unde requiritur habitus proprius tendens in tale bonum, ut ſub propria ratione mihi conveniens.

Quod ſi quis inde inferat illum habitum non eſſe rectum aut virtuoſum, cùm ejus actus ſit frui bono creato, quod videtur perverſum, nam ſolo Deo eſt fruendum, creaturis verò utendum, Reſpondet Scotus negando Conſeq. quia habitus moralis non habet ex ſe propriè referre actum in Deum, ſed in hoc bonum, Charitatis autem, quæ eſt virtus ſuperior ad omnes alias, eſt referre proprium, cujuscunque virtutis actum elicitum, circa bonum creatum in Deum, nec ex hoc ſequitur, quòd habitus inferior ſit malus, quia licèt non referat in Deum poſitivè, tamen non impedit, quamvis habens illum poſſit referre in DEUM poſitivè per virtutem Charitatis, actus ergo elicitus circa tale bonum honeſtum & creatum, non eſt fruitio: quia frui objecto non eſt ita reſpicere ipſum ut concomitatur negatio relationis actualis ad aliud, ſed ita reſpicere ipſum ut concomitetur nolitio poſitiva referendo ad aliud. Hoc non contingit in actu aut habitu circa bonum creatum, ergo.

Potentia declinans à bono, eſt voluntas.

Arguitur 2. In illa potentia debent poni habitus virtutum quæ à bono declinat, ut ad ipſum convertatur, ſed appetitus ſenſitivus eſt talis potentia & non voluntas, ergo in hac non debent poni virtutes ſed in illo. Reſp. diſt. ma. debet poni aliquis habitus qui non eſt eſſentialiter & formaliter virtus, tranſeat ma. qui eſſet propriè & formaliter virtus, nego ma. & nego Conſeq. Itaq; licet in appetitu admitti poſſit aliquis habitus, ut mox dicam, non tamen virtutis propriè dictæ, in voluntate, ergo talis poni debet quæ non eſt etiam determinata ad faciliter eligendum propriè & ſimpliciter bonum prout bonum ſimpliciter diſtingvitur contra bonum apparens, ſed poteſt eligere bonum apparens & converti ad bonum ut nunc etiam contra judicium rationis.

Instatur. Ibi debet poni formaliter virtus ubi eſt ſuum materiale vel ſua materia, ſed materia virtutum moralium, nempe paſſiones, ſunt in appetitu ſenſitivo, non verò in voluntate, ergò in appetitu ſenſitivo formaliter & eſſentialiter erit virtus. Reſpond. I. negando mi. quia paſſiones refrænandæ ſunt etiam in ipſa voluntate. Reſp. 2. diſt. mi. Materia virtutum moralium eſt in appetitu, materia *in qua*, vel *ex qua*, nego mi: materia circa quam, tenens ſe ex parte objecti, concedo mi: Itaque licet concederetur quod paſſiones tantùm eſſent in appetitu, non propterea tamen ſtatim deberet poni ibi habitus virtutis, ſed in illa potentia quæ moderatur paſſiones, quæ eſt voluntas. Verùm

Urgetur. Ubi ſunt vitia formaliter debent etiam eſſe virtutes expellentes ea, ùt patet de gratia & peccato, ſed vitia ſunt in appetitu ſenſitivo, ergo etiam virtutes formales ibi debent eſſe. Reſp. negando mi. quia vitium formaliter loquendo eſt principaliter in voluntate, peccatum enim debet eſſe voluntarium, & ſic quidem quod ſi voluntarium non eſſet nec peccatum eſſet ex D. Auguſt. lib. act. & Anſel. de Concept. Virg.

Appetitu ſenſitivo ſunt habitus virtutis propriè dictæ.

Dico 3. *Licet in appetitu ſenſitivo ex frequentatis actibus temperantiæ & fortitudinis inſenſitivi cauſentur habitus ad ſimiles actus iterum eliciendos, in ipſo tamen non habent rationem habitus.* Ita Doctor ſupra num. 13. ubi poſtquam admittit in appetitu ſenſitivo ex imperio recto voluntatis, habitus inclinantes ad delectabiliter operandum circa ſenſibilia, qui habitus, inquit, licèt non ſit propriè virtus: quia non electivus, nec inclinans ad electionem, poteſt tamen concedi aliquomodo eſſe virtus, quia inclinat ad illa, quæ ſunt conſona rationi certæ. Probatur I. pars, quia Imperium voluntatis ſuper appetitum non eſt deſpoticum, aut ſervile, ſed politicum & civile, ita ut ſæpe appetitus reſiſtat voluntati, ergo ut faciliùs obediat voluntati neceſſe eſt illum habituari. Habitu inclinante ad Objectum, in quod tantum inclinat habitus voluntatis, hoc etiam docet experientia quotidiana, quâ videmus hominem aſſuetudine cohibere appetitum ſenſitivum, ut non ſinat ipſum moveri in delectabilia tactûs, aut guſtûs, niſi in mediocritate circa quam mediocritatem ſervandam videmus appetitum promptiorem reddi. Idem etiam patet circa objectum fortitudinis in parte irascibili ſenſitiva: quia non minùs pars concupiſcibilis moderatur ex conſuetudine circa delectabilia proſequenda, vel fugienda, quàm irascibilis in aggrediendo terribilia, in repellendo repellenda, & eadem fortiter ſuſtinendo, ut patet in veterano & bono milite, qui intrepidè & ſinè timore etiam ex parte appetitûs ſenſitivi, imò aliquomodo cum magna animoſitate aggreditur pericula quæque, quod non videmus in novo milite, quantumvis animoſo, ergo ſignum eſt ex frequentatione talium actuum generari in appetitu habitum, qui ad ſimiles poſtmodum actus facilitet & inclinet.

Habitus in potentiis ſenſitivis non eſt nul- virtus.

Secunda pars etiam patet ex definitione virtutis ſuperiùs aſſignata, videlicet habitus electivus ſecundùm rectam rationem, & in mediocritate conſiſtens: Sed

nullus habitus appetitus sensitivus est electivus, cum electio sit solus voluntatis, ergo nullus habitus ipsius est in rigore virtus. Dende, Regula cujuscunque virtutis est prudentia, sed regula appetitus sensitivi non est prudentia, sed phantasia, aut sensus communis, ergo, &c. Virtus quæcunque moralis habet pro per se objecto bonum hominum, quatenus, sed objectum appetitus sensitivi non est bonum hominum, sed delectabile, aut commodum, aut honestum, ergo. Major patet; quia ad intrinsecam & essentialem rationem cujuscunque virtutis sive actualis sive habitualis spectat id per quod distinguitur aliquis moraliter, a vitiosis & indifferentibus, sed hoc non est aliud quam propria ac specialis cujusque virtutis bonitatis relatum in objecto vere, aut apparenter, ergo. 4to. Virtus moralis statuenda est in principio libero alias vere virtus non est meritoria; sed appetitus sensitivus est principium naturale exercituum, ergo nullus ejusactus vel habitus est propriæ virtus. Tandem addit Scotus, incongruum si non impossibile esse, quod illud propter quod laudatur homo, & meretur vitam æternam, habeatur in illo, quod est fibi & brutis commune, fed appetitus sensitivus est communis homini & bruto, ergo in eo non est fundamentum alla virtus moralis. Per hæc declaratur, & magis confirmatur

Conclusio prima, prout me hucusque dedi.

DICES. Laborat error, ferri in bonum honestum, & regulari per prudentiam convenit appetitui sensitivo extrinsecè per imperium voluntatis, quod videtur sufficere, ut ejusactus & habitus participent rationem virtutis. Sed Contra. Etsi imperantur & regulentur per prudentiam non sunt formaliter in se, aut in rigore virtutes, cum non fint electivi aut intrinseci ad electionem, aut stringentes bonum honestum, quod est motivum virtutis moralis, alias dicam quod habitus generatus in Equo, qui docetur per gyrum campi, & potitur se flexibilem incurvchici, fit virtus moralis: quia voluntas fellor facit iftas agitationes, & prudenter in ordine ad confequendum finem finem, licet nullus mortalium conederet virtutes morales dari in bruto, aut in alijs membris extremis corporis humani, virtus dicitur.

Appetitus sensitivus non est subjectum virtutis moralis.

ARGUITUR. I. Contra 1. partem 2. fusis. Conclusionis, fi generaretur in appetitu ve getativo habitus ex tali imperio, debet ne fimiliter in alijs partibus corporis generari, quod videtur absurdum. Consequentia. In potentia naturalibus & ex fe determinatis nullus eft admittendus habitus, fed appetitus fenfitivus eft talis; ergo. Refpond admittendo totum, & negando effe abfurdum admittere, ut experientia conftat, in manu Pictoris, Scriptoris, Saltatoris, Cytharœdi, quibus videmus ex frequenti exercitio generari habilitatem quandam inclinantem ad fimiles actus, quæ habilitas potefl dici in homine quodammodo virtus, licet non elective, fed tantùm denominative. Similiter dicendum de brutis, quamvis eorum dexteritas non dicatur propriè virtus moralis, quia talis femper denotat fequi in operatis Prudentiam & operari ex fine honefto. Ad Confirmat. dici, tales habilitates gigni, tranfire mal. ut agant facilier prompte, & ut temè, nego maj. ut patet ex Logica, ubi communiter dicitur, & docet Scotus in Scriptis hic habitum in intellectu, etiam & potentia neceffaria, & naturalis.

ARGUITUR 2. ex Barronio. In parte fenfitiva non potefl effe habitus temperantiæ, ergo nec ullus actus. Probo antec. tales habitus ordinantur circa objectum fimale & adæquatum appetitus fenfitivi, quod eft bonum delectabile, fed in temperantia nulla eft delectatio, fed potius offenfio & dolor, fimiliter de fortitudine, cujus objectum eft bonum arduum & difficile, in hoc autem clarum eft quòd Prudentia non invenitur fimm objectum formale, quod eft delectatio fenfibi s, ergo. Refpond. neg. anteced. cujus probatione. dift quod fecundum temperantem, eft bonum delectabile in profecutione conceda ma. in fuga, nego ma. fimiliter dift. mi. quando non profequitur finis delectabilis, concedo mi. quando profequitur, nego mi. & confeq non enim dicitur appetitus fenfitivus quafi folum appetens, fecut vere voluntas folum vult, cum etiam multas noliciones habeat, unde nec objectum hujus appetitus fenfitivi eft bonum delectabile, fed quantum ad profecutionem, licet neque objectum voluntatis folum bonum, quin etiam in malum fenfitivum, fecut recludendo, defpiciendo, contemnendo, &c. Quæro enim quando duo feroces homines pugnant, à qua potentia oriatur aggreffio periculi? Si ab appetitu, nihil valet objectio, quia nemo prudens amat periculum, fi ab alia potentia? ergo in parte fenfitiva debitur fortitudo. Similiter Temperantia partis fenfitivæ fertur in delectabile fugiendo, & fortitudo in adverfa invadendo.

ARGUITUR 3. In eodem homine non poffunt effe duæ virtutes circa eandem materiam, fed hic in propofito affentimus in voluntate ea eft, in appetitu fenfitivo altera, ergo. Refpon. diftin. ma. non poffunt effe duæ virtutes circa eandem materiam, quarum una fenfitivæ, altera intellectualitate effet virtus, & altera materialiter tantùm, & participative, nego ma. quarum utraque effet qualitative, vel participative virtus, concedo ma. & dift. fimiliter mi. nego confequentiam: Hæc autem virtus quæ in appetitu

sen finivo est, non tam virtus est, quam virtutis effectus & impressio.

Quæstio IV.

An & quomodo sit verum axioma *Virtus consistit in medio?* & utrum hoc medium consistat in indivisibili?

PRO prima parte tituli notandum, *Medium*, in quo ordinatæ dicuntur, quod virtus consistat, esse duplex unum *Reale rationis*; Primum est quando medium aequaliter distat ab utroque extremo, ut tria inter unum & quinque, quinque inter unum & novem, sex inter duo & decem, & color Caruleus inter album & nigrum. &c. quod medium dicitur *arithmeticum*, eiusque æquale apud omnes æqualiter determinatum: Secundum est illud, quod sit secundum rectam rationem, tutat in virtute nec nimis deficit, nec plus debito ponatur. v. g. si aliquis temperet jejunia in collatione nec plus manducet, quam ipsi recta ratio dictat posse manducare, & in quocunque actu temperantiæ, nec plus comedat quam debeat, nec minus debito, ita ut simul quantum sufficit ad nutrimentum naturam, & ad subeundas functiones, & Officia honesta & imposita, verbo, ut non peccet per excessum, nec per defectum, & hoc medium dicitur *Geometricum*, nec est æquale apud omnes, sed variatur secundum naturæ constitutionem, nulla habet determinata extrema: utrumque hoc medium aliter vocatur *Ex parte objecti & rei rationis*. & *Ex parte objecti, seu rei*. Quamvis autem quæstio hæc potissimum moveatur de virtutibus moralibus, attamen breviter etiam aliquid dicam de Theologicis, hinc

1. *Medium virtutis duplex est.*

DICO. 1. *Virtutes Theologicæ habent suum medium ex parte objecti, non tamen ex parte subjecti.* ita Scotus hic d. 26. q. unic. Contra. Videtur etiam esse S. Thomæ 1. 2. q. 64. ubi docet virtutes Theologicas non habere medium per se, sed per accidens, quod idem est ac ex parte actûs habere: non vero ex parte objecti, quod est infinitum. v. g. diligibile. Probatur. 1. pars. Actus cujuscunque virtutis Theologicæ non est ita effentialiter rectus, quin possit in modo, vel ex parte circumstantiarum habere plus vel minus quam oporteat: ergo virtus moderativa ejusmodi actûs quoad modum & circumstantias habet medium ex parte actûs. Ant. Prob. Quis per excellum poterit quis peccare contra fidem, si credat aliquid DEO convenire quod non convenit, & quod sit author peccati, per defectum vero fi quis credat DEO non convenire, quod convenit, de quâ Fidus non prodiuat Spiritus Sanctum. Contra fiem peccatur per excellum, dum quis fperat fe confecuturum

2. *Virtutes Theologicæ etiam in medio consistunt.*

beatitudinem fine bonis operibus. Per defectum vero, dum quis desperatam beatam non fore perpetuam. Denique contra Christatem ex parte actûs, per excellum fi quis ita jugiter diligit DEUM, ut proximum odio habeat, putans folum DEUM esse diligendum. Per defectum etiam fi quis DEUM diligit non tamen plus quam femetipsum. Addit Scotus & post ipsum Arriaga tract. de beatitudine disput. 26. pofle etiam contrariates Theologicas peccare per excellum, dum quis nimis intenfo actu cum periculo læsionis corporalis operatur, opus pium cum alio illo pio eodem tempore incompatibile elicere, ut fi quis propria devotione occupatus neglexerit fuccurrere proximo in neceffitate, vel obedire Superiori.

Secunda pars Conclufionis patet, quia DEUS qua eft objectum virtutum Theologicarum eft infinitum bonum, adæquate infinite diligibilis, fperabilis, & credibilis: ergo ex parte ipfius non potest contingere excellus vel defectus in actibus virtutum Theologicarum. Hinc S. Bernhb. de diligendo DEO ait: *Modus diligendi DEUM ipse modus est.* hoc eft quantûm ad excellum in directione DEI ex parte objecti.

3. *Virtutes morales quoque in medio consistunt.*

DICO 2. *In omnibus virtutibus moralibus nempe fortitudine, temperantia, & justitia ; tam distributiva , quam commutativa debet strari medium, ex parte objecti fuffcit.* ita Franciscus de Marchonis, 3. d. 37. q. 1. Buridanus, Major, &c. favetque Gabrielis, qui generaliter docet virtutem effe habitum electivum fecundum mediocritatem, quatenus prudentis ratio determinat; & eft vulgaris fapientum cenfenfus.

Et modus in rebus sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraq; nequit consistere rectum.

Probatur etiam per fingulas virtutes. Et impimis fortitudinem in medio rationis conftitere. Nam quod Ulyffes jure in fortitudine regulari fuerit, necnon & adverfa mala, ideo fugere non debuit Ajax Telamonius ju ta tandem prudentiæ regulam, quia fi Ulyffes ftare debuit Ajax expectat, temerarie agerit, & non fortiter: & tamen Ajax fortiter egit. Si aliud exemplum ex Chriftianis defit defumptum, quod S. Praxedes ob ftragem Chriftianorum mortem a Domino appetierit, non fic debuit appetere Sebaftianus, aut ea de quâ Sebaftianus Dieclenio obfervat factus ejus crudelitatem exprobraverit id facere debuit Praxedes, nam in hac forte temerarium & audax fuiffet, in hoc fortitudo erat. Et fic de pluribus aliis Sanctis, & S. Athanafio, qui ex fortitudinum regula frequenter declinavit perfecula, & Dominus ipfe in Evangelio fuo dicit: *Si vos perfecuti fuerint in una Civitate, fugite in aliam*, quam

Digitized by Google

etiam Sanctis Apostoli frequenter fecisse legantur.

Probatur etiam de Temperantia. Quia quod partisimo Diogeni multum erat, voraci Milonivisum fuisset parum, nam hic integrum fœlbat devorare bovem, atque adeo Milo plus fumere debebat de cibo & potu, quam fumebat Diogenes. Et universaliter verum est, quod Rufficio non sufficiat hoc, quod sufficit Magnati, aut Prælato &c. ergo semper medium rationis variatur, & non medium rei.

Quantum ad Justitiam distributivam res etiam certa est, quia veré non tantum debet dari uni militi qui anno uno, quam qui annis Cæsarem servivit, nec tantum Militi quantum Duci. Probatur ergo de Justitia commutativa, quia hæc vel est ad salientum in ordine ad contractus venditionis & emptionis? Si primum dicatur, certum est, quod licèt inter fimplices homines minus pro minus, & oculus pro oculo perdi debeat, hoc non debet observari de manu Ruffici & Regis, nam injuriam offert, quod perfona publica & communis deberet privari manu fua pro manu Ruffici, nec Ruffi cus debet tantum privari manu fui pro manu Regis, fed plus occidi, quæ non fint æqualia media fecundum rem, fed fecundum rationem. Si vero Justitia commutativa in ordine ad contractus confideretur, etiam patet quia pofitum rem meam huic homini vendere quam alteri, ex æquali fit contractantis vel cognatus, fecundum variationem perfonarum, vel fecundum copiam, aut paucitatem, venditorum, emptorum, pecuniæ, vel indigentiæ humanæ, ubi nunc crefcunt, nunc decrefcunt pretia rerum, & tamen nec emptor fecit fit in fimilibus contractibus deceptus, nec venditor fe quempiam feifellit, ergo quilibet contractus manet in æqualitate juftæ pretii, quod tamen non fuit dem fecundum rem, fed fecundum rationem. Deinde medium rei debet effe idem apud omnes, quia res una in hac provincia non poteft venditari, pretio quam in altera, imò in eadem Provincia & Civitate modus frumenti quinæ valet vilitate, imò ante tres vel quatuor annos valuit tres, & ibi ante decem fex vel plures. Denique fi in Juftitia commutativa debet variari medium rei deberet certari omni commutatio, & mercantia, qua prima Mundi aurum daretur non valeret unum bovem, nec lana rotus bobus unum ovem, nec omnes pannimanum quem, & fic frultra veherentur ex una provincia lanæ & panni pro alimentis mundi &c. Quia fecundum rem mutuum poterit fieri comparatio. Itaque virtus in me ho rationis conflitit, quam fingit, in media affectionis, quam modifica & moderatur, in medio vitiofitatis, quas fupprimit & tollit.

QUOAD 2. partem hoc dubium oritur. Quomodo intelligendum fit medium à virtutibus præfcriptum, cum fciliet ficut temperantia prohibet, ne quis nimium comedat vel bibat, adeoque intemperans fit qui hoc genere excedit, ita è contrario eadem virtus prohibeat ne minis parum comedatur aut bibatur, ut qui parum aut nihil comedit vel bibit, fit etiam intemperans. Similiter in materia Caftitatis, virtus illud fic dicitur intactus quæ in materia luxuriæ excedit, ita etiam dicendum fit incaftus, qui nam periculo vitæ licitum aliquam fibi Matrimonium ejusque ufum fugeret. Ratio dubitandi eft, quia fi hæc virtus fortitudo prohibent, fequitur quòd per quodlibet extremum contra illas peccaretur, quod vero utrumque extremum peccatum, inde poteft fluderi quia nulla eft ratio, cur exceffus in materia carnis, cibi, aut potus fit contra virtutem Caftitatis aut Temperantiæ & defectus non fit. Et alias autem parte quis dicet incaftum aut impudicum Sanctum illum, qui annos virilium motus carnis ita cohibuit, ut maluerit mori, quàm Matrimonium alias licitum contrahere, aut contractum confummare. Sicut de multis etiam Sanctis legitur, ut de Pulcheria fecit cum Martiano, Sanctus Cafimirus Polonus Princeps, Chunegundis cum Henrico, Elizabetha noftræ Sanctus Comes cum Sancta Delphina, Alexius cum fua &c. Quia etiam in puritatem dicet illum qui cum multum toleravit, aut indevotum, qui cum jactura fanitatis nimis diu orat, aut meditatur. Quod fi dicatur tunc temporis non peccari contra Caftitatem, Patientiam, vel orationem, fed contra Charitatem propriam, quæ in licitis præcipit confervationem vitæ, fanitatis & honoris. Contra nulla eft ratio cur caftitas unum extremum prohibeat, & non alterum, fi in medio utriusque conflitit. Similiter de Patientia & Oratione. Hoc præmiffo

DICO 3. *Virtus fic conflit in medio, ut fere fi fole, five cum aliis virtutibus in virtutis ex-* *Virtus tremo fugiat prohibitio, ut modo modo ad illa quæ ratio mandat.* Hanc declarat ratio, Quia fenfus quædam objecta fenfibilia, maxime quæ ftat in appetitant ad materiam carnis, cibi, hauftus? illis inhæbitat &c. Item & quia ex malis corruptionem naturæ ad fe trahere homines, ut non obftante etiam honeftate, aut malitia morali, quæ ab talibus objectis reperitur, facillime inducant homines in anorem fui, unde ad refragandum animant hanc vim attrahendi, dantur virtutes morales hominibus, ut Caftitas, Temperantia, Patientia, &c. ut homines ab ejusmodi excefibus compefcant, fed hæ virtutes non eo tendunt, ut præcipiant hominibus illum actum pofitivum, circa ejusmodi objecta delecta-

Digitized by Google

bilia, fed tantùm prohibent excellum circa ea v. g. Caſtitas prohibet, *ne accedas ad non tuas.* Sed non præcipit nec prohibet, ut accedas ad tuam, aut ullo modo Matrimonium contrahas. Temperantia prohibet, *ne quis animalium bibat vel comedat vlg.* ultra ſtrictarium, vel mediam quantitatem vitæ ſecundum cujusque complexionem, ſed non præcipit ut hoc ipſum bibat. Jejunium prohibet, *ne quis die illo comedat*, ſed non præcipit ut ſemel comedat. Juſtitia præcipit *dari alteri quod ſuum eſt:* Sed non præcipit nec prohibet dari amplius quàm de Juſtitia debetur: Similiter ſervata proportione de patientia & humilitate diſcurratur. 3. Nili veniunt per aliquem circumſtantiam tam, quod contingit, quando ſit contra reverentiam debitam dignitati perſonæ v.g. Si Epiſcopus, vel Papa permitteret ſe in humiliari aut injuriari, ut vilipendantur à Grege, in multis enim caſibus operet habere curam de bono nomine, de vita &c. tunc enim non eſſet bona humilitas aut Patientia permittere ſe vel in juſte diffamari, vel ſimilia caſtiga ab alio mactari, graviter tædi &c. Similiter non eſſet bona Juſtitia ſolvere plus quam debet Creditori, ſi per hoc nocet & fabricatur filiis ad familiæ media neceſſaria ex 1 ſuſtentationem. Ad propoſitum ratio, cur ejusmodi Virtutes utrumque extremum non prohibeant, eſt, quia in uno ſolo reperitur turpitudo ſeu malitia moralis, quam illæ averſantur. Quod ſi quandoque in altero Extremo etiam inveniatur, aliunde malitia diſtincta, tunc ſunt ex aliæ virtutes, quæ illam detinebunt & prohibebunt; qui exemplificari de actu Juſtitiæ circa debitum, ut provocetur Creditor ad peccatum carnis, quo actu non peccatur contra Juſtitiam, ſed contra Caſtitatem feliciter. Qui in tam abſtinet à cibo & potu, ut detineat ſuam ſanitatem non peccat contra temperantiam, ſed contra Charitatem propriam &c.

DICES. Si virtus utrumque Extremum non prohibet, non poteſt dici aut intelligi, quidnam virtus in medio conſtituat, fiat hoc eſt contra definitionem virtutis ergo. Reſpond. negando majorem non ideo dicuntur virtutes in medio conſiſtere, quaſi quilibet prohibeant utrumque Extremum, ſed quia quilibet prohibet id, quod contumeliæ, & per ſe foler eſſe occaſio peccandi in materia talis virtutis.

Pro ſecunda parte tituli, quæ eſt magis de charitiva prioris

5. Medium quomodo poſſit conſiderari conſiſtere in indivi-

Notandum medium quadrupliciter poſſe conſiderari conſiſtere in individuis; primò comparando medium ad finem rationem formalem & quiditativam, & ſic certum eſt quod conſiſtat in individuis, quia hoc eſt generale cuilibet rationi formali, ut in quacunque materia parte tota ſalvetur ratio ejus quiditativa & eſſentialis, ergo etiam in qualibet parte virtutis ſalvatur ſpecifica & quiditativa ratio ipſius virtutis, quia eſt æque invariabilis forma ſicut unum. Secundo modo poteſt virtutis medium conſiderari conſiſtere in individuis, ſi ſpectetur virtus quantum ad circumſtantias, & ſic quoque in individuis conſiſtit, quia ſtabilita unica Circumſtantia, virtutis medium deficit, cum virtutis bonum ſit ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu. Tertiò poteſt conſiderari virtutis medium, quantum ad extrema vitioſa; & quarto quantum ad extrema vitioſa ſecundum quas Conſiderationes.

DICO 4. *Medium virtutis in ordine ad extrema vitioſa non conſiſtit in individuis.* Aretinus. Probatur quia ſtante quocumque defectu in materia ſi ſe proximè, hic etiam virtutes, unde liberalis libenter retinet prodigum. Sed hoc non eſſet niſi hæc ratitas ſtaret extremum à ſe extenderet, ergo.

6. Medium conſiſtit in ratione virtutis in individuis.

DICO 5. *Necmedium virtutis in ordine ad extrema fuſioſa conſiſtit in individuis.* Eſt ejusdem. Probatur ſi virtutis medium conſiſteret in individuis in nullo virtute poſſet fieri acceſſus medii ad extrema ſecundum magis & minus, ſed virtus eſt ultimando accedit ad extremum quod magis habet rationem virtutis & plus accedendo magis ab altero recedit, ergo non conſiſtit in individuis.

7. Virtutibus quæ verſantur circa paſſiones, in quibus datur pejor & pejor defectus quàm excellus, dari pejor & pejor defectus quàm excellus, in tempeſtate pejor excellus quàm defectus. quinta, ſeſta, & ſeptima adæquate recedit à non-defectu, dia. Ratio primi eſt, Quia fortitudo eſt virtus verſans ad intendendum actum, omnis autem virtus, quæ eſt ad intendendum actum circa finem objectivum, pejor eſt, ſi deficiat, quam ſi excedat, hinc pejor eſt timidus, quam audax, ergo dia, patet, quia fortitudo ſimiliter appetitum ad aliquem minus promum ad objectum tam irdulum circa mortem. Ratio ſecundi eſt. Quia temperantia eſt virtus ad reprimendum actum circa ſuum objectum, appetitum enim minus promtus eſt ad deli-

Digitized by Google

delicias & ſenſualitates, circa cibum, potum, & tactum, ideo ſi deficiat pejus eſt quàm ſi excedat, hinc intemperans pejor eſt, quàm inſenſibilis. Ratio tertii eſt. Quia Juſtitia diſtributiva eſt ordinata tam ad actum ſuum intendendum, quàm remittendum, dividitur enim in punitivam & remunerativam, nã homines proni ſunt ad reſiſtendum, & per conſequens nimis rigidi ad puniendum, ideoque habitu indigent remittente actum puniendi. Item homines proni ſunt ad cupiditates rerum temporalium & ad diligenda ſua, & ſic ad remunerandum difficiles, adeoque indigent habitu intendente actum remunerandi, & per conſequens ratione primi magis vituperabilis eſt vindicativa, quàm miſericors, ratione alterius magis deficiens in remunerando, quàm ſuperabundans.

QUÆRES. Utrùm virtus quæ datur uni ad actum intendendum in uno homine poſſet dari alteri ad remittendum? Ratio dubii eſt, quia in liberalitate v. g. ſunt aliqui ita liberales, ut nullum actum illiberalitatis facere poſſint, alii prodigi, alii avari, an omnibus ergo una liberalitas virtus inſervire poſſit, ut in uno remittat actum in altero intendat? Reſpond. affirmativè. Ratio. Quia habitus non eſt cauſa totalis nec principalis, ideoque accomodatur naturalibus hominum diſpoſitionibus, Ex ſe autem eſt ordinata virtus ad attingendum medium, per accidens verò eſt, quòd nunc concurrat ad remittendum, nunc ad intendendum.

Quæſtio V.

Utrùm habitus Virtutis ſit eſſentialiter Virtus, ut non poſſit vitiari?

1. *Vitiatio habitus duobus ſit modis.*

DUpliciter poteſt intelligi titulus propoſitus, primò an virtus poſſit vitiari reluti ex objecto, & ex defectu alterius virtutis, ita ut ipſa in proprium actum exire non poſſit, aut ſi exeat nihil laudabilitatis & præmiabilitatis habeat? Secundò an poſſit vitiari electivè, ita videlicet utrùm virtus poſſit eſſe principium operandi & faciendi malum opus, adjuncto bono malo, vel utrùm ſit ita eſſentialiter virtus, ut nunquam poſſit concurrere niſi ad actum virtuoſum & honeſtum laude & præmio dignum? & huic difficultati occaſionem dedit D. Auguſtinus ſupra virtutem definiendo, quòd ſit: *Bona qualitas mentis quâ rectè vivitur & quâ nemo malè utitur.* In utroque ſenſu reſolvam quæſtionem. Unde

2. *Virtus moralis poteſt objectivè vitiari.*

DICO 1. *Quæcunque Virtus moralis poteſt objectivè vitiari, quæ vitiatio magis tamen eſt habentis virtutem, quàm ipſiuſmet virtutis.* Hæc poteſt colligi ex Scoto hic ſubLit. C. eque D. Thomæ & Prob. 1. pars E. D. Aug. qui in regula ſua cap. 4. dicit: *Alia quippe quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant, ſuperbia verò etiam bonis operibus inſidiatur, ut pereant. Et quid prodeſt diſpergere dando pauperibus; ſi anima miſera ſuperbior efficitur divitias contemnendo, quàm fuerat poſſidendo.* Deinde Melliſluus Doctor Bernardus tract. de vita S. Malach. cap. 1. ait: *Jam tunc quidem cautus fuit declinare virus virtutum inanem gloriam.* Ex quibus deſumo hanc rationem, Quandocunque alius ſuperbit, odit, vel malè ſentit de aliquo bono illud bonum objectivè vitiatur, ſed ex dictis authoritatibus de virtutibus poteſt quis ſuperbire, inanem gloriam quærere, malè ſentire, & odiſſe, ergo vitiabitur objectivè.

Probatur 2. pars. Quia in tali caſu nihil de Entitate alterius virtutis (v. g. voluntaria paupertate) perditur & minuitur, ſed tantùm ex defectu alterius virtutis non habet tantum ſplendorem, nec ullum meritum, cùm hic mercedem ſuam receperit, hinc nihil profuit etiam fatuis virginibus gloriari in virginitate, cùm caruerint oleo aliarum virtutum, & ſplendore, ergo. Deinde ſi ipſa virtus propriè vitiaretur, ſequeretur eam fieri imperfectam, hòc non fit, ergo. Probatur mi. quia non fit nec eſt imperfecta, quæ hominem dirigit circa proprium objectum, licèt non dirigat circa alienum, quia virtutis unius non eſt dirigere hominem circa omnia, ſed poteſt voluntaria paupertas dirigere hominem ad ſua diſtribuenda & voluntariè reſignanda, licèt eum non dirigat ad honores fugiendos & vanam non captandi gloriam; ſimiliter actus temperantiæ, non eſt circa terribile, unde quòd iſte ſit puſillanimis vel timidus non provenit, quia ejus temperantia ſit imperfecta, aut vitiata, ſed quia non habet fortitudinem moderantem eum circa terribilia, & ideo ſi quis vi vel terrore adducatur ad actum intemperantiæ, tam circa cibum, potum, vel tactum, per accidens efficitur intemperans, ob defectum alterius virtutis nempe fortitudinis.

3. *Habitus virtutum aliqui ſunt ita determinati ad bonestum, ut ad ſummadum peccare pugnaret ſecum & implicaret contradictoria, ſimiliter diſcurrendum eſt de habitu qui inclinat ad faciendum aliquid, quia eſt à Deo præceptum & ad omnia mandata ejus ſervanda, ergo ſunt aliqui virtutum habitus qui ex ſe nequeunt inclinare & concurrere ad actum malum.*

DICO 2. *Habitus aliqui virtutum ſunt ita ad actus bonos eliciendos determinati, ut non poſſint unquam eſſe principium & concurrere ad actum malum electivè.* Ita quidam Recent. Probatur, Quia habitus Charitatis ſeu perfecti amoris Dei ſuper omnia nullum poteſt elicere actum malum, alioquin non eſſet amoris Dei ſuper omnia, ergo. Item habitus inclinans ad nunquam volendum aliquid de habitu qui inclinat ad faciendum omnia mandata ejus ſervanda, ergo ſunt aliqui virtutum habitus qui ex ſe nequeunt inclinare & concurrere ad actum malum.

lum elicitivè non poſſint concurrere.

4. *Habitus aliqui virtutum possunt concurrere ad actus vitiosos.*

DICO 3. *Possunt aliqui habitus virtutum moralium concurrere ad aliquos actus vitiosos eliciendos, & aliqui vitiosi ad actus virtutis producendos.* Hanc Conclusionem attribuit Scoto 1. d. 17. q. 2. & Prob. funt aliqui actus tria de iis indifferentes, ut adjuncta sibi & alio fint, jam poffint effe virtuofi ja in vitiofi, nunc boni nunc mali, ergo eiam Dabuntur tales habitus indifferentes Antec. patet, Prob. Confequ. actus re fpiciunt habitus tanquam fua principia à quibus producuntur, & quos iterum producit intendunt, ergo fi actus fint de fe indifferentes ut fint boni & mali, etiam erunt habitus, cum non fit ratio cur magis illi tribuatur. Probatur 2. Quia habitus inclinat ad actus fecundum prædicata eorum intrinfeca, non attendo circumftantias extrinfecas, finem, nec tamen fine inclinant enim ut principium eorum phyficum, feu productivum, ergo ad ut inclinant quod prodicit, fed producit fola prædicata intrinfeca, ergo ad illa fola inclinat, quantumvis ergo actus, qui fertur in objectum, quod ante prohibitionem fuit honeftum, erat bonus, accedente prohibitione mutetur extrinfece & reddatur malus, cum tamen habitus fecundum has denominationes non refpiciat, fed mere quod intrinfeca eadem modo actum refpiciat & producat five objectum prohibitum five non. Confirmatur de habitu mortificationis ad jejunandum ob cultum idoli, ad orandum ob vinam gloriam, ad mortificandum ob oftentationem, qui fi accidentarium & faciant ob amorem veri Numinis, & non propter hypocrifin erunt habitus boni, cum tamen actus exterior fit mali, & fic de pluribus aliis. Unde Conclufio intelligenda eft de illis habitibus, quorum actus circumftantia extrinfeca bonum facit vel malum, fecundum illam enim etiam verè non bonitatem nec malitiam involvunt, fi autem actus non poffit mutare de malis in bonos, aut de bonis in malos, nec habitus virtutum poterunt virtuti, hinc habitus non volendi offendere Deum, fervandi omnia mandata quæ nunquam poterit vitiari, quandoquidem actus ille nunquam poteft effe malus, habitus verò mentiendi, blasphemandi, nunquam fert bonus, quia actus nunquam poteft effe bonus, & fic de pluribus fed in Contra.

5. *Scientia non concurrit ad actus vitiofos, quos poteft ad eos faltem.*

ARGUITUR 1. Si habitus virtutis in fua entitate invariatus poffit inclinare ad actum malum, func inclinaret ad actus diffimiles à quibus erat productus, fed hoc eft contra naturam habitus, ergo non eft certa. Prob. mi. ficut habitus quicunque non generatur nifi ex actibus, ita etiam non in inclinat nifi ad actus ejusdem rationis & fpeciei, alias habitus temperantiæ non inclinaret ad actus fortitudinis, & fic fruftra multiplicaremur habitus licet multiplicaremur difficultate, ergo contra naturam habitus eft concurrere ad actus diffimiles à quibus erat productus. Refp. dift. maj. inclinaret ad actus diffimiles à quibus erat productus, ex objecto, aut fpecie, in entitate phyfica diffimiles neg. ma. ad actus diffimiles ex circumftantia & in genere moris, concedo ma. licet itaque actus temperantiæ qui elicitur ob cultum idoli fit diffimilis ex fine & in genere moris actui elicito ob cultum veri Dei, ex objecto tamen & in entitate phyfica funt omnino fimiles.

INSTATUR. Virtutes intellectuales ex nulla circumftantia poffunt inclinare ad actus diffimiles producendos, ergo neque Virtutes morales Probatur 2. Antecedens, quia habitus fi entiæ nequit inclinare ad fallum, fed eft determinatus effentialiter ad verum, ergo. Sed Prob. Conclufionem non eft univerfaliter accipienda, fed ut dictum eft quando actus poffunt fieri ex bonis mali & contra, hinc fi aliqui actus intellectûs poffent mutari de veris in falfos, idem dicendum foret de habitibus intellectualibus quod de habitibus moralibus. Sed Refp. a negando antec. cum fua probatione. Quia ad min^m mediate poffunt virtutes intellectûs inclinare ad actum falfum, quatenus fcilicet inclinant ad talem actum, qui inclinat ad affirmum falfum. Quod demonftrat exemplo. Difputat Apoftolus cum Gentili, & dicat ipfi Mariam effe Matrem & Virginem, Gentilis poterit fic illum oppugnare: Vera Mater non potuit effe Virginitati, quia cauftrum virginitatis reficat, fed Maria eft Mater, ergo non eft Virgo, ifta eft vera, & tamen falfa Conclufio. Similiter de Euchariftia dicit: Accidentia femper funt in fubjecto fuo, hinc funt accidentia panis, ergo fimiliter panis vel eius fubjecto, mihi fallitur ifta vera, & tamen conclufio eft falfa, ergo ifta eius verus potuit ad aftum falfum eius alio falfo inclinare. Si ergo fequuntur eiam habiti intellectuales, falfi ut dixi mediati.

ARGUITUR 2. Ex Conclufione fequeretur habitum virtutis non effe ftrictiorem habitum virtutis, & cum aliquis acquirit habitum virtutis acquirere habitus virtutum, fed hoc eft falfum, ergo Refp. dift. Sequelam Primam quantum ad entitatem phyficam, concedo; quantum ad moralitatem, nego Sequelam: habitus itaque bonus femper inclinat ad actus bonum, quantum eft de fe, licet amittibi naturæ poffit ex circumftantia inclinare ad actum malum. Quantum ad alteram fequelam arguet, eam fimpliciter nego, qua habitus vitiofus cum carent relatæ ratione & prudentiæ dictamine virtuofus non erit, & fic acquirendo vitiofum non acquirit virtuofus, quamvis ille vitiofus poffit fieri virtuofus, à quo actualiter circumftanta bona & fana jaculabilis Sed Quares Quomodo ergo illud dictum Sancti Auguftini

Digitized by Google

ma quod virtus ſit bona qualitas mentis, qua reddit virum bonum, & munus eius exercere: ſic intelligendum? Reſpond. Intelligendum eſſe alle virtute comprehenſa ſumpta, ſeu ut conjuncta eſt cum prudentia. Vel ſinctum Doctorem ſolum velle non poſſe quemquam per ſe loquendo abuti habitu virtutis, quamvis per accidens poſſit.

6. Habitus ſupernaturales non poſſunt concurrere ad actus naturales.

ARGUITUR 2. Siquis poſſet male abuti virtute morali tantum Principio, poſſet ſimiliter male uti vi tute Theologica, ſed hoc eſt falſum: ergo Probitas. Quia eſſes ſuper naturalis reque concurrere ad actum revera falſum, licet invincibiliter putetur rera à DEO revelata, nec actus ſupernaturalis ad actum naturalem, licet invincibiliter putatur bonum, ergo nec virtus moralis ad actum moraliter malum. Reſpondetur, negando Conſequ. Diſpar. eſt. quod ob eſt a virtutum ſupernaturalium fit ſupernaturalitas, mediante fide ſinua propoſita, & applicata, qui dicit nequit habbeſſe falſum, non ſic obiecta virtutum moralium. Reſponderi poſſet cum nonnullis, admittendo ſequelam, & negando min. Prob. Antecd. quoad utramque partem, quia voluntas poteſt exſuo imperio trahere Intellectum non obſtante comprincipio ſupernaturali de fide ad credendum aliquid non ſolum putative revelatum, ſed etiam nullo modo revelatum. Similiter cafu quo DEUS imperaret voluntati habenti Charitatem ſupernaturalem, ut non eliceret actum amoris, circa ſeipſum, voluntas ex ſua libertate poſſuliet elicere talem actum amoris qui licet ſit ex obiecto bonus actus, ex prohibitione divina eſſet malus, & tunc reque ac nunc Fides & Charitas ſupernaturalia potuiſſent influere in illos actus. Similiter ex oppoſito, ſi illi actus vel v. g. intemperantia, luxuria &c. forent grati & præcepti à DEO, ſalten habitus morales, qua natus actibus inclinant, tunc etiam ad eoſdem inclinarent, & tunc non vitioſi ſicut nunc appellarentur, ſed ſimpliciter virtuoſi. Et quo patet eundem habitum poſſe ſine ſui mutatione intrinſeca eſſe ſucceſſive virtutem & vitium.

ad regulam rationis proponentem hone ſtatem aut miſtatem obiecti, adeoque ſitus partem eſſe actus, nunc nigre: ita habitus ille eccundum ſuum eſſe phyſicum, nunc poteſt eſſe bonus moraliter, nunc malus. Hæc quidem doctrina poteſt tranſire, ſi actus bonus & malus non diſtinguuntur eſſentialiter, cujus partem affirmativam docent multi ex utraque Schola, quod etiam ego ſentio, quia quodvis ab actus ſunt boni vel mali moraliter ex folo obiecto. Reſpondetur ge diſtinmaj. Secundum ſiſum Conceptum reatum, Concedo maj. Secundum ſuum Conceptum formalem, neg. maj. ſimiliter diſtinguo Conſequ. ſed ſicut ſupra dictum Conſeq. habitus qui inclinat ſemel ad actum moraliter bonum ex obiecto non poterit inclinare ad actum moraliter malum ex obiecto, concedo. Ad actum moraliter malum ex circumſtantia aut fine, negoUtrique autem habitudinem virtuoſi & vitioſi eſt commune, quòd ſit habitus, ſed iſte habitus qui deſcendit ad virtuoſitatem ex obiecto nunquam tranſit in vitioſum ex obiecto, ſed bene ex circumſtantia, ſi autem tranſitin virtuoſum ex obiecto & circumſtantia nunquam inficitur, aut ex obiecto aut ex circumſtantia, quia habet integritatem bonitatis, quam non habet quando ex folo obiecto eſt bonus.

QUÆSIT. An virtus moralis poſſit concurrere ad actum ex obiecto materialiter malum. Caſus eſt quando holtia non conſentiat in rem debitam intrinſecam, Materiæ, aut formæ, ſed putatur conſecrata & adoratur ut talis à Populo, an talis adoratio provenit à virtute Religionis? Item innocens invincibiliter reus & ut talis punitur, an hæc punitio procedat à virtute Juſtitiæ? Item fuccurrit aliquando, quem ſine ſui ſummi indignatione non tenetur à reo non indigne ullo modo, an talis ſuccurſus ſit provenit a Charitate, vel miſericordia? Reſpondi affirmative quoad omnes ſimiles Caſus, Ratio eſt, Quia virtus aperitiva reſpicit non ſolum actum obiecti, non prout eſt talis parte rei, cujus hoc notitia, quæ eſt potentia cæca, non videat, ſed ut per rectam rationem proponitur, ergo quando ratio in-incibiliter & inculpate errans proponit obiectum tanquam bonum & honeſtum ſine ulla circumſtantia depravante, eſto à parte rei malum tale, voluntas ſequendo illud dictamen, bene & virtuoſe operabitur, quia ſalvatur obiectum formale virtutis, licet materialiter non habeatur. Confirmatur apprehendens ex errore invincibili Materiam actus Præcepti, licet in re noſtum ſit præceptum, operans tamen contra conſcientiam taliter apprehendentem peccat ſecundum gravatem vel levitatem materiæ & Præcepti, ergo per oppoſitum agens ſecundum conſcientiam erroneam, & ſecundum Præceptum quod

Digitized by Google

quod invincibiliter putat esse in materia virtutum virtuosè agit, hinc in multis Historiis legimus opera Misericordiæ & Charitatis exhibita esse Angelis tanquam hominibus indigentibus, & fuisse DEO gratissima.

Quæstio VI.

De Connexione Virtutum moralium tam inter se, quam cum Theologicis.

1. *Hominum virtuosorum triplex status.*

PRo resolutione hujus difficultatis Notandum Primò Virtutum moralium triplicem esse statum, nempe continentiæ, temperantiæ & Heroicum, seu incipientium, proficientium, & perfectorum, aut etiam completè perfectorum, in primo homines sentiunt vehementes adhuc passiones quibus potenter resistere debent: in secundo passiones jam moderatæ sunt, & ad ordinem redactæ: in tertio sunt passiones penitùs purgatæ, aut saltem quasi sopitæ.

2. *Virtutes possunt dupliciter ad se invicem dici connexæ.*

NOTANDUM 2. Dupliciter virtutes morales posse esse connexas ad se invicem, Primò, *Proprietate*; Secundò, *Participatione*. Primo modo dicuntur virtutes ad se invicem connexæ, quando secundùm suas proprias rationes necessariò sese mutuò exigunt, ita ut qui unam habet, debet etiam necessariò habere alteras, secundùm proprias & formales rationes. *Participatione* (Hic terminus per D. Hieronym. suum habet principium) tunc dicuntur Virtutes connexæ, quando per similitudinem quandam secundùm generales rationes in una eademque inveniuntur, Quatuor enim sunt modi operandi virtuosè, accommodati quatuor virtutibus Cardinalibus, nempe, discretè, rectè, firmiter & temperatè seu moderatè, primus modus seu discretio appropriatur prudentiæ; secundus nempe firmitas fortitudini, tertius rectitudo, Justitiæ, & quartus modus, seu moderatio, temperantiæ; & hi modi in quolibet virtutis actu inveniuntur ità, ut hac ratione videatur actus virtutis participare rationes quatuor virtutum. Sit exemplum in forti Heroë dum operatur fortiter, nam hic operabitur, utique discretè & sic dicitur habere annexam prudentiam secundum modum; & operatur etiam rectè, & dicitur habere annexam justitiam quantum ad modum, non quantum ad habitum; operatur denique temperatè, & ità habet annexam quantum ad modum temperantiam.

3. *Sententiæ variæ de virtutibus.*

His prænotatis plures in hac materia sunt sententiæ, Henrico de Gandavo quodl. 5. q. 17. dicit: omnes virtutes esse connexas ad se invicem in gradu Heroico & perfectissimo. Doctor quidam famosus putat omnes virtutes morales esse connexas ad se invicem necessariò, ita ut quicunque unam habet necessario debeat etiam habere aliam, attamen distinguit de virtute, quam semel intelligit ut *habitum*, & altera vice ut *virtutem*, in quantum virtus dicit rationem *habitûs* fatetur virtutem unam posse esse sinè altera, in quantum verò habet rationem virtutis, una sinè altera esse nequit, unde putat quòd habitus quantumcunque perfectus & intensus non possit habere rationem virtutis si non sint aliæ virtutes concomitantes. Tertiò Stoici Cicerone teste in 2. q. Tuscu. & lib. 1. officiorum docuêre omnes virtutes connexas esse ità, ut una sinè alia comparari non possit, & qui caruerit unâ, carebit omnibus, quam Sententiam Scholastici ut Magister, Alensis, Cajet. & Thomistæ plerique secuti sunt, videturque esse conformis ad mentem Sanctorum Patrum. Quartò denique Doctor subtilis 3. d. 36. q. un. docet virtutem unamquamque posse comparari & haberi sine alia cum sola prudentia sibi propria, & necessaria, ita ut nullatenus ad se invicem sint connexæ. Idem tenet Albertus Magnus, Occham, Franciscus de Mayoronis, Bassolus, Guilielmus Rubion &c. Itaque refutabo prius alias sententias antequam meam statuam, hinc

4. *Virtutes non sunt connexæ ad se invicem in gradu heroico.*

DICO 1. *Virtutes morales non sunt connexæ ad se invicem in gradu heroico & perfectissimo.* Hæc est contra Henricum, Durandum, Richardum &c. Probatur. Virtutes morales non sunt connexæ ad se invicem in gradu imperfecto, ergo neque in gradu perfectissimo & heroico, Antecedens est Adversa: Consequentia Probatur: Supposito quòd habitus intendatur per actus similes ad quos producendos concurrit. Potest quis acquirere per quatuor actus habitum temperantiæ imperfectum, quo acquisito potest eidem nulla alia materia virtutis occurrere, in qua se exercitaret, ergo tunc poterit intendere habitum illum imperfectum, usque ad perfectissimum & Heroicum statum, sed in tali casu non habebit ullam aliam virtutem, quia non occurrit ipsi materia alterius virtutis in qua se exercitasset, ergo. Probatur Consequentia prima 1. Quia ideo una sinè alia potest in gradu imperfecto acquiri, quia potest quis in actibus unius exercitari, non exercitando se in alia, iisque mediantibus aliquem gradum acquirere, sed habens virtutem inchoatam, licet imperfectam, est magis inclinatus ad exercitandum se in similibus actibus, quàm fuerit dum nullum haberet gradum, ergo si nullum habens gradum potuit se exercitare & acquirere aliquem, multò magis poterit postquam jam habet aliquem gradum continuando exercitium, usque ad gradum perfectum. Secundò, Quia actus ejusdem virtutis sunt ejusdem rationis, sicut etiam gradus ejusdem virtutis per quos intenditur ipsa vir-

virtus, ego in quemcunque gradum potest quis mediante uno actu acquirere, poterit etiam mediante alio ejusdem virtutis, qui mediantibus primis actibus temperantiæ potuit acquirere & acquisivit aliquem gradum temperantiæ non acquiverit in aliquem justitiæ vel Fortitudinis, ergo etiam per actus sequentes illum gradum temperantiæ, qui ei ejusdem virtutis in eo genere, & per consequens, veluti ex habitu procedentibus poterit aliunde aliam gradum acquirere non acquisito aliquo gradu Justitiæ & Fortitudinis, quamvis materia tunc non occurrat, nec in re, nec in ratione, ut ibi quis inhantibus educaretur in loco folitario vitæ mollis Delicias & fœminas, ubi nihil audiret de bello, vel commutationibus, talis poffet ex dictamine rectæ rationis moderandi habere fe circa delectabilia in potu, cibo, & tactu, & frequentando fimiles actus temperantiæ acquirere habitum, & tamen illi nunquam occurrit materia Juftitiæ particularis, vel Fortitudinis, ergo tunc acquirit perfectum habitum temperantiæ non acquisito ullo habitu Fortitudinis vel Juftitiæ. Sed in contra-

7. Prudentia habet effe fine Juftitia.

OPPONITUR Authoritas D. Auguftini in epift. 29. ad S. Hieronymum, ubi dicit *Temperantia ſit, ſed non temperet, vel juſtitia ſit temperantia non ſit, ſi prudens ſortis, ſi juſta ſit: ſe Juſtitia non ſit, niſi ſit prudens, fortis, & temperans.* Ad idem vera eſt aliqua earum, & alia ſimiliter ſunt: *ubi autem alia deſunt, vera illa non ſunt.* Ergo virtutes videntur ſimilis effe videntiæ. Confirmatur ratione. Quia Fortitudinem non poſſe virtutem fed vitium fub jungit: *Si fortitudo eſt, non vitium ſed virtus eſt: ſi autem virtus eſt, ſecuta virtutibus temperantiæ, juſtitiæque, & prudentiæ.* Ergo ſi habet Fortitudo quod ſit virtus, habet quod ſit cum Prudentia, Temperantia, & Juſtitia.

RESPONDEO. Authoritas D. Auguſtini in epiſt. 29. ad S. Hieronymum, ubi dicit *Temperantia ſit, ſed non temperet, vel juſtitia ſit temperantia non ſit, ſi prudens ſortis, ſi juſta ſit: ſe Juſtitia non ſit, niſi ſit prudens, fortis, & temperans.* Ad idem vera eſt aliqua earum, & alia ſimiliter ſunt: *ubi autem alia deſunt, vera illa non ſunt.* Ergo virtutes videntur ſimilis effe videntiæ. Confirmatur ratione. Quia Fortitudinem non poſſe virtutem fed vitium ſub jungit: *Si fortitudo eſt, non vitium ſed virtus eſt: ſi autem virtus eſt, ſecuta virtutibus temperantiæ, juſtitiæque, & prudentiæ.* Ergo ſi habet Fortitudo quod ſit virtus, habet quod ſit cum Prudentia, Temperantia, & Juſtitia; accipe hoc ſub

omnibus verè virtutibus reſpectu ſapientiæ virtutis, quia ſolæ ſunt virtutes. *Si ergo ad conſtituendam veram beatitudinem quam nobis immortalem ſolus quis in Chriſto fi vera prudentia, nihil profunt homini virtutes: nulo modo vera ſapient ſine virtutes.* Exiquo tamen non inquitur quod in ſe ſint, quantum ad actus humani ſunt, & non meritorii, debeant effe connexi; quia poteſt contingere ut aliquis etiam ex gratia confirmatus habeat unius habeat virtutis cum habitibus vitioſis, alius virtutibus oppoſitis, ut ii quis concupiſcentiæ habeat ad ſcientiam, concipere fubire mortem pro Chriſto, talis acquirit habitum fortitudinis, & tamen poſſet habere habitum intemperantiæ. Denique

DICO 5. Auguſtinum in primo loco agere contra Stoicos, & docere nec omnia vitia effe paria, nec omnes virtutes æquales, vel neceſſario connexas, fed ſi ſint concomitantes & ratione finis, non ratione effectu. Unde pro noſtra ſententia ipſa magis faver, atque eandem pro Conclufione quinta citat, ibi videatur. Et per hoc milita illæ ſimiles authoritates folvi poſſunt.

ARGUITUR. Ex ratione, illa non eſt vera virtus, quæ contrariatur fini fuo obliquari & vitiari poteſt, ſed una virtus fine alia vitiari poteſt, ergo una fine alia non eſt vera virtus. Reſpondeo ex D. Auguſtin. de operibus Miſericordiæ dicente: *Charitas quæ deſeri poteſt nunquam vera eſt:* Probatur minor, quia una virtus fine alia non firmat voluntatem, ut non poſſit fieſtat ad alia appetibilia, ut patet, ſiquis caſtus effet, carcret tamen fortitudine, ſi ut tormenta minæ proponerentur, ut non Fornicaretur, facilime conſentiret ad fornicationem ad quam non conſentiret ſi haberet fortitudinem, ergo. Reſpondeo negando ma at ejus probationem ex D. Auguſtino dico, quod illa Charitas quæ deſeri poteſt non eſt vera Charitas, veritate ſtatæ quæ perduceret ad æternam beatitudinem, & inſeparabiliter conjungit ultimo fini, quæ veritas non dicit eſſentiam Charitatis, ex quo tamen non ſequitur quod non ſit vera veritate formali & eſſentiali, quæ habet vel natæ eſt habere veritatis ejus quantum eſt de ſe, & non quæ cunque Charitas ubi eſt, vera eſt.

INSTATUR. Quicunque habitus facile deſeri & amitti poteſt non eſt vera habitus, fed diſpoſitio, fed Charitas illa etiam ſecundum veritatem eſſentialem facile deſeri & amitti poteſt, ergo non eſt habitus, fed diſpoſitio & conſequenter una virtus fine alia in gradu heroico non eſt vera virtus. Reſpondeo, ma fed Charitas illa deficili amitti poteſt per plures contrarios actus oppoſitos, tractat minor, fed hoc non eſt deficili, fed de difficili: Charitas poteſt deficili delem etiam unico actu ſicut amittitur diſpoſitio ego

mi. Unde non dicitur quòd habitus non ſit amiſſibilis, ſed quod non ſit defacili amiſſibilis.

INSTATUR 1. Charitas infuſa eſt etiam unico actu amiſſibilis, ergo Reſpond. diſt. anteced. demeritoriè, tranſeat: phyſicè, nego ant. Sermo autem hic eſt de virtutibus moralibus naturaliter acquiſitis, non verò de ſupernaturalibus. Et licèt ipſa amittatur etiam unico actu, aliæ virtutes non ſtatim per hoc admittuntur, manet etenim fides & ſpes & etiam aliæ virtutes morales. Unde ad hoc quando dicitur quòd nulla Virtus quæ obliquari poteſt ſit vera Virtus, adhuc aliter reſponderi poteſt, id verum eſſe de obliquitate intrinſeca non autem extrinſeca, quæ conſiſtit in hoc quòd fiat obliquatio circa materiam alterius virtutis.

DICES. Illa non eſt vera Virtus quæ non facit delectabiliter operari, ſed una virtus ſinè alia non facit delectabiliter operari, ùt patet in exemplo poſito ſupra de caſto, qui ſi non haberet fortitudinem; vel deſereret ob tormenta caſtitatem, vel triſtanter ſubiret ardua, ergo. Reſpond. diſt. ma. quæ non facit delectabiliter operari circa propriam materiam, concedo, circa aliam, nego, & diſtin. ſimiliter mi. nego Conſequentiam.

6. Virtutes non ſunt connexæ ad ſe invicem nec in gradu temperantiæ ſub ratione virtutis & non habitûs.

DICO 2. *Virtutes morales nec ſunt ad invicem connexæ in perfecto temperantiæ gradu, ſive ſub ratione virtutis, ſive habitûs.* Hæc eſt contra Thomiſtas. Probatur concluſio contra ipſos 1. Si virtus in ratione virtutis non eſſet perfecta ſinè connexione ad alias, ſequeretur habitus ipſos eſſe ſibi mutùo cauſas ad hoc ut ſint & habeant rationem virtutis, ſed hoc eſt inconvenientiſſimum, ergo. Probatur ſequela, quia ſi temperantiæ habitus (quem concedunt Thomiſtæ poſſe eſſe ſinè eo quod habeat rationem virtutis) non eſt virtus niſi concomitetur habitus fortitudinis, ergo fortitudo virtus concomitans temperantiam erit ratio, ut habitus ille habeat rationem virtutis, & è contra: Probatur etiam minor, quia hinc ſequeretur, quòd una eſſet virtus antequam eſſet virtus, quod eſt inconveniens, ſequi autem probatur, ſi habitus temperantiæ non poteſt eſſe virtus niſi concomitetur virtus fortitudinis ſequitur fortitudinem priùs eſſe virtutem quàm temperantiam, cumque iterum fortitudo non poſſit eſſe virtus niſi concomitetur temperantia, ſequitur etiam temperantiam eſſe priùs virtutem, quàm ſit fortitudo.

DICES. Non eſſe inconveniens, quòd unus habitus præcedat alium, ſitque illo prior in ratione habitûs, licet non in ratione virtutis, quia omnes ſimul habent rationem virtutis, ſive priùs, ſive poſteriùs fuerint acquiſiti. Sed Contra. Hinc ſequeretur quòd omnes virtutes ex unico actu generarentur in ratione virtutis, quia omnes ſimul habent rationem virtutis, nempe tunc, ſi Titius v. g. haberet fortitudinem & temperantiam in gradu illo qui eſt ſufficiens ut conſtituat habitum v. g. ut quinque habeatque ſimiliter Juſtitiam ut quinque, quo ſuppoſito eliciat Titius actum intenſum ut ſex qui ſupponitur, quòd ſit ſufficiens ut habeat rationem virtutis, tunc ego quæro an eliciendo ſextum actum Juſtitiæ acquiſierit Titius ſolam virtutem Juſtitiæ, an etiam temperantiæ & fortitudinis? Si ſolam Juſtitiam, ergo hæc erit vera virtus abſque eo quòd temperantia, fortitudo ſint virtutes, & conſequenter nec in habitu, neç in ratione virtutis dicent connexionem ad invicem, ſi verò acquiſivit etiam fortitudinem & temperantiam in ratione virtutis, ergo ſequeretur quòd per actum Juſtitiæ acquireret Titius virtutem fortitudinis & temperantiæ, quod eſt abſurdum, cùm actus non producat nec intendat habitum niſi ſimilem à quo productus fuerat, ità ut unus actus non ſit generativus niſi unius virtutis.

Probatur Concluſio 2. Ex definitione virtutis. Illa eſt vera virtus cui competit definitio propria virtutis, ſed definitio virtutis competit temperantiæ v. g. ſinè connexione ad fortitudinem & Juſtitiam, ergo ſinè connexione erit vera virtus; Probatur minor. Virtus eſt habitus electivus in mediocritate conſiſtens prout ſapiens determinabit, ſed ſinè connexione ad alias virtutes poteſt eſſe Temperantia conformis ad rectam rationem, prout ſapiens determinabit, erg. Prob. mi. poteſt præcedere dictamen rectum circa materiam temperantiæ abſque eo quòd præcedat circa materiam alterius virtutis.

Probatur 3. Duæ virtutes morales ejusdem generis non ſunt neceſſariò connexæ ad invicem, ergo nec duæ virtutes diverſorum generum; patet antec. Quia Caſtitas Virginalis, & vidualis ſunt ejusdem generis, ſed hæ non ſunt ad invicem connexæ, cùm planè ſimul non ſtent, minùs virginalis cũ continentia conjugali, ergo: Probatur Conſeq. Quia magis differunt duæ virtutes diverſorum generum, & conſequenter ad minus ſequetur quòd poterint eſſe veræ virtutes ſinè connexione ad alias.

Probatur 4. Illæ virtutes quæ habent objecta diverſa & nullo modo ad ſe invicem dependentia diverſoſque & proprios fines ſpecificantes virtutum ejusq; actum non ſunt connexæ ad ſe invicem eſſentialiter, ſed virtutes morales nempe fortitudo, temperantia & Juſtitia ſunt hujusmodi virtutes habentes diverſa objecta, diverſoſque ac particulares & proprios fines, ergo non erunt neceſſariò ad ſe invicem connexæ, cùm ex nullo alio capite aſſignari poſſit tam neceſſaria connexio.

DI-

Digitized by Google

7. *Virtutes morales non sunt connexæ secundùm proprietatem.*

DICO 3. *Virtutes morales nullo modo sunt connexæ secundùm proprietatem.* Ita Doctor noster, Rubion, Almaynus &c. Probatur 1. authoritate Patrum S. Augustini Epist. 29. ubi ex professo rem hanc tractat, docendo eas non esse connexas, nam postquam multa contra Stoicos dixisset, etiamsi virtutes essent connexæ, nihilominus non fore æqualia peccata, subdit: *Si autem quod pulchrum esse verum, sacrisq; litteris congruentius, ita sunt animæ intensiones, ut corporis membra, non quòd videantur locis, sed quod sentiantur affectibus, & aliud illuminatur amplius, aliud minùs, aliud omnino careat luce, & tenebroso umbratur obstaculo, profectò ut quisque illustratione piæ charitatis affectus sit, in alio actu magis, in alio minus, in alio nihil, sic potest dici aliam & aliam habere, & aliam non habere, & aliam magis aliam minus habere virtutem. . . . Et in ipso uno homine quod majorem habeat prudentiam quam patientiam, & majorem hodie quàm heri & proficit & adhuc non habeat continentiam, & habeat non parvam misericordiam.* D. Bernardi serm. 7. in Cant. ubi super illud: *Quia pascitur inter lilia*, per lilia intelligit virtutes, quas omnes fuisse in Christo demonstrat. Subjungit: *Sunt & multa apud sponsum & alia lilia præter hæc quæ ex Propheta inciderunt nobis. . . . Quis illa enumeret? Nempe quot virtutes, tot talia. Quis finis virtutum apud Dominum virtutum? . . . Habent lilia & aliqui Sodalium sponsi, sed non copiam, omnes enim ad mensuram Spiritum acceperunt, ad mensuram virtutes & dona, solus ille non habet modum, qui habet totum, aliud est habere lilia, aliud non nisi lilia habere. Quem dabis mihi de filiis captivitatis adeo sanctum & innocentem qui totam terram suam floribus occupare poterit istiusmodi floribus? Nec infans certè unius diei sine sorde est super terram. Magnus est qui tria vel quatuor lilia ædificare potuerit in terra sua, in tanta densitate spinarum & tribulorum, quæ sunt germina inveterata Maledictionis antiquæ. Mecum verò qui pauper sum bene agitur si unquam ab hac pessima segete iniquitatum, videlicet atque vitiorum tantillum terræ meæ vindicare extirpando & excolendo sufficiam, unde unum saltem producere valeam lilium si fortè & penes me pasci interdum digneretur, is qui pascitur inter lilia.* Ex quibus sat clarè habetur virtutem unam sine altera omnino haberi posse.

Probatur 2. ratione. Quandoque sunt plures perfectiones partiales ejusdem perfectibilis, potest idem perfectibile esse simpliciter secundùm unam perfectionem in summo, & simpliciter imperfectum secundùm aliam, sed virtutes morales sunt partiales perfectiones hominis, ergo potest homo esse perfectus simpliciter in summo secundum unam & nullo modo perfectus secundùm aliam, & consequenter virtutes non erunt necessariò connexæ. Patet maj. à paritate sensuum externorum quia nonnulli sunt excellentissimè dispositi ad visum, & parum vel nihilum ad auditum; alii iterum visu carent & perfectissimi sunt præditi tactu &c. ergo eodem modo dici potest de virtutibus.

DICES. Majorem esse falsam, si universaliter accipiatur, quia licet omnes perfectiones non sint connexæ, sunt tamen aliquæ, nam intellectus necessariò connexus est cum voluntate, licèt visus non sit connexus cum auditu. Sed Respond. majorem illam non sumi de perfectionibus inseparabilibus & sibi identificatis quales sunt intellectus & voluntas, sed de separabilibus, & consequenter adhuc stat argumentum.

8. *Virtutes sunt connexæ quoad perfectionandum.*

DICO 4. *Virtutes morales sunt omnes connexæ adhoc ut faciant habentem simpliciter perfectum.* Hæc sequitur ex prioribus, & probari potest à paritate sensuum externorum, Quia non erit perfectè sentiens qui visum solum habuerit & non auditum, auditum & tactum, si non visum &c. licèt perfectè fuerit videns & audiens, ergo etiam non erit moraliter perfectus, qui unam solam virtutem habuerit, & non habuerit aliam.

9. *Virtutes sunt connexæ & quoad participationem.*

DICO 5. *Omnes virtutes morales participatione sunt connexæ.* Hæc est D. Hieronymi lib. 1. contra Pelagianos Interlocutoribus Critobulis (hic gerit personam Pelagianorum) & Attico (personam Hieronymi & Catholicorum repræsentat.) Critobulus sic objicit: *Et quomodo legimus, qui unam habuerit, omnes videtur habere virtutes?* Atticus: *Participatione non proprietate, necesse est enim ut singuli excellant in quibusdam, & tamen hoc quod legisse te dicis, ubi scriptum sit nescio.* Critobulus: *Ignoras hanc esse Philosophorum Sententiam?* Atticus: *Sed non Apostolorum, nec enim mihi curæ est quid Aristoteles, sed quid Paulus docet.* Quantum ad probationem ex ratione attinet, desumi potest ex Explicatione Notabilis Secundi. Quare si etiam objiceretur Idem D. Hieronymus pro sententia contraria, uti objici solet ex Epistola ad Fabiolam de quadraginta duabus mansionibus filiorum Israël, ubi circa mansionem 38. inquit de virtutibus: *Hærent sibi & ità inter se connexæ sunt, ut qui unâ caruerit, omnibus careat:* Facilè explicari potest, esse omnes connexas participatione non proprietate, quia hic non curavit in tantum hoc dubium examinare, quàm in lib. 1. cont. Pel. ubi rem ex professo tractat hoc enim sat est commune Patribus sententias aliorum frequenter ponere ut suas, exinde tamen tantam authoritatem non merentur, si alibi eandem rem ex proposito examinent & discutiant. Sed signanter

OPPONITUR Authoritas D. Bernardi lib. 1. de Consid. cap. 8. ubi in Considerationè virtutum ad initium statim ait:

Bellarmin. de Justificat. lib. 5. cap. 17.

Bellarmin. de Justificat. lib. 5. cap. 17.

Bellarmin. de Justificat. lib. 5. cap. 17.

mediante Charitate, atqui virtutes moraler quatenus sunt instrumenta quædam perficiendi hominem, debent esse instrumenta ordinandi ipsum ad ultimum finem in quo est sua perfectio, ergo sinè Charitate sunt imperfectæ atque adeo sunt cum Charitate necessariò connexæ.

Quæstio VII.

Utrùm Virtutes morales connexæ sint cum Prudentia? Et econtra?

1. SEnsus quæstionis est, an possit haberi actus virtutis moralis, absque eo quòd præcedat dictamen rectum in intellectu, proponens voluntati hoc esse eligendum, vel fugiendum, ità quod nunquam possit esse virtus nisi præcedat Prudentia? Et econtra, an quod sicut ad rectam electionem positam sequitur fuisse dictamen rectum, ità etiam statim inferri possit, est dictamen rectum in intellectu, ergo etiam est actus virtutis moralis in voluntate? Pro cujus difficultatis Resolutione tanquam certum

2. *Actus virtutis moralis præsupponit dictamen prudentiæ*

NOTANDUM 1. Omnem actum interiorem virtutis moralis præsupponere & exigere actum prudentiæ, præcedentem ad hoc, ut completè bonus sit, quia actus bonus interior virtutis moralis non est bona electio, nisi sit conformis ad dictamen intellectûs, quod dictamen est actus prudentiæ, quæ est habitus dictativus, quid sit eligendum; Quemadmodum enim se habet electio ad dictamen in universali, ita bona electio ad dictamen rectum, electio autem in universali præsupponit dictamen aliquod, nullus enim eligit incognitum, cujus nulla solet & potest esse cupido, ergo etiam bona electio præsupponit dictamen rectum, & sic omnis electio, quæ est recto difformis dictamini mala est positivè; Imò quæ licèt difformis non fuerit, si tamen fuerit non conformis ex eo quod nullum dictamen haberet cui conformari deberet, vel positivè mala, seu difformis; vel saltèm negativè mala, id est non bona erit electio. Hinc

NOTANDUM 2. Virtutem moralem posse etiam dupliciter considerari. Primò secundùm quod dicit aliquid absolutum, nempe habitum de prima specie qualitatis: secundò prout dicit respectum conformitatis ad dictamen rationis secundùm ipsam prudentiam, & hoc sive ille respectus sit actualis, sive aptitudinalis, sive realis, sive rationis &c. Et de virtute morali in hac consideratione pro præsenti est sermo. Itaque

3. *Virtus moralis necessariò*

DICO 1. *Virtus moralis prout dicit respectum conformitatis ad rationem rectam, non potest esse, nec acquiri sinè Prudentia, vel actuejus, & sic necessariò est ei connexa.* Ita Doctor hic dist. 36. q. un. sub litt. k. § Potest ergo ubi hæc habet: *Habitus generatus ex dictaminibus, sive circa fines quosdam particulares, sive circa media ad illos fines ordinata, est propriè prudentia, licèt electio non sequatur in eodem dictante, & ita non erit omninò necessaria connexio prudentiæ ad virtutem moralem, tamen econverso sic: Quia nulla electio potest esse recta moraliter nisi sit concors suæ regulæ, & suæ mensuræ, quæ est dictamen rectum. Dictamen autem rectum est natum generare prudentiam, etiamsi sit unicum, ideo econverso potest concedi connexio, quia virtus moralis non potest esse sinè prudentia circa suam materiam.* Hucusq; Doctor. Sed *est connexacum prudentia*

Probatur Conclusio ratione 1. Sicut se habet actus unius virtutis ad actum alterius virtutis quantum ad connexionem, ità se habet virtus ad virtutem, sed actus virtutis moralis, qui est electio bona ità se habet ad actum Prudentiæ, ut ipsum necessariò præexigat & supponat, ergo & habitus virtutis moralis præsupponit habitum prudentiæ, rectè dictativum. Confirmatur. Quia non est in potestate elicientis actus alicujus habitûs, non acquirere habitum, nec est in potentia habentis actus diversorum habituum illis mediantibus acquirere magis unum quàm alterum habitum, sed actus generativi virtutis moralis nempe electiones præsupponunt necessariò dictamina vera Prudentiæ productiva, ergo bene eligens circa aliquam materiam moralem non magis ex electionibus potest naturaliter acquirere habitum moralem electivum, quàm ex præviis dictaminibus habitum Prudentiæ rectè dictativum.

Probatur 2. Quia impossibile est ut sit vel acquiratur habitus electivus rectâ ratione, sinè recta ratione connaturaliter loquendo, sed virtus moralis est habitus electivus determinatus à recta ratione, ergo non potest acquiri sinè recta ratione. Prudentiæ, & consequenter erunt necessariò connexæ: major patet ex definitione: Minor probatur ex Aristotele 2. Eth. ubi postquam dixit virtutem esse habitum electivum &c. statim subdit: *Prout sapiens determinabit.* Dixi in ma. connaturaliter loquendo, quia supernaturaliter posset produci unus habitus non producto altero, posset enim Deus suspendere concursum suum & impedire ne actus Prudentiæ generarent habitum, licet actus virtutis moralis, puta fortitudinis vel temperantiæ, generarent, & contra, nam cùm habitus sint effectus actuum, vel etiam potentiarum simul, & habitus Prudentiæ sit realiter distinctus ab habitu virtutis moralis, non videtur cur id fieri non posset.

Hinc sequitur majorem aliquo modò esse connexionem inter actum virtutis moralis, & actum Prudentiæ, quàm inter

ipsomet habitum conſiderando actus in genere moris, & nomine generis enim, qua electio nullo modo poteſt eſſe moralior (poteſt tamen materialiter & naturaliter) bona, nili præcedat ratio Prudentiæ, inde autem habetur virtutes morales poteſt eſſe tam in genere entis, quam in genere moris in caſu poſito ſine habitu parvo Prudentiæ, & ſine diu poſito, quod non eſſet bonus; quia ille bonus eſt, qui ex actibus bonis generatur, prout poſtea ſuppono quod contingere ſi Deus concurreret ad productionem habitus virtutis moralis non concurrendo ad habitum Prudentiæ, ſtantibus utrisque actibus. Sic Conclufione ulterius

Sequitur Secundo Prudentiam ſtricte ſumptam quatenus eſt recta ratio agibilium conſiſtere in habenis appetitus rectæ neceſſario connexam eſſe cum virtute morali, qua nequit eſſe appetitus rectus ſine virtute morali, inde in hac acceptione non reſolvetur quæſtio quoad alteram partem; fed de prudentia prout dicit rectam rationem agibilium, hoc eſt, pro noſtra habituali ve actuali practica de agibilibus vera & recta dictante, orari conclufio à rectitudine voluntatis in quo ſenſu

4. *Prudentia non eſt neceſſaria connexa virtuti morali, ideſt, Sanctitas eſt neceſſaria bonalectio voluntatis, quæ adhuc poteſt manere bona, tolli vitæ rectitudo.*

DICO 1. *Prudentia non eſt neceſſaria bonalectio voluntatis, quæ adhuc poteſt manere bona, tollivitæ rectitudo.* Hæc concluſio eſt contra Cardalvo, Godefridum de Fontibus &c. Probatur Concluſio 1, Auctoritate Sanctorum Auguſtini & Bernardi; Auguſtini quidem ſuper illud Pſalm. 113. *Poteſt vivere delectatione ſua &c. ubi ait: Si juxta qui vivis ſobrietur, qui ſciunt modum eſt, & conſpectum, & ſimuni, & abſtergi mortuorum.* & in Pſalmo 118. ſuper illud: *Concupivit anima mea &c.* in quit: *Precidat intellectus, ſignitur turbine aut nubes affectus.* & in illud Pſalmi 6. *Pro mediocrem oculum ipſa in ſapiens, dicit: Quid eſt? Vitis conſentiens, ubi ſcientia, non debetur ſapientia. Non mirantur mirabilia ſua Deo meo illuminet.* Ex quibus textibus ſic diſcurro, ſit aliquis malum eſſe naturum & tamen conſentit ad malum, quia ratur quidvilla? Dicitur intellectus, quia non malus eſt in voluntate effectus, ſed malo non eſt conſentiendum, & tamen conſentit, ergo ſtante recto dictamine in intellectu non neceſſario ſequitur bona electio in voluntate, ſecundum D. Auguſtinum. qui adhuc cap. ult. de Gen. ad lit. de Salomone dicit: Non eſt credendum ipſum ignorafle ſimulacra illa non eſſe deberanda, ſed amore multitudinis ſeciſſe ea, quæ licebat non eſſe facienda. D. Bernardus eleganter eandem veritatem deſcribit, tract. de grat. & lib. arb. cap. 2. dicens: *Porro voluntas eſt motus rationalis, ad finis proprium ſui appetitus; Habet ſane quoque à voluntate ſimpex nationem comitem, & quodammodo paſſionem non quod ſumper ex ratione (Nec ipſa quod numquam aliquæ ratione movetur, ita ut multa faciat per ipſam contra ipſam, & quæ per eam minuſtrentur contra eandem, Pſ. 118. judicium. Et paulo infra: Fit quidem ut ſit data voluntati ut infrenet illum, non de ſtruat, Deſtruetur autem ſi necetarem ei illum imponeret, quo minus libere pro arbitrio ſeſe voluerit, ſive in malum conſentiens appetitus, aut negotium ſtruat, ut ſanctis in perpetuo, vel certe ſic ſequens id quod inſtruitus Dei, ſive ad bonum ſe diriget operes, ut ſit ſpiritualis, qui omnia diſcernit, & ipſe à nemine judicatur.* Ex quo antecedente prior locus clariſſime eſt pro me, ſequali noſtra Concluſio: Ex ſecundo ſic argumentor: Si probo Concluſionem negativam, ſi dictamen Prudentiæ rectum ſequeretur ſtatim electio bona, Ratio deducitur voluntatem ſed ratio non eſt data ut deſtruat voluntatem, ergo adhuc ſtantem rectum non ſequitur ſtatim voluntatis bona electio. Probatur ſequela ma. tum ex D. Bernardo citato, qui ibidem: *Si ſequitur bonum quidlibet voluntas probabiliter ratione non poſit, voluntas non eſt, ab ipſa ratione deſtruitur.* Ergo voluntas: tum quia nullus poſſet mereri vel demereri, cum ovinec non poſſet actum, quin ratio ſuum contineret in illo, in quo neceſſarium eſt.

Probatur 2. Ad actum qui neceſſario ſequitur ad poſitionem primi actus non requiritur modus poterat ullus habitus, neceſſitantem & adjuvantem, præter habitum qui indutus ad primum actum, ſed præter habitum Prudentiæ dictantem rectum, & ita ſequitur, ponitur habitus electivus, inclinans ut recte & conformiter agatur ad dictamen rectum, ergo ad dictamen rectum poſitum in intellectu non neceſſario ſequitur bona electio in voluntate. Confirmatur. Quia omnes neceſſitantes ad actecedentes ineunt ſtatim ad neceſſarios ſubſequens. Ergo habitus Prudentiæ in ordine ad actum bonum ſupponit dictamen rectum, quod dignandum eſt, ergo ſi ad dictamen rectum neceſſario ſequitur bona electio, non erit neceſſarius alius habitus à Prudentia.

Probatur 3. Si ad dictamen rectum neceſſario ſequitur bona electio, tunc nullus peccaret nili ex ignorantia & errore, hoc eſt contra eminentiorem, ergo & illud unde ſequitur: probatur ſequela. Quia electionem vel præcedit veritas dictaminis, vel falſitas. Si verum tunc nullum eſt peccatum, quia nullus peccat qui eligit conformiter ad dictamen rectum intellectivum. Si vero ſumat falſitas & error unus, ergo ſequitur quod nullus peccet

nili

niſi ex ignorantia. Confirmatur. Quia nullus peccaret contra propriam Conſcientiam, quia peccare contra Conſcientiam aliud non eſt, quàm velle vel nolle aliud, quam dictatum ſit à recta ratione, ſtante hoc dictamine, ergo ſi ad dictamen rectum ſemper ſequitur electio bona, nullus peccaret contra Conſcientiam. Confirmatur 2. Quia hinc ſequeretur quod ſcire plurimùm valeret ad bene agendum, quod tamen falſum eſt, cùm conſtet multos ſcire quæ ſint agibilia recta, & tamen ea non facere, imò de iis male ſentire, unde Ariſtoteles 2. Eth. 2. & q. dicit: *Scire parùm aut nihil valet ad virtutem.*

DICES Ariſtotelem tantùm loqui de ſcientia ſimpliciter & purè ſpeculativè ſumpta, non verò de practica, quando nempe aliquis tantùm vult ſcire ut ſciat, & non ut operetur, in priori ſenſu nihil valet ad virtutem, bene tamen in poſteriori. Sed Contra licèt ſcire ſumatur practicè, attamen ex hoc non ſequitur quòd ſtatim debeat comitari operatio virtutis, ſicut contingit in artibus ubi ſcitur quomodo hoc, vel illud opus ſit faciendum, & tamen non ſtatim ſequitur illud opus.

Probatur Concluſio 4. Stante dictamine recto in intellectu voluntas poteſt nihil agere, cùm ſit libera, ergo non neceſſariò ſequitur bona electio, quia nulla poteſt ſequi electio, ſi voluntas planè non eligat, & conſequenter Prudentia non habet neceſſariam connexionem cum ſua virtute morali: Patet ant: principale; quia Intellectus poteſt dictare eſſe temperatè vivendum, & voluntas poteſt ſuſpendere actum, ſi intellectus ſæpiùs dictaverit hoc idem generabitur habitus prudentiæ & nullus temperantiæ: ergo. Sed in contrarium ſic

5. Operari quis poteſt contra dictatum, licèt non contra intellectum.

ARGUITUR. Nullus poteſt velle & eligere niſi priùs illud intellexerit quod prælegit, ſed eligens contrarium ei quod dictatum eſt ab intellectu eligit, non intellectum, ergo &c. ma. eſt D. Auguſtini 4. de Trinit. dicentis: *Invisa poſſumus diligere, incognita nequaquam:* probatur mi: quia ſi tunc aliquid prointelligeret tunc ſimul duo Contraria vel contradictoria intelligeret, nempe temperatè vivendum, non temperatè vivendum, quæ ſimul intelligi non poſſunt, ergo. Reſpond negando mi: quia licèt verum ſit, quòd dictatum ſit intellectum, non ſequitur tamen ad convertentiam, ergo intellectum eſt dictatum, unde quando intellectus dictat eſſe temperatè vivendum, licèt non dictet eſſe intemperatè vivendum, id tamen intelligit, unde licèt nullus poſſit velle non intellectum poteſt tamen velle non dictatum, tum quia uno eodémque tempore poteſt intellectus ob diverſos fines & motiva utrumque proponere nempe temperatè vivendum, tanquam ſimpliciter bonum, & intemperatè vivendum tanquam bonum ſecundum quid, quia delectabile, & ſic hoc eligendo eligit & dictatum & intellectum, tanquam aliquid bonum ad complacendum appetitui. Ad probationem minoris dico, eam falſam eſſe, quia licèt illa non dictet ſimul eſſe facienda, intelligit tamen ea, ſimplici quàm maximè intelligentia, quamvis fortè non compoſita, qua dicatur hoc eſſe eligendum vel fugiendum; aliquando ſub diſtinctione ad ſuum oppoſitum hoc eſt eligendum vel illud; interdum ſub negatione ad ſuum oppoſitum, ut hoc eſt eligendum vel volendum & non aliud, atque ita dictare unum proſequendum, & alterum reſpuendum.

INSTATUR. *Omnis malus eſt ignorans*, ut habet Ariſt. 3. Eth. cap. 2. unde etiam dicit D. Dionyſius: *nemo intendens in malum operatur*, ergo qui malè eligit habet ignorantiam, & conſequenter nullo modo proponitur ipſi per intellectum. Reſpond. Illud dictum Ariſtotelis multipliciter poſſe intelligi, primò de ignorantia voluntaria & affectata, quia qui vult ignorare malus eſt; Secundò omnis malus eſt ignorans interpretativè non formaliter, quia ſic agit, ac ſi ignoraret, vix enim perſuaſibile mihi eſt Diabolum ſive ante, ſive poſt, eſſe ignorantem formaliter de peccato ſuo. Tertiò, Non vult Ariſtoteles malum eſſe ignorantem ſic, ut illa mala electio corrumpat dictamen verum faciens exiſtimari falſum, quod prius judicabat verum, ſed malus dicitur ignorans privativè, quia ut liberiùs, & ſinè triſtitia maneat in peccato deſinit dictare, voluntas enim avertit intellectum ab actu intelligendi & dictandi illud verum practicum cujus contrarium elegit, nam actu verum non conſiderans, dicitur negativè ignorans. Dictum D. Dionyſii ſimiliter poteſt dupliciter intelligi, primò ad malum intendens in ratione judicantis; ſecundò in malum intendens ſub ratione apprehenſi & cogniti, primo modo verum eſt, quod nullus peccat ad malum intendens, quia intellectus non judicat malum ut malum eſſe eligendum. Secundo modo non, quia poteſt intellectus apprehendere malum ſub ratione mali, & voluntas poteſt illud eligere, & tunc peccat ex certa malitia. Sed

6. Malus qua ratione ignorans.

QUÆRES. Quomodo ergo voluntas poſſit eligere malum ſi ipſi proponatur ut malum, cùm nihil habeat perquod determinetur? Reſpond. voluntatem ſe ipſam deter-

determinare, unde ipsa non requirit aliquod aliud prædeterminativum ex mera libertate, & quamvis alia indeterminata, ut materia ab alio determinari debeant, sunt enim indeterminata passivè, non activè, ùt est voluntas, quæ proinde ad libitum se determinat.

DISPUTATIO III.

De Virtutibus Theologicis in Communi.

1. *Virtus theologica describitur.*

VIrtutem Theologicam appellamus virtutem per se à Deo infusam, quæ principali suo actu tendit in Deum, tanquam in objectum terminativum, ideoque dicitur Theologica, Tum quia ejus existentia aliunde nobis non constat nisi ex Theologia vel ex fide: tum quia earum actus principales tendunt in objectum primarium Theologiæ, quod est Deus, licèt earum actus minùs principales directè non tendant in Deum, quales sunt, quæ creduntur tanquam historicæ narrationes, & amatur proximus, principales tamen actus debent tendere in Deum, tanquam in ipsum Deum, per quod excluditur Religio à ratione virtutis Theologicæ, quæ pro objecto primario honorem qui præstatur Deo, habet. Sit igitur

Quæstio I.

An dentur Virtutes Theologicæ per se infusæ?

2. *Virtus infusa quæ?*

NOTANDUM 1. Virtutem infusam, ut distinguitur contra ab acquisita, esse illam, quæ à solo Deo infunditur absque concursu effectivo potentiæ, talis autem virtus duplex est, una *per se infusa*, & altera *per accidens*: *Per se infusa*, dicitur illa, quæ per potentiam mediantibus actibus acquiri non potest, sed à Solo Deo est infusibilis, talis est *Fides, Spes & Charitas*; *Per accidens infusa* dicitur illa, quæ infunderetur à Solo Deo, licèt mediantibus actibus naturaliter acquiri possit; & talis esset *temperantia* v. g. si à solo Deo infunderetur sinè ullo concursu potentiæ. Discrimen inter utramque virtutem est hoc, quòd primæ ex natura sua intrinseca ita petant infundi, ut non possint aliter, quàm per infusionem acquiri. Secundæ verò tantùm accidentaliter infunduntur; cùm naturaliter mediantibus actibus ab ipsa potentia acquiri possent. Unde merito Theologi primas *per se infusas*, secundas *per accidens* infusas vocant.

3. *Supernaturale explicatur.*

NOTANDUM 2. Supernaturale idem significare ac supra naturam & potentiam, quæ per habitus infusos supra se ad actus altioris ordinis elevatur. Cùm ex Doctore in 4. dist. 49. q. 4. triplex in habitu considerari possit habitudo, prima, quâ fertur ad subjectum in qua recipitur. Secunda ad causam supra naturam agentem. Tertia ad finem cui potentia unitur, ex aliquo horum actuum tanquam ex effectu habituum infusorum supernaturalitas colligi potest.

NOTANDUM 3. Per naturam in ordine ad quam forma supernaturalis dici solet intelligi posse tam Creatam, quàm Increatam, quæ à Philosophis natura *naturans* appellatur. In creata potest esse tam ex parte principii passivi, quàm activi, in increata tunc tantùm, quando producitur forma aliqua, quæ non exigitur ab ullo subjecto connaturaliter seu quæ infunditur à solo Deo sinè ullo concursu potentiæ.

4. *Supernaturale aliud quoad substantiam, aliud quoad modum.*

NOTANDUM 4. Supernaturale communiter dividi in *entitativum*, seu *quoad substantiam*, & *modale* seu *quoad modum*. *Entitativum* dicitur illud, quòd secundum suam totam entitatem à Deo absque ullo subjecti concursu producitur, tales sunt *Fides, Spes & Charitas*: *Modale* autem dicitur illud, quod quidem producitur immediatè à Deo supra ordinem rerum agente, ita tamen, ut etiam admittatur concursus ex parte subjecti, seu ita ut etiam à causis humanis physicè produci ipsi non repugnet, talis est restitutio visûs cœco, resuscitatio hominis, instantanea arboris fructificatio. His prænotatis

5. *Virtutes per se infusæ dantur.*

DICO 1. *Dantur virtutes per se infusæ.* Est Com. Cathol. Prob. 1. ex Scripturæ Joan. 6. *Respondit JESUS & dixit eis. Hoc est opus Dei, ut credatis in Eum quem misit Ille.* Ad Ephesios 2. *Gratiâ enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Qui textus simpliciter probant fidem nobis ex gratia Dei infundi, eadem enim est ratio de Spe & Charitate, de qua ulterius habetur ad Romanos 5. *Spes autem non confundit, quia Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et de omnibus tribus 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas, tria hæc: major autem horum est Charitas.* Confirmatur. Quia D. Augustinus lib. 4. contra Julianum Pelagian. cap. 3. docet aliquas virtutes dari tam hominibus quàm Angelis, sed Angelis non dantur nisi per infusionem, ergo. Ita enim citato loco dicit. *Verè quippe virtutes*

Digitized by Google

ri DEO ſerviunt in hominibus, à quo hominibus donantur : DEO ſerviunt in Angelis, à quo donantur & Angelis : ergo. Probatur 2. ex Clemente 5. in Concilio Vien. in Clemen. unica de ſumma Trinit. & fide Catholica his verbis : *Nos attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, quæ per baptiſma applicatur omnibus baptizatis, opinionem quæ dicit tam parvulis quàm adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes, diſſis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam & concordem Sacro approbante Concilio duximus eligendam.* Ergo ex Concilio habetur quod in baptismo conferatur gratia & virtutes.

DICES. Ex hac authoritate tantùm habetur, quòd baptizatis conferantur virtutes, ſed hoc poſſet eſſe verum quamvis non conferrentur ipſis virtutes per ſe infuſæ, ergo ex hac authoritate non ſequitur quòd dentur Virtutes per ſe infuſæ. Major patet ex textu Probatur mi. quia illa propoſitio eſſet vera ſi baptizatis conferrentur virtutes non per ſe infuſæ, ſed per accidens infuſæ verum namque eſſet dicere, quòd conferantur ipſis virtutes. Contra ex hac auth. ſaltem habetur quòd in baptiſmo parvulis æquè ac adultis conferantur virtutes ſed certum eſt, quòd non conferantur ipſis virtutes per accidens infuſæ, id eſt tales quæ poſſent acquiri exercitio actuum, ergo illa authoritas intelligi debet de virtutibus, per ſe infuſis, Probatur mi. Virtutes per accidens infuſæ dant facilitatem, ergo non ſunt per accidens infuſæ. ma. eſt certa, quia nihil nobis conſtat de virtutibus naturalibus, niſi ex facilitate noviter acquiſita ad actus talium virtutum eliciendos, Probatur mi. parvuli baptizati quibus ſecundùm hanc authoritatem conferuntur virtutes quando perveniunt ad adultam ætatem non ſentiunt majorem facilitatem ad eliciendos actus virtutum, quàm ſi non baptizarentur, ergo virtutes illæ quæ conferuntur in baptiſmo non dant facilitatem operandi, adeoque non ſunt per accidens infuſæ ſeu acquiſibiles per actus; Ant. experientiâ conſtat, nam ſi duo quorum unus in infantia eſſet baptizatus, & alter non, educarentur & inſtruerentur eodem modo, ſinè ulla differentia, præter eam quæ proveniret ex eo, quòd baptizatus haberet virtutes in baptiſmo infuſas, quas alius non haberet, ſi, inquam, duo illi ſic educarentur, ille qui eſſet baptizatus, non ſentiret majorem facilitatem ad eliciendos actus virtutum, quàm non baptizatus, imò poſſet fieri quod baptizatus ratione ſuæ indolis eſſet minus facilis ad eliciendos actus virtutum, v. g. ad credendum, quàm non baptizatus : idem eſt de duobus adultis uno baptizato & altero non, ergo experientia evidens eſt virtutes collatas in baptiſmo non dare facilitatem, adeoque hæc eſſe per accidens infuſas ſeu acquiſibiles per actus.

Probatur 3. ex Trident. Seſſ. 6. cap. 7. ubi hæc habentur, *unde in hac ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc tria ſimul infuſa accipit homo per JESUM CHRISTUM cui inſeritur, Fidem, Spem & Charitatem*, ergo ex Concilio dantur virtutes infuſæ, quod autem per ſe ſint infuſæ, patet ex præcedenti diſcurſu.

DICES cum Vasquetz, ex his quidem rectè colligi, quòd dentur virtutes per ſe infuſæ, non tamen inde colligi, quòd dentur virtutes, in ſenſu noſtræ Concluſionis ſcilicet virtutes habituales & permanentes, quia illa authoritas intelligi poſſet de ipſis actibus Fidei, Spei, & Charitatis, nam operationes quas habemus ex gratia DEI dicuntur à DEO nobis infundi, ergo necex hac, nec ex præcedenti authoritate colligimus habituales. Contra 1. Saltèm ex hac Auth. habemus dari virtutes per ſe infuſas, quòd autem ſint habituales, aut permanentes nobiſcum ferè omnes Theologi ſentiunt contra Vasquem, cujus proinde ſententia temeritatis meritò notatur. Contra 2. Ex hac Authoritate habetur pro certo, quòd infundantur nobis in juſtificatione virtutes, ſed non infunduntur actus ſeu actuales, ergo habituales, Probatur mi. actus virtutum à nobis producuntur ſaltèm partialiter, ergo non infunduntur, quod enim infunditur non producitur ab eo efficienter, cui infunditur. Contra 3. Opinio quam probabilem dicit Concil. Vien. loquebatur de virtutibus habitualibus, ergo etiam Concilium Trident. in ſenſu anterioris Concilii locutum eſt, Probatur quia ante Vasquem nemo fecit mentionem virtutum actualium infuſarum, ergo quidquid ante ipſum de Virtutibus per ſe infuſis dixerunt ex Authoritate & Concilio intelligi debet de virtutibus habitualibus. Contra 4. Concilium loquitur de infuſione Virtutum quæ in baptismo tam parvulis quàm adultis infunduntur, ſed clarum eſt parvulis non infundi actus, aliàquin ſentirent facilitatem in ætate adulta, quod falſum eſt ex dictis, ergo.

Ratione evidenti difficulter Concluſio probari poteſt, unde exiſtimo veritatem hujus doctrinæ pendere à revelatione DEI, quæ ab Eccleſia cognoſcitur, congruentia tamen eſt, quia cùm homo ordinatus ſit ad finem ſupernaturalem, tanquam ad præmium conſequendum oportet ut habeat media ſupernaturalia huic fini proportionata, ſed illa congruentiùs aſſignari non poſſunt, quàm hujuſmodi

modi virtutes habituales comprimi possunt circa easdem actiones supernaturales, ergo Sed.

DICES. Possumus habere actus supernaturales per connatum sensualitatis, ut patet in Deo, quamvis non daremur habitus supernaturales, ergo. Respond. Quamvis de potentia DEI absoluta daremur actus supernaturales, ordinaria tamen non fiet, quia DEUS ordinare & connaturaliter supernaturalem nostram supplere debet per auxilia nobis intrinseca, in quantum elevat intellectum ad visionem beatificam, per lumen habituale intellectus intrinsecum, in vis vero complete potentiam per habitus ipsis intrinsecos, ergo etiam hunc ordinem servabit in juvandis potentiis naturalibus ad eliciendos actus Supernaturales in via, adeoque dantur habituales Virtutes in potentiis.

INSTABIS. Virtutes naturales & acquisitæ pollent sufficere nobis, ergo frustra communicantur per infusæ, maxime cum multa communiter desint infusis dari. Respond. 1. negando Consequentiam, quamvis enim acquisitæ absolute possent sufficere, ex congruo tamen, ut diximus, congruum est, ut per virtutes supernaturales perficiamur ad finem supernaturalem, quia hoc sunt magis proportionata fini, quam ulla alia virtus. Ad cujus Confirm. negatum rationem, quia quod DEUS facit, non est frustra fit, sed DEUS communicat alobas virtutes, ut patet ex Concilio citato. Ergo. Respond. 2. Negando Anteced. quia licet DEUS posset nobis dare habitum theum propter virtutes acquisitas, aliter tamen de facto statuit, ut patet ex Concilio citato.

6. *Virtutes supernaturales per se infusæ sunt contrariæ adversæ per se infusis, contra Scotum.*

DICES. *Vna vel de fide, quod virtutes per se infusæ sint habitus, non tamen vnus non est contrarius oppositus alteri habitui ejusdem speciei.* Probatur prima pars, quia Concilium Tridentin. dicit, quod fides est contra quosvis errores, & Theologus definit, quod Fides est habitus, qui adquisitus per fidem tantum, Spe, & Charitate infusis ita illuminat quod per fidem tantum videat. Deinde non definitur virtus illa ejus habitualis, sed nos ut ostendamus illas esse tales debemus recurrere ad præmissum discursum. Probatur secunda pars, quia in re gravi pertinente ad fidem, temerarium & erroneum est, contra omnes quasi Theologos tenere. Ergo.

OPPONITUR. Contra primam partem illud ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile placere Deo*, fides de fide, certum est partibus habitatrices placere DEO, quia tantum nullum actum fidei habeant, ergo de fide est pariter dari habitus habitus fidei, & dic de fide tria illos dari. Respond. 1. Hunc paulum de nullo intelligi posse, nisi de habitu, quia de actu Lucifer etiam intelligatur de parvulis ad veritatem tamen ejus non requiritur quod de fide sit dari talem habitum in illis, quia ex veritatem præmissæ Scripturæ sufficeret quod per necessarium illuminem deducere dari in parvulis habitum fidei, quod bene sit verum, nullum tamen habitum dari, non sit de fide, ad modum, quo necessaria sequitur quod Christus sit homo, etiam si nullibi cum tantæ de fide non sit. Ipsum esse nihilem.

OPPONITUR. Doctoris fidelis authoritatem 3. dist. 23. quæst. unica, ubi dicit: *Sicut cogito DEUM esse Trinum & unum, ita credo me habere fidem infusam*, Ergo ex mente Doctoris de fide est, dari habitus per se infusos. Resp. nec Consequent. quia Doctor tantum dixit se credere habere fidem infusam, propter authoritatem Concilii, non autem dixit, quod dicitur per se infusis fuit habitualis.

7. *Virtutes per se infusæ sunt supernaturales in substantia, & per consequens.*

DICO 1. *Virtutes per se infusæ sunt supernaturales in substantia.* Est communis. Probatur. Quia virtus supernaturalis in Subsistentia est, quæ a Deo DEO producit potest sine ulla dispositione physica, ex parte Creaturæ, quæ connaturaliter exigeret ut producetur ab illo, sed tales sunt virtutes per se infusæ. Ergo. Major certa, Probatur mi quia primus certum est ex Tridentt quod a DEO producuntur, & secundo non potest affendi ulla dispositio physica ex parte creaturæ quæ connaturaliter exigeret productionem illarum.

DICES. Ut virtutes fint supernaturales in subsistentia sufficere, quod essent circa objecta Supernaturalia, & quod a Deo DEO producerentur sine dispositione. Ergo ut probemus virtutes per se infusas esse supernaturales in subsistentia, vel in actu primo, debemus particulam fine ulla dispositione. Sed Respondeo negando Antecd. nam etiam in unius rationalis a Deo DEO producti poteft, & tamen non eft fupernaturalis in Subftantia, eo quod præfupponat tantum phyficam dispofitionem ex parte corporis, quæ ita connaturaliter exigeret animam a DEO producetur, ut quamvis potius tali dispositione absolute DEUS illam poffet non producere, id tamen exceferetur miraculum, non minus quam fi cum igne nollet concurrere ad calefactionem. Deinde actus naturales v. g. fidei poffunt haberi circa objectum fupernaturale, ut infra docebo, Ergo externa ratio haud obftabunt fupernaturalitati male colligitur ejusdem actus fupernaturalitas.

Digitized by Google

Quæstio II.

De natura Virtutum per se infusarum.

EX dictis constat virtutes per se infusas esse supernaturales in substantia, quæ acquiri non possunt per actus physicè, bene tamen meritoriè, ita scilicet, quod propter actus possit quis mereri ut infundantur & augeantur, quæritur ergo hîc, utrùm adhuc aliqua ratio particularis ex natura sua ipsis competat.

2. *Virtutes per se infusæ non facilitant*

DICO 1. *Virtutes per se infusæ non dant facilitatem aliquam potentiæ in ordine ad effectum producendos.* Est communis, & Probatur: Parvuli baptizati, quibus communicantur hæ virtutes quando perveniunt ad adultam ætatem non sentiunt ullam facilitatem ad sperandum, magis quàm non baptizati, sed hoc esset falsum, si darent facilitatem, ergo non. Deinde illæ virtutes sunt simpliciter necessariæ, ita ut sinè ipsis actus haberi non possit, ergo non facilitant.

DICES. Si non facilitarent ad nihil deservirent, ergo. Respondeo negando Ant. ut patebit ex sequenti Conclusione. Ex his collige per virtutes infusas non tolli ullam difficultatem, quam sentimus in operando. Tum quia eatenus tollerent, quatenus darent facilitatem oppositam illi difficultati, sed non dant, ergo. Tum quia parvuli baptizati tantam sentiunt difficultatem quantam non baptizati, unde gratia illa quæ secundùm Sanctos, & Concilia requiritur ad superandas tentationes non est gratia habitualis, aut ullus habitus virtutis per se infusus, sed gratia aliqua alia actualis.

3. *Virtutes per se infusæ sunt simpliciter necessariæ ad operandum.*

DICO 2. *Virtutes infusæ requiruntur simpliciter ad suos actus, ita ut concursu generali Dei, potentia illos producere non possit sinè illis, non sunt tamen sic necessariæ, quin per auxilium Dei extrinsecum de potentia absoluta sinè illis haberi possit actus supernaturalis.* Est Doctoris 1. dist. 31. contra D. Thomam quoad 2. p. Probatur 1. p. Quia per hoc distinguuntur habitus supernaturales per se infusi ab acquisitis, quòd illi simpliciter requirantur ad suos actus, ita quod defactò à potentia cum generali Dei concursu produci non possint, hi verò requirantur ad facilius operandum, ergo. Confirmatur. Actus harum virtutum sunt supernaturales, sed non essent nisi prærequirerent principium aliquod supernaturale distinctum à potentia, & generali concursu, ergo prærequirunt, sed non aliud quàm habitus supernaturales, ergo isti sunt simpliciter necessarii. Probatur 2. p. Quia in hoc nulla ostendi potest implicantia; tum quia defacto elicit peccator actum Contritionis supernaturalis sinè habitu Charitatis per concursum DEI extrinsecum, quotiescunque justificatur extra Sacramentum, quod idem hic fieri potest. Sed contra hanc partem

ARGUITUR. Habitus supernaturales concurrunt ad suos actus etiam in genere causæ formalis, sed per nullum concursum extrinsecum potest DEUS supplere causalitatem causæ formalis; ergo. Probatur mi. DEUS per nullum concursum potest facere album ex non habente intrinsecè albedinem. Sed Respond. distin. mi. DEUS non potest supplere causalitatem causæ formalis quoad omnem effectum ab ipsa, & à Subjecto producendum, nego mi. quoad omnem denominationem quam tribueret subjecto, concedo minorem, & nego Consequentiam; Quare notandum, formam subjecto præstare duo, primo dat ipsi denominationem intrinsecè informantis. v.g. albedo dat subjecto denominationem intrinsecè albi, habitus supernaturalis dat potentiæ intrinsecè sublevati: Secundò forma complet potentiam seu subjecti virtutem in ordine ad producendos aliquos effectus, quos secundùm se producere non potest, v. g. habitus fidei complet virtutem intellectus in ordine ad producendum actum fidei, quem se solo producere non potest, in solutione itaque argumenti dico, DEUM hoc secundum munus supplere posse, non verò primum, nam in terminis videtur implicare Subjectum, v. g. parietem esse intrinsecè album & non habere intrinsecam albedinem, non verò implicat producere albedinem sine alia prævia albedine.

4. *Virtutes per se infusæ concurrunt physicè ad suos actus, sed non ut causæ adæquatæ.*

DICO 3. *Licèt virtutes infusæ per se concurrant physicè ad suos actus, non concurrunt ad ipsos tanquam causæ adæquatæ, ita ut etiam potentia non concurrat partialiter ad ipsos, tam bene ac ad ullos alios actus.* Est communis quoad primam partem, & quoad secundam contra D. Thomam. Probatur ergo prima pars, Virtutes per se infusæ debent habere aliquod munus, sed ex dictis non habent munus facilitandi, ergo per se concurrendi ad actus. Probatur 2. pars, Quia de fide est quòd homo eliciat actùs suos liberè ex Trident. sess. 6. can. 4. ubi sic habetur *Liberum arbitrium à Deo motum & excitatum liberè assentire Deo vocanti, nec se habere ut quid mortuum, & merè passivè*, sed hoc ultimum esset falsum si potentia non concurreret etiam effectivè ad tales actus, ergo: Probatur mi. Quia illa operatio non elicitur liberè, cujus principium non est liberum, sed necessarium, aut si soli habitus virtutum supernaturalium concurrerent ad actus erunt principia necessaria, ergo actus non elicientur liberè; ma. est certa, aliàs calefactio

gnis esse libera: minor patet, quia illi habitus non minus necessario agunt quam ignis, Consequentia est bona. Confirmatur. Si ſolus habitus v. g. Charitatis produceret actum Charitatis, ſequitur quod homo habens habitum ſimilem nunquam poſſet peccare ſed ſemper amare Deum, quia illi habitus eſſet agens naturale quod ſemper agit.

DICES. Requiri etiam conſenſum voluntatis in recipiendum actus, qui quia non ſunt per ſe habitus Charitatis non ſemper producit actum. Sed Contra. Si calor ignis eſſentialiter voluntate produceret actum in ipſa etiam nolente ipſa, ergo à pati

Probatur Conſulto, quoad eandem partem. Ex oppoſito ſequitur quod voluntas non magis concurreret ad actum, quam aqua calida ad producendum calorem, ſed hoc eſt abſurdum, quia ſic voluntas nihil meretur aut demeretur, ergo. Probatur ſequela, Quia voluntas eatenus concurrit ad actum ſupernaturalem quatenus forma ſub habitu ſupernaturalis, qui voluntari unitur, talem actum producit, ſed aqua eatenus ratione diuturæ caloratæ, &c. Deinde ſequitur quod habitus Charitatis ſi ſepararetur amitteret Deum, ſitur calor ſeparatus ignis poſſet calefacere, quia ex ea forma quæ eſt principium totale agendi unicuique ſunt tale principium, ſed hoc eſt abſurdum. Quia Charitate dicta ſunt, eodem modo dici debent de fide & ſpe. Sed in Contra.

ARGUITUR. Voluntas non poteſt producere actum Charitatis niſi ut elevata per lumen ſupernaturale, ergo non ratio agendi ex habitu, & conſequenter voluntas nihil agit. Reſpondi diſting. antecedens. Elevata, ſeu ſub alia ut habens complementum ſupernaturale, concedo anteced. niſi ut elevata, ita ut principium elevans ſit ratio agendi, nego antecedens. Quia illud lumen eſt manifeſte non re principium tam elevare potentiam ſub illud non eſt, tam ipſum ad jovare ut poſſit eundem actum ſuperiorem ordinis illa ſupernaturalis, unde ſi aliud vellent adverſarii per elevationem intelligere nos partium eſſe abſolute potentiam ſe elevare.

ARGUITUR 2. Nulla eſt formalitas in actu ſupernaturali qua non eſſet ſupernaturalis, ergo nulla quæ non a principio ſupernaturali, ergo nulla a voluntate. Reſpondi diſting. Conſeq. Nulla eſt formalitas quæ non ſit a cauſa ſupernaturali totaliter, nego: particulariter, concedo Conſeq. ſufficit ergo ad ſupernaturalitatem effectus quod habeat conſortium partialem Supernaturalem.

DICO 3. *Virtutes poſſe de ſe intendere & remitti per ſua actus phyſice, & actus non moraliter.* Probatur 1. pars. Et in-primis quidem certum eſt fidei, quod virtutes per ſe infuſe phyſice à nobis non producantur, cum de fide ſit, quod in nobis nequit. Ergo etiam non intenduntur. Probatur Conſeq. cauſa non productiva eſt alicujus neque eſſe cauſa ejusdem intenſiva, ergo. Sed DEUS ut ſupra dixi, eſt cauſa efficiens juſtificationis, quæ ſit per infuſionem fidei &c. ergo etiam erit cauſa intentionis, videtur hoc eſſe colligi ex 2 Thim. 4. Bonum certamen &c. ubi docet, quod DEUS producat Augmentum & intentionem illarum: itautem per diſtributionem, dicit enim *Reposita est mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die: Da mihi, Domine, fidei, Spei & Charitatis augmentum.*

DICES. Actus Fidei Spei & Charitatis requiruntur ad intentionem illarum virtutum, ergo non eſt illis intenſio, quia intenſiva. Reſpondeo diſting. antecedens, ut aptæ proficere producant augmentum eatenus, nego antecedens. Intenduntur, ita ut per ſe proficiant illarum Deus producat augmentum, Concedo Antecedens.

DICES 2. Actus naturales intenduntur habitus naturales, Ergo & Actus ſupernaturales intenduntur habitus ſupernaturales phyſice, Probo Conſequ. quia eſt par ratio de utroq. Reſpondeo diſting. Conſeq. diſparitas eſt; quia natura eſt improportio inter poſſitiones reſpectu habitus, ac ſubinde inter primum productum actum habitus ſunt per ſe infuſi, ac quæ improducibiles per actus, non ſic vero naturales.

DICO 3. *Peraſtus ſupernaturales remanentes habitus ordine naturali:* Eſt communis veterum Theologorum. Probatur ex Patribus Catholici dicentibus actus ſupernaturales acquirunt facilitatem ad procedendum, vel amandum, ſed illa facilitas ex dictis non proprie eſt habitus infuſus, cum non faciliteret, ſed ea ab alio, non alia, quam ordine naturali, ergo &c. Confirmatur. Quia ſi actus illa, quæ habet Catholicus ad amandum manet in ipſo, ſi deficeret fides, tum non manet in ipſo habitus Charitatis ad fidei ſupernaturalis. Ergo debet eſſe actus productus ab aliqua cauſa, non ab alia quam ab actibus ſupernaturalibus.

DICES. Illum habitum naturalem acquiri per actus naturales, qui ſimul cum illis ſupernaturalibus habebantur. Contra. Gratis & ſine fundamento aſſerunt habere illum actus, quando eliciitur actus ſupernaturalis fides, quorum una eſſet naturalis, & alter ſupernaturalis contra experientiam.

DICES 2. Si Chriſtus Sacramenta ponerent in habitum naturalem, idem habitus eſſet & non eſſet naturalis, ſed hoc implicat, ergo &c. Reſpondeo diſting. ma-

lis ut supponitur, non esset autem quia haberet principium supernaturale scilicet Actum, nam ideo dicitur actus supernaturalis quia præsupponit principium supernaturale. Hoc argumento utitur Arriaga ad probandum, quòd actus supernaturales producant habitus supernaturales, non quidem eâ supernaturalitate, quâ habitus infusi, sed aliâ, quia inquit, cùm producantur ab actibus supernaturalibus necesse est, ut sint supernaturales, quia verò facilitant sunt distincti, à per se infusis. Et licèt hæc doctrina valde probabilis videatur. Respond. tamen negando sequelam & disting. ma. probationis ejusdem, ille habitus est supernaturalis qui præsupponit principium supernaturale per se & primariò, Concedo ma: per accidens & non necessariò, nego maj. & distinctâ majore, nego Conseq. habitus enim qui producuntur per actus supernaturales, possent produci sinè ipsis per actus naturales, adeoque illi habitus non præsupponunt necessarium principium supernaturale, sicut ipsi actus supernaturales, ità ut à nullo habitu naturali possent produci.

Quæstio III.

Utrum Virtutes per se infusæ distinguantur ab acquisitis per ordinem ad objecta, & utrùm creentur?

2. SEnsus quæstionis est, utrùm Virtus supernaturalis habeat aliquod objectum sive motivum, sive terminativum, quod, vel quo, in quod tendere non possit virtus naturalis seu acquisita, si habet, tunc virtutes distinguentur per ordinem ad objecta, quia uni contigit habere objectum quod alteri repugnabit; si non, tunc non sic distinguentur. Ad quod Respondeo.

2. *Virtutes per se infusæ non distinguuntur à naturalibus per objecta.*

DICO 1. *Nullum est objectum virtutis supernaturalis in quod non posset tendi virtute naturali, aut è contra Virtutis naturalis in quod non posset tendi virtute supernaturali.* Ita Doctor in 3. dist. 23. q. 1. contra D. Thomam, Suarem, &c. Probatur prima pars (secunda enim sequetur ex prima) fides acquisita potest tendere in quodcunque objectum in quod tendit fides infusa, & propter illud ipsum motivum formale (idem est de Spe & Charitate acquisita) sed si esset aliquod objectum virtutis supernaturalis in quod non posset tendi actu naturali, esset harum trium, ergo nullum datur tale. prob. ma. Si ullum objectum daretur in quod non posset tendi actu naturali esset objectum fidei; sed in illud potest tendi actu naturali: ergo. probatur mi: potest quis credere Deum esse trinum & unum propter veritatem divinam, quæ est objectum motivum formale fidei supernaturalis, actu naturali, ergo nullum est objectum fidei supernaturalis in quod non possit tendi actu naturali; prob. Anteced. Duo parvuli quorum unus esset baptizatus, & alter non, si educarentur eo modo inter Catholicos, & instruerentur in Mysteriis fidei, & specialiter in hoc articulo, Deus est Trinus & unus: Item in motivo propter quod id credere deberent, uterque parvulus crederet illum Articulum propter idem motivum, sed baptizatus crederet illum fide supernaturali, non baptizatus autem fide naturali propter defectum fidei infusæ, Ergo potest quis credere fide naturali Deum esse Trinum & unum propter idem objectum formale.

Confirmatur. Si Deus revelaret sua Mysteria eodem modo, quo defacto revelat, & tamen non communicaret habitum supernaturalem, quod fieri posset, quæso quid implicaret quod crederemus, speraremus, & diligeremus ea omnia propter idem motivum, propter quod defacto credimus, speramus, amamus, sed tunc eadem mysteria crederemus actibus naturalibus, ergo actibus naturalibus possumus tendere in objecta supernaturalia.

Probatur secunda pars, si acquisita Virtus non posset tendere in illud ipsum objectum motivum & terminativum, in quod tendit infusa, posset quis cognoscere evidenter per experientiam se habere, aut non habere Charitatem, aut gratiam sanctificantem, seu quod idem est, se esse aut non esse in statu gratiæ, sed hoc est absurdum, imò & hæreticum, contra Trident. docens id neminem cognoscere sinè speciali revelatione Dei, ergo. Priusquam probetur sequela, Suppono Petrum justum amare Deum amore supernaturali, & etiam quòd cognoscat objectum motivum, & terminativum istius amoris, quem elicit in justitia. Suppono item secundò Petrum incidisse in peccatum mortale, quod deinde confitetur, & putat se resurrexisse cùm tamen propter aliquem defectum suum vel sacerdotis non resurrexerit. Petrus sic putans elicit amorem Dei naturalem tantùm in substantia propter defectum habitûs supernaturalis. Hoc suppositio Probo sequelam; Petrus quando fuit justus verè credidit, & amavit Deum, agnoscit objectum motivum & terminativum sui amoris supernaturalis, ergo quando putanter est tantùm justus & amat, cognoscit se amare idem objectum, quod justus amavit, vel aliud? si illud idem, habetur intentum, quia tunc tenderet amore naturali propter defectum amoris seu habitûs supernaturalis in objectum amoris supernaturalis; si cognoscit se amare

simul obiectum, quam amabat, quando erat vere iustus, ergo cognoscit modo non esse vere iustum, & postea redens ad confessionem non defectuosam & sanam bonum cognoscit se esse vere iustum, quas cognoscit se amare illud idem obiectum, quod ante iustus amavit, & iustificatur a non peccatis.

ARGUITUR 1. Si virtus & actus naturalis ponitur realiter in obiectum virtutis supernaturalis, sequeretur quod omnes naturas in non differunter specie a supernaturali, sed hoc est falsum, ergo &c. Prob. sequela, quia ex Philosopho actus & obiecta inter habitus specificantur ab obiectis, ergo non differunter ista species supernaturalis. Respond. negando sequelam & distinguendo anteced. ad 2. prob. in gratiam Philosophi actus specificantur ab obiectis totis, nego anteced. enim, & si sint diversa, concedo antec. sed. & nego Consec. fedens autem authoritate Philosophi illud Antecedens adhuc effe negandum, quia vere circa idem numero obiectum non solum supernaturaliter; sed etiam naturaliter duo poffunt, & debent actus elicitive specieci. v. g. circa eundem Petrum volitio & Intellectio, & fic de aliis.

DICES. Ergo dicendum poffunt actus diverfi specie circa idem numero obiectum, quando illorum actuum diffinctio conftatur alicunde, quam ex obiecto, fed tamen non conftet nisi ex obiecto, ab illis fpecificari debent, fed non conftat diffinctio actuum naturalium & fupernaturalium ex obiecto, quia ex obiecto ergo. Refp. negando fubfumptum, conftat enim alicunde quam ex obiecto Fide, virtutem fupernaturalem, altera non, quia acquiritur, altera infunditur.

ARGUITUR 2. Si virtutes naturales poffent tendere in idem obiectum, quod fupernaturale, fequeretur fupernaturales fuperfluere omnino, quod hoc non eft dicendum, Ergo Prob. fequela. Quia hoc fuppofito non poffet defendi aliquid deferviret. Refpond. negando fequalem cum ita prob. deferviunt enim duo, ut non folum in medium duo attingatur obiectum, fed ut perfectius modo attingatur.

ARGUITUR 3. Virtus Supernaturalis reficit obiectum fub ratione Supernaturalitatis, fed fub tali ratione reficit non poteft a virtute naturali, ergo &c. Refpond. negando 1m. utrumque enim poteft tendere in idem obiectum fecundum communem rationem, fecundum quam proponitur obiectiva & connaturalis ei eft manifeftè petere principium.

ARGUITUR 4. Obiectum actus fupernaturalis eft fupernaturale, ergo non poteft attingi a naturali. Probn Confeq. fi poteft attingi jam non eflet fupernaturale, fed eft, ergo &c. Videtur

adverfari in hoc argumento rotundum committere circulum, ita probando, quod obiectum actus fupernaturalis effe fuperfluere naturale ex eo quod actus naturali non queat attingi, & virtutem idcirco non poffe attingi actu naturali, quia eft fupernaturale, fed hoc eft ambulare in circulo. Refpondeo ergo dicendo 1. & tranfeundo anteced. negoConfeq. cum antecced. fit prob. gratia etiam, vifio beatifica funt obiecta supernaturalia, & tamen naturaliter ab haereticis, & gentili, actu naturali, male ergo colligitur Supernaturalitas ea re, quod actu naturali attingi non poffit. Refpond. 2. diftinguendo 1m. eft tantum actus fupernaturalis obiectum fupernaturale, Nego ma. etiam naturalis. Concedo ma.

DICO 2. *Virtutes Supernaturales per fe ipfas creatum creatorum proprie dicta.* ita Doctor 2. d. 1. q. 1. a. 2. n. 6. Probatur Authoritatibus Scripturae. Pfalmo 50. Cor mundum crea in me Deus, id eft creatum gratiam, quia fola cor mundat. Probatur ratione Doctoris ibidem, creari fimile dicitur illud quod accipit effe a primo efficiente immediatè & poft omnem non non eft five poft purum nihil, & hoc modo folum Angeli, Anima Intellectiva, & gratia, & quamlibet forma, quae de nihilo producuntur a primo efficiente creari dicuntur, ergo gratia accipit effe poft non effe, fu poft purum nihil: ergo creatur creatione proprie dicta.

DICES. Hunc locum intelligi poffe de Creatione improvifa dicta, fecut & alia Scripturae locà Genes. 1. *In principio creavit Deus & terram*, ergo. Contra. Quamvis Creatio in Scriptura non femper fignificet creationem propriè dictam, tamen quoties Scriptura poterit absque inconvenienti intelligi de creatione propriè dicta, tunc illud fic intelligendum, quam de improvifa, fed fic fe habet in proposito. Fateor equidem, quodranone evidenti Concilio difficulter probari poffe, quod tanta ex conciliari Doctorum consenfu, & ex allegata doctoris ratione.

ARGUITUR. Gratia (idem dic de aliis) eft accidens & consequenter non habens fubfiftentiam partialem medianter qua poffet constituere per fe ipfum, fed eft ergo connaturaliter inhaerere fubjecto, ita ut non nifi miraculose conservari poffit fine illo, ergo poteft produci dependenter a fubjecto, & non creatur. Confirmatur. Ideo alia forma fubfiftentiales (excepta anima rationali) & etiam accidentia dicuntur educi & non creari, quia in fieri & conservari dependent a fubjecto, & ideo collitur, quod fic dependentes, quia connaturaliter produci & conservari fine illo non poffunt, fed virtutes fupernaturales fic non poffunt conservari, ergo &c. Refpond.

a. Virtutes per fe ipfas creatae.

Digitized by Google

Respond. Ad objectionem negando Conseq. quia sicut ex formis substantialibus quædam natæ sunt creari, & quædam educi, ita fieri potest de formis accidentalibus, ad quod impertinens est ut habeant vel non habeant substantias partiales. Ad Confirmat. Respond. negando ma. sed addi debet ulteriùs quòd non constet quin educantur, nec ulla ratio assignari potest, ob quam non dicantur dependere à subjecto, secùs est de virtutibus infusis.

Quæstio IV.

De Connexione Virtutum per se infusarum tam inter se, quàm cum moralibus.

4. Virtutes per se infusæ creantur.

IN hac quæstione particularis est sententia Argentinæ, 3. d. 36. q. 1. a. 2. dicentis, Virtutes Theologicas posse dupliciter considerari, semel in ratione habitûs, alterâ vice in ratione virtutis, si hoc posteriori spectentur modo tunc ait, non posse esse sinè se invicem, sed omnes esse necessariò connexas cum Charitate; priori modo consideratæ non sunt sic connexæ, quin fides possit esse sinè spe & Charitate, & sic manent in peccatore, ut informes habitus non verò ut virtutes. Verùm falsum supponit Argentina nempe fidem & spem sinè Charitate virtutes non esse. Ideo.

3. Virtutes Theologicæ non sunt necessariò connexæ inter se.

DICO 1. *Virtutes per se infusæ necessariò inter se connexæ non sunt, unde Charitas non connectitur necessario cum fide & spe, & Spes cum fide & econtra.* Probatur 1. p. Tum ex D. Augustino epist. 29. ad Hieronymum, ubi dicit; *Ut generaliter brevitérque complectar, quam de virtute habeam notionem, quod ad rectè vivendum attinet, virtus est charitas, qua id, quod diligendum est, diligitur: hæc in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est.* Tum, quia juxta probabilem sententiam nec fides nec spes manet in Patria, ergo non sunt necessariò connexæ cum Charitate, quæ nunquam excidit, sive Prophetiæ evacuabuntur, sive scientia destruetur. Deinde dato quod manerent, ex hoc tamen non potest ostendi earum tam necessaria connexio ad se invicem, nam licèt hic fides necessaria sit, ut proponat objectum amabile, illud tamen ibi per visionem beatificam nobilius, excellentiusque proponetur, quàm per fidem.

Probatur 2. p. Quia perditâ Charitate per peccatum manet adhuc fides & spes, ex Trid. sess. 6. con. 8. sic dicente: *Si quis dixerit amissa per peccatum gratia similiter & fidem supernaturalem amitti, aut fidem quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viva, aut illum qui fidem sinè Charitate habet non esse verum Christianum anathema sit.* Idem est de spe & de utraque.

Confirmatur. Quia actus illarum virtutum non dependet ullo modo ab actu Charitatis, deinde nec actus fidei dependet ab actu spei, ergo potest manere fides & spes sinè Charitate, & fides sinè spe, per eo quod hæc tolleretur per peccatum spei oppositum.

Probatur eadem Pars secundò ex Scriptura Matth. 7. ubi habetur. *Multi dicent mihi in illa die Domine, Domine &c. & tunc confitebor illis, quia unquam novi vos, discedite à me qui operamini iniquitatem.* Et Joan. 12. *Ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur ut extra Synagogam non ejicerentur, diligebant enim magis gloriam hominum, quam Dei,* ergo illi habuerunt fidem absque eo quòd habuerint Charitatem.

5. Virtutes Theologicæ sunt necessariò connexæ quoad infusionem.

DICO 2. *Regulariter loquendo Virtutes per se infusæ quoad infusionem simul connectuntur.* Hæc patet ex definitione Concilii Trident. sess. 6. cap. 7. ubi docens ait. *In justificatione impii simul cum remissione peccatorum cum accipere, fidem, spem, & Charitatem.* Satis insinuavit has virtutes quoad infusionem connexas esse. Probatur etiam ex lib. illo, de vera & falsa pœnitentia. cap. 9. ubi legitur: *Neminem sanavit, quem omnino non liberaverit.* Et ex illo communi: *Deus quem sanat, perfectè sanat,* sed si non simul infunderetur cum fide & spe Charitas; Deus impium in justificatione perfectè non sanaret, ergo *cùm ipsius opera perfecta sint,* regulariter loquendo virtutes Theologicæ simul infunduntur: probatur mi: quia homo per peccatum languet quoad intellectum & voluntatem, & in hac tam secundùm affectum justitiæ, quàm secundùm affectum commodi; quoad intellectum sanatur per fidem; quoad voluntatem secundùm affectum commodi per Spem, secundùm affectum justitiæ per Charitatem, ergo si omnes simul non infunderentur, homo perfectè non sanaretur. Confirmatur. Quia per totum Evangelium non legitur quòd Christus aliquem languidum sanaverit, quin eum perfectè liberaverit, unde ipse dicit Joan. 7. Mihi indignamini quòd totum hominem sanum feci in Sabbatho? ergo nec spiritualiter aliquem imperfectè sanat, regulariter loquendo, anteced. patet paritas rationis optima, ergo. Verùm quia semper addidi regulariter loquendo, ideo

4. Virtutem unam Theologicam potest Deus infundere sine alia.

DICO 3. *Potest Deus absolutè loquendo unam virtutem Theologicam infundere sine alia, & quantùm ad rationem videtur probabile, quòd fides quandoque infundatur sinè spe, & utraque sinè Charitate.* Probatur 1. p. Quia quæcunque possunt sinè se adinvicem existere & conservari, possunt etiam sinè se invicem fieri & infundi, cùm non sit major ratio nec difficultas de uno ac de alio, sed ut visum est Supra, Virtutes Theologicæ quoad esse non sunt necessariò

Digitized by Google

ceſſariò connexæ, ergo neque quoad fieri ſeu infundi. Probatur 2. p. Ideo habitus fidei, ſpei, manent in peccatore amiſsâ gratiâ, quia manent diſpoſitiones pro his & non pro illa; ſed adultus poteſt quandoque habere diſpoſitiones pro fide & ſpe, & non pro Charitate, ergo poteſt dici quòd tunc infundatur ipſi fides & ſpes ſinè Charitate, quia non eſt potior ratio cur propter diſpoſitiones conſervetur fides & ſpes ſinè Charitate, quàm propter easdem ipſis primò infundantur ſinè illa. Confirmatur. Poſſunt proponi adulto myſteria fidei ita ut ſit paratus credere & baptizari ſinè ullo impedimento præter affectum aliquem peccaminoſum contra Charitatem v. g. retinere bona aliena, quæ nondum reſtituere ſe reſolvit, ergo ſi talis baptizaretur infunderetur ipſi fides ſinè Charitate. Per hoc facilè ſolvitur objectio ex Doctore hic, ubi tenere videtur, quòd primò ſimul infundantur, nam explicari poteſt, ipſum aſſerere regulariter loquendo, & niſi ex parte ſuſcipientis ponatur obex. Sed

DICES. Ob illum affectum peccaminoſum congruum videtur, ne & fides infundatur ipſi. Contra. ob ſimilem affectum non eſt congruum ut auferatur ipſi fides, quando aufertur Charitas. ergo.

4. Virtutes Theologicæ non ſunt neceſſariò connexæ.

DICO 4. *Virtutes Theologicæ non ſunt neceſſariò connexæ, nec quoad actum, nec quoad habitum, cum moralibus.* Ita Doctor hic. Et Probatur quia quando aliquis paganus convertitur ad fidem & baptizatur, infunduntur ipſi virtutes Theologicæ, ſed talis nullam habet virtutem moralem, ergo non ſunt neceſſariò connexæ. Probatur mi: ſi haberet aliquam virtutem moralem deberet poſſe ſtatim poſt baptiſmum delectabiliter & faciliter agere circa objectum virtutis moralis, ſed talis non agit delectabiliter, ergo. patet ma. probatur mi: quia talis eſt adhuc inclinatus & quidem magis ad actus vitioſos, quàm virtuoſos. ergo. Probatur 2. Dato quocunque homine vitioſo quoad habitum & actum, talis poterit converti quòd acquirat virtutes ſupernaturales, ſed talis non acquirit tunc temporis virtutes morales, quia per unicum actum contritionis non generantur omnes virtutes morales, ergo virtutes Theologicæ non ſunt neceſſariò connexæ cum illis. Confirmatur, quia certum eſt quòd nec habitus virtuoſus in inſtanti acquiri poſſit, nec vitioſus in inſtanti corrumpi, ſed noviter ad Deum converſo in inſtanti infunduntur virtutes Theologicæ, niſi antè eas habuerit, & ſtatim non poteſt acquirere habitum virtuoſum, nec vitioſum acquiſitum amittere ergo.

DICES. Morales Virtutes neo-converſo infundi in baptiſmo ſicut etiam ipſis parvulis, ergo ſunt adhuc neceſſariò connexæ: anteced. Probatur. quia parvuli habebunt virtutes morales in Patria, ut habet D. Auguſtinus, ſed non haberent eas in Patria niſi acquirerent ipſis in via, ergo. Sed Reſpond. negando anteced. cum probationis ma. Quia primò nulla eſt neceſſitas quòd habeant virtutes morales in patria, ſufficienter enim diſponentur circa volibilia per ſolam Charitatem. Deinde ſicut non eſt neceſſe quòd habeant omnes ſcientias infuſas in genere proprio, ſed ſufficit, quòd eas habeant in verbo, ita etiam eminenter habebunt in Charitate & fruitione. Sed ne videatur Authoritas S. Auguſtini parvi fieri Reſpond. 2. diſtinguendo ma. prob. Habebunt virtutes morales aliquas, tranſeat, omnes neg. ma. certum enim eſt quòd non habebunt virtutem fortitudinis, nec in genere, nec in ſpecie, puta patientiam, deinde nego mi. quia illæ virtutes poſſunt ipſis infundi in inſtanti beatitudinis. Verum

INSTABIS. Omnes Virtutes morales acquiſitæ manebunt in patria, ergo etiam omnes infundi debent parvulis. Reſpond. negando conſeq. quia illæ manebunt propter decorem & ornamentum in præmium laborum, quibus ipſas acquiſierunt meritoriè operando, ideoque convenientiſſimum eſt ut illis relinquantur, imò certum eſt quod nec quidem omnes quoad actum manebunt & quoad uſum, licèt bene quoad habitum, ut patet de patientia, & licèt etiam aliquos actus habituri eſſent, non erunt tamen ejusdem rationis cum modernis. Conſule Auguſtinum in proœmio ſui tractatûs deſuper citatum.

Quæſtio V.

An præter Virtutes Theologicas dentur aliæ Virtutes per ſe infuſæ?

QUæſtio hæc valde controverſa eſt inter Thomiſtas, & Scotiſtas, nam D. Thomas 1. 2. q. 63. a. 3. quem ſequuntur D. Bonaventura 3. d. 33. q. 5. a. 2. Richardus Cajet. Occam, Gabriel & Medina, qui etiam in contrariam ſententiam gravibus invehitur cenſuris, docet præter virtutes morales exercitatione acquiſitas dari aliquas etiam infuſas. Doctor verò in hac diſtinct. 36. unica quæſt. docet nullas dari virtutes morales per ſe infuſas, eum ſequuntur ſui cum Baſſola, Rubione, Almavno, Argentina, & antecedenter jam docuerat idem Henricus quodl. 6. q. 12. pro cujus reſolutione.

Repetendum ex ſupra dictis quæſtione prima hujus diſputationis virtutem

2. Virtutes infuſæ &

Virtutes per se, aliæ per accidens.

infundi dupliciter intelligi posse. *Per se* & *Per accidens* : Tunc dicuntur Virtutes *Per accidens* infundi, quæ ex natura sua per exercitationem & industriam humanam acquiri possunt, nihilominus à Clementissimo DEO gratuitò servis suis ob particulares rationes communicantur & divinitus instillantur, prout Theologi tenent Primo Parenti in statu Innocentiæ evenisse. Similiter Adamo Secundo Salvatori nostro JESU Christo, & in hoc sensu non est dubium pluries tam intellectuales, quàm etiam morales particularibus Sanctis infusas fuisse, &, quotquot labore acquiruntur infundi posse, nec de hoc ulterior est difficultas. *Per se* infusæ dicuntur eæ quæ ejusmodi sunt naturæ quòd à solo DEO petant produci, & nequeant acquiri ab ulla causa creata, neque valeant per actus & exercitationem nostram comparari & in hac acceptione est Controversia, ad quam resolvendam sic ego procedo, primò ostendendo rationes impugnantes has virtutes per se infusas non convincere, quo non obstante cum Scoto sentio eas non dari, quare

3. Virtutes morales per se infusas non dari, rationes non convincunt.

DICO 1. *Positivæ rationes, impugnantes Virtutes morales per se infusas dari, non satis convincunt.* Probatur 1. Quia Doctor subtilis sic probat non dari virtutes morales per se infusas. Non sunt ponendi alii habitus in viatore, quàm possunt sufficere ad perficiendum ipsum in ordine ad DEUM & creaturas, sed sufficienter ordinatur per Theologicos & morales acquisitos, ergo superfluunt alii. mi. Probatur. Objectum circa quod operatur viator est vel DEUS, vel Creatura, sed per Theologicas virtutes sufficienter disponitur in ordine ad DEUM, & circa Creaturam per virtutes acquisitas, ergo aliæ infusæ non sunt necessariæ. Sed hæc probatio variis disparitatibus rejicitur ab adversariis, & secundùm se præcisè, non videtur urgere, ergo. Probatur hoc ipsum, quia mi. principalis distingui potest, vel negari absolutè, quia quemadmodum licèt possit quis per habitus acquisitos naturales Fidei, Spei, & Charitatis versari circa Deum immediatè, sicut potest per alios habitus acquisitos versari circa Creaturam, nihilominus ponuntur alii habitus per se infusi, quibus homo perfectus possit versari circa Deum, ergo similiter possunt habitus poni infusi morales circa Creaturas, perfectiores acquisitis, qui ratione istius excessûs in perfectione, dicerentur necessarii homini viatori, sicut habitus Theologici infusi. Confirmatur quia ex illa ratione Scoti videtur sequi non dari virtutes acquisitas Fidei, & Charitatis, nam dicit sufficienter ordinari Viatorem ad Deum immediatè per tres infusas. Sed istæ virtutes acquisitæ Fidei, Spei, & Charitatis versantur circa DEUM immediatè, ergo secundùm illam rationem non sunt ponendæ in viatore, aut si sunt, non erunt ponendæ infusæ, aut certè si tam infusæ quàm acquisitæ sunt ponendæ ad operandum circa Deum immediatè, similiter & morales infusæ, & acquisitæ sunt ponendæ, ut perfectiùs circa earum objecta operetur nisi aliquid aliud obstet, si verò aliquid aliud obstat vi illius & non hujus Probationis oppositum erit tenendum, & dicendum.

Interim ut Conclusionem probem secundò, allego alteram rationem quâ negatur dari virtutes morales per se infusas, & ostendo eam quoque non convincere: Et est talis: Quia per actus virtutum moralium acquisitarum possumus mereri vitam æternam, suppositâ saltèm adoptione, quæ fit per gratiam sanctificantem, ergo frustra ponerentur actus virtutum infusarum, & consequenter habitus infusi eorundem:

Probatur anteced. quia alias non possemus per virtutes acquisitas observare præcepta & consequenter status peccatoris esset incompatibilis cum præceptorum observantia, quod est contra omnes Catholicos. Hæc est ratio altera probans non dari virtutes morales per se infusas, & subsumo, sed hæc ratio non convincit sicut præcedens, quia quâ ratione possemus suppositâ adoptione & Justificatione mereri per virtutes morales acquisitas, possemus & per Theologicas acquisitas, sed hoc non obstante ponuntur utiliter Theologicæ infusæ, ergo & ponendæ sunt morales infusæ. Confirmatur. Tota ratio (secludo Authoritates) ponendi Theologicas infusas est, ut mereamur perfectiori modo per ipsas quàm possemus per acquisitas Theologicas, sed hæc eodem modo currit de infusis moralibus, ut per illas perfectiori modo mereremur, quàm per morales acquisitas, ergo hinc facilè distinguitur anteced. rationis Scotisticæ supra, possemus mereri æquè perfectè & æquè facile nego anteced. minùs perfectè & majori difficultate, transeat anteced. Similiter distinguatur antecedentis Probatio, non possemus observare præcepta tam perfecto modo quàm per actus virtutum infusarum, trans. imperfectiori modo simpliciter, nego. Itaque quacunque ratione posset peccator observare præceptum Charitatis, per actum Charitatis acquisitæ, posset & observare præceptum temperantiæ, per actum temperantiæ acquisitæ, quamvis daretur temperantia infusa. Similiter de reliquis virtutibus discurrendum.

Probatur 3. Quia noster Aretinus hic artic. 12. varias rationes adducit, prima est. Si darentur virtutes morales infusæ, vel essent perfectiores acquisitis vel

non? Si primum, quandoquidem pueris infundantur in baptismo sequeretur, quod quando adolescerent, sentirent in se maximum facilitatem ac si haberent habitus acquisitos, quod est contra omnem praxim. Huic vicina est secunda. Si essent tales morales infusæ in adulto, vel essent ejusdem speciei cum acquisitis, vel diverſæ, non ejusdem: quia duæ virtutes ejusdem speciei circa idem objectum ſuperfluunt, non diverſæ, quia actus & objecta earum funt ejusdem speciei. Tertia. Aut tales requirerentur ad ſubſtantiam operis, aut ad facilitatem, non ad ſubſtantiam, quia quoad hanc ſufficeret ipſamet facultas naturæ quandoquidem poſſet homo ante quam acquirat talem habitum, elicere aliqua opera bona moralia: non ad promptitudinem, quia illa flamma acquiritur exercitio ſecundum omnes, ergo non dantur.

Subſumo iterum pro confirmanda Concluſione, ſed hæ Artenii rationes facillime ſolvuntur, ergo. Probo hoc ipſum reſpondendo ad ſingulas rationes. & ad primam. Reſpondeo, rationes, quod morales eſſe perfectiores acquiſitis, & diverſæ ſpeciei: negatur ergo. Pueros taliter tantum habituatos fentire in adolescentia ultam facilitatem, fi non nec illam dum ipſam, aut ullum habitus perfe in ſuſi Theologici dant ullam facilitatem probis, quam poſſimus ſentire, aliás non gnoſceremus certo nos eos habere, quod eſt contra omnes.

Hinc quoque ſolvitur ſecunda ratio, quia falſum eſt, quòd earum actus eſſent ejusdem ſpeciei, ſicut nec habitus: quia ſicut actus & habitus virtutum Theologicarum infuſarum & acquiſitarum diſtinguuntur ſpecie, ita actus & habitus moralium acquiſitarum & infuſarum; nec obſtat, quod poſſint convenire in objecto, quia eodem modo dicam de Theologicis infuſis & acquiſitis. Ad tertiam rationem, negо mi, quòd ſecundum partem ejusque Probatur mi. cujus Probationem diſtinguo: poſſet homo elicere aliqua bona opera moralia in ſubſtantia naturalia, absque ullo habitu, Concedo; aliqua bona opera moralia, ſupernaturalia in ſubſtantia, nego. talia tamen eſſent opera virtutum moralium infuſarum fi daretur ſicut defacto funt opera virtutum infuſarum Theologicarum. Artenius infallibiliter concederet, quòd poſſet aliqua credere ante acquiſitionem habitus fidei, *DELMedo*, ſicut ante acquiſitionem habitus temperantiæ elicere actum temperantiæ, & tamen dicit neceſſarium eſſe habitum infuſum fidei ad ſubſtantiam actuum Supernaturalium; Patitur ſimiliter ſibi dici de habitu infuſo temperantiæ ad ſubſtantiam actuum ſupernaturalium temperantiæ.

Virtutis

DICO 2. *Nulla datur virtus moralis per ſe infuſa.* Ita Doctor, ſupra. Prob. 1. ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. ubi numerum virtutum per ſe infuſarum reſtringit ad tres ſolum, dicitur *Unde in ipſa Juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per JESUM Chriſtum, cui inſeritur, Fidem, ſpem, & Charitatem*; ergo nulla alia per ſe infuſa: hinc notanter dixi in Concluſione nullas dari virtutes morales *per ſe infuſas*. Tum quia non negio dari per accidens infuſas. Tum quia conſtans eſt Theologorum opinio dari virtutes Theologicas per ſe infuſas, nempe ex Concilio paulò citato tantum.

moralis per ſe infuſa non datur.

Probatur Concluſio 2. Nullum eſt principium rationis aut authoritatis ex quo colligatur quòd detur aliqua virtus moralis per ſe infuſa, ergo non ſunt ponenda. Prob. ant. ſi eſſet aliquid maximè Authoritas, vel ratio fundata in illa, quæ ſuperius fita, ſed non eſt illa authoritas ut patebit ex ſolutione objectionum, nec ulla ratio, unde experimur talem habilis infuſi, illa poſſimus cognoſcere, non habere tales virtutes infuſas, & pari modo gratiam habitualem, quod maximè verum eſt Secundum Adverſarios, quòd virtutes morales infuſas neceſſariam habere connexionem cum Charitate & contra. Confirmatur ad hominem Virtutes temperantiæ & fortitudinis ſecundum D. Thomam ponuntur in appetitu ſenſitivo tantum; ſed habitudum videtur ponendi in parte virtutem ſupernaturalem in ſubſtantia: Et adhuc ſuperflua ponretur, quia habitus tantum per actus malos temperantiæ perfit ſufficiens, ut determinuretur illa pars ad temperate vivendum, ex quocunque fine imperaret voluntas tales actus, ergo non datur temperantia aut fortitudo, aut ulla alia virtus moralis infuſa per ſe.

Probatur 3. Rationes ob quas adverſarii virtutes morales per ſe infuſas neceſſarias dicunt, quæ quatuor poſſunt fieri. Primo eſt, ut removeatur à culpa ſit perfectior dum non ſolum tollitur macula, ſed etiam dantur virtutes ad bene operandum moraliter propter finem quod in potentiis ex deordinatione peccati incurritur. Secunda; propter renovationem interiorem hominis, non tantum datur ipſi Gratia per virtutibus Theologicis infuſa, ſed etiam virtutes morales infuſa ad operandum circa objecta moralia. Tertia ad meritum, quia licet actus virtutis acquiſitæ poſſet per Charitatem ordinari ad finem ſupernaturalem, cum ſit tamen ordinis naturalis non habet connaturalitatem ad iſtum finem, nec ad ipſam Charitatem ſive virtute infuſa. Quarta denique eſt acceptatio ad gloriam, quæ propter connaturalitatem longè magis debetur infuſis, quàm acquiſitis. Sedneque iſtæ neceſſitates urgent ad ponendas virtutes mo-

Digitized by Google

morales per infusas, ficut eas non dari fuſe, nec connexionem aſſerit, ſed has allegatas rationes non urgeat, ſic reſpondeo & dico Contra illum primam negando dominicam quod ſi potentia per peccatum ſuccefſit, vel eſt ipſa macula, vel actus in quo fundatur, vel habitus virtutis, vel concupiſcentia, vel privatio gratiæ & donorum & alia quæ ad hæc ſequuntur, ut oſtenſa DEI, obligatio Gehennæ &c. Sed ad illud ſequitur quod ſunt virtutes morales per infuſas, ergo: Probatur mi. macula tollitur peccati per gratiam ſanctificantem, quæ conſtituitur formaliter Eſſum DEI, & hæreditem regni Cœleſtis; deleſ. offenſam & poenam æternam peccato debitam, ergo ad has ſaltem morales infuſa non eſt neceſſaria, nec etiam requiritur ut tollat actus vel habitus vitioſos, quia inprimis actus per ſe non manent, cum ſint qualitates tranſeuntes neque habitus vitioſi ſi qui infunt, tolluntur per virtutes morales, cum ſecundum Theologos Adverſarios nullam, ſaltem ſubſtantialem, & experientia conſtat, habitualem vitioſitatem etiam poſt converſionem remanere ſi difficiles ad actum virtutis, & pronos ad contrarios actus malos, quod non ſteret ſi habitus vitioſus tolleretur, per virtutem morales infuſam. Demum ſubmitto ſi non ſint habitus vitioſi ponuntur ab Adverſariis tales virtutes infundi, ut in paruulis, ergo non ponuntur ut tollant habitus vel actus vitioſos, neque ad tollendam Concupiſcentiam funt neceſſariæ, quia penitergum quod tollitur, tollitur ſolidariter operando, ſi ſit ſtruendum concupiſcentiam. Rurſus a Theologis Gratia efficax provenens & actualis, quæ non omnino vertitur in habitum poſt ſe concupiſcentiam quam habitus quacunque morales infuſis, ergo ad hos effectus non eſt neceſſaria tales virtutes.

Neque ex fecunda ratione convincitur tales neceſſitas illorum habituum, quia ad operandum ea objecta connaturalia moralia ordinata naturalis ſufficiunt virtutes morales acquiſitæ cum auxilio gratiæ actualis, quod ad omnem actum naturalem rum requiri docent communiter Theologi, ergo ad actus illarum virtutum ſuperfluit omnis habitus morales per infuſas. Denique tertia aut quarta neceſſitas nihil concludit, qua ai rationem omnis per ſe ſtultitiæ, quid actus ſit ex objecto, fine, & circumſtantiis bonus, & honeſtus, procedat quæ concurſu gratiæ actualis ſuperatur a Charitate & DEO, tanquam præmio ſupernaturali conſequenda acceptur: Sed hæc omnia conveniunt actibus virtutum moralium actualibus, ſimiliter habitu moral infuſo ergo.

Nec valet dicere aſſum virtutis moralis præcedentem ab habitu acquiſito tan-

tum, non eſte mentorum de quodlibet Theologi, ſed ſolum de habitu, & præcedere ab habitu infuſo morali: Quia Contra, Conſignatas in merito non provenit ab habitu morali infuſo, ſed ab habitu Theologico Charitatis, aliuſque Principijs ad mortum de conſigno requiſitis, ut per ſe connumeratis in ſecunda ratione, alias actus fides & ſpes ſupernaturalis in peccatore eſſemde conſigno meritorios, ſi non eſſent ab habitibus ſuper naturalibus infuſis, renaentibus poſt amiſſionem Charitatis per peccatum, ergo ad hos actus virtutum moralium infuſa de conſigno meritorii, aut DEO acceptandi non requiruntur virtutes morales per ſe infuſæ. Ulterius ſi daremus virtutes has infuſas morales eſſe actus quare dicerentur per quod cunque peccatum mortale ſimul cum Charitate deſtrui, & non ipſa, ſtatim ut infunduntur? Nam habitus temperantiæ, & caſtitatis nullam habent oppoſitionem phyſicam vel moralem cum actu fornicationis homicidij, ſpeciale privilegium ſolus Charitatis, ut cum nullo peccato mortali maneat, ergo.

OPPONITUR Authoritas Scripturæ, quæ requirit ad actus virtutum moralium ut conducant ad vitam æternam, gratum ſpeciale, & dicit talia opera eſſe dona DEI, ergo nam actus quin habitus illarum erunt ſupernaturales ab habitibus ſupernaturibus infuſis, unde provenient actus, erunt infuſi. Probatur antecedens Pſalm. 91. *qui dicet bonum Sapientiæ, & Pſalm. 118. Bonitatem & disciplinam, & Jacobi 1. Omne datum optimum, & Jacobi 3. Quis dicit Sapientiæ paſtulet a Deo.* Sic unitur Prudentia de Supernaturalibus ex præcepto Eccleſiæ neque eſſe acquiſita. Idem de Religione, ad Rom. 1. *Non acceptiſtis Spiritum Servitutis in timore, 2. acceptiſtis Spiritum Filiorum* intelligo Religionis Spiritum, in quo *clamamus Abba Pater* Sapientia 3. *Cognovit quinti ſed non dedit ei ſcientiam nifi a Deſcrit*, & ibidem cap. 7. de omnibus virtutibus *Optavi & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi & venit in me Spiritus Sapientiæ, & paulo poſt, venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius*, ad Gal. 5. *Qui ergo tribuit vobis Spiritum & operatur in vobis virtutes &c.* Sed ad hæc & ſimilia, negeo conſequ. quæ ſic cundum Suarem, Vasquem, & Arriagam non poſſeſt probari ex Scriptura, Patribus aut Conciliis, non duplicitur poteſt fieri aliquid nobis infundi, & eſſe donum. Dico 3. in primis, quando ex natura ſua & independenter a donum concurſu naturæ, ratio humanæ exigit a filio DEO in nobis produci, prout exigunt Virtutes Theologicæ, Gratia aliquis per virtutes concomitans. Secunda magis late dici-

Digitized by Google

tura partibus aliquid nobis infundit & efficit Deus DEI, quando ex folis naturæ viribus non poteft a nobis acquiri, fed accellario exigit Comprincipium Supernaturale gratiæ feu quo non effet homini aut intervenium: *Dicunt enim merita eft quotiens eft quotiens, fi gratia noftra fubfit, & gratia eternum.* Quotes ergo evidentur Patres, Concilia, aut Scriptura dicens virtutes morales, five quocadam, five quocadam habitus nobis infundi, non intrendunt aliud quam eorum Principium nobis infundi, nos poffe ex folis naturæ viribus fine auxilio peculiaris gratiæ acquiri, male ergo inferetur ex quod Patres, Concilia & Scriptura vocent actus, quos eum donum Dei, aut effectes gratia particulares, quod fit ex habitu per fe infufo, aut Supernaturalis quod habitualiter Confirmatur. Simus affecta Deum per habitualiter habent folum habitum acquifitum temperantiæ, & alicere actum ex illo temperantiæ Charitate eo quod potenter per eftem talem actum placere DEO, non eft dubium, quin actus ille effet conditus ad vitam eternam, modo nullam cum illa tantam virtutem habeat fect ex eo quod fit conjuncta, dicere eft donum DEI ex Scripti peculiaribus ut actus actus fit donum DEI, & ex gratia fpecialis, non tamen quod deberet effe Supernaturalis et fubftantia fua transfusa ut procedere efficatur ex habitu per fe infufo.

DIXI fecus, quia quamvis habeatur tunc expreffe quod ad omnem actum bonum conducentem meritorie ad vitam æternam requiratur gratia habitualis fupernaturalis, & confequenter, quod fit actus effet donum particulare DEI, non requiratur tamen ex Adversariorum: quia dari poteft procedere tantum naturaliter ex Charitate fimpofitè Propofitione Supernaturali fidei, etiamfi vero ab habitu Supernaturali. Sed ut nos ipfi intelligitur Scriptura objecta ad fingulis particulares.

Refpondeo 1. Et ad primum quidem poffe ad negatur fine præjudicio Conclufionis in ufum Scientiam & Sapientiam infundi cum tempore eadem nobis, non vero per fe, ac proprie quod nunc agitur dici Deo poftulate; quia omnis pro ferenare, fanitate & falvitas, quæ etiam dicuntur dona DEI, & Scriptum in multis, & tamen hæc non funt fupernaturalia in fubftantia, ergo quod Scriptura & Patres dicant virtutes morales effe dona Dei, non infert ut dicantur fupernaturales in Subftantia.

Ad fecundum locum Refpondeo negando affumptum, quia dato quod aliquis fidelis non haberet prudentiam infufam, fed quod cognofcat ea fidem, & per charitatem moveatur & damnantibus ut, nihilhæ, & nunc temperate vivendum, quis dubitet quin talis meditantibus Principibus humanæ naturæ notis. Non eft proprie homini temporis minus, adhuc tandem bonum longe majus, & quod æternum indicetur; nec propter omnino tem comedionis exigitur eft perdendi vita æterna? Quis inquam dubitet, quin per hæc principia fimpliciter fide poffet talis vita pruderitus infufa perfe dictæ fuit fufficiente ex fide proceffit.

Ad locum de Religione manifeftè patet ibi fieri mentionem de Charitate, quæ eft Religionem, quæ non poteft effe, nifi naturæ viribus. Ad illum locum de Continentia fateor eam dici donum, Rel quia Continentia non eft virtus naturalis, fed mis, quæ tantum habet difficultatem, & Supernaturalis, fit etiam Donum Dei? Nam certe Auguftinus expreffe vocat Continentiam infufam, & ex fecundum Adverfarios non poteft effe fuperNaturalis. Donum Dei, ergo etiam illo loco non magis fit recenfio de Continentia Supernaturali quam naturali.

Ad illud Sapientiæ, Refpondeo 1. ut fupra ex Adverfariis illud non poffe exponi illum locum de virtutibus infufis, Imò interpretes communiter intelligunt per illa bona vita bona infufa, & fecundum bona corporis intelligunt, quidam fortunæ; quidam utraque, & per innumerabilem bonum intelligunt divitias, immenfas, Secundo. Illa Sapientia, quæ tribuit hæc bona, eft innume fecundum adverfarios illa, quam petit libro 3 Reg. 3. Salomon & accepit, fed certum eft, quod virtutes infufæ & Charitatem habuerit ante, fi denique tales virtutes cum Charitate conferantur, ut ex illa ratione adjiciam cum illa Sapientia &c. Tertiò, Sapientia & bona cum illa acquirita ex habitu Theologico, quæ ex virtutibus ordinaria quæ non habentur ab omnibus fatis communiter, fed hoc eiet falfum, Intelligitur de illis virtutibus & donis infufis, quæ omnibus fatis communiter cantur; ergo gratis fundant fe adverfarii in hoc capite. Denique ad ultimum Respondeo paulum effe inteligibile fundamenta operatione virtutum quæ eft gratia gratis, & conftitit in patratione miraculorum, non vero de virtutibus moralibus, ut exponunt Patres.

OPPONITUR 1. Authoritas Concilii Tridentini Concilium Vien. ubi definit, Quod in temporis diverfas opiniones, unam differentem parvulis in Baptifmo culpam originalem remitti, fed gratiam & virtutes infundam non conferri; ergo non fit. Sed ergo Deus illum culpam remitti in baptifmo, fed etiam gratiam & virtutes infufas; hanc fecundam opinionem approbavit Pontifex & Concilium, ergo Concilium & Pontifex fcitem probabilius cenfent infundi virtutes morales cum gratia, non negando. Confequenter, quia Solum de-

cunc

Google

cunt infundi virtutes, hoc autem verum est, cum infundantur Theologicæ virtutes.

10 DICES. Primo. Concilium loquitur indefinitè de virtutibus, sed locutio indefinita in Dogmatibus æquivalet universali, ergo vult, quod non detur infusa Temperantia, sed retenta omnibus acquisitis. Respond. primò distinguendo maj. de virtutibus Theologicis, Concedo maj. de moralibus negando maj. Respond. secundò negando min. universaliter, sed tantum quando ex natura Controversiæ id colligi debet, aut ex alia circumstantia, sed nulla hujusmodi circumstantiæ, ex quibus id colligi posset in proposito. Deinde si locutio indefinita universaliter esset comprehenderet omnes virtutes, sequeretur retentis acquisitis infundi, quod est contra Adversarios.

DICES. Secundò, Concilium determinavit, ut probabilius quod erat in Controversia, sed non erat in controversia an infunderetur virtutes Theologicæ, ergo de moralibus antrum fuit Controversia, & consequenter determinavit morales infundi. Respond. negando min. quia sicut erat in Controversia an infunderetur gratia Pavuli in baptismo, erat etiam in Controversia an infunderentur istis Virtutes Theologicæ, imo de hoc potius debuer eis Controversia, quam de infunderentur istis, quæ Scotistæ omnes Catholicos ordinarie necessario requirunt ad remittendum peccata.

11 DICES. Tertiò, Concilium hoc modo non dixit probabilius quod erat in Controversia antea apud Theologos, sed quamvis erat Controversia de infusione Theologicarum, nec etiam inde in Controversia de infusione moralium, ergo probabilius est morales infundi. Probatur min. ex ap. *Mejorii*, de Sacrificio Innocentiæ Tertius ait; *Illud sexto quod opponentes inducunt, Videm ait Christianos, Sabbatis non operari parvulos autem non operari, nostrum non infundi à plerisque existimatur infantes, cum propter hoc inter Doctores Theologicos quæstio referatur alia afferuntur parvulis quidem infundi remitti, sed postea non conferri. Nonnulli dicentibus ablatis peccatis, & virtutes infanti baptizato infundi, quod fabulam non credi potest, ab aliis peccatorum ac virtutum abolitam &c.* in quibus verbis dicitur, aliquos negare Fidem, aut Charitatem; aliosverò virtutes infundi parvulis, sed non sunt duæ virtutes, præter Fidem & Charitatem, sibi comprehendatur morales, quamvis quidem ex Theologis, illa refutat Spes, Fortes, Confirmatur, verifimile est Concilium hoc determinasse ut probabilorem opinionem affirmativam ex illis duabus, de quibus mentio fit ab Innocentio, sed ex his affirmativa erat de Theologicis, & Moralibus, ergo dantur morales infusæ.

Respond. primò distinguendo maj. quod erat in Controversia quoad certas Theologicas, Concedo maj. quoad morales, nego maj. Similiter distinguo min. Confirmatoria, & nego, quod quoad autem non determinavit Concilium aliquod de virtutibus moralibus contra illud primum quia nullus profus attentionem huic dedit. Secundò quia Controversia quam dirimit est Controversia aliqua, quæ vertitur ante Concilium tempore Concilii, ut patet ex 3. Canone modum ancedentibus, quæ sunt hæ; *verum quia quantum ad effectum baptismi de veniatur quidam Doctores Theologi, qui ponunt contrarias habuisse, quibus dicunt in infantibus, per virtutes baptismi Baptizatum dari non tantum remitti, Magistrum Sententiarum vi, dixi contra asserentes quod & gratia & in baptismo remittatur & virtutes se infundantur gratia infunditur quoad substantiam.* Sed tempore Concilii Vitrinensis existebat Controversia inter Thomistas & Scotistas de infusione moralium, ergo de illa nihil voluit determinare Concilium. Imò dato quod vellent illum finire illo modo asserendo, quod dabatur infusione virtutum, ut determinaret ipsi finire probabilius in quo conveniebant Doctores Theologi, ad hunc modum Scotistæ nimirum. Parvulis non dari, quæ ve nitti peccata, sed etiam infundi aliquas virtutes præfertim Theologicas, tamen abstinuit Controversia ante Concilium, quæ erat inter eosdem Theologos de infusione moralium. Idem fecit Trident. quod magis explicabo de causa, quia contra habitum fuit. 6. cap. 7. ubi declarat infundi gratiam justificantem, in adnexis non de aliis virtutibus Fides, Spes, & Charitatis facientes mentionem de infusione moralium. Confirmatur hæc defensa. Quia dicitur dari Concilium, ex quo ex affirmanti gratiam & Virtutes infundi, erit quod sit magis consoni, & concors doctrinæ Scotistarum, & modernorum Doctorum Theologæ, sed illa qualificatio magis quadrat huic infusioni virtutum moralium, huic bene quadret infusioni gratiæ, ac Theologicarum, ergo de harum, & non de illarum infusione agit Concilium. Major erit certa. Probatur min. Hinc Scotistæ, & moderni Scotistæ dicunt, quia eis tantum modernos Doctores, fed infundi virtutes morales non erat magis probabilem eorum dictis, ergo illa qualificatio non quadrabat Sententiæ affirmanti illam infusionem. Nec refert, quod Scotistæ antecessores dicta alicubi impleverunt Doctrinam Thomistarum illius status, quia hoc non obstante qualificatio ad non esset vera, aut vera non esset bona, non quando Doctores moderni de aliquare Controversiæ finant habere, non potest vere dici quod illa pars Controversiæ finis esset magis

Digitized by Google

concors Doctoribus modernis, nisi Doctores indefinitè positi in tali qualificatione universaliter intelligantur, & sic esset falsa qualificatio, quandoquidem neutra pars teneretur ab omnibus Doctoribus. Quòd si sensus talis Qualificationis esset, aliquam partem v. g. affirmativam esse magis concordem aliquibus Doctoribus modernis nihil valeret qualificatio, quia per hoc illa pars nihil haberet probabilitatis majoris præ alia parte quæ etiam esset magis conformis aliquibus aliis modernis Doctoribus, ergo illa qualificatio non concludit quidquam de infusione moralium virtutum, licèt bene Theologicarum.

Respond. Secundò tempore Innocentii non fuisse Controversiam de moralibus Virtutibus, quia Pontifex expresè proponit Controversiam, quam dicit fuisse suo tempore inter Theologos Catholicos his verbis: *Aliis asserentibus virtute Baptismi Parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri*, hæc est una pars, quam decidit Concilium Viennense tanquam minus probabilem, & minus conformem dictis Sanctorum, & Doctoribus istius ætatis, quamque postea Tridentinum omnino falsam esse docuit. Altera pars, *Nonnullis dicentibus dimitti peccatum & Virtutes infundi*, hanc partem tanquam probabiliorem docuit Viennense, & Tridentinum certam, sed in neutra ex his opinionibus fit mentio ulla de moralibus, ergo Controversia quam Innocentius ait fuisse inter Theologos suo tempore non fuit de moralibus. Nec refert, quòd ibidem dicat; Illud verò quod opponentes inducunt fidem, aut Charitatem, aliasque Virtutes Parvulis, utpote non Consentientibus non infundi; Tum quia hoc dicebatur ab hæreticis contra quos declarat Pontifex virtute Baptismi parvulos salvandos, quos illi negabant salvari, quandoquidem non habeant fidem, & Scriptura dicit: *Qui non crediderit condemnabitur*, ergo non erat pars Controversiæ quæ erat inter Theologos. Tum etiam, dato, quòd illa sententia fuisset pars negativa istius Controversiæ, adhuc non sequitur quòd fuerit Controversia de virtutibus moralibus, nam si aliquis teneret non infundi virtutes Theologicas aut morales, qui teneret oppositum non propterea deberet asserere infundi morales, sed sufficeret ipsi asserere quòd aut Theologicæ, aut morales infunderentur, nam Contradictoria Propositio hujus: *Non infunduntur Theologicæ aut morales virtutes*, est hæc: *Infunduntur Theologicæ, aut morales*. Sed ad veritatem hujus disjunctivæ Propositionis sufficit Veritas alterutrius partis, & non requiritur Veritas utriusque, ergo sufficit, quòd fides aut Charitas, aut aliæ virtutes infunderentur. In hac objectione dilucidanda prolixiùs fortè quàm par erat mansi, quia in ea fundant se multi ex Adversariis.

ARGUITUR 3. Ubicunque circa idem objectum & materiam Virtutis est duplicis generis & duplicis ordinis honestas & bonitas, duplex debet esse virtus, sed circa materiam & objectum virtutum moralium est duplex honestas & bonitas, nempe una naturalis & altera supernaturalis, seu infusa: ergo etiam debet esse duplex virtus, una naturalis, & altera supernaturalis, seu infusa. maj. videtur certa, probatur ergo mi. In homine circa materiam virtutis est duplex status, unus inquantum est homo, & alter inquantum est Civis & domesticus Dei, ergo circa virtutis materiam duplex est honestas. Probatur Conseq. Quia inquantum homo seu Civis civitatis humanæ potest ordinare virtutes morales, prout ad valetudinem & rectum rationis usum conducunt, quæ est honestas naturalis, & ex alia possunt ordinari ad vitam æternam, quæ supernaturaliter & per fidem tantùm innotescit, estque honestas supernaturalis. ergo. Respond. negando maj. Quia virtutes supernaturales Theologicæ sufficiunt, & ordinant virtutes morales ad æternam vitam, & beatitudinem, nam si ad aliquas requireretur penes virtutem acquisitam etiam infusa, deberet etiam acquiri Prudentia infusa, & sic omnes virtuosi supernaturaliter essent prudentes.

INSTATUR. Si Virtutes morales per Supernaturales possunt dirigi & ordinari ad finem & honestatem supernaturalem, poterunt etiam per solam Charitatem dirigi fides & Spes, sed hoc non admittitur, ergo nec illud ex quo sequitur: Probatur sequela, quia in Charitate tam virtualiter continetur actus fidei & Spei, ac cujuscunque alterius virtutis moralis, ergo si non est necesse ob hoc ponere virtutes morales infusas, nec debebunt statui supernaturaliter infusa fides & Spes. Respond. negando sequelam maj. cum sua probatione, Disparitas est, quia Charitas defactò in nullo viatore reperitur sinè fide & Spe infusis; Et sic quia opus fidei acquisitæ sinè fide infusa non cadit sub imperio voluntatis informatæ Charitate, sequitur tale opus non contineri virtualiter in Charitate, & consequenter nec tale opus potest esse meritorium, quòd si daretur autem Charitas sine fide infusa, tunc posset currere paritas, & tunc etiam fides acquisita esset meritoria, sicut sunt omnes virtutes morales acquisitæ.

DISPU-

DISPUTATIO IV.

De Octo Beatitudinibus, Donis Spiritus Sancti, ejúsque fructibus, & gratiis gratis datis.

HAnc Disputationem subjungere debeo propter resolvendam difficultatem, quæ movetur An in titulo specificata omnia à Virtutibus Moralibus & Theologicis distinguantur, id est, an sint distinctæ qualitates, diversósque importent habitus & actus à Virtutibus distinctos, in qua materia controvertunt Scholæ nostræ reales, nam D. Thomas, D. Bonaventura, Henricus, & complures Recentiores affirmant omninò esse habitus & actus distinctos, Doctor verò subtilis 3. d. 34. q. 1. & Scotistæ communiter tenent contrarium, ex quibus nonnulli, ut Aretinus, fusè rem tractant, quamvis opus non sit, cùm sententiæ affirmantis argumenta facilè solvi possint, ex nulla enim authoritate, quæ potissimùm adduci debeat, ostendi potest, dona vel beatitudines esse habitus aut actus distinctos, Nec etiam habent objecta distincta à Virtutibus, quamvis perfectissimo modo beneficio gratiæ Spiritûs Sancti in illa ferantur. Ego rem quoque breviter expediam, sit igitur.

Quæstio I.

De Octo Beatitudinibus

1. *Lucas quatuor ponit beatitudines.*

QUatuor tantum beatitudines Sanctus Lucas Dominicas posuit, octo verò Sanctus Matthæus: Sed in illis octo istæ quatuor sunt, & in quatuor istis illæ octo. Hic enim quatuor velut virtutes amplexus est cardinales: ille in illis octo mysticum numerum reservavit, ait S. Ambrosius lib. 5. in Lucam cap. 6. Et sunt istæ *Paupertas Spiritûs, Mititas, Luctus, Esuries & sitis Justitiæ, Misericordia, Munditia cordis, Pacis Amor*, & *Passio persecutionis*. Per primam Beatitudinem intelligit Doctor noster Humilitatem moderantem honores: unde D. Augustinus lib. 1. de sermon. Domini in monte cap. 1. dicit. *Quapropter rectè hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles & timentes DEUM, id est, non habentes inflatum spiritum. Nec aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem, siquidem perventura est ad summam sapientiam. Initium autem sapientiæ timor Domini. Quoniam & è contrario initium omnis peccati superbia scribitur. Superbi ergo appetant & diligant regna terrarum.*

Posset etiam bene per illam intelligi contemptus divitiarum, non solùm quoad effectum sed etiam quoad rem per abdicationem realem divitiarum, & possessionum quoad Dominium, præmium hujus beatitudinis est Regnum Cœlorum. Per secundam beatitudinem, quæ est *Mititas* intelligitur *Mansvetudo*, quâ comprimit se quis ab ira, & permittit se malè tractari, propter Deum, hujus præmium est terra viventium. Unde pulchrè Augustinus in lib. citato cap. 2. *Mites sunt, qui cedunt improbitatibus & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum. Rixentur ergo immites, & dimicent pro terrenis & temporalibus rebus. Beati autem mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram, de qua pelli non possunt.*

Per Tertiam quæ est *Luctus* intelligit Doctor luctum illum, qui proficiscitur ex desiderio bonorum æternorum, quod colligitur ex illo Psal. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes*; & Augustinus supra ait: *Non enim gaudent his rebus, quibus antè gaudebant: & donec in illis fiat Amor æternorum, nonnulla mœstitia sauciantur.* & alii intelligunt per luctum illum, quo quis sua deflet, & aliena peccata, cujus præmium est *Consolatio*, & in hac, & in altera vita. 2. *Beatitudines explicantur.*

Per Quartam quæ est *Esurios & Sitis* intelligit Doctor Esuriem & sitim justitiæ spiritualis. Et Augustinus cit. cap. 3. *In quarto autem gradu labor est, ubi vehementer incumbitur, ut sese animus avellat ab eis quibus pestifera dulcedine innexus est. Hic ergo esuritur & sititur justitia, & multùm necessaria est fortitudo, quia non relinquitur sine dolore, quod cum delectatione retinetur.* Alii autem intelligunt abstinentiam à cibo & potu propter Deum, præmium hujus *Saturitas*, quam assequentur in altera vita.

Per Quintam, quæ est *Misericordia* intelligit Doctor collationem beneficiorum, sive Corporalium sive Spiritualium indigentibus, præmium hujus est *condonatio peccatorum*: Nam ut ait D. Augustinus: *Est justum consilium, ut qui se à potentiori adjuvari vult, adjuvet & infirmiorem, in quo est ipse potentior.*

Per Sextam quæ & *Mundities cordis* intelligit Doctor Castitatem, & Continentiam, præmium ejus est *Visio Dei*. Hinc D. Hipponensis continuat dicens: *Sexto gradu est cordis munditia de bona conscientia bonorum operum, valens ad contemplandum summum illud bonum, quod solo puro & sereno intellectu cerni potest.*

Per Septimam, quæ est *pacificorum*, intelligit

telligit Doctor *præsidentiam & Subjectionem*, quâ Superiores rectè se gerunt erga subditos, & quâ inferiores rectè se gerunt ad mandata Superiorum. Idem sentit D. Aurelius aiens: *Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori seipse subjiciat. Et hæc est pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, hæc vita consummati perfectique sapientis.*

Alii autem intelligunt pacificos illos, qui publicæ paci conciliandæ student. Præmium ejus est, quòd tales vocabuntur Filii Dei, eò quòd in pace viventes studuerunt se conformare Christo Domino, qui est Princeps pacis. Hæc bene dicuntur respectu aliorum, sed respectu suimetipsius cujuslibet hominis ait S. Doctor fæpe citatus, *Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes & subjicientes rationi, idest, menti & Spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum DEI. In quo ita sunt ordinata omnia.*

Per Octavam & ultimam, quæ est illorum, qui *persecutionem patiuntur propter justitiam*, intelligit Doctor persecutionem propter quamcunque virtutem, hujus præmium est *Regnum Cœlorum.* De his beatitudinibus quæritur particulariter an sint habitus vel actus? quod dum resolvo

3. *Beatitudines sunt habitus.* DICO *Beatitudines octo enumeratas esse habitus.* Probatur. Quia si in actu consisterent nullus diceretur esse beatus, nisi in instanti, quo actum ipsarum eliceret, sed hoc non est dicendum, Ergo. Prob. mi. quia Christus Dominus vocat misericordes beatos, & non limitavit illam propositionem præcisè ad actum.

DICES, ille actus elicitus manet moraliter tam diu, quàm diu non retractetur, Ergo ab illo quis dici poterit Beatus? Contra 1n Beato post actum manet aliquid physicè, ratione cujus dicitur Beatus, sed illud non est actus, qui præteriit, Ergo habitus ab illo productus. Contra secundò, Homines non dicuntur Justi ab actu Charitatis præterito moraliter manente, sed ab habitu Charitatis physicè permanentis, Ergo similiter nec dicetur pauper beatus ab actu præterito paupertatis moraliter manente, sed ab habitu physicè permanente.

DICES secundò. Propter actus, & non propter habitus consequitur quis præmium illis beatitudinibus promissum, ergo. sed Contra, Propter actus Charitatis, & non propter habitus consequitur quis vitam æternam, Ergo actus & non habitus Charitatis justificat. Respond. ergo disting. ant. propter actus causaliter, Concedo, formaliter, nego anteced. sicut enim actus Charitatis causant vitam æternam, habitus verò Formaliter faciunt dignum vitâ æternâ, ita actus beatitudinis causant præmia earum beatitudinum habitus verò formaliter faciunt beatos.

Quæstio II.

De donis Spiritûs Sancti.

1. *Dona Spiritûs S. quæ & qualia.* NOTANDUM 1. Per donum me hic non intelligere munus quodcunque liberaliter voluntariè & gratuitè à DEO hominibus concessum, quod comprehendit tam naturalia, quàm gratuita juxta illud Jacobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.* Nec accipio hic donum prout significat munus divinitus datum creaturæ rationali, ut commodius aliorum saluti prodesse possit, quæ vocantur ordinariè gratiæ gratis datæ, sed per donum hic intelligo ornatum aliquem particularem, quo creduntur justi affici, sicut etiam Christus (cujus claritati configurari nos oportet) eis affectus fuit juxta S. S. Patres communiter accommodantes i. illud Isaiæ 11. *Et requiescet super eum Spiritus Sapientiæ &c.* potestque definiri, quòd sit *Datio irredibilis simpliciter.* Iy *Datio*, rationem habet generis, quia multa dantur, quæ tamen rationem & nomen doni non merentur, nam qui dat ut accipiat, quæstum facit non donum juxta illud commune: *Gratia nulla datur, si munere munus ematur*, qui verò dat, ut liberetur, non dat, sed remittit se. To *irredibilis*, locum habet differentiæ, nullum enim est donum, quod spe rehabendi tribuitur, sed dicitur accommodatio, ideo additur tertiò *simpliciter*, ut donans tempus non limitet, cui donatio facta est ad reddendum.

2. *Dona Spiritûs S. sunt septem.* Notandum 2. Dona Spiritûs S. secundùm Patres septem numerari, quidquid dicant nonnulli sacræ Scripturæ interpretes, quæ colliguntur ex illo loco Isaiæ 11. *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & intellectûs, Spiritus Consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Unde canit Ecclesia quoque in Pentecoste, *Tu septiformis munere &c.* ratio eorum autem desumitur secundùm numerum septennarium, ex eo quòd opponantur septem vitiis, quæ ex peccato causantur, nam in concupiscibili ex peccato causatur *duritia*, quâ non flectitur homo ad subveniendum proximo, cui opponitur donum *Pietatis.* In irascibili causatur ex peccato *timiditas* aggrediendi & sustinendi ardua pro DEO, contra quam est donum *Fortitudinis.* Causatur etiam præsumptio, & temeritas cui succurrit donum *timoris.* Contra hebetudinem in parte rationali est donum *intellectûs.* Causatur etiam *fluktitia*, quando homo retrahitur à desiderio & amore ultimi finis, & contra eam datur donum *Sapientiæ.* Respectu verò eorum, quæ sunt media ad ultimum finem

Digitized by Google

finem ex peccato provenit *ignorantia*, qua nescit homo eligere media ad ultimum finem conducentia, & contra hanc est donum *Scientiæ*. Causatur tandem ex peccato præcipitatio, qua homo magis ducitur passione, quàm electione & contra eam infunditur donum *Consilii*. Divus Bonaventura in opusculo de septem donis Spiritûs S. dicit, quòd dona sint radii ignei, per quos Spiritus S. ad modum ignis amorosi humiliat alta per donum *Timoris*, liquefacit dura per donum *Pietatis*, illuminat obscura per donum *Scientiæ*, consolidat mollia per donum *Fortitudinis*, dirigit devia per donum *Consilii*, ignit frigida per donum *Sapientiæ*. Hæc dona multipliciter in Scriptura fuerunt figurata. Primò per septem crines in capite Samsonis Jud. 14. quibus manentibus fuit invincibilis. 2. Septem filiis Job. 1. Job. ut exponit D. Gregorius. 3. Septem gradibus, quibus ascenditur ad templum Ezech. 40. 4. Septem stellis Apocalyps. 1. in dextera Christi quæ præsentem vitam illuminat, quæ noctu rectè comparatur, tum propter adversitates quibus plena est, tum propter tenebras duplices ignorantiæ scilicet & culpæ. Hæc autem in dextera Christi esse dicuntur, quia in sua potestate est dare dona cui voluerit, & ipsum Authorem donorum Spiritum Paraclitum, ut ipse ait Joan. 15. *Spiritum Paraclitum quem ego vobis mittam à Patre*, unde & Christus dextera DEI Patris dicitur, & Spiritus hujus dexteræ digitus. His prænotatis aggredior ad explicationem singulorum. Itaque

3. Donum Sapientiæ est Charitas.

Per primum donum Sapientiæ D. Thomas intelligit donum perficiens hominem in ordine ad judicium speculativum: Alii dicunt esse principium actuum quo quis ex speciali instinctu Spiritûs Sancti assentitur Conclusionibus Supernaturalibus, & divinis, deductis ex principiis fidei: Doctor noster per hoc donum intelligit Charitatem infusam, & probat ex illo Sap. 1. *In malevolam animam non intrabit Sapientia*, id est, Charitas, quia nullum donum defactò concessum est hominibus, quod non posset susci pi in malevola anima præter Charitatem, quæ cum omni peccato mortali est incompatibilis, Ergo per Sapientiam optimè intelligitur Charitas infusa. Confirmatur ex S. Augustino Epistolâ 120. ubi ait Sapientiam esse Charitatem Dei, nec infundi in cordibus nostris, nisi per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Confirmatur Secundò, loca in quibus Scriptura commendat Sapientiam bene intelligi possunt de Charitate, ut Proverb. 24. *Beatus vir qui in Sapientia morabitur*, id est in Charitate, nam sinè illa nullus beatus esse potest, & Sapient. 7. *Neminem diligit Deus nisi eum qui cum Sapientia ambulat*, hoc est cum Charitate, quia omnem habentem Charitatem diligit DEUS. D. Bonavent. in opusculis de septem donis Spiritûs Sancti, per donum Sapientiæ intelligit habitum Supernaturalem animæ à Spiritu Sancto infusum ad Deum cognoscendum & sapotosè diligendum, unde in dicta salutis ait: *Donum hoc esse splendidissimum instar lucis, Sapientissimum instar mellis, & profundissimum instar Maris*, de qua Sap. 7. dicitur *quòd sit speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum*, quòd prior inveniatur. Eccles. 6. Sapientia secundùm nomen est sapida Scientia, & non multis manifesta. Rom. 11. *O altitudo Sapientiæ & Scientiæ!*

4. Donum Intellectûs,

Per secundum donum quod est *Intellectûs*, intelligit Doctor fidem infusam non secundùm totam suam extensionem, sed quatenus adjuvat ad assentiendum articulis primis communiter propositis, qui sunt quasi principia ex quibus potest deveniri in cognitionem aliorum articulorum fidei, quales sunt isti, *scriptura est verbum DEI scriptum, traditio est verbum non scriptum, Ecclesia habet infallibilem assistentiam in proponendis & decidendis articulis fidei.* Hanc explicationem probat Doctor à paritate habitûs acquisiti cognoscitivi, qui quatenus concurrit ad præmissas, *Intellectus*, quatenus autem ad Conclusionem *Scientia* dicitur, sic etiam fides infusa, quatenus concurrit ad generalia principia, ex quibus deducuntur particulares articuli fidei potest dici *Intellectus*, quatenus verò ad particulares articulos concurrit *Scientia* dici potest. Confirmatur. Loca Scripturæ in quibus fit mentio de Intellectu quæ non possunt intelligi de ipsa facultate intellectiva, optimè intelliguntur de fide jam explicata, ut illud Psalmi 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Da mihi intellectum & vivam.*

DICES. Hæc dona fuerunt Communicata Christo, sed Christus Dominus non habuit fidem, ergo per donum Intellectûs malè intelligitur fides. Resp. dist ma. non habuit fidem eminentialem, nego ma. formalem, concedo ma. Itaq; per donum Intellectûs communicatum Christo intelligitur fides eminentialis, id est *Scientia infusa*, vel lumen gloriæ, communicatum autem Sanctis intelligitur formalis fides supra explicata.

DICES secundò. Hoc donum petitur ab habentibus fidem, ut patet ex Scriptura citata, ubi David illud petit, qui haud dubiè fidem habuit, Ergo malè intelligitur per illud fides. Resp. neg. Conseq. quia habentes hoc donum possunt petere augmentum illius. Deinde cur sicut justi petunt Charitatem ex eo, quòd non sint certi an illam habeant, ita similiter non possunt petere fidem, de qua non sunt certi. D. Bonav. per nomen Intellectûs inquit

importari intimam quandam cognitionem, seu intellectionem, nam intelligere dicit nihil est aliud quàm intus legere; Unde per hoc donum Intellectûs intelligit Lumen aliquod Supernaturale, quo mediante intima rerum intelligentia essentiæ & virtutes cognoscuntur.

5. *Donum Consilii.* Per Tertium donum, quod est *Consilii*, intelligit Doctor prudentiam habitualem acquisitam, nam infusam non admittit, si tamen daretur certè in ipsa constituendum esset hoc donum; Probatur, quia prudentia est habitus consiliativus per quam Consiliationem quis dicitur prudens. D. Bonavent. per hoc donum intelligit habitum à DEO infusum, ex quo secundùm Consilium Spiritûs Sancti movemur ad operationes bonas, quarum non est determinata ratio, qualiter sit agendum, eò quòd non uniformiter semper fiat: discrimen inter Consilium & prudentiam dat, quia Consilium dicit utrùm aliquid sit agendum? Prudentia verò, quo fine, quibus mediis, & in quibus Circumstantiis. Quatuor autem in Consilio sunt servanda, *Expediens, facilè, certum* & *securum*; *Expediens*, nè damnum inferatur; *Facilè*, ne difficulter acquiratur; *Certum*, nè incertè; *Securum*, nè periculosè, unde Proverb. 11. dicitur: *ibi Salus, ubi multa Consilia;* intellige tamen si Consilia sunt à justis, Sapientibus, & expertis, nè cui contingat sicut Roboam, qui magna pro parte Regnum amisit, eò quòd relicto Seniorum Consilio, Juvenum lascivorum Consilio adhæserit. 3. Reg. 3.

6. *Donum Fortitudinis.* Per Quartum donum *Fortitudinis*, intelligit Doctor ipsam virtutem Cardinalem. D. Bonav. distinguit duplicem fortitudinem, unam, quæ est virtus; alteram, quæ est donum Spiritûs Sancti. De virtute fortitudinis agit Phil. in Ethicis & dicit: *Fortem esse illum, qui non timet terribilia, sed omnia sustinet boni gratiâ.* Et hæc fortitudo habet se respectu ardui & mali secundùm dictamen naturalium principiorum, unde tali fortitudine homo sustinet pericula & læsiones propter bonum virtutis. Per *Fortitudinem*, quæ est donum Spiritûs Sancti intelligit D. Bonaventura habitum subjectatum in voluntate, in quantum negotiatur circa ardua, quo voluntas habilitatur ad volendum etiam mortem sustinere pro defensione Veritatis fidei, vel morum sequendo Spiritûs S. motivam inspirationem; Hac fortitudine roborati Sancti fecerunt opera super modum humanum, sustinendo cum gaudio omnia adversa, ùt patet de Apostolis Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes &c.*

7. *Donum Scientiæ.* Per Quintum donum *Scientiæ* intelligit Doctor fidem supernaturalem, ut juvat ad credendos articulos particulares fidei, qui non sunt principia generalia de quibus supra, hujusmodi sunt isti: *Christus venit, Mortui resurgent* &c. Probatur ex Scriptura: *Nos audivimus & scimus, quia hic est Salvator.* Sap. 8. *Ut sciviqualiter nemo possit esse continens, nisi Deus det.* D. Bonaventura super Cantica ait. Scientiam aliam esse *secularem*, aliam *Spiritualem. Sæcularis est quæ inebriat non Charitate, sed curiositate; implet, sed non nutrit; inflat, sed non ædificat; ingurgitat, sed non confortat;* Spiritualis ex libris D. Aug. 14. Trinit. cap. 1. *est, quæ non est rerum vanarum, nec curiosarum, sed earum, ad quæ fides saluberrima conducit,* & hæc dicitur donum Spiritûs Sancti, quod donum habent, qui ex infusione gratiæ certum judicium habent, circa credenda ita, ut in nullo devient à rectitudine justitiæ, & de hac Scientia dicit Sap. 20. *Dedit illis Scientiam Sanctorum.*

8. *Donum Pietatis.* Per sextum donum, quod est *Pietatis* intelligit Doctor *Misericordiam* in pauperes. Probatur, quia misericordes pii vocantur. Advertendum tamen quòd Pietas multipliciter sumatur, quædam enim est *innata*, quædam *acquisita*, & quædam *infusa*; Pietas innata est quædam affectio ad aliquid inclinans, taliter ut filii inclinantur ad amandos Parentes, & è contra; homines ad amandum Patriam, & hæc vocatur passio naturalis, nec est donum Spiritûs Sancti de quo hic, cùm sit commune brutis; Pietas acquisita est, quæ solùm ad notos terminatur, apud quos plus familiaritas quàm natura valet; Pietas infusa est habitus aliquis infusus inclinans ad opera misericordiæ; quæ in duplici sunt differentia, alia enim sunt *Corporalia*, ut visitare infirmos, potare sitientes &c. Alia sunt *Spiritualia*, ut ignoscere delinquentibus, corrigere peccantes, docere ignorantes, consulere dubitantibus, consolari mœstos, orare pro salute proximi, & condonare injurias juxta versum:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo,
Instrue, Consule, Castiga, Solare, remitte, Fer opem.

9. *Donum Timoris.* Per Septimum & ultimum donum Spiritûs Sancti, quod est *Timoris* intelligit Doctor humilitatem, passiones, & honores, moderantem, pro quo Nota, quintuplicem esse Timorem; scilicet, *naturalem, mundanum, servilem, filialem, & initialem*; Timor *naturalis* est passio quædam orta ex amore naturali, dum quilibet timet nocumentum naturæ, isto Timore Christus Dominus timuit mori, sed non nisi quantum nobis, vel ad exemplum, vel ad documentum. Timor *Mundanus* est quo quis nimium timet de amissione vitæ præsentis, vel bonorum ad hanc vitam pertinentium, unde quò quis magis diligit mundum, vel res temporales, eò magis timet ab illis separari, hic timor nascitur ex inordinato amore Mundi, qui timor quandoq; est peccatũ mortale, tunc scil. quando quis mallet amittere vitam æternam, quàm temporalia; quandoq; veniale, tunc sci-

Digitized by Google

scilicet, quandò quis agit, quod non debet, & omittit, quod debet, ut effugiat pœnam temporalem. Timor *Servilis* est, quo quis magis timet pœnã, quàm culpam, & hunc timore perfecta Charitas mittit foras. Timor *Filialis* est, qui est donum Spiritûs S. quo quis subjicitur Spiritui Sancto, ita ut in nullo eidem repugnet, timeatq; offendam propter ipsum, hunc timorem Charitas sibi perfectè collaterat, & nullatenus foras mittit; de hoc timore Gilbertus Porretanus dicit, quid timor ille filialis nisi amor esse probatur. Timor denique *Initialis* est principium Sapientiæ, hoc timore cohibetur homo à peccato partim propter Deum, partim propter pœnam æternã.

Pro fine hujus Quæstionis Notandum utilitatem horum donorum esse, ut ipsis mediantibus, in anima domus Spiritualis perfectè adornetur, & Spiritui S. præparetur ita ut in ea misceat vinum & ponat mensam faciatq; Convivium, cujus dulcedinem nemo scit, nisi qui accipit. Hæc de donis Spiritûs Sancti, qui plura videre cupit, legat opusculum D. Bonav. de donis Spiritûs Sancti, ubi pulchra utilia, ac doctrinalia inveniet, qualiter scilicet dies per hæc dona in anima creantur, & qualiter per ea Convivium spirituale animæ præparetur, quæ hic brevitatis studens omitto. Legatur etiam D. Augustinus lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 4. ubi hæc dona attribuit & accommodat Beatitudinibus octo supra recensitis, incipiendo ab ultimo dicens, Timor Dei congruit Humilibus, Pietas mitibus; Scientia Lugentibus: Fortitudo esurientibus & sitientibus: Consilium Misericordibus: Intellectus mundis corde: & Sapientia Pacificis.

Quæstio III.

De Fructibus Spiritûs Sancti.

1. *Opera carnis enumerantur.*

POstquam Apostolus ad Galatas 5. enumerâsset opera carnis, *quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum Servitus, Veneficia, inimicitiæ, Contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, Comessationes, & his similia*: *quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* Subjungit in eodem capite duodecim fructus Spiritûs Sancti qui sunt: *Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas, adversus hujusmodi non est lex*; dicitur autem fructus, quia solent germinare in agro cordis humani, mediante gratia Spiritûs Sancti, quæ Semen in anima nostra satum dicitur juxta illud 1. Joan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet.* Nam homo non solum agro comparatur, sed & arbori & ligno Psal. 1. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.*

2. *Fructus Spiritûs S. explicantur.*

Per primum fructum qui est *Charitas* intelligitur ipsa virtus Theologica, cùm nihil impediat, nam licet ipsa Charitas sit apud nos idem quod gratia, quam semen Spiritus Sancti dixi, potest tamen etiam dici fructus, quia per fructum potest intelligi Charitas actualis, quæ tanquam fructus pullulat à Charitate habituali. Si verò intelligitur de habituali, erit etiam fructus, quatenus scilicet sequitur ad gratiam actualem, quâ mediante quis se disponit, ad eam reperiendam. Deinde potest intelligi augmentum gratiæ.

Per *Gaudium* intelligitur delectatio spiritualis, orta ex actu Charitatis; unde gaudium spirituale per hoc distinguitur à mundano, quod gaudium spirituale sit circa Deum & beatitudinem cœlestem, mundanum verò circa hæc terrena transitoria, quod semper admixtum habet dolorem & tristiam, nam divitiæ in quibus homines delectantur juxta D. Bernardum: *cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, & cum dolore amittuntur.* Unde versus

Dives divitias non congregat absq; labore,
Non tenet absq; metu, non deserit absq; dolore.

Per *Pacem* tertium fructum, intelligitur quieta & pacifica cum proximis cohabitatio.

Per *Patientiam*, intelligitur rerum adversarum propter Deum tolerantia.

Per *Longanimitatem*, intelligitur spes consequendæ vitæ æternæ, & omnium ad ipsam conducentium.

Per *Bonitatem*, intelligitur suavis & dulcis conversandi modus.

Per *Mansuetudinem*, intelligitur perfecta obedientia, quâ quis sequitur Superiorum mandata, sine murmure.

Per *Fidem*, intelligitur ipsa fides Theologica.

Per *Modestiam*, intelligitur compositio externa.

Per *Continentiam*, denique & *Castitatem*, intelligitur species temperantiæ, quâ moderantur affectus circa delectabilia.

Quæstio IV.

De gratiis gratis datis.

3. *Gratiæ gratis datæ quæ & quot?*

HArum gratiarum facit mentionem Apostolus 1 Cor. 12. ubi 9. principaliter enumerantur his verbis: *Unicuique datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem, alii quidem per Spiritum datur sermo Sapientiæ, alii autem sermo Scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia Sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii genera linguarum, alii discretio Spirituum, alii interpretatio Sermonum.*

4. *Gratiæ gratis datæ & gratum facientes quomodò distinguantur.*

Dicuntur autem illæ gratiæ gratis datæ non ex eo, quòd gratis dentur, nam sic non distinguerentur ab ulla gratia, cùm omnis gratia gratis detur, aliàs non esset gratia, nam ipsamet gratia, quæ confertur justis ob meritum actus boni, quem eliciunt datur gratis;

tis; tum quia non possent mereri illam nisi DEUS ex speciali gratia & favore acceptaret tales actus ut meritorios: tum qui sinè gratia non elicerent illum actum meritorium; sed quidquid sit an distinguantur ex hoc capite, ab aliqua gratia, certum tamen est illas non distingui ab ulla, quæ gratis daretur; Constat autem multas gratias gratis dari, quæ non sunt ex his novem, nec vocantur à Theologis *gratis datæ*, sed *gratum facientes*, nam gratis datur gratia actualis, quâ quis operatur quodcunque bonum conducens ad vitam æternam, & illa quâ quis vincit aliquam tentationem.

2. Distinguuntur ergo gratiæ gratis datæ ab aliis per hoc, quod conferantur alicui per se primo in ordine ad bonum alienum, gratia autem gratum faciens confertur alicui in ordine ad bonum proprium, faciendo scilicet illum Deo gratum, quæ explicatio eo ipso, quòd Communis sit admitti potest; voces enim ut imponi possunt de novo, ita accipi debent in sensu Communiori, etiamsi nulla adesset ratio particularis ob quam haberent illam significationem.

3. *Gratiæ gratis datæ explicantur.* His prænotatis ad earum explicationem veniamus, Itaque per primam gratiam, quæ est Sermo Sapientiæ intelligitur gratia, quâ mediante quis sapienter loquitur, sive docendo, sive prædicando, sive scribendo, ita ut versetur hæc gratia immediatè circa Sermonem aut Scriptionem; Differentia hujus gratiæ ab altera, quæ est sermo scientiæ, est talis qualis inter Sapientiam & Scientiam; nam licut per Sapientiam cognoscuntur res Superiores, & Sublimiores, & per Scientiam inferiores, & minùs sublimiores, ita Sermo Sapientiæ est de rebus Superioribus, & Mysteriis sublimioribus, ac difficilioribus Fidei, & Sermo Scientiæ de rebus inferioribus, & minùs sublimioribus.

Per tertiam gratiam, quæ est *Fides*, intelligitur ipsa Fides Theologica, non quidem quomodocunque, sed quatenus communicatur modo aliquo extraordinario, ita ut sinè magna instructione fic faciat Deus aliquem credere Mysteria Fidei cum admiratione & confirmatione multorum in Fide.

Per quartam gratiam, quæ est *Sanitatum*, intelligitur donum extraordinariè concessum, quo mediante posset quis restituere Sanitatem infirmis, ita ut ex hoc reducantur ad fidem, vel in ipsa confirmentur.

Per quintam, quæ est *Operatio virtutum*, intelligitur potestas faciendi miracula, quæ in aliquibus invenitur cum gratia Sanitatum, miracula autem non fiunt physicè ab hominibus, sed ad eum modum, quo dixi Sacramenta causare gratiam, DEUS enim ipse est, qui facit illa, & homo solùm moraliter quatenus mediante scilicet intercessione ipsius Deus movetur ad ea physicè patranda, quæ aliàs non erat facturus.

Per Sextam, quæ est *Prophetia*, intelligitur gratia, quâ mediante potest quis cognoscere ea, quæ aliàs non cognosceret, absque revelatione Dei, & comprehendit hæc cognitio non solùm cognitionem futurorum, sed etiam præteritorum, & absentium, ac occultorum præsentium, ut secretorum cordium, absque manifestatione alterius. Dixi *absque revelatione DEI*, quia quamvis prædiceret futura per conjecturam, aut ex revelatione particulari Diaboli, & cognosceret illa futura, non tamen esset propheta, quia facilè decipi posset à Diabolo, qui est Pater Mendacii.

Per septimam, quæ est *discretio spirituum*, intelligit D. Chrysost. gratiam illam, quam Deus communicaret alicui ad cognoscendos Spiritus & distinctionem eorum inter se, an boni sunt vel mali.

Per octavam, quæ est *genera linguarum*, intelligitur donum, quo mediante ex speciali concursu DEI quis dicit vel novit linguas, qualis gratia communicata fuit Apostolis in die Pentecostes, & Sancto Bernardino in Concilio Florentino, quem Græci Italicè prædicantem intellexerunt tanquam græcè loquutus fuisset.

Per nonam, quæ est *Interpretatio Sermonum*, intelligitur gratia aliqua particularis concessa quibusdam, ut intelligant sensum Sermonum, aut Scripturæ, quem aliàs sinè particulari gratia in illis circumstantiis, aut tam citò non intelligerent.

Quæstio V.

An beatitudines, Dona, & fructus Spiritus Sancti distinguantur à Virtutibus moralibus & Theologicis?

1. *Dona & Fructus Spiritus S. sunt habitus.* Dicta hactenus fuerunt prælimina ria ad intelligentiam terminorum, nunc resolvenda est difficultas. Pro qua

DICO 1. *Dona & Fructus sunt habitus, sicuti virtutes.* Probatur ex communi modo loquendi Patrum & Scripturæ. Nam Isaiæ 11. dicitur: *Requiescit super eum.* Joan. 14. *Apud vos manebit, & in vobis erit*, sed requiescere & manere denotant habitus, ergo.

2. *Dona & Beatitudines non sunt habitus à virtutibus distincti.* DICO 2. *Dona non sunt habitus distincti à virtutibus.* Ita Doctor hic d. 34. q. un. sub Litt. O. §. *de donis dico.* ubi ait: Hi enumerantur quatuor virtutes Cardinales. Prudentia per donum consilii; prudentia enim est habitus cor siliativus, cum est habitus rectè syllogizandi practicè, & tale syllogizare est consiliari. Unde habitus, quo quis est consiliativus,

vus, est prudentia. Fortitudo expimitur sic fortitudinem me dimes, dimes enim est species temperantiæ. Idem enim est omnino timor, quod humilitas, licet alio nomine nominetur, licut patet per illa per Augustinum super illud Matthæi *Beati pauperes Spiritu*. Frequenter enim nominantur non nominibus propriis, & sibi proprietatibus subjectorum nominum movent. Unde illud: *Initium sapientiæ timor Domini*, nihil aliud est nisi humilitas quæ est principium omnium bonorum, ut dicit ibi Augustinus, hæc est, quæ quasi sub arcano vocatur misericordia, & alio est species justitiæ, ut habetur a S. Augustino lib. 2. de Serm. Domini in monte cap. 4. ubi dicit: *Videtur ergo mihi per istam septenariam operationem Spiritus Sancti, qui est donum timoris, quæ sit, intelligi, quæ congruere. Sed ut ordo servetur. Non ille ornamentis & vestimentis carni suæ servit, qui pauperes Spiritu. Et namque in opera pietatis DEI, & scelli ad timorem DEI, sic initium sumenda nemo dubitavit. Quapropter pertinere ad timorem Dei, quod pertinet ad misericordiam, nemo dubitat.* Secunda pietas, tertia fortitudo, quarta fortitudo, quintum consilium, sexta intelligentia, septima sapientia. Tunc DEI congruit humilitas, de qua hic dicitur, Beati pauperes Spiritu, quoniam ejusmodi est regnum cœlorum. Item ex Lorino: Connexio concupiscentiam inordinatam delectabilium ordinatur per donum timoris, licut fervidum est Proverb. 16. *Per timorem Domini declinat omnis a malo*, & spiritus pœnitentiæ pietate, quæ est species justitiæ: five enim ejusdem dicatur habitus ad cultum Dei vivi veri, quæ *Theologia* græce dicitur, five habitus misericordiæ, quo proximo compatimur, eorum materiale habet aliquid super pertinet ad fortitudinem ordinatur ad reddendum alteri, quod sibi est, DEO nempe honorem devotionis, quo *Charitate* ejus gaudemus, nunquam per Spiritum *fortitudo* quæ vocamur contectum. Donum autem intellectus & fidei ut finali ex summi Deum revelatum ejus perfectionem & imperfectionem, non in naturalibus Evangelio, & intellectu dicitur notitia principiorum, fidei vero consideratum, ita per intellectum intelligitur fides imperfecta, id est, notitia primorum articulorum, quæ est fides implicita: perfectus autem vero intelligitur fides perfecta & explicita non tantum primorum articulorum, sed etiam eorum, qui in eis sunt, & ex iis deducuntur.

Probatur Conclusio ratione, quia nulla est necessitas multiplicandi donum tanquam distincta habitualia virtutibus, ergo probatur antecedens, ut multiplicentur habitus debent eisdem multiplicari actus, & objecta; sed quæ diversi actus, nec diversi objecta assignari possunt, ergo probatur tot. Quia eandem diversitatem & objectorum debent eis respectu voluntatis, & intellectus, sed hic non potest assignari, ergo. Probatur min. quia in voluntate non est diversa bonitas & honestas, quæ moventur tanquam unum (thalia est donum, non servitis) est alius Charitate, ideo enim timemus Deum, quia est reverenda & amore quidam dignum, ergo &c. Item in intellectu quoque non est diversa ratio, aut diversitas cognoscendi modus in donis intellectus, quam in virtutibus fidei, & donum scientiæ fi sint de objecto supernaturalibus cognoscendo. Dei manifestum, quare ab objectum terminato videbis. Denique si ponatur donum intuitu debere distinctum. Dei, sitit deorum increatis, ergo non habet diversum objectum, & diversitas materialis. Donum denique Consilium non videtur distinguendum a prudentia, vel in actu, vel in habitu.

Probatur secundo, Dona dantur ad perficiendas aliquas operationes rectas, sed tamen distinguntur ad partes, ergo non dantur aliqua dona quæ essent a virtutibus distincta, probatur min. Quia actiones vel virtutes a donis distincta circa alia objecta virtutum intellectivus sunt aut moralium, si circa Deum perficiunt virtutes theologicæ, si circa alia creaturas morales, ergo.

DICES. Esse tamen aliam & aliam modum perficiendi donorum & perfectionis respectu adjectum & habitus habitus distincti: probatur ant. Quia dona percipiunt voluntatem & intellectum, ut sunt mobiles a Deo, non vero ut sunt mobiles a recta ratione, ergo. Sed Respondeo negando ant. Quia etiam per virtutes dicuntur moveri, & propriæ hæc mobiles a Deo, quam eodem quæ illa mobilitas existetur, termino etiam ejusdem est obiectus, & fortis ipsis obscurare vis argumenti confutat. Deinde duæ ex contra Conclusionem.

OPPONITUR Authoritas D. Gregorii lib. 2. Moralium cap. 49. (sed vera vel ita) ubi explicans illud Job. 1. *Non fecit ipse filiis & tres filias*, per septem filios intelligit septem dona Spiritus Sancti illæ 12. enumerata, & per tres filias, tres virtutes Theologicas. Resp. negando majorem: Quia ibi non fuit ad hanc tantum contra eum cum aliis Patribus Respond. 2. Quamvis D. Gregorius distinguat dona a virtutibus, non distinguit tamen tanquam diversos habitus, sed secundum diversum conceptum modum.

ARGUITUR etiam exratione, si virtutes & dona non essent habitus distincti sequeretur Christum Dominum sue non habuisse dona sua, sed habuisse fidem, quamque ab habuisse, ergo: probatur mi: quia dicere non habuisse quem ille

Digitized by Google

Virtutibus vel in earum speciebus.

dam verò ut passiones consequentes actus virtutum. Ita Doctor hic d. 35. q. un. sub litt. P. §. *De fructibus dico* (sunt verba Doctoris) *quod quidam illorum sunt virtutes secundùm illam regulam, secundùm quam enumeratæ sunt illo Septennario, quidam autem sunt species virtutum ibi enumeratarum, quidam nec sic, nec sic,* id est nec sunt Virtutes, nec species virtutum, sed delectationes subsequentes, v. g. Charitas ibi exprimitur proprio nomine, similiter fides, Spes autem in hoc quod dicitur longanimitas, unde legitur de Patriarchis, *longanimes in Spe*, quasi in longum expectantes. Virtutes morales exprimuntur ibi fortitudo in *patientia;* Justitia in *Misericordia*, per tò bonitas, communiter enim dicitur bonus, qui communicat se proximo; item in amicitia, per ly *benignitas*, benignus enim dicitur quasi *bene ignitus.* Item in tertia specie, quæ pertinet ad regimen vel subjectionem per tò *mansvetudo*, mansvetus enim est, qui libenter obedit, vel suaviter regit. Temperantia exprimitur tum in *Continentia*, quæ est circa quæcunque delectabilia, tum in *Castitate*, quæ est circa venerea. Prudentia denique exprimitur per *modestiam*, modestus enim est, qui modum debitum tenet in agendo, & prudentiæ est invenire modum in actione præfigere, & determinare. *Gaudium* autem & *pax* sunt delectationes sequentes actus virtutum. Sed contra tertiam Conclusionem adhuc

ARGUITUR. Quæ non æqualiter dividuntur non sunt idem, sed virtutes dividuntur in infusas & acquisitas, & dona non sic dividuntur, ergo. prob. mi: quia omnia dona infunduntur. Respond. negando mi: ad probationem dico, quod dona æqualiter dividantur in infusa & acquisita sicut virtutes, quod tamen nonnunquam cum Charitate etiam omnia infundantur, non sunt tamen cum ea necessariò connexa; & cùm sint ejusdem speciei cum virtutibus Cardinalibus, possunt nostris actibus comparari, augeri, & conservari, & sic non sunt habitus per se infusi, sed per accidens.

Ad Aphorismum & Materiam præcedentem sit

Quæstio V. Ethica.

Quis in Mundo sit optimus Ethicus?

REspondeo & dicò, illum esse, qui verba verè in opera, & non tantùm habet scientiam, sed & conscientiam. Quod probo Tum ex illo Joann. 13. *Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.* Tum ex Epistola Marci Aurelii Imperatoris, quam ad Pollionem scripsit de sua educatione, ut refert Guevarra in horologio Principum cap. 2. *Quia in re Annius Verus, pater meus, tantam meritus est laudem, quantam ego reprehensionem mereor. Nam à primis annis pueritiæ nunquam me passus est in lecto dormire, in sella assidere, secum mensæ accumbere: Quin (nec caput subrigere, aut levare, imo) nec oculos quidem attollere audebam, ut ipsum contuerer; cùm his subinde verbis me compellaret: Ego te, Marce fili, Romanum potius honestum, quam Philosophum male moratum esse malo.* Tum denique ex mellifluo S. Bernardo serm. 36. in Cantica. *Sunt qui scire volunt eo fine tantùm, ut sciant, & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciantur, & turpis vanitas est. Et sunt, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, & turpis quæstus est. Et sunt, qui scire volunt, ut ædificentur, & prudentia est. Denique sunt, qui scire volunt, ut ædificent, & charitas est*, quæ diffundatur in nobis per Spiritum sanctum!

Ethicæ

ETHICÆ SACRÆ

PRIMA PARS.

In qualem ius naturæ conditionem, & quatenus mutatum sit. GENESEOS 1. 2. 3.

De Futurorum conditionibus.

Regnandi, & Imperandi ratio.

Origo rerum.

Primi parentes mali, & miseri facti.

DE Ortu & Authore Rerum, & Quidem Primo, Mosis Genesis, Liber, Cap. 1. Vers. 1. In principio creavit Deus cœlum & terram. Quæ verba, ut Hebræi Grammatici docent, ita sunt ordinanda: In principio Deus creavit cœlum & terram. Quæ ordinatio, ut Hebræis, ita & nobis Latinis, & omnibus aliis, quæ ab Hebræis originem habent, est naturalis. Nam Deus, qui est Agens, præcedit Actum, qui est creare: & Actum, qui est creare, præcedit Effectum, qui est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut naturalis, ita & Grammatica est. Nam Nomen, quod est Deus, præcedit Verbum, quod est creavit: & Verbum, quod est creavit, præcedit Nomen, quod est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut Grammatica, ita & Logica est. Nam Subjectum, quod est Deus, præcedit Prædicatum, quod est creavit: & Prædicatum, quod est creavit, præcedit Subjectum, quod est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut Logica, ita & Rhetorica est. Nam Persona, quæ est Deus, præcedit Actionem, quæ est creavit: & Actio, quæ est creavit, præcedit Rem actam, quæ est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut Rhetorica, ita & Historica est. Nam Tempus, quod est In principio, præcedit Actum, qui est creavit: & Actus, qui est creavit, præcedit Effectum, qui est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut Historica, ita & Theologica est. Nam Deus, qui est Agens, præcedit Actum, qui est creare: & Actus, qui est creare, præcedit Effectum, qui est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut Theologica, ita & Philosophica est. Nam Causa, quæ est Deus, præcedit Actionem, quæ est creavit: & Actio, quæ est creavit, præcedit Effectum, qui est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut Philosophica, ita & Mathematica est. Nam Punctum, quod est Deus, præcedit Lineam, quæ est creavit: & Linea, quæ est creavit, præcedit Superficiem, quæ est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut Mathematica, ita & Physica est. Nam Principium, quod est Deus, præcedit Motum, qui est creavit: & Motus, qui est creavit, præcedit Terminum, qui est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut Physica, ita & Metaphysica est. Nam Ens, quod est Deus, præcedit Actum, qui est creavit: & Actus, qui est creavit, præcedit Ens, quod est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut Metaphysica, ita & Logica est. Nam Subjectum, quod est Deus, præcedit Prædicatum, quod est creavit: & Prædicatum, quod est creavit, præcedit Subjectum, quod est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut Logica, ita & Rhetorica est. Nam Persona, quæ est Deus, præcedit Actionem, quæ est creavit: & Actio, quæ est creavit, præcedit Rem actam, quæ est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut Rhetorica, ita & Historica est. Nam Tempus, quod est In principio, præcedit Actum, qui est creavit: & Actus, qui est creavit, præcedit Effectum, qui est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut Historica, ita & Theologica est. Nam Deus, qui est Agens, præcedit Actum, qui est creare: & Actus, qui est creare, præcedit Effectum, qui est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut Theologica, ita & Philosophica est. Nam Causa, quæ est Deus, præcedit Actionem, quæ est creavit: & Actio, quæ est creavit, præcedit Effectum, qui est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut Philosophica, ita & Mathematica est. Nam Punctum, quod est Deus, præcedit Lineam, quæ est creavit: & Linea, quæ est creavit, præcedit Superficiem, quæ est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut Mathematica, ita & Physica est. Nam Principium, quod est Deus, præcedit Motum, qui est creavit: & Motus, qui est creavit, præcedit Terminum, qui est cœlum & terra. Quæ ordinatio, ut Physica, ita & Metaphysica est. Nam Ens, quod est Deus, præcedit Actum, qui est creavit: & Actus, qui est creavit, præcedit Ens, quod est cœlum & terra.

nendus, an ibi dimittendus ? & iſta meditatione in perfectiſſimum campi Ducem evaſit, atque Lacedæmonios, & Miſſenios multis afflixit cladibus, ut eſt author Plutarchus in vita. Sic Julius Cæſar, ut ſcribit Plinius lib. 7. cap. 25. ſi curru veheretur aut ſellâ portaretur, ſemper contemplabatur pro futuro tempore agenda, eaque in pugilari (quem ſemper paratum habebat) annotabat, ſic omnis ex nobis ſingula, quæ futura ſunt, habet contemplari, nam *militia eſt vita hominis ſuper terram*, teſtante expertiſſimo Jobo, & Doctore Gentium : *Colluctatio nobis eſt adverſùs poteſtates tenebrarum harum.* Epheſ. 6. quorum principalis *adverſarius* noſter *diabolus tanquam leo circuit quærens quẽ devoret.* 1. Pet. 5. & quamvis accatenatus exiſtat, ſuper ſpeluncam ſuam excubans clamat & invitat, *Veni*, nobiſcum habita, *mitte ſortem nobiſcum; ſed ne acquieſcas eis, ſi te lactaverint peccatores*, juxta ſapientiſſimum Ethicum Proverb. 1. quod alius myſtico-Ethicus ſub leonis & vulpis ſchemate expreſſit ſubſcribens : *Veſtigia terrent*, atque in politico gubernio militarium Italiæ negotiorum ſecutus eſt glorioſiſſimus Imperator Rudolphus I. Imperialis dignitatis in domo Auſtriaca Fundator, quanto magis in negotiis æternæ ſalutis id perpendendum, nè ſe quis periculo exponat ad æternaliter pereundum.

2. *Diabolus eſt noſter hoſtis.*

3. *Caro hoſtis noſter eſt.*

Hoſtis noſter caro & ſanguis eſt, nam cùm Paulo ſentimus *aliam legem in membris noſtris repugnantem legi mentis*, Rom. 7. qui tanto periculoſior eſt, quanto magis domeſticus eſt, cantat, ſaltat, menſam & ambroſiam apponit, dulce mel & merum propinat, uſque dum incraſſetur, dilatetur, & recalcitret, noviſſima conſideranda ſunt, aut pereundum, ſyrenes alliciunt, & vinculant, ſed quod eſt eorum noviſſimum, heu quam amarus eſt fructus luxuriæ; expertus fuit, qui dixit Proverbiorum 5. *Noviſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps. Fugite fornicationem.* 1. Corinth. 6. Unde juvenibus bene inculcandus ſubſcriptus verſus, *Verte gradum juvenis, non eſt bona Semita, verte.* Vinum quoque ab adulterino propinatum amore, *ingreditur blandè*, ſed quid ſubjungit Ethicus ille excellens Proverb. 23. *In noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut Regulus venena diffundet.* O periculoſus morſus! qui *apoſtare facit ſapientes*, & ſicut boni Ethici progrediuntur de virtute in virtutem, ita iſti de vitio labuntur in vitium & in æternæ damnationis barathrum juxta illud Job. 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Dii* enim, ait Seneca 10. Cont. præf. *lenti ſed certi humani generis vindices*, tacitis venientes pedibus, prout fides docet in epiſt. 2. Petri 3. Dominus *patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti, adveniet autem dies Domini ſicut fur*; & hoc ſapientia Divina ſuaviſſimè diſpoſuit, ut quos virtutis amore ad ſe perducere nequit, ſaltem compellat formidine pœnæ, de quo elegantes ſunt ſequentes ſententiæ : *Tarditatem ſupplicii DEUS gravitate compenſat.* Valer. Max. 1. 2. & Juſtinus lib. 32. *Pœna tanto amarior quanto ſerior*, tantaque erit pœna gravior, quanta ſegnior emendatio, & procraſtinatio diuturnior. Idque juſto DEI judicio, qui non naturam quam condidit, damnat, ſed iniquitatem quam homo fecit, caſtigat, ut qui condelectari non voluerunt ſanctæ veritati, ſubjiciantur ſeveritati juſtæ.

4. *DEUS juſtus malorum vindex.*

Quam grave & terribile futurum ſit hoc judicium, bene deſcribit Malachias cap. 3. *Quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis ſtabit ad videndum eum ? ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum.* Et Jobi 21. *Quid faciam, cùm ad judicandum venerit DEUS.* Horror iſte variis exemplis poteſt declarari, nam Exodi 19. *Totus mons Synai fumabat : eo quòd deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace : eratq; omnis mons terribilis.* Si tam terribilis fuit viſio cùm legem daret ut Pædagogus, quis non flammeus erit aſpectus, cùm tonabit Judex in majeſtate & gloria ? Aman non potuit ſufferre vultum Aſſueri irati, Eſther cap. 7. Quis poterit ſtare ad tribunal Regis Regum, qui etiam juſtitias dijudicabit. Apud Danielem cap. 10. legitur, quòd ad apparitionem Angeli viros illos, qui cum Daniele erant, nec viſionem viderant, *terror nimius irruit ſuper eos, & fugerunt in abſconditum.* Aſt in judicio Chriſti nullus erit effugii locus, licèt Luc. 23. *Tunc incipient dicere montibus : cadite ſuper nos; & collibus : operite nos.* Quod mihi veriſſimum eſt, nam ſi Judæi Matth. 21. non potuerunt vultum Chriſti ferre in terra cum eis converſantis, quanta non erit gloria & majeſtas ad dexteram Patris ſedentis & judicantis ? cùm illi omne curvabitur genu. Et vice verſa, ut cum S. Bernardo loquar ſerm. 28. de diverſis : *Quis ille pudor erit, quæve confuſio, poſt tanta beneficia, tam tepidos, tam imperfectos, tam vacuos apparere ante faciem DEI noſtri ? Fugiebat Adam, ut abſconderetur ab eo, poſt unius utique vetiti pomi guſtum. Quid nos poſt tanta flagitia, poſt tanta facinora præſumemus ? Quando ab hac confuſione purgabitur oculus cordis ; cui nunc operam dare negligimus, ut irreverberata acie veri illius ſolis radios valeat intueri ?* Si non vis horrere, memorare noviſſima, ut non pecces, nam ut D. Gregor. hom. 34. dicit : *Prava mens, ſi non prius per timorem evertitur, ab aſſuetis vitiis non emendatur.*

5. *Judicium Chriſti ſtrictiſſimum.*

6. *Mors conſideranda.*

Sed & quod primo fuiſſet memorandũ, ipſa vitæ noſtræ labilis inſtabilitas, incertitudo durationis, & certa mortis neceſſitas horrere faciunt hominem, nè deſperata die Dominus veniat, vitam auferat, & ad ſtrictiſſimum evocet judicium. Et iſtæ ſunt conſiderationes quæ à peccandi aſſuetudine abſtrahunt. Quid enim eſt homo aliud, quam *flos, qui egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Job. 14. Vix enim orimur, & jam morimur, & cùm perfectè nos ſtare exiſtimamus, pro futuris diſponentes abire compellimur Lucæ 12. *Stulte, hac nocte tollent animam tuam.* Nemo enim novit ſenſum Domini, quaq; ſit venturus hora. Similiter D. Petrus 1. epiſt. c. 1. *Omnis caro ut fœnum: & omnis gloria ejus tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos ejus decidit.* D. Jacobus comparat vitam hominis vapori & fumo cap. 4. *Quæ enim eſt vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Graphicè D. Bernardus miſeram hominis naturam ſecundùm eſſe naturale deſcribit in ſerm. fer. quartæ hebdomadæ S. De Paſſione Domini dicens; *Grave jugum ſuper omnes, & totos filios Adam, idque à die exitûs de ventre matris eorum, usque in diem ſepulturæ in matrem omnium! in ſordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur. Ante exitum miſeras oneramus matres, in exitu more vipereo laceramus, mirum quòd non ipſi pariter laceramur. Primam vocem plorationis edimus, meritò quidem, utpote vallem plorationis ingreſſi, ut nobis illud S. Job ex omni parte poſſit aptari: Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis.* Et tamen talis miſera creatura audet in cœlum ponere os ſuum, & cogitare, loqui, facere contra Factorem ſuum, ſanctamque ejus nobis conſtitutam legem, vel ſponte oblata & conſecrata vota! Quæ igitur cauſa, quòd ſic in vitia ruamus, niſi quòd noviſſima noſtra non memoramur, ſi mortales conſiderarent, quas anguſtias horrores morientes patiantur, quamque tunc de corpore exire trepidet anima, non ſolùm miſeriis, ſed doloribus, fortè etiam flagitiis & vitiis plena. Nam tunc, ait citatus Bernardus, *oſtium domus noſtræ horribiles ſpiritus illi obſident. Nonne exitum noſtrum larvales illæ facies præſtolantur? Quis ille pavor erit, ô anima mea, cum dimiſſis omnibus quorum tibi eſt tam jucunda præſentia, tam gratus aſpectus, cohabitatio ipſa tam familiaris, ſola ingrediens incognitam penitus regionem, occurſantia tibi catervatim ruere teterrima illa monſtra videbis? Quis tibi in die tantæ neceſſitatis occurret? Quis tuebitur à rugientibus præparatis ad eſcam? quis conſolabitur? quis deducet? filioli mei, memoremur hæc noviſſima noſtra, ne peccemus.*

Et ex hac noviſſimorum conſideratione diſcat Chriſtianus Ethicus ſimilem Philoſophorum gnomam

Noſce Teipſum.

Nempe quis, & quid ſis, quid fueris, quidque ſis futurus, nam ſupra dictam Maximam pulchrè Juvenalis cecinit:

Credite de Cœlo deſcendit Noſce Teipſum
Hinc bene qui ſeſe noverit, ille ſapit.

Idem teſtatur S. Bernardus lib. 2. Conſiderat cap. 3. ubi ſuum alloquens Eugenium ait: *Noveris licèt omnia myſteria, noveris lata terræ, alta cœli, profunda maris: ſi te neſcieris, eris ſimilis ædificandi ſine fundamento: ruinam non ſtructuram faciens. Quidquid extruxeris extra te, erit inſtar congeſti pulveris, ventis obnoxium. Non ergo ſapiens qui ſibi non eſt. Sapiens ſibi erit: & bibit de fonte putei ſui primus ipſe. A te proinde incipiat tua conſideratio non ſolùm autem, ſed & in te finiatur. Quocunque evagetur, ad te revocaveris eam cum ſalutis fructu. Tu primus tibi, tu ultimus.* In inquiſitione igitur ſalutis nemo ſibi ſit vicinior, nemo igitur præter illam aliquid aliud cogitet, nemo contra, prout ſunt omnia peccata & vitia; quorum naturam in ſecundo ſententiarum ſufficienter explicui. Unde interrogatus à Socrate, Plato divinus, quomodo in vita ſeſe geſſiſſet, & quomodo in morte ſeſe eſſet geſſurus: *Scito*, inquit, *Socrates, in juventute operam me dediſſe, ut bene viverem: in ſenectute, ut bene morerer. Quare cùm & honeſta vita fuerit & mortem lætus expecto; nec vita mihi dolori eſt, nec mors timori erit.* Conveniens profectò tali viro oratio. Et ratio eſt, quia ut Lactantius dicit tom. 6. *Mors ex præteritis vitæ actibus ponderanda eſt;* ſint actus virtutes non vitia, mors ſolatio erit, non dolori, & vice verſa, nam ut rationem præbeam fundamentalem, & concludam, dico cum Philoſopho, quòd *Finis ſit agibilium principium.* Unde illa Scoti eſt maxima *Omne rationabiliter agens primò intendit finem quàm media.* Atqui in Ethica ſacra finis hominis ſunt noviſſima illa quatuor Mors, Judicium, Infernus, & Beatitudo, mortem & judicium nemo effugiet, qui infernum non vult, fugiat peccata, & bene operetur, ut cœlum acquirat. Quare ut ſciatur, quid ſit vitium, generatim aliquid de vitiis dicam, & in generalibus terminis eorum ſpecies recenſebo, ſpecialius etiam per decurſum acturus. Sit igitur

7. *Noſce te ipſum docet futurorum memoria.*

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO V.

De Vitiis in Communi.

QUidquid de Virtutibus dixi, tam quoad essentiam, proprietatesque quàm quoad connexionem, oppositionémve, servata proportione de Vitiis dici potest ex regula generali & doctrina Aristotelis, eò quòd *contrariorum eadem sit ratio & disciplina.* Nihilominus quia alia est regula docens: *Oppositа juxta se posita magis elucescere,* ideo post examen virtutum in generali adjungo Disputationem de Vitiis in communi, ut ex horum turpitudine illarum possit agnosci decor & gloria veluti ex obscuritate tenebrarum, luci accrescit æstimatio, & dignoscitur claritas, de qua re videri potest Augustinus. Sit ergo

Quæstio I.

Quid sit Vitium, quodque ejus subjectum?

1. *Vitii variæ acceptiones.*

VItium generatim significat quemcunque defectum sive corporis sive animi, sive integritatis, sive qualitatis, quidquid enim nævum vel maculam habet illud, quod naturæ non convenit, est vitium; unde accipitur pro *errato*, sic Plinius vocavit cujusdam scripta *Librum vitiis plenum.* Quandoque capitur pro malo corporis affectu, non tamen ad interitum ejus tendente, & sic *Aulus Gellius* distinguit vitium à morbo, quòd morbus sit affectus quidam cujuscunque corporis contra naturam, qui usum ejus facit ad id deteriorem, cujus causa natura nobis ejus corporis sanitatem dedit. Vitium verò est impedimentum corporis perpetuum, ut cæcitas, claudicatio, vecordia, & hoc modo vitium non solis hominib⁹ & animantibus, sed etiam quibuscunque rebus corporalibus convenit, unde Cicero Poet. ait: *Si nihil est in parietibus, aut tecto vitii probabuntur mihi.* Eleganter autem vitium sumit D. Augustinus lib. 4. de lib. arbit. cap. 14. pro carentia perfectionis competentis alicui naturæ. *Quod perfectioni naturæ deesse perspexerit, id vocat vitium.* Aliquando etiam accipitur pro defectu artis, cùm aliquid juxta ejusdem regulas non est factum. Aliquando pro naturali aliqua inclinatione ad malum, sicut solet dici appetitus esse vitiosus. Propriè autem vitium est, quod virtuti opponitur, ita dictum, quod sit vitandum & fugiendum, unde est malum aliquod morale, quod creaturam rationalem dedecet. Hinc ad primam partem quæstionis respondendo

2. *Vitium describitur quòd sit habitus.*

DICO 1. *Vitium est habitus inclinans & faciliſans hominem ad peccatum actu producendum.* Hæc manifeste deducitur ex D. Augustino lib. de perfect. Justit. contra definitiones Cœlestii cap. 2. ubi comparatione facta de claudicationis actu in homine ad deficientem animam in voluntate à rectaratione & dictamine prudentiæ, dicit: *Ipsum sanè vitium quo claudicat homo, nec pes est, nec corpus, nec homo, nec ipsa claudicatio, quæ utique non est, quando non ambulat, cum tamen insit vitium, quo fit claudicatio, quando ambulat. Quærat ergo quod eidem vitio nomen imponat; utrum rem velit dicere, an actum, an rei potius qualitatem malam, qua deformis actus existit. Sic & in homine interiore animus res est, rapina actus est, avaritia vitium est, id est, qualitas secundùm quam malus est animus, etiam quando nihil agit, unde avaritiæ suæ serviat.* Ubi ultimæ particulæ specialiter sunt notandæ, quæ completam continent definitionem. Concordat etiam Aristoteles qui lib. 7. Moral. cap. 8. vitium comparat cum hydropisi, quæ est perpetua inclinatio, appetitus seu habitus bibendi. Patet denique per explicationem, Quia *habitus* & *qualitas* in D. Augustini authoritate rationem habet generis, reliquæ particulæ rationem differentiæ habent, & distinguitur per illas à peccato, per quod homo malus est dum operatur, & dum non retractat operatum malum. Unde sensus ejus est, quòd vitium sit habitus, qui ex actu primo est ordinatus ad actum malum secundum. Sed in contra

ARGUITUR: Per concupiscentiam malus est animus, sed concupiscentia non est vitium, ergo vitium non bene describitur. Respond. neg. maj. Quia per concupiscentiam animus non est malus nec bonus, sed bono & malo actui communis. Deinde concupiscentia non est aliqua qualitas acquisita sed congenita, vitium autem debet esse qualitas, quæ per malos actus frequentatos generetur, adeoque per ipsum aliquis non est formaliter malus, quamvis posset concurrere ad eliciendum actum malum.

3. *Vitium est in voluntate ut in subjecto.*

DICO 2. *Vitium ut est habitus oppositus virtuti morali est in ipsa voluntate tanquam in subjecto.* Hæc est Doctoris in 1. dist. 17. q. n. 4. &c. Scotistarum communiter. Probatur: Quia vitium in eodem subjecto reperiri debet, in quo habet suum contrarium; atqui contrarium ejus non reperitur nisi in voluntate, ut supra, ergo. maj. patet. Quia habitus

vitii & virtutis frequenter sunt iidem in subſtantia, & ſucceſſivè poſſunt eſſe boni & mali. Item vitium non addit habitui niſi vel reſpectum, vel privationem, ergo. Probatur 2. Vitium ibi debet eſſe, in quò poteſt habere rationem culpæ & peccati, ut exemplificat D. Auguſtinus de Avaro, atqui ratio culpæ moralis non poteſt eſſe niſi in voluntate, adeò enim neceſſario eſt peccatum voluntarium, ut ſi non fuerit voluntarium nec peccatum erit.

Verumtamen Nota, quod ſicut ſupra conceſſi in appetitu ſenſitivo aliquos habitus qui inclinant eundem ad promptè & faciliter obediendum rationi, qui quidem habent umbram & ſpeciem virtutis, propriè tamen & in rigore non ſunt, ita aſſero quoque, in eodem appetitu malè diſpoſito & habituato concedi poſſe aliquos habitus, qui vitia in laxiori acceptione dicantur.

Quæſtio II.

De Oppoſitione Vitiorum cum Virtutibus.

1. *Vitium opponitur Virtuti.*

D. Thomas 2. 2. quæſt. 71. art. 1. docet: Tria opponi virtuti nempe Malitiam, Vitium, & Peccatum, & duo prima quidem ſecundum ſe, malitiam per conſequentiam, vitium directè, peccatum utem non ſecundùm ſe, ſed ratione effectûs, quem operatur, nec de hac re poteſt eſſe dubium, ſed controverſia eſt, quomodo vitium opponatur virtuti, an ex natura ſua & entitate phyſica, an ſolùm ex ordinatione divina & morali, an verò ex parte utriuſque & in hoc idem videtur recidere quæſtio 5. ſuperius poſita tract. 1. diſp. an videlicet ſicut virtutis habitus poteſt vitiari, ita etiam habitus vitii idem manens poſſit fieri virtuoſus, in qua materia Suarez in 2. 2. tract. 4. diſp. 4. ſect. 1. docet vitium ſeu habitum malum ita opponi virtuti, ut non poſſit unquam fieri bonus. Verum utar ut ſuperiùs diſtinctione unde

2. *Vitium ſtat cum virtutibus theologicis.*

DICO 1. *Vitium, ſeu non omnis habitus vitioſus opponitur directè virtutibus theologicis.* Hæc eſt Doctoris ſubtilis in 3. diſt. 36. q. 1. n. 27. ubi de virtutibus theologicis dicit, manifeſtum eſſe, quòd ſecundùm actum non opponantur vitiis ſecundùm habitum, dicens: Nam ſi aliquis prius vitioſus de novo convertatur, talis in pœnitentia habet omnes virtutes theologicas, & tamen non morales ſaltem acquiſitas. Patet quia non operatur delectabiliter aliquod eorum, ad quæ inclinaret ejus habitus virtuoſus: imò delectabile ſibi eſſet operari ſecundùm habitum vitioſum prius acquiſitum, & triſtabile ſecundùm oppoſitum.

DICO 2. *Sunt aliqui habitus ita vitioſi, ut non poſſint inclinare ad actus bonos.* Sequitur ex ſupra dictis de virtutibus. Et patet de habitu odii DEI, qui ita ad malum inclinat, ut non poſſit ad amorem DEI inclinare.

3. *Habitus ſunt aliqui ita vitioſi ut non poſſint inclinare ad actum boni.*

Non velle bonum aliquod operari. Nec velle facere aliquid, quia à DEO præceptum eſt.

DICO 3. *Habitus nonnulli vitioſi poſſunt inclinare ad actum virtuoſum.* Ita Doctor ſubtilis in 1. diſt. 17. q. 3. ubi hæc habet: *Sicut dictum eſt de bonitate morali actus, ita proportionabiliter dicendum eſt de habitu, quod virtus moralis non addit ſuper ſubſtantiam habitus, ut eſt forma de genere qualitatis, niſi conformitatem habitualem ad rationem rectam. Idem enim habitus in natura, qui generaretur ex actibus abſtinentiæ elicientis cum ratione erronea in eliciente manens, poſt cum ratione recta, eſſet poſt virtus abſtinentiæ, & prius non fuit habitus virtutis, quamdiu non fuit ratio recta abſtinendi, nec tamen aliquid mutatum eſt circa iſtum habitum in ſe, ſed tantum nunc conjungitur prudentiæ: prius non.* Et ratio eſt, Quia habitus vitii tantummodo reſpicit prædicata intrinſeca & phyſica actus, non prout illius objectum ſubſtat, vel non ſubſtat prohibitioni, unde ſicut actus mutari poteſt de bono in malum, & de malo in bonum, ita poterit etiam habitus.

4. *Habitus vitioſus poteſt fieri bonus.*

DICO 4. *Vitium morale contrariatur naturæ rationali ſecundùm affectionem juſtitiæ.* Ita D. Auguſtinus qui lib. 11. de Civit. Dei cap. 17. ita loquitur: *Vitium autem ita contra naturam eſt, ut non poſſit niſi nocere naturæ. Non itaque eſſet vitium recidere à DEO, niſi naturæ, cujus id vitium eſt, potius competeret eſſe cum DEO. Quapropter etiam voluntas mala grande teſtimonium eſt naturæ bonæ.* Hoc idem docet Doctor noſter ſubtilis in 2. diſt. 7. q. unic. num. 26. ubi dicit: quòd voluntas habeat inclinationem quandam naturalem, quaſi paſſivam in actu. Et paulò poſt: *Poteſt dici, quòd peccatum eſt contra naturam, hoc eſt contra illum actum, qui natus eſt elici concorditer inclinationi naturali.* Quorum authoritate ſufficienter probatur concluſio, quibus adde elegans Senecæ dictum epiſt. 122. *Omnia vitia contra naturam pugnant.*

5. *Vitium contrariatur naturæ rationali.*

In hanc eandem rem adjungo pulchram paraphraſim noſtri de Guevarra in horologio Principum lib. 3. cap. 42. dicentis: Si conferamus inter ſe moleſtias, quæ ab elementis nobis afferuntur, & quas inter vitia patimur; exiguum omnino periculum eſſe inveniemus, quod terra marique inſtat, reſpectu ejus, quod vitæ nobis pravitas faceſſit. An non graviore verſantur in diſcrimine, qui cubitum altum in voraginem ruunt ſuperbiæ, quàm qui de ſcopulo cadunt altiſſimo? An non gravius ſubit (diſcrimen)

Digitized by Google

men) & periculum, qui livore tentatur, quàm cui cerebrum saxo comminuitur? An non periculosius agunt homines inter vitia & voluptates, quàm inter bestias feroces & bruta? An non gravius periclitantur, qui avaritiæ æstu torrentur, quàm qui ad montem Ætnam habitant? Quid multis? Gravius periclitari ajo, qui cogitationibus inescantur sublimibus, quàm præaltas arbores, quæ ventorum turbinibus oppugnantur. Probatur conclusio etiam ratione. Quia naturalis inclinatio naturæ rationalis abhorret nociva naturæ, sed naturæ rationali secundùm affectum justitiæ consideratæ nocet vitium, in quantum per se & suum effectum, quod est peccatum, privat eam suo ultimo fine, mediisque ad eum conducentibus, ergo est contra naturalem inclinationem. Confirmatur: Quia quælibet natura habet naturalem inclinationem ad sui perfectionem suscipiendam, ergo rationalis ad suas, quæ scilicet sunt virtutes, earumque actus, & consequenter per oppositum abhorret actus vitiosos, & vitia qua talia. Quantum autem vitia corporalia opponantur naturæ rationali, quamque graviter eandem saucient, magis deplorandum foret in ebriosis & luxuriosis, quàm sit opus describendum. Vide ea quæ dixi de peccatis, ubi ostendi qua ratione peccatum sit contra naturam, leges, & contra gratiam sanctificantem. Sed hic exurgit

5. *U S ſt inere tum ſum.*

Quæstio curiosa, An DEUS possit de se infundere vitium seu habitum vitiosum? ad quam Respond. Affirmativè. Quia nulla in hoc videtur repugnantia, nam intemperantia ingens vitium stat cum gratia DEI, ut patet in vitiosis repentè conversis ad pœnitentiam, & consequenter etiam DEUS talem habitum infundere posset absque ulla inconvenientia, quod ipse author peccati vel causa foret, etiamsi talem habitum se solo infunderet, speculativè hoc be. e dicitur, attamen crederem, quòd in tali casu DEUS non concurreret cum habente hujusmodi habitum, nè illum pertraheret ad actum, sed difficultas est, An possit DEUS actum materialiter malum v. g. odium DEI vel proximi voluntari infundere? Negant aliqui, quia DEUS verè esset author peccati; si enim DEUS produceret sui odium in voluntate creata, & ex alia parte posito illo actu voluntas necessario operaretur, sequeretur, quòd DEUS esset causa malitiæ in actu, vel certè quòd nulla esset malitia in actu vel in voluntate per talem actum operante, quod est majus absurdum, quia sequeretur, quòd DEUS posset dispensare in præceptis negativis primæ tabulæ. Si tamen altius quis specularetur, non videtur implicantia, quo minus DEUS actum physicum odii infundere posset voluntati quia secundum communem sententiam, causa prima se sola potest producere quidquid cum causa secunda efficiente potest, ergo si potest DEUS actum odii vel proximi cum voluntate producere, cur non posset eundem sine illa producere, illique infundere, maximè cùm malitia moralis, ut alibi dixi, non sit de intrinseca ratione illius actûs. Nec ex hoc sequeretur, quòd voluntas tunc peccaret, quia tunc non liberè operaretur. Nec etiam sequeretur, quòd tunc DEUS dispensaret in aliqua lege, cùm lex tantùm sit posita respectu actuum liberè elicitorum à voluntate creata, cujusmodi non esset ille actus, cum nullo modo sit ab ea elicitus, & consequenter talis actus non esset moraliter malus, quia moralitas præsupponit libertatem in voluntate circa productionem actus.

Quæstio III.

De varia Vitiorum divisione.

1. *Capitalia Vitia quæ dicantur.*

VItia principalia ex quibus reliqua originantur septem communiter à Patribus & Theologis enumerantur, quæ ordinariè dicuntur capitalia ad similitudinem capitis, quod est membrum capitale & Completum, aliorumque membrorum principium quantum ad motum & sensum, influendo in alia membra, ita etiam dicuntur hæc peccata capitalia, ex quibus tanquam ex capitibus alia vitia originantur, suntque numero septem. *Superbia*, *Invidia*, *Avaritia*, *Luxuria*, *Gula*, *Ira*, *Acedia*, quæ in hac dictione *Saligia* exprimuntur, unde factus est rythmus:

Dat septem vitia dictio Saligia

De his breviter aliquid pro complemento hujus disputationis elucidato, quantum ad descriptionem singula combinando, nam infra specialis redibit sermo de singulis ut oppositа juxta se posita magis elucescant; & quidem circa primum duo particulariter sunt notanda, nempe definitio & gradus.

2. *Superbia describitur.*

Dico 1. *Superbia oppositа virtuti temperantiæ benè* definitur à Sancto Bernardo epistola 32. *quod sit propriæ excellentiæ appetitus.* & à D. Augustino de Gen. ad litt. lib. 12. cap. 14. *quod sit amor propriæ excellentiæ.* Hæc de se patet, eamque S. Bernardus tract. de ordine vitæ cap. 10. sic describit. *Caput Superbiæ, sicut caput viperæ, furor ejus ut furor draconis, & flatus ejus lethifer, ut insanabilis flatus reguli. Illud enim præstantius cæteris, tres venenatas ex vipereo ore ad feriendum educit linguas. Prima eos percutit, qui per transgressionis culpam contemptui habent divina præcepta. Secunda illos, qui ex conservatione mandatorum extolluntur in elationem virtutum. Tertia eos, qui per contumaciam mentis subdi dedignantur majorum imperiis. Quidam autem pro*

Visus & Alloquium, Contactus, & Oscula, Factum.

Differentiæ Luxuriæ sunt sex. *Fornicatio* scilicet, qua solutus cognoscit solutam usu naturali. *Adulterium*, quo conjugalis thorus violatur. *Stuprum*, quo virginalis incorruptio violatur, vel virgo deflloratur. *Sacrilegium*, quod fit dum persona sacra per actum luxuriæ læditur, dicitur sacrilegium quasi sacræ personæ læsio. *Incestus* quando cum consanguinea, affine, aut patrina hoc vitium luxuriæ committitur. *Contra naturam*, & fit quando committitur vitium hoc contra naturalem usum, seu modum à natura præscriptum, & est *Mollities*, *Sodomia*, & *Bestialitas*, quàm abominabile hoc sit vitium, Graphicè describit Mellifluus Bernardus, aliique Patres, ego modestè de singulis inferius sum acturus, atque ita generatim ista de vitiis sufficiant ad DEI gloriam, qui nos ab omnibus vitiis, & peccatis liberet.

Ad Aphorismum, & Materiam præcedentem sit

Quæstio Ethica.

Unde vitia in genere humano multiplicentur? & tam segnis ad studia affectus?

REspondeo: id, multiplicibus ex rationibus contingere: Primò ex ipsa naturali inclinatione, *nam sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua* Genes. 8. *Homines*, ait Guevarra, *qui natura duce ad virtutem non inclinant, vel minima occasione ad vitia declinant.* Secundò ob naturalem inclinationem appetitûs rationalis ad consentiendum appetitui sensitivo & maximè in delectabilibus, nam ut Paulus ait ad Rom. 7. *Condelector enim legi DEI secundùm interiorem hominem, &c.* Tertiò ob difficultatem in exercendis virtutibus, & delectabilitatem in commodis & corporalibus delitiis atque utilitatibus, nam ut Seneca epist. 110. ait: *Voluptati indulgere initium omnium malorum est, & facilior est virtutis ad luxuriam, quàm luxuriæ ad virtutem transitus.* Valer. ma. 2. 1. Quartò Quia præsentibus studemus, illisque attendimus, non considerantes, ponderantes, æstimantes, aut prævidentes futura, quæ si homines considerâssent, nunquam viam veritatis deserent. Quintò, Quia multi non credunt fortiter & efficaciter tantam virtutum futuram remunerationem & æternam malorum damnationem, nam ut sapiens ait Sapient 2. *Dixerunt enim cogitantes apud se non rectè. Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est, qui agnitus sit reversus ab inferis. . . . Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter.* Sicut enim cùm Petrus non fortiter credidit se posse super maris fluctus sicco incedere pede, mergi cæpit; sic cùm homines fidem futurorum deserunt, aut tepidè credunt, facilè de vitio in vitium prolabuntur, & venientes in profundum contemnunt. Hoc idem jam olim sensit Marcus Aurelius glorioſus Imperator, qui ad Pollionem Amicum suum scribens ait. Ego verò non tam Epicurum miror, quàm multitudinem discipulorum, quos & habuit, & habet, & habebit in mundo. Rarissimos enim hodie Romæ invenias, qui improbos coërceant appetitus; innumeros verò qui mundi sectentur delicias. Atque ut verè tecum loquar, Pollio, ego neque virtutis aliquos esse studiosos miror, neque vitiosos esse obstupesco. Virtutis enim studiosum mirum non est esse bonum, cum ob præclaras actiones & opera laudata, lætitiam ac quietem in futuro cum diis speret seculo; neque vitiosum vitiis hujus vitæ mirum est sese tradere, ut qui nullam cum diis in altera lætitiam ac quietem expectet. Nam quoniam non credunt firmiter homines aliam post hanc restare viam, ubi pœna sceleratos, bonos præmia manent; inde fit, ut tam furenter ruant in omnia flagitia scelerati, & vitia in tantum dominentur, à quibus ut Ethicus se avertat, fidem sectetur, firmamque teneat, quam Apostoli ex Salvatoris & Ethices nostri Magistri fonte potârunt, ac tradiderunt, de fide proinde sequitur

Ethicæ

ETHICÆ SACRÆ

Aphorismus Tertius.

Crede DEO. Eccleſiaſt. 2. v. 6.

De vera Fide amplectenda & tenenda.

SYMBOLUM.

Lucerna pedibus meis Verbum tuum. Pſalm. cxviii.

Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter. Proverb. c. 10. v. 9.

Declaratio Aphorismi & Symboli.

1. *Fides eſt neceſſaria ad Salutem Ethico.*

Conſideratis generalibus quæ declinanda, quæque facienda ſunt, ad Specialiora deſcendendum eſt, quorum principem locum tenet fides, nam ut dicit Apoſtolus ad Hebræ. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere DEO. Credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Unde bene Ambroſius dicit lib. 1. officiorum cap. 26. *Nihil magis proficit ad vitam honeſtam, quàm ut credamus DEUM judicem futurum, quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honeſta delectent.* Quare Concilium Tridentinum explicans genuinè alium textum D. Pauli ad Rom. 8. ita loquitur: *Cùm verò Apoſtolus dicit, juſtificari hominem per fidem & gratis; ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit; ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis: ſine qua impoſſibile eſt placere DEO, & ad filiorum ejus conſortium pervenire.* Proinde etiam docet S. Auguſtinus lib. 19. de Civit. cap. 25. dicens: quod virtutes, quas ſibi Philoſophi habere videntur, *per quas imperat corpori & vitiis ad quodlibet adipiſcendum vel tenendum, niſi ad DEUM retulerit, etiam ipſæ ſunt potius vitia quam virtutes. Nam licèt à quibuſdam tunc veræ & honeſtæ putentur eſſe virtutes, cùm ad ſeipſas referuntur: nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ ac ſuperbæ ſunt: & ideo non virtutes, ſed vitia judicanda ſunt.* Sine enim vera Religione vera virtus eſſe non poteſt, unde & veteres Philoſophi ſuam Ethicam ſemper orditi ſunt à DEO, omnibus enim inditum eſt, aliquod eſſe Numen, *DEUM enim ignorare non*

non minoris eſt ſceleris, quàm lædere ait Minut.

lo- *m.*

Similiter inditum eſt Numen illud ſummum, & Ens perfectiſſimum & divinum pro naturæ conditione & creaturæ ratione ab hominibus eſſe colendum, unde Numa Pompilius, ſecundus Rex Romanorum cultum Deorum eos primum docuit, ut teſtatur Florus. lib. 1. cap. 2. & Livius lib. 45. ait: *Omnium magnarum rerum, & principia Romani exorſi à Diis ſunt, & finem etiam ſtatuerunt.* Nam Socratis ſententia eſt, loquor cum S. Auguſtino lib. 1. de conſenſu Evangeliſt. cap. 18. *Unumquemque DEUM ſic coli oportere, quomodo ſe Ipſe colendum eſſe præceperit. Proinde iſtis ſumma neceſſitas facta eſt non colendi DEUM Hebræorum, quia ſi alio modo eum colere vellent, quàm ſe colendum Ipſe dixiſſet, non utique illum colerent, ſed quod ipſi finxiſſent. Si autem illo modo vellent quo Ipſe diceret, alios ſibi colendos non eſſe cernebant, quos Ille coli prohibebat. Ac per hoc reſpuerunt unius veri DEI cultum, nè multos falſos offenderent.*

3. *ltus Dei ud Chriſ anos tis ſit.*

Olim igitur DEUS noſter vivus, & verus diverſis ſacrificiis & ritibus coli voluit, ut deſcribit judicialia omnia, & cœremonialia Moyſes in Exodo, Levitico, & Devteronomio: Noviſſimis autem temporibus poſtquam DEUS locutus eſt nobis in Filio, non eſt beneplacitum illi in pluribus eorum ſacrificiorum & populorum, quoniam bonorum noſtrorum non indiget, ſed adorari ſolummodo vult in Spiritu & veritate, hinc S. Auguſtinus in Enchiridio cap. 3. ad quæſtionem, quomodo DEUS ſit colendus? Reſpondet: *Fide, Spe, & Charitate colendum DEUM.* Et Valer. Max. 2. 1. *DEUS eo efficacius, quo ſimplicius placatur.* Et Minut. *Litabilis hoſtia eſt bonus animus, pura mens, & ſerena conſcientia*, hoc non alia ratione, niſi juge ſacrificium DEO eſt fidelis anima; quia jugum ejus ſuave eſt, colere enim alios DEOS fuit antiquis difficile, nobis leve, quia DEO ſervire regnare eſt, regnare autem cupit omnis homo, ſerviat ergo fideliter credendo DEO; laborioſum, inquit Guevarra in horologio Principum cap. 20. fuit Ethnicis ſervire Diis, at noſtro DEO ſervire levamen & recreationem affert: illis ſervire valde fuit ſumptuoſum, DEO noſtro ſervire valde fructuoſum, illi enim Deaſtri multa exposcebant, & ſumptuoſa ſacrificia amabant, DEUS autem noſter præter puras mentes & ſancta deſideria nihil aliud poſtulat, nam ut Pontanus ait: *Nullum poteſt eſſe DEUS acceptius ſacrificium, quàm mens ſana, innocens animus, & vita proba.* 5. de Obed. Nullum autem horum bonorum eſſe poteſt, niſi adſit bona & vera fides, *omne enim quod non eſt ex fide*, tanquam ex radice & fundamento totius Ethices veræ, *peccatum eſt*, ait Apoſtolus ad Romanos 14. ut ergo in peccato non ſit, in fide ſit, nam *juſtus ex fide vivit.*

Quamvis autem *difficile quandoque veniat ſoli DEO*, loquor cum Philone in lib. quis divinarum rerum ſit hæres? *credere renitente ſenſu, & natura, ipſa etiam ratione, pravis opinionibus occupata. Nimirum res mortales, quibus circumdati ſumus, ſuadent nobis, ut credamus ut fidamus gloriæ, potentiæ, amicitiæ, ſanitati & corporis robori, noſtræq; imprimis prudentiæ, ne certa incertis & præſentia futuris commutemus* Quod antiquitus genti ale Gentilium tyrannorum erat argumentum, nihilominus attendendum & conſiderandum dictum D. Petri, quo exhortamur in epiſt. 2. cap. 1. *Quia habemus firmiorem propheticum ſermonem: cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Nam etiam David olim dixit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Pſalm. 118. quod eſt certiſſimum lumen, in quo & per quod videbimus alicubi indo æternum lumen, unde D. Auguſtinus lib. 1. Trinit. cap. 2. dicit: *Quotquot veraciter fideles ſumus, nihil certius tenemus, quàm quod fide credimus*, & alibi, *plebem* & nos omnes mortales hic peregrinantes, *non tam ſciendi ſubtilitas, quàm credendi facilitas tutiſſimum reddit*, unde veriſſima eſt illa Ethici ſapientis Gnoma: *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter*, nam ſpecies illa, quæ oculis obverſatur, non eſt velamen ad obdurandum, ſed ad ſecuriùs, tutiùs, & perfectius ambulandum, nè obruamur à gloria inacceſſibili luminis. Velamen hoc genio ſuperpoſitum eſt umbra, ne ab inacceſſibili lumine feriatur ejus obtutus. Fides noſtra eſt ſcutum per quod vincimus adverſarios D. Joannes in epiſt 1. cap. 5. dicit: Solam fidem eſſe quæ vincit adverſarios noſtros: *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra*; & tales victores fusè enumerat D. Paulus ad Hebræ 11. *Fide primam hoſtiam obtulit Abel: fide obtulit Abraham Iſaac. . . fide Moyſes celebravit Paſcha & ſanguinis effuſionem.* Et poſt alios multos enumeratos tandem concludit: *Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Jephte, David, Samuel & Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum. Extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum. Et hi omnes teſtimonio fidei probati ſunt.* Qui quàm ſolemnes Ethici, quantique fuerint viri, ſacra pagina deprædicat, eorumque laudes enumerat Eccleſiaſticus cap. 44. Convenit igitur quemlibet tantorum ſequi exempla virorum, & credere DEO. Fi-

4. *Fidei noſtræ certitudo, & encomium*

des est non solùm victoria qua & æternam beatitudinem attingimus, dicit enim Apostolus ad Galat. 5. *Nam in Christo JESU neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides quæ per charitatem operatur.* Fides ut D. Augustinus loquitur est cordium mundatrix, ut *facie ad faciem videri possit, qui per speculum nunc videtur.* lib. 15. Trinit. cap. 24. juxta quod Paulus dicit: 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Et ut brevi elogio comprehendam fidei nostræ excellentiam dico cum Philone lib. de Abraham: *Sola fides qua creditur DEO, solidum est certumq; bonum, vitæ solatium, bonæ spei supplementum, depulsivum calamitatum, felicitatum conciliativum, ablegatio superstitionis, pietatis assertio, posteritatis hæreditas, profectus demum in rebus omnibus hanc qui habet, DEO fultus est Authore universorum, qui potest omnia, vult autem optima.* Quantum igitur obstricti sunt homines DEO, qui tam pretiosum eis dedit donum, ut *non verecundæ, sed ingratæ mentis sit indicium, beneficia tacere divina.* Leo serm. 1. anniv. *Quanto enim majora*, ait alius Pater, *hominibus sunt constituta beneficia, tanto majora peccantibus judicia.*

Igitur ô homo *Crede DEO*, qui nec fallere, nec falli potest, miranda proinde res est, quòd tot homines firmiter DEO non credant, veramque inquirant fidem, quod pulchrè S. Petrus Chrysologus exprobrat serm. 25. de terrenor. cura despicienda dicens: *Homo homini exiguæ chartulæ obligatione constringitur, & DEUS tot voluminibus cavet, & debitor non tenetur... Non erit in reddendo durus, qui profusus est in largiendo. Crede homo DEO, quod tibi DEUS dedit, majora reddere vult, cùm vult debere largitor.* Et sane sic est, homo homini credit dicenti, & tantò facilius, quo major fuit dignior & excellentior persona dicentis, ut in communi sit proverbio, *Politici esse Magnatibus asserentibus credere*, si ita est: sit igitur quilibet homo politicus, bonusque Ethicus & Credat DEO, ut ergo bonus Ethicus cognoscat naturam fidei secundùm actum, habitum, objectum materiale, & formale atque necessitatem capiat sequentem Tractatum, qui est de Fide.

TRACTATUS II.

De

Prima Virtute Theologica, quæ est FIDES.

Proœmium.

1. *Virtutes theologicæ sunt tres nobiles filiæ.*

HOmo ille *nobilis*, qui *abiit in Regionem longinquam accipere sibi Regnum* est, Gregorio teste, Salvator noster, cœlestis doctrinæ, & Ethicæ nostræ Magister, de quo dicit S. Bernardus, quod sit Rex nobilis, & potens, qui *tres habuit filias, fidem, spem, & charitatem: his delegavit civitatem eximiam, humanam animam. In qua cum tres sint arces, Rationabilitas, Concupiscibilitas, Irascibilitas, uniculque suam contradidit. Fidei primam, Spei Secundam, Charitati tertiam. Rationabilitati præficitur fides, quia fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum. Concupiscibilitati Spes, quia concupiscere nos non licet, quæ videmus, sed quæ speramus: & Spes quæ videtur non est Spes. Irascibilitati charitas, fervor scilicet fervori: ut fervor virtutis fervori naturæ dominetur: imò fervor naturalis attollat se in fervorem virtutis. Ingresse illæ unaquæque pro posse suo domum suam ornat & procurat.* Quæ olim præfiguratæ fuerunt in tribus filiabus Job, de quibus cap. 42. dicitur: *Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Job in universa terra: deditque eis pater sum hæreditatem inter fratres earum.* De his tribus præcellentibus virtutibus Magister sententiarum & Doctor subtilis postquam ostendissent Christum Dominum fuisse plenum gratia, nosque omnes de ejus plenitudine accepisse, consequenter quærunt, an etiam Christus Dominus habuerit has tres filias, seu an in illo fuerint virtutes Theologicæ, si enim non fuissent, plenitudinem gratiæ non habuisset, quam difficultatem ut resolvant, quod ego feci in præliminari disputatione, explicant illi primò naturam earundem virtutum, & quæ eas concomitantur, vel subsequuntur à 23. dist. usque ad 33. quos secuturus principium facio à fide tanquam virtute intellectuali, quæ est lucerna lucens in caliginoso hujus mundi loco, nè viam veritatis ignoremus, aut à Scopo & fine Ethicæ Christianæ aberremus, explicabo primò Fidei naturam secundum se, de qua est

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO I.
De Natura Fidei ſecundùm ſe.

PRimitias habemus, ait D. Auguſtinus in expoſit. myſt. in Pſal. 134. tom. 8. *ipſam fidem, unde incipimus. Eccleſiæ quippe dictum eſt, Et venies, & pertranſies ab initio fidei: & nemo incipit bene vivere, niſi à fide. Fides ergo noſtra in primogenitis noſtris eſt. Quando cuſtoditur fides noſtra, cætera ſubſequi poſſunt. De qua primogenita fide & Apoſtolus ait: Non ſolum autem, ſed & nos ipſi primitias Spiritus habentes, id eſt, dantes jam DEO primitias Spiritus noſtri, hoc eſt, ipſam fidem tanquam primogenita noſtra, tamen in nobismet ipſis ingemiſcimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis noſtri.* Unde in præfatione in Pſal. 31. ait de obedientia Abrahæ: *Magnum Opus, ſed ex fide, laudo ſuperædificationem operis, ſed video fidei fundamentum: Laudo fructum boni operis, ſed in fide agnoſco radicem.* De hac igitur radice & fundamento totius Ethicæ Chriſtianæ, & omnium virtutum quas Ethicus verus habere debet, ſit

Quæſtio I.
An ſit fides aliqua ponenda in hominibus?

CÙm vidiſſent Manna filii Iſraël Exodi 16. *Dixerunt ad invicem: Manhu? quod ſignificat, quid eſt hoc? ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moyſes: iſte eſt panis, quem dedit vobis Dominus ad veſcendum:* hinc non ſolum apud Philoſophos, ſed etiam Theologos quæſtio *An ſit?* præſupponi vel oſtendi debet, ante quæſtionem *quid ſit?* idē faciunt in præſenti materia D. Thomas, & Scotus q. 1. prologi, quorum methodum ſecutus primam quoq; feci quæſtionem, in tractat. prologetico totius Theologiæ, An hominibus ſit aliqua ſcientia infuſa neceſſaria? quare quæ ibi omiſi, hîc addenda cenſui, aut breviter recapitulanda, quare

1. *Fides ſupernaturalis abſolutè non eſt neceſſaria homini.*

DICO 1. *Non eſt neceſſaria ulla cognitio ſupernaturalis, aut à Deo particulariter infuſa conſiderando hominem ſecundùm ſe abſolutè, aut etiam cum ordine ad conſequendum finem ſupernaturalem, non eſt neceſſaria illa cognitio, quæ fides dicitur ſupernaturalis & à Deo particulariter homini infuſa.* Hæc in re eſt extra controverſiam & Probatur: Quia poſſet homo conſiſtere abſque ulla tali cognitione, & ad vivendum etiam humano modo poſſent ipſi ſufficere cognitiones, quas naturaliter poſſet habere ex ſenſibilibus, ex quibus poſſet acquirere ſufficientem cognitionem ipſiusmet DEI, ut eſt Author naturæ, virtutis, & vitii.

Probatur 2. Quia poſſet DEUS abſolutè loquendo ſi vellet poſt hanc vitam dare homini vitam æternam, quamvis non cognoſceret illam ſibi dandam, nec diſponeret ſe per opera ſupernaturalia fidei, aut ſpei, aut charitatis infuſæ ad eam acquirendam, nec operaretur etiam ullo modo ad eam conſequendam. Et quamvis haberet peccatum originale, & præterea committeret peccata gravia actualia contra legem naturæ, & præcepta humana poſitiva, adhuc DEUS poſſet condonare ipſi illa peccata abſq; cooperatione aliqua ſua, ſicut condonat peccatum originale parvulis abſque ulla diſpoſitione libera aut bona propria, per applicationem baptiſmi.

Quod ſi etiam requireret aliquam diſpoſitionem propriam in adultis, poſſet ſufficere ex natura rei diſpoſitio ordinis naturalis, nempe quòd adultus committens peccata actualia, doleret de illis commiſſis & proponeret ea, aut alia non committere deinceps. Ergo

2. *Fides ſupernaturalis ſtante præſenti DEI diſpoſitione eſt neceſſaria homini.*

DICO 2. *De facto ex ſuppoſitione ordinationis à Deo factæ, eſt abſolutè & ſimpliciter neceſſaria doctrina revelata hominibus, ut conſequantur vitam æternam & finem ad quem de facto conditi ſunt.* Eſt Theologorum ac fidelium contra Infideles.

Probatur. Quia de facto nullus eſt purus homo (excepta diva Virgine) qui non contrahit peccatum originale, ſine cujus remiſſione in hac vita non poteſt in altera vita conſequi vitam æternam, ut patet ex doctrina fidei de peccato originali, ſuo loco proponenda, ſed de facto remedium generale & commune ipſum tollendi eſt baptiſmus, cujus loco in lege veteri & naturæ erat aliud remedium, ſed hoc remedium non applicaretur, niſi daretur doctrina revelata, ergo concluſio vera eſt. Probatur min. quia ex natura rei baptiſmus non habet ullam proportionem ad tollendum peccatum originale, nec etiam ex principiis naturalibus poſſet cognoſci, quod daretur peccatum originale, ergo niſi eſſet doctrina revelata quâ cognoſceretur, & eſſe peccatum originale, & baptiſmum eſſe à Deo inſtitutum ad ipſius deletionem, non applicaretur baptiſmus; nec deleretur peccatum originale; nec conſequenter homines conſequerentur de facto finem ſuum ultimum, ſicut non conſequuntur illi parvuli, quibus non applicatur baptiſmus.

DICES. De facto sufficit baptismus flaminis adultis, quando non adest copia, seu facultas baptismi fluminis, & sufficit etiam baptismus sanguinis parvulis, ut si interficientur, sicut interfecti sunt innocentes in odium Christi, ante receptum baptismum fluminis, ergo absque applicatione baptismi fluminis ac doctrina revelata, qua traditur efficacia ejus, possunt homines acquirere beatitudinem. Respond. distinct. consequ. si applicarentur ipsis alia media, Conc. si non nego conseq.

DICES: possunt applicari, ergo simpliciter & absolutè non est necessaria de facto applicatio baptismi fluminis, nec doctrina revelata de institutione ipsius, ut homines consequantur beatitudinem. Respond. dist. antec. possunt potentiâ physicâ, transf. antec. potentiâ morali, neg. antec. & similiter dist. consequens: Cùm enim non semper sed rarissimè occurrat occasio applicandi baptismi sanguinis, & baptismus flaminis non soleat etiam à DEO applicari parvulis unquam, nec adultis nisi rarissimè & paucis, propterea in aliis occasionibus debet dici, quòd non possit moraliter applicari alteruter baptismus, & quòd consequenter applicatio baptismi fluminis sit moraliter necessaria hominibus universaliter loquendo, quamvis non esset necessaria aliquibus particularibus in casibus raris & extraordinariis. Ut verò tollatur omnis quæstio de nomine, & conclusio melius intelligatur

Nota eam solùm velle, quòd necessaria sit hominibus doctrina revelata ad consecutionem salutis æternæ, sic ut si non esset ipsis data talis doctrina, plurimi ex illis, qui consecuti sunt, & consequuntur salutem mediante doctrina revelata, non consequuntur illam, si non fuisset doctrina revelata, quidquid sit, an alii illam consequi possint, nec ne; hoc autem patet, quia multi homines sunt consecuti salutem, & multi eam consequuntur mediante applicatione baptismi fluminis, qui si non fuisset applicatus ipsis, morerentur cum peccato originali, quia de facto non applicarentur ipsis alii baptismi flaminis & sanguinis (sicut moriuntur quotidie parvuli & infideles cum peccato originali propter defectum applicationis baptismi) & consequenter non consequerentur salutem, nec etiam de facto fuisset ipsis applicatus baptismus fluminis, si non fuisset revelata ipsius institutio ad tollendum peccatum originale, sicut non applicatur infidelibus nescientibus peccatum originale, & virtutem baptismi ad ejus delectionem.

DICES: Hanc probationem non valere contra infideles, qui non crederent peccatum originale, nec efficaciam baptismi. Respond. hoc esse verum, nisi quatenus per motiva credibilitatis id persuaderetur ipsis, unde conclusio nostra proposita & probata est potius ad persuadendam veritatem in se, quàm ad eam inculcandam infidelibus, nisi disponerentur prius ad credendum peccatum originale.

Quæstio II.

Quid & quotuplex sit Fides?

1. Fides variis patitur acceptiones.

HÆc vox Fides diversissimas patitur acceptiones, quarum primas duas proprias & bonas habet D. Augustinus lib. de Spiritu & Litt. cap. 31. tom. 3. dicens: *De hac enim fide nunc loquimur, quam adhibemus, cùm aliquid credimus, non quam damus, cùm aliquid pollicemur: nam & ipsa dicitur fides. Sed aliter dicimus, non mihi habuit fidem: aliter autem non mihi servavit fidem. Nam illud est, non credidit, quod dixi: illud, non fecit, quod dixit. Secundum hanc fidem, qua credimus, fideles sumus DEO, secundum illam verò, qua fit, quod promittitur, etiam DEUS ipse fidelis est nobis: hoc enim dicit Apostolus: Fidelis DEUS, qui non finit vos tentari supra id, quod potestis.* Itaque hoc posteriori modo accipitur secundùm etymon, pro veracitate & fidelitate in servandis promissis, unde idem Sanctus Augustinus epist. 19. ad Hieron. iterum ait: *Fides in Latino sermone appellata ab eo, quia fit quod dicitur.* Verùm in hoc sensu non est virtus Theologica, sed moralis ad fortitudinem spectans, est enim quædam constantia, quæ facit ab eo non recedi, quod dictum aut promissum est, & in hoc sensu dicitur in DEO esse, ut ad Rom. 3. *Nunquid incredulitas eorum fidem DEI evacuavit?* id est, nunquid illorum scilicet Judæorum incredulitas enervabit, aut annullabit fidelitatem DEI in standis promissis de mandando Messia, hinc subdit statim: *Absit. Est autem DEUS verax, omnis homo autem mendax.*

2. Fides accipitur pro fiduciâ aliquando.

Secundò accipitur *Fides* pro fiducia, ut patet ex illo Jacobi 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Quod fundatur in illo Salvatoris Matth. 11. *Omnia quæ petitis orantes, credite, quia accipietis, id est habete fiduciam & confidentiam quod accipietis*, quod etiam in communi loquela usitatum est, dum dicimus: Credo quòd mihi hoc vel illud dabit. Et Matth. 14. ait: *Modicæ fidei quare dubitâsti*: Sed & sic accepta ad voluntatem spectat; èstque vel ipsa spes, ut probabiliter censet Comptonius, vel fides cum spe conjuncta, vel certa spei con-

conditio, ut vult Aretinus, quamvis Soto & Bellarminus negent in istis locis, & in ullis aliis unquam in scriptura fidem accipi pro fiducia aut confidentia, sed semper pro fide & virtute intellectuali, unde illa loca requirunt fidem firmam, stabilemque, & vivacem, ut aliquid impetremus à DEO, quare qui increpantur de modica fide, arguuntur, quòd non ita vivaciter crediderint sicut debuissent, quare autem præfati Authores negent fidem unquam in scriptura pro fiducia accipi, est, quia nolunt Luthero ansam præbere ad contorquendos alios textus, ubi de fide intellectuali agitur, ad fiduciam Lutheranam, ast puto cum Comptonio parum hoc referre, licèt concedatur, quod fides aliquando pro fiducia accipiatur, sunt enim alii tam clari, qui nunquam pro fiducia contorqueri poterunt, ut est ad Hebræos. 11. *Accedentem ad DEUM oportet credere quia est.* Et in epistola ad Ephes. cap. 3. expressè distinguit fidem à fiducia cùm docet nos habere fiduciam per fidem, ita enim ait: *In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia, per fidem ejus.* Apud Authores passim plures inveniuntur acceptiones, sed non sunt ad propositum nostrum, ut sunt quando accipitur pro bona vel mala conscientia, ut *quod ex fide non est, peccatum est.* aut pro authoritate & respectu sicut dicitur in Ecclesiastico: *Qui denudat arcana amici, perdet fidem.*

3. *Fides accipitur pro credulitate.*

Tertiò & ad propositum accipitur fides pro credulitate, seu assensu firmo intellectûs, quem adhibemus & præbemus dictis aliorum, in quo sensu dixit Paulus ad Hebræos 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo DEI.* Et August. lib. de Spir. & litt. cap. 31. *Aliter dicimus non mihi habuit fidem, aliter autem non mihi servavit fidem, nam illud est, non credidit, quod dixi, istud, non fecit quod dixit.* Et in hoc sensu quæritur in titulo, quid sit fides? Quartò & est etiam ad propositum, accipitur propriè pro materia & objecto fidei, seu pro rebus credendis, in quo sensu D. Athanasius in suo Symbolo ait: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmitérque crediderit*, in qua acceptione agam etiam per decursum hujus disputationis. Quintò etiam propriè accipitur, pro habitu fidei illo, quo inclinamur ad firmiter credendum iis, quæ revelata sunt & dicta, & definiri solet, quòd sit *qualitas infusa à DEO, per quam inevidenter quidem sed firmiter tamen, & sine formidine assentimur iis omnibus, quæ tanquam à DEO revelata proponuntur credenda in Ecclesia Catholica.*

4. *Fides bene definitur à D. Paulo.*

DICO 1. *Fides bene definitur cum D. Paulo ad Hebræos. 11. quòd sit Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ita SS. Patres communiter tenent & Theologi quasi omnes, contra Laurentium Vallam, & Erasmum asserentes hîc non tradi definitionem fidei sed laudem & encomium, quemadmodum si de scientia quis diceret, eam esse in adversis solatium, in prosperis ornamentum, in dubiis regula, & lux in periculosis. Sed Probatur conclusio 1. ex authoritate SS. Patrum Augustini lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. cap. 21. ubi ait: *Fides ita definita est, fides est sperandarum substantia, & convictio rerum quæ non videntur.* D. Hieronymi super epist. ad Galat. cap. 4. in illa verba *Fructus autem Spiritus*, ubi dicit: *Nec mirum, si Spes in hoc Catbalogo non referatur, cùm in fide fit quod speratur, & ita eam Apostolus ad Hebræos definit, est autem fides sperandarum substantia rerum argumentum nec dum apparentium.*

Divi Bernardi Tractatu de erroribus Abailardi cap. 4. Ubi ait: *Ego securus in Magistri gentium sententiam pergo, & scio quoniam non confundar. Placet mihi, fateor, illius de fide definitio, etsi iste etiam ipsam latenter insimulet. Fides est, ait, substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Substantia, inquit, rerum sperandarum, non inanium phantasia conjecturarum. Audis substantiam, non licet tibi in fide putare vel disputare pro libitu, non hac illacque vagari per inania opinionum, per devia errorum. Substantiæ nomine aliquid tibi certum fixúmque præfigitur. Certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris. Non est enim fides æstimatio sed certitudo.*

Probatur 2. Explicando singulas ejus particulas, & imprimis dicitur *Substantia* ducta similitudine & metaphora à primo prædicamento, id est sustentaculum, & subsistentia certi alicujus assensûs de illis rebus, quæ sperare debemus, unde statim subditur *sperandarum rerum*, id est æternæ beatitudinis, quæ est præmium piorum, & æternæ damnationis, quæ est pœna & supplicium impiorum, quia oppositorum est eadem disciplina. Et licèt nonnulla credantur, quæ non sint futura, sed vel præterita, vel præsentia, nihilominus bene dicitur *sperandarum* quia nobis sperandasunt tanquam videnda, quæ nunc credimus. Dicitur *Argumentum non apparentium*, id est medium cognoscendi ea, quæ non apparent, sicut enim in scientiis, illa media per quæ Conclusio deducitur, dicuntur argumenta (probabilia, vel certa) sic fides est medium deducendi nos ad ea, quæ sunt credibilia, & quidem convincens intellectum ad assensum. Hinc Augustinus loco argumentum legit & cum ipso plures Patres *convictio*, quasi medium convincens intellectum. Theophilactus autem conformiter ad vocem græcam legit *manifestatio*, & *ostensio*, quia res occultas nobis manifestat & ostendit. Dicitur denique *Non apparentium*, quia res fidei non apparent sed latent, fides enim est credere quod non vides. Quare

re autem S. Paulus oppoſuerit duplicem particulam illam ſubſtantiam, & argumentum declarat S. Bonavent. 3. d. 23. a. 1. q. 3. *Eſt, ut indicaret & finem ultimum ad ſtabiliendum affectum, quod præſtat per tò ſubſtantia ſperandarum rerum, & ut inſinuaret etiam ejus objectum ad illuminandum intellectum, & ob hoc poſuit argumentum non apparentium.* Denique quo i data definitio bona ſit, patet ex eo, quòd optimè explicet ejus officium & proprietatem, diſtinguatúrque ab omnibus aliis actibus & habitibus intellectûs, per hoc enim quod dicitur argumentum ſecernitur ab opinione & ſuſpicione, quæ non important firmam adhæſionem intellectûs; per tò *non apparentium* diſtinguitur à ſcientia, quæ apparens eſt & evidens, non verò obſcura, ſicut fides. Deinde per primam particulam differt à fide humana, quæ non eſt ſubſtantia, ſeu certum fundamentum ſperandarum rerum, ſeu æternæ beatitudinis, Et ſane miror, quare Theologi amplectantur definitionem juſtitiæ ab Ulpiano datam, & non hanc fidei à Divo Paulo datam.

5. *Fides qua ratione ſperet res præteritas.*

ARGUITUR: Multa credũtur fide, quæ tamen non ſperantur, jam Chriſtum natum credimus, & alia multa jam facta, quod autem factum eſt non ſperamus; item credimus infernum, ejúſque tormenta, quæ neque ſperamus, cum Spes malorum non ſit, ſed bonorum, ergo fides non eſt ſubſtantia ſperandarum rerum. Sed Reſpond. diſtin. antec: multa creduntur, quæ non ſperantur ſecundùm ſubſtantiam & entitatem, tranſeat, quæ non ſperantur à nobis in beatitudine videnda, nego antec. Et ſic Chriſtus ſecundùm entitatem ſuam non ſperatur amplius naſciturus, ſed ſperatur videndus: ſic etiam non ſperamus infernum, ſed infernum effugere. Aut ſi non placet hæc diſtinctiò, reſponderi poteſt aliter diſtinguendo: Multa creduntur, quæ non ſperantur in ſe, qualis eſt motio caudæ canis Tobiæ, conc: ratione alicujus eminentioris boni, nego. Sicut enim non omnia creduntur immediatè & directè, ita nec eſt neceſſe quòd omnia ſic ſperentur. Imò ad ea myſteria redemptionis facta, dici poteſt, fidem eſſe ſubſtantiam rerum ſperatarum, nam per ly ſperandarum intelliguntur tam præterita, quàm futura, ubi enim textus latinus habet *ſperandarum* græcus habet *ſperatarum*, dic ergo fidem eſſe ſubſtantiam ſperandarum & ſperatarum rerum, vel ſub disjunctione. Inſtabis: Fide credimus non ſolùm ea, quæ ſperanda ſunt, quæquæ aliquando ſperari debuerunt, & jam facta ſunt, ſed etiam media ad illa, quæ ſperari debent ordinata, ergo fides non eſt ſubſtantia ſperandarum rerum. Reſp. diſt. antec. præterquam quod dici poſſet media contineri ſub *tò non apparentium*, credimus etiam media quæ non ſperantur explicitè, conc. quæ non ſperantur implicitè nego, quia credimus media eſſe efficacia ſigna, & ſufficientia ad æternam ſalutem, ſperamusque quod per illorum applicationem eam aliquando aſſequemur.

URGETUR: Multi habentes fidem deſperant Salutem, ita quòd licèt aliquis deſperaret etiam ex particulari revelatione de non conſequenda Salute, adhuc habere poſſet, deberètque fidem, ergo fides non eſt ſubſtantia, ſeu fundamentum rerum ſperandarum. Reſpond. negando conſequ. quia ratio fidei eſt, eſſe ſubſtantiam rerum quæ ſperari debent, non quæ ſperantur, unde in caſu illo, quo quis ex malitia deſperaret, per accidens eſſet fidei, quòd per malitiam non ſperet illud, quod fides monſtrat ſperandum, per ſe enim ſemper eſt generativa Spei. In caſu autem altero, talis facta revelatione de ſua damnatione non poſſet amplius ſperare, & licitè deſperaret, adhuc tamen fides ejus eſſet generativa Spei, niſi ab extrinſeco eſſet impedita. Pro majori intelligentia dictorum Nota, datam definitionem non eſſe per purè eſſentialia ſecundùm rigorem philoſophicum, attingit tamen eſſentialia etiam per tò *argumentum non apparentium*, quod ſufficit, unde miror, quare nonnullis non placuerit, & quare maluerint univerſaliorem dare, quod non facerent, ſi dictum aliquod eſſet Ariſtotelis. Ex definitione apoſtolica tamen gratioſè deduxit definitionem artificioſam Ricchardus hoc modo, quòd ſit *Habitus bonus totius Spiritualis ædificii exiſtens fundamentum, ad res ſperandas ordinatus, & manifeſtativus veritatis tranſcendentis facultatem noſtræ naturalis cognitionis.* Verùm ſi nec hæc placeret, accipè hanc aliam quoad actum: Quòd fides ſit *aſſenſus intellectûs Supernaturalis in ſubſtantia, quo quis alicui adhæret, vel adhærere reſpuit ob revelationem divinam.* Quoad habitum verò *Fides eſt habitus intellectûs Supernaturalis in ſubſtantia, productivus ſimilis actûs.* Et hæc pro prima parte tituli ſufficiant.

6. *Fides multipliciter dividitur.*

Ad alteram accedo partem, & aſſigno communes fidei diviſiones, primò enim alia eſt *habitualis*, *actualis* altera, utraque iterum alia *naturalis* & *humana*, quæ innititur authoritati hominum dicentium, èſtque fallibilis, & hæc non infunditur; alia eſt *Supernaturalis*, quæ per ſe infunditur, éſtque habitus neceſſariò requiſitus ad actus Supernaturales eliciendos per modum cauſæ phyſicæ concurrentis partialiter cum intellectu. Hæc iterum tam quoad actum, quàm quoad habitum duplex eſt, una dicitur *Informis*, altera *Formata*; *Informis* eſt, quæ non habet concomitanter habitum charitatis adnexum, diciturque mortua, ejúſque opera o-

ra omnia mortua: *Formata* verò est, quæ est conjuncta charitati; dicitúrque formata, non quòd charitas sit forma intrinseca fidei eam informans, ut actus physicus solet informare suam materiam, sed quia eam perficit quoad meritum & valorem, sic enim D. Jacobus in sua epistola cap. 2. dicit *fidem sine operibus mortuam esse*, opera autem viva non sunt nisi per charitatem, consequenter & ipsa fides mortua est, quæ charitatem adnexam non habet; clariùs adhuc D. Paulus ad Galat. 2. ait. *Fidem per dilectionem operari* & clarissimè ex ipsis D. Augustinus lib. de cog. ver. vitæ 17. dicit: *Fides Spe nutritur, & charitate animatur.* intellige semper extrinsecè, non intrinsecè, cum enim sint habitus diversi in diversis potentiis subjectati, unus non est alterius forma, sicut actus non est actus actûs. Iterum charitas est forma fidei, quia hæc reddit fidem meritoriam ad vitam æternam, multi enim sunt & fuerunt, qui habuerunt perfectissimam in entitate fidem, nihil tamen eis profuit ad æternam salutem, quia charitate destituti erant, non enim auditores, sed factores legis justificabuntur, & ut ait Salvator Joann. 13. *Si hæc scitis & feceritis ea, beati eritis*, cùm enim in priori capitulo dixisset, multos credidisse in eum, sed propter metum Judæorum non fuisse ausos confiteri, quia dilexerunt magis gloriam hominum quàm Dei, quoniam si dilexissent filium DEI, utique glorificàssent. Alia denique est fides *Explicita*, alia *Implicita*, alia *evidens* in attestante, alia *evidens* in attestato.

Quæstio III.

Quæ, & qualis fides sit & semper fuerit ad salutem homini necessaria?

1. *Necessitas fidei duplex est alia Medii, alia Præcepti.*

GEneraliter dixi in Prima quæstione stante hoc rerum ordine, Fidem esse necessariam, seu Notitiam aliquam infusam, ad consequendam vitam æternam, nunc autem ad specialiora descendo, quare pro resolutione hujus quæstionis Notandum 1. Necessitatem, prout huc spectat duplicem esse, nempe *Necessitatem medii* & *Præcepti*: Illud dicitur necessarium esse *necessitate medii*, quo omisso scienter, vel ignoranter, nequit obtineri vita æterna. Necessarium verò *necessitate præcepti* est, quod liberè omissum impedit consecutionem salutis, unde inter utramque necessitatem hoc discriminis est, Primò, quòd omne necessarium necessitatè medii, eo ipso virtualiter involvat præceptum, quid enim deberet esse magis præceptum, quàm illud sine quo Simpliciter Salus haberi nequit, tale enim dicitur medium ad Salutem necessarium. Econtra verò plurima sunt præcepta, sine quorum actuali, & positiva observantia Salutem assequi possimus, & hinc necessitas præcepti non infert necessitatem medii. Secundò quòd necessitas medii nullam planè ignorantiam etiam invincibilem excusantem admittat, sive enim ignoranter, sive scienter omittatur medium ad salutem necessarium, sive possibile sit illud, sive planè impossibile, salus simpliciter non habebitur, ita quòd necessitas medii abstrahat ab omni libertate: Econtra verò necessitas puri præcepti est in illis rebus, quæ liceræ & possibiles sunt, unde ignorantia invincibilis præcepti excusare solet a peccato. Hinc Trident. ex August. de natura & grat. cap. 43. dicit DEUM impossibilia non præcipere, hoc enim intelligendum est maximè de necessitate præcepti puri, abstrahendo ab eo, quod sit medium ad salutem, nam illud quod est necessarium necessitate medii, potest hic & nunc esse impossibile, ut suppono ex materia de gratia.

2. *Salus hominis dupliciter consideratur. Initialiter* & *finaliter.*

NOTANDUM 2. Salutem dupliciter posse considerari scilicet *Initialiter*, & *finaliter*. *Initialiter* considerata est ipsa justificatio, ratione cujus capaces simus ad finalem, de hac loquitur D. Paulus ad Ephes. 2. *Gratia estis Salvati per fidem.* & ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* *Finaliter* consid rata salus, & est ipsa vita æterna, de qua dicit JESUS Salvator, Marci ultimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.*

NOTANDUM 3. Difficultatem esse de fide actuali supernaturali *effectivè*, & *objectivè*, seu quæ procedit a principio supernaturali circa objectum supernaturale sub ratione sua formali idque pro omni tempore sive legis naturæ, mosaicæ, & gratiæ, in qua materia præter errores hæreticorum, olim Sotus (dicitur retractâsse) & ex Recentioribus Vega docuerunt, quòd licèt ex parte voluntatis requiratur actus dilectionis supernaturalis à principio, & auxilio DEI proveniens, ex parte intellectûs non esse necessarium aliquem actum, sed sufficere habitum, si ipsis evangelium non esset prædicatum, aut aliquid supernaturale credendum propositum, etiamsi nunc invincibiliter ignoraret unum DEUM, si naturaliter faciat, quod in se est. Ita lib. 6. super Concil. Trid. cap. 17. 20. & 22. His prænotatis.

3. *Fides habitualis pro omni statu fuit necessaria necessitate medii ad salutem.*

DICO 1. *Fides habitualis infusa fuit pro omni statu necessaria necessitate medii ad salutem initialem & finalem, ita quòd nemo sine ipsa ex peccatore fuerit ad salutem filiorum DEI assumptus.* Est Doctoris 3. d. 25. q. 1. n. 2. & est communis Catholicorum contra Pelagium negantem omnem gratiæ necessitatem. Probatur 1. ex illo ad Hebræ: 11. *Sine fide impossibile est placere DEO,* sed

ſed placere DEO eſt neceſſarium ad ſalutem, ergo habere fidem eſt neceſſarium ad ſalutem, hoc autem intelligi nequit de actuali fide, quia parvuli placent DEO ſine fide actuali, ait enim Salvator: *Sinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum.*

Probatur 2. Impoſſibile eſt ſecundùm præſentem DEI ordinationem conſequi ſalutem finaliter ſine juſtificatione, ſed juſtificatio nequit haberi ſine charitate, hæc autem non infunditur ſine fide, & Spe, ut docet Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. ubi ſic dicitur: *Unde in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per JESUM Chriſtum cui inſeritur, fidem, Spem & charitatem.* Et in eodem capite dicitur: *Fides initium, radix & fundamentum noſtræ juſtificationis.* In adultis dico fidem habitualem non eſſe tantum neceſſariam neceſſitate medii, ſed etiam præcepti, quantum ad hoc, quòd quicunque cognoſcit eam eſſe neceſſariam neceſſitate medii, debeat adhibere omnem diligentiam poſſibilem, ut eam habeat, ita quòd ſi omitteret eam habere, peccaret, quia præceptum juris naturalis eſt, ut quilibet procuret illud ſine quo nequit habere, & conſequi ultimum finem, nempe vitam æternam.

Probatur 3. ratione Scoti hæc loca ſupponentis: Gratia habitualis & charitas ſupernaturalis ſunt omnino pro omni homine & omni ſtatu ita neceſſariæ ad ſalutem conſequendam, ut in nullo caſu defacto quis unquam conſecutus fuerit, aut conſequetur vitam æternam abſque iis, ſed gratia & charitas illa nunquam infunduntur ulli puro homini abſque fide habituali ſupernaturali, ergo fides habitualis eſt neceſſaria omni omnino puro homini pro omni ſtatu. Probatur min. Tum, Quia æque ſcriptura & Patres aſſerunt neceſſitatem fidei ac charitatis habitualis: Tum, Quia tam congruum eſt, ut intellectus ad beatitudinem diſponatur in via per fidem ac voluntas per charitatem: Tum. Quia quemadmodum actus charitatis ſupernaturalis præſupponit actum fidei, pro omni ſtatu viæ reſpectu puri hominis, ita etiam habitus fidei debet præſupponi ad habitum charitatis reſpectu omnis talis.

DICES: Ad omnem certitudinem & intenſionem actûs credendi quàm experimur in nobis, ſufficit fides acquiſita, ergo infuſa non eſt neceſſaria: Probatur antec. habens illam infuſam, ſi labatur in hæreſim ob unum actum erroris, deperditur tota illa fides infuſa, ſed talis hæreticus non obſtante illo unico errore, experitur ſe firmiter adhærere reliquis fidei articulis, ſicut ante lapſum adhæſit, ergo omnis certitudo & intenſio actûs, quam experimus in nobis poteſt provenire à ſola fide acquiſita.

Confirmatur. Firmiter & certiſſimè credimus aliis hiſtoriis à viris illuſtribus conſcriptis propter authoritatem ſcribentium, ergo ſimiliter omnibus contentis in ſacra ſcriprura poſſumus firmiter adhærere propter ſolam authoritatem perſonarum illuſtrium ea ſcribentium, & prædicantium, absque ullo principio infuſo. Reſpond. conc. antec. quod bene probatur, negando conſequ. quia nemo experitur in ſe fidem infuſam divinam ſicut nec charitatem, unde nec abſentiam illius advertit, bene tamen experimur fidem acquiſitam eſſe in nobis: quia etiam ut bene Scotus 3. d. 23. q. 1. Fides habitualis infuſa non eſt neceſſaria propter majorem certitudinem, aut intenſionem experimentalem actûs credendi, ſed propter majorem perfectionem entitativam. Ad Confirm. diſt. antec. fide fallibili, conc. infallibili, nego. ſimiliter diſt. min. nego conſequent.

4. *Fides actualis alicujus articuli adultis eſt etiam neceſſaria.*

DICO 2. *Cuilibet adulto non juſtificato neceſſaria eſt & pro omni ſtatu ſemper fuit fides actualis ſupernaturalis alicujus articuli effectivè & objectivè, ita ut ſine ea nec juſtificationem, nec ſalutem etiam invincibiliter ignorans conſequi poſſit, proinde tam neceſſitate medii, quam præcepti ſimul.* Ita Catholici contra Vegam. Probatur 1. ex ſcriptura, nam per totum caput 11. ad Hebræos enumerat Paulus ſanctos, qui per fidem placuerunt DEO, aſſerens: *Sine fide* enim *impoſſibile eſt placere DEO.* Item per totam epiſtolam ad Roman: probat, ſine fide impoſſibile eſſe juſtificari aliquem coram DEO, nam cap. 1. & 2. ait, quòd naturalis cognitio DEI, & legis ſcientia, & opera, nec gentibus nec Judæis proſint, cap. 3. dicit. *Unus DEUS, qui juſtificat circumciſionem per fidem, & præputium ex fide. . . . Ex operibus legis non juſtificatur omnis caro coram illo, juſtitia autem DEI per fidem JESU Chriſti in omnes & Super omnes qui credunt in eum.* & cap. 4. docet Abraham eſſe Patrem omnium credentium per fidem, neminémque promiſſionis hæreditatem conſequi niſi fuerit filius per fidem. Denique *qui non credit jam judicatus eſt.* Joann. 3. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Marci ultim. ergo cuilibet adulto neceſſaria eſt fides actualis ſupernaturalis.

Probatur 2. ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. ubi hæc habet: *Cauſa inſtrumentalis noſtræ juſtificationis eſt baptiſmus, quod eſt Sacramentum fidei, ſine qua nulli contigit unquam juſtificatio.* & cap. 8. iſta: *Cùm verò Apoſtolus dicat juſtificari hominem per fidem, ea verba in eo ſenſu ſunt accipienda, quæ perpetuus Catholicæ Eccleſiæ conſenſus tenuit, expreſſitque, ut ſcilicet per fidem juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis noſtræ juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere DEO, & ad filiorum ejus conſortium pervenire*

nire in quibus ſatis inſinuat ad juſtificationem non ſufficere naturalem cognitionem DEI, ſed fidem requiri, ergo.

Probatur 3. authoritate Patrum (ut omittam Hieronymum, Ambroſium, Leonem, Irenæum) Auguſtini, pluribus in locis, maximè tamen in epiſt. 157. ad Optatum ubi poſtquam multa de neceſſitate fidei tam in adultis, quam parvulis diſſeruiſſet, ſic loquitur: *Proinde cum omnes juſti ſive ante Chriſtum incarnatum, ſive poſt, nec vixerint, nec vigant, niſi ex fide Chriſti, quia ex Act. 4. non eſt aliud nomen datum ſub cœlo, in quo oporteat nos ſalvos fieri, profecto ex illo tempore valet ad ſalutem generis humani, quo in Adam vitiatum eſt.* Bernardi ſerm. 24. in Cant. ubi dicit: *Sed nec opera quamvis recta rectum cor efficere ſufficiunt ſine fide, quis enim rectum dicat hominem non placentem DEO? ſine fide autem impoſſibile eſt placere DEO. Qui non placet DEO, non poteſt illi placere DEUS,* nempe quòd per dilectionem & fidem in eum tenderet. Et tract. ad Hugonem de S. Victore tom. 4. operum mihi fol. 120. cap. 2. clariſſimè ſolius fidei neceſſitatem & efficaciam probans ait: *Nimirum innuens* (Chriſtus ſupra Marci ultim: Qui crediderit) *ſolam interdum fidem ſufficere ad ſalutem, & ſine ipſa ſufficere nihil. Quapropter licèt martyrium vicem baptiſmi poſſe implere conceditur, non planè hoc facit pœna, ſed ipſa fides, nam abſque ipſa quid eſt martyrium niſi pœna.* Ubi ulterius etiam docet (quod antecedenter etiam jam docuerat D. Aurelius lib. 1. de peccator. merit. & remiſſ. cap. 19.) nec quidem parvulos juſtificari ſine fide actuali, non quidem propria ſed aliena, nam ait pro aliena culpa, ſufficere quoque alienam, cùm propriam habere non poſſint, quod tamen ſanè eſt intelligendum, vel quòd ob fidem parentum baptiſmus ei conferri poſſit, majórque gratia, aut alia dona, nam ſi infans baptizaretur à Parocho hæretico, eſſetque natus ab hæreticis fides ipſorum tunc non prodeſſet ſed Sacramentum, & fors fides Eccleſiæ. Sed ad omnia illa teſtimonia Patrum

DICES: Intelligenda eſſe regulariter, non verò in caſu, in quo aliquis haberet ignorantiam invincibilem, in tali enim caſu ſufficeret cognitio naturalis. Sed Contra: ſic, dicam quoq; regulariter tantùm requiri auxilium DEI ſupernaturale, gratiam actus charitatis, & pœnitentiæ, poſt lapſum per ſolum liberum arbitrium ſine ullo dono ſupernaturali.

DICES adhuc: Impoſſibilium nulla lex & obligatio, talis autem cognitio fidei ſupernaturalis videtur impoſſibilis: Tum, Quia vires naturæ excedit: Tum, Quia olim non erat de hac lex &c. Reſpond. negando min. licèt enim vires naturæ excedat, ex hoc tamen impoſſibilis dici non debet, quia DEUS facientibus quod in ſe, gratiâ ſuâ non deeſt, dans velle, intelligere, & perficere, alioquin deberet etiam dici præcepta multa eſſe inobſervabilia, quia ſunt ſupra vires naturæ, quod tamen eſt falſum, cùm per gratiam omnia poſſint ſervari. In lege naturæ ſemper fuit obligatio, & ſufficiens promulgatio ab Adamo ad poſteros per manus tradita, conſequenter inexcuſabiles ſunt & fuerunt, qui DEUM non glorificaverunt.

Probatur Concluſio ulterius: Tum ex definitione Innocentii XI. qui hanc propoſitionem damnat: *Fides late dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimulvè motivo ad juſtificationem ſufficit.* Tum ratione: Requiritur ex parte voluntatis actus ſupernaturalis ut homo juſtificetur, ergo etiam ex parte intellectus. Probatur conſequ. antec. eſt Vegæ ſupra: Tum, ideo requiritur ex parte voluntatis, quia bonum amandum eſt ſupernaturale, ſed bonum intelligendum & credendum etiam eſt ſupernaturale, ſi enim naturale eſſet, ſicut naturaliter cognoſceretur, ſic etiam naturaliter poſſet amari, ergo: Tum, Quia actus ſupernaturalis voluntatis nequit elici ſine actu ſupernaturali intellectus, qualis eſt ſolus fidei, cum nihil ſit volitum quin præcognitum. Tum, Quia actus virtutum ſunt ſub præcepto: Tum, Quia omnis actus ſupernaturalis eſt ſub præcepto, quare ſi quis in infantia baptizatus transferretur ad ſylvas, & ad adultã ætatem perveniret ſine eo, quod peccaret mortaliter, quòd ipſi credenda proponerentur, talis quidem ſine actu fidei ſalvaretur, quia ad conſervandam gratiam ſufficit ei non peccare mortaliter, verum tamen talis non ſalvaretur ut adultus, ſed ut infans per commune medium infantium, immediatè tamen ut proponerentur ei myſteria fidei, actum elicere deberet, quia fides habitualis ideo datur ut actus poſſit haberi eo tempore, quo obligabit præceptum.

5. Homo ut juſtificetur ex parte voluntatis requiritur actus.

OPPONITUR contra concluſionem authoritas Scripturæ ad Rom. 2. Paulus dicit: *Gentes, quæ legem non habent, ea quæ legis ſunt faciunt, ejuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex*, ergo gentes naturaliter & abſq; principio ſupernaturali ſervant legem, ergo abſq; tali principio ſalvabũtur, quia idem Doctor gentium ſupra docet: *Non auditores legis juſti ſunt apud DEUM, ſed factores legis juſtificabuntur*, ergo. Reſp. S. Paulũ aliud non velle, quàm quòd multæ gentes ſine notitia legis faciant ea, quæ ſunt legis moralis, & naturæ quoad entitatem phyſicam actûs, idq; non omnia collectivè, ſed ſinguia aliqua diviſivè, idque pro brevi aliquo tempore, per hoc tamen non juſtificabuntur, cùm offendant in plurimis aliis, qui enim in uno delinquit factus eſt omnium reus.

INSTATUR. Pro eo tempore, quo legem obſervant, poſſunt habere naturaliter cognitionẽ Dei, & etiam quod inquirentibus ſe remunerator eſt ſed *accedentem ad DEUM oportet credere, quòd ſit, & quòd remune-*

remunerator est ad Hebræ. 11. ergo talis poterit salvari: Probatur mai. Tum, Quia Philosophi cognoverunt DEUM: Tum, Quia possunt cognoscere quòd justus sit, ad justitiam autem pertinet punitio malorum, & remuneratio bonorum, hinc etiam plures asseruerunt animam esse immortalem, ergo naturaliter possunt cognoscere, quòd sit & quòd remunerator sit. Respond. negando majo. ad probationem. Primam dico, quòd quidem multi Philosophi cognoverint DEUM, verùm non eo modo, quo cognoscendus erat, sed valde infirmo, qui innititur creaturis, & deductionibus pluribus, per fidem autem certissimo, & perfectissimo modo cognoscitur, multoque perfectiùs, quàm per scientiam. Imò si cognoverunt non sunt excusabiles ex eo, quòd eum sicut DEUM non glorificaverunt, quia licet illa cognitio non sit & fuerit sufficiens ad justificationis gratiam consequendam, si tamen eum modo debito coluissent, & gratias egissent, honorâssent, DEUS ex suavi sua providentia non denegâsset eis gratiam, per quam se etiam proximè ad justificationem disposuisse potuissent, quia DEUS facientibus quod in se & viribus naturæ, statim adest auxilio supernaturali, ut etiam proximè disponere sese possent; quòd verò naturalis cognitio non sit proximè sufficiens dispositio, patet ex eo, quòd dispositio ad formam supernaturalem debeat esse ejusdem ordinis cum illa forma, si ad eam ponendam requiratur recipientis dispositio, qualis semper in adultis requiritur, quos licèt DEUS creaverit sine se ipsis, non vult eos tamen salvare sine se ipsis. Ad secundam probationem dico, quòd si cognoscerent Philosophi DEUM esse justum, adeóque punitorem malorum, & remuneratorem bonorum, non cognoscerent tamen, quòd esset remunerator bonorum æternaliter, sed tantùm temporaliter, ad hanc enim non sufficit animæ immortalitas, sed etiam requiritur cognitio resurrectionis corporum: imo stante immortalitate animæ, ejúsque cognitione, & etiam resurrectione Corporum, unde deducitur, quòd DEUS tantis bonis exiguos quoscunque actus sit remuneraturus, cùm illa bona omnem sensum, & intellectum superent.

6. DEUS quomodo facienti, quod in se est, adsit.

ARGUITUR DEUS nunquam denegat gratiam justificantem facienti quod in se est, sed invincibiliter ignorans legem Christi, per legem & cognitionem tendendo in DEUM facit quod est in se, ergo per illam solam justificabitur & salvabitur, alioquin DEUS ipsi deesset. Respond. distin. majo. DEUS nunquam denegat &c. facienti quod in se est viribus naturæ, neg. majo: viribus supernaturalibus, conce: majo. & distin: etiam min. facit quod in se est sufficienter ad justificationem & vitam æternam, nego, ad impetrandam illustrationem & gratiam prædicationis, conce. min. & nego consequ. Itaque quòd si aliquis viribus naturæ faceret quod in se est, DEUS ex infinita sua misericordia provideret ipsi de remedio necessario, vel eum externè docendo per Angelum, vel prædicantem mittendo, ut fecit Cornelio & Eunucho Reginæ Candacis, vel occasionem dando, ut ad partes fidelium pervenire posset, aut alio modo.

INSTATUR: Non est necesse recurrere ad hæc miracula, ergo dicendum potius, quòd illa naturalis cognitio sufficiat, cùm plures status fuerint, ubi supernaturalis cognitio haberi non potuit, ut in statu legis naturæ, ergo. Respond. quòd hic recursus non sit recursus ad miracula, quod enim DEUS ordinariè dat, quando dat, non dicitur miraculosè dare, DEUS autem ordinariè hæc dat, si alia via non adsit, ut justificet & salvet facientem quod in se est, ad suavissimam enim DEI providentiam hoc spectat, ut sic illis provideat; sicut nec dicitur Miraculum, quòd bene disposito & contrito det gratiam sanctificantem. Nullus etiam fuit status ubi non sufficienter fuisset provisum de mediis ad habendam cognitionem supernaturalem, nam sicut in lege naturæ Sacramentum aliquod habuerunt in remedium peccati originalis, ita etiam habuerunt fidem, & signa sensibilia, quibus fidem suam profitebantur, & ostendebant veros DEI cultores.

URGETUR lex naturæ est naturalis, ergo in statu legis naturæ non erit ullum præceptum supernaturale de cognitione aliqua supernaturali. Respond. negando antec. & consequ. quia status legis naturæ non dicitur ideo, quòd nullum fuerit præceptum præter naturale, sed quòd nullum fuerit præceptum scriptum in tabulis lapideis vel ligneis, sed in cordibus fidelium, quia naturæ beneficio ea tam firmiter tenebant, ac si scripto traditam accepissent, ad differentiam legis Mosaicæ, ubi omnia scripto fuerunt consignata, quæ erant credenda. Sed

QUÆRES 1. An habere fidem in voto ad salutem sufficiat, sicut sufficit habere baptismum in voto? Respond. negativè, nam quòd baptismus in voto sufficiat, est, quia potest suppleri per actum contritionis, & amoris DEI super omnia, fides autem non potest suppleri, quia hæc est primum fundamentum spiritualis ædificii, & initium nostræ justificationis, quæ etiam ad ipsam contritionem & amorem requiritur debitum, ita quòd sicut Bernardus supr

7. Fides in voto non sufficit ad salutem.

prà dixit, Martyrium sine ipso non sit, nisi pœna.

1. Credere DEO, DEUM & in DEUM non est idem.

QUÆRES 2. An idem sit credere *DEO*, *DEUM*, & *in DEUM*? Respondeo negativè, quia per illud dictum proponitur objectum non uno eodemque modo, sed secundùm triplicem habitudinem objecti moventis potentiam elicientem, & imperantem ad actum fidei *credere* enim *DEO* significat objectum formale; *DEUM*; objectum materiale, & *in DEUM* significat per dilectionem tendere fide in DEUM, tanquam in finem nostrum ultimum, ita SS. Patres ordinariè verba prædicta intelligunt, & explicant, unde post D. Augustinum serm. 181. de temp. & serm. 62. de verbis Domini: Magister dicit: Credere DEO est credere vera esse, quæ dixit & loquitur, quod & mali faciunt, & nos credimus homini, sed non in hominem; Credere DEUM est credere, quòd ipse sit DEUS, quod etiam mali faciunt, credere in DEUM est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & ejus membrum incorporari. Adsimilem modum discurrit D. Bernardus serm. 45. de varia Trinitate ubi ait triplicem esse fidem. *Alia præceptorum, alia signorum, alia promissorum: id est, quâ credimus in DEUM, quâ credimus DEUM, quâ credimus DEO. Per fidem præceptorum credimus in DEUM. Credere autem in DEUM est sperare in eum, & eum diligere. Per fidem signorum credimus DEUM, qui talia potest, & omnia potest. Per fidem promissorum credimus DEO, qui quicquid promittit, veraciter complet.*

Quæstio IV.

An Fides sit habitus intellectualis, unus specie in omnibus respectu omnium credibilium, & an sit practicus vel speculativus?

1. Sectarii negant fidem esse habitum intellectualem.

SEctarios nostri temporis negare fidem esse habitum intellectualem, patet ex superioribus, dum adstruunt non aliud esse, quàm aliquam in DEUM fiduciam, quæ est actus voluntatis, & consequenter habitus inclinans, virtus intellectualis non erit, sed moralis & voluntatis. Durandus in 3. d. 13. q. 6. & Cajetanus dicunt, fidem quidem esse virtutem intellectûs, sed non intellectualem, verùm non capio, quomodo possit aliqua virtus esse in intellectu, & tamen non esse intellectualis, cùm per virtutem intellectualem Theologi & Philosophi non intelligant aliam, quàm eam, quæ ab intellectu elicitur, & in intellectu subjectatur, ut patet de *Arte*, *Scientia*, *Prudentia*, *Sapientia* & *Intellectu*, quas Aristoteles 6. Ethicor. cap. 3. enumerat, & intellectuales vocat. Hinc pro prima parte tituli.

2. Fides est virtus intellectualis.

DICO 1. *Fides divina, quæ est habitus infusus, quo mediante credimus ut oportet, est virtus intellectualis.* Ita D. Thomas, Scotus, D. Bonaventura, Alensis, Richardus &c. & Probatur 1. Illa est virtus intellectualis ad quam spectat intelligere, cognoscere, scire credendo, sed ad fidem divinam hi actus spectant veluti proprii fidei ipsius, ergo est virtus intellectualis, major patet, probatur minor ex scriptura, nam ad Hebræos 11. dicit Apostolus: *Fide intelligimus aptata esse sæcula.* ad Colost. 2. dicit: *Instructi in charitate & in omnes divitias plenitudinis intellectûs, in agnitionem mysterii DEI Patris, & JESU Christi*, ubi fidem vocat divitias plenitudinis intellectûs. Item Lucæ 1. dicit Zacharias. *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus*, ubi scientiam salutis vocat fidem. Sap. 10. *Dedit illis scientiam Sanctorum*, nempe fidem Jeremiæ 3. *Dabo vobis pastores & pascent vos scientiâ & doctrinâ*, scilicet fide. Et cap. 9. dicit: *Non glorietur in sapientia sua. . . sed glorietur in hoc, qui gloriatur, scire & nosse me.* id est, credere DEUM & in ipsum ergo ad fidem spectant scire, intelligere, & cognoscere veluti proprii actus.

Probatur 2. Illa est virtus intellectualis, quæ versatur circa objectum intellectûs, sed fides versatur circa illud, ergo. Probatur minor quia fides versatur circa verum & multò perfectiùs quàm quæcunque alia scientia, nam licèt ipsa superetur in evidentia ab aliis scientiis, in certitudine, tamen & infallibilitate superat omnes alias, ergo.

Probatur 3. Fides est virtus quæ datur ad captivandum intellectum in obsequium Christi, ut Paulus docet 2. Corinth. 10. ergo erit illius potentiæ, quæ captivari debet, hæc autem captivari debet, quæ est intellectiva, ut non rationibus innitamur, sed rebus fidei assentiamus. Sed

OPPONITUR Authoritas D. Augustini tract. 26. in Joann. ubi dicit. *Multa potest homo facere non volens, credere autem non potest nisi volens*, ergo fides spectat ad voluntatem, consequenter non erit virtus intellectualis. Respond. S. Augustin. loqui de fide meritoria ad salutem, & in quantum est imperata, non verò de fide cum respectu ad principium suum elicitivum, principium enim imperans est voluntas piè & bene affecta, principium verò eliciens est intellectus piæ affectioni subordinatus.

DICES: Aristoteles vocat virtutem

tutem *dispositionem ad optimum* 6. Physic. sed fides nullo modo disponit ad optimum, ergo fides nullo modo erit virtus, nec intellectualis quidem. Respond. distin. majo. virtus est dispositio ad optimum in suo genere, concedo in alio, nego, sic licèt fides non disponat ad honestum, quod est optimum, disponit tamen ad verum, quod est optimum intellectûs, sicut honestum optimum voluntatis. Et si urgeas, quòd optimum rerum sit evidens, ad hoc autem non disponit fides, quia disponet semper ad obscurum. Resp. quòd etiam disponat ad optimum evidens, fidei enim succedit evidentissima DEI cognitio & visio, & ad eam defacto disponit in quantum per eam meremur etiam illam.

Pro resolutione secundæ partis tituli advertendum, ideo quæri, an fides sit una in omnibus & respectu omnium credibilium, quia sunt tam diversa subjecta in quibus subjectatur, nempe homines & Angeli, tam diversa objecta circa quæ versatur, & tam diversi actus, qui ab ea eliciuntur, quæ cùm omnia specie distinguantur, videtur etiam specie debere distingui principium elicitivum, & habitum fidei, imò in quocunque subjecto diversi specie habitus videntur debere constitui, consequenter fides non erit aliquis unus habitus, sed unus tantùm aggregatione.

ADVERTENDUM 2. Quòd etiam in uno major possit esse fides, quàm in altero multipliciter: Primò propter plures gradus intensionis acquisitos per actus meritorios. Secundò propter extensionem ex eo quòd unus plura explicitè intelligat quàm alter. Tertiò ex ratione charitatis adnexæ perfectior enim fides est cum charitate formata, quàm informis; imò etiam potest esse major in uno quàm in alio ratione stabilitatis, & promptitudinis, nec de his modis ulla potest esse difficultas ad controversiam autem

1. Habitus fidei est unus specie in omnibus Angelis & hominibus.

DICO 2. *Habitus fidei est unus specie in hominibus, & in Angelis existentibus in via, & in quolibet subjecto est idem simplex numero respectu omnium credibilium.* Ita S. Thomas, Scotus, Bonaventu: &c. Probatur 1. Quia eadem potentia potest elicere, & producere specie distinctos actus, & eadem qualitas specie distinctas, ergo etiam idem habitus fidei supernaturalis, consequenter unus est in omnibus & simplex, quia ob nullam aliam rationem deberent plures poni, quàm quòd videtur, non posse eundem numero & specie ad tam diversos producendos concurrere. Probatur antec. de intellectu qui producit apprehensionem, judicium, assensum & dissensum, & discursum &c. qui omnes specie distinguuntur; item calor in probabili producit calorem & siccitatem, ergo.

Probatur 2. Habitus maximè specificantur per sua objecta formalia, si specificantur per aliqua, sed in habitu Fidei est unum in omnibus objectum formale nempe veracitas divina revelans, ergo etiam in omnibus erit idem specie habitus.

Probatur 3. Si habitus fidei non esset in quolibet numero simplex, sequeretur justos in principio conversionis non habere sufficiens principium ad credendum omnibus articulis, sed ad singula quæ ipsis de novo proponuntur credenda novos & novos debere acquirere habitus, cùm tunc eis nova & nova proponantur objecta materialia, quòd ut evitetur, melius est dicere unum eundemque numero habitum ad omnia concurrere.

ARGUITUR 1. Habitus specificantur per objecta, ut dicit & docet Aristoteles, sed objecta fidei sunt diversa, ergo etiam habitus. Respondetur 1. distin. majo. Habitus specificantur per objecta extrinsecè tantùm, cùm non habeamus aliunde rationem cognoscendi eos, transeat major, intrinsecè, nego majorem. Respondeo 2. distin. aliter majorem, habitus naturales specificantur per objecta, transeat major dico semper transeat, quia plures Doctores absolutè negant; supernaturales specificantur, nego majorem. Respond. 3. distin. similiter majorem habitus specificantur per objecta materialia, neg. majo. formalia conce. majo. impræsentiarum autem unicum tantùm est objectum formale, licèt sint plura materialia, consequenter unus tantùm erit habitus. Quòd autem penes objecta formalia tantùm specificentur patet ex hac propositione complexa: *DEUS est*, de hac Philosophus habet scientiam, rusticus fidem, qui sunt diversi actus intellectûs, quæ diversitas non oritur ex illa propositione, sed ex diverso motivo, ergo.

INSTATUR. Etiam in fide sunt plura objecta formalia, ergo. Probatur antec. quia veracitas divina revelans est multiplex, aliquando enim proponit verbis, aliquando signis, visionibus &c. item non modò ob DEI veracitatem credimus, sed etiam ob authoritatem Ecclesiæ, ergo sunt objecta formalia motiva diversa. Respond. neg. antec. cum sua probatione prima, quia licèt veracitatis divinæ revelatio sit multiplex, hæc tamen per accidens, & materiali quodam modo applicat principalissimum & unicum motivum veracitatem divinam, consequenter ex ejus variatione non variatur ipsa veracitas. Ad 2. probationem dico quòd

quòd sive credamus ob authoritatem DEI, sive ob authoritatem Ecclesiæ, credimus semper ob idem motivum nempe summam DEI veracitatem, quam DEUS habet ex se, Ecclesia à DEO quasi per participationem.

ARGUITUR. 2. Species intelligibiles concurrentes ad eliciendos actus fidei multæ sunt, ergo etiam habitus à paritate. Respond. negando consequ. disparitas est, quia species se tenent ex parte objectorum, unde quando illa multiplicantur, Species etiam debent multiplicari, cùm sint objectorum vicariæ, habitus autem tenet se ex parte potentiæ, & sic quemadmodum una potentia sufficit ad plures & distinctos specie actus eliciendos, ita etiam unicus habitus. Verùm

Pro resolutione 3. partis Notandum, habitum fidei tendere in aliquos actus, qui secundùm se præcisè considerati sunt practici, & in aliquos, qui sunt speculativi, quia tendit in hos actus, *Parentes sunt honorandi: DEUS est colendus: Virtus est præferenda vitio*, qui actus sunt practici, ex se tam bene, quàm ulli alii, quia dirigunt praxim, hoc est ostendunt voluntati, quos actus bene possit eligere, quos vitare. Deinde tendit in hos actus Canis Tobiæ habuit caudam, DEUS est unus & trinus, Tenebræ erant super faciem abyssi, qui sunt merè speculativi ex sua natura intrinseca, cùm non dirigant ullam praxim directè, nec ullo modo nisi quatenus indirectè possunt esse causa aut juvamen aliquod, ut voluntas eliciat aliquam praxim, hoc autem non sufficit, ut dicantur non esse ex natura sua speculativi, aliàs cogitationes metaphysicæ, quibus cognoscitur DEUS esse unus, & primum principium, & ultimus finis rerum omnium, non essent ex natura sua intrinseca speculativi, quia possunt sic indirectè esse occasio, ut voluntas eliceret praxim amando DEUM. Hinc patet, si per habitum practicum intelligatur ille, qui solùm tendit in actus ex natura sua practicos, & per speculativum, qui in solos actus speculativos, fidem non esse nec speculativum, nec practicum habitum: si verò per habitum practicum intelligatur ille, qui solùm tendit in actus aliquos practicos, & per speculativum, qui in aliquos actus speculativos, fidem esse & practicum & speculativum, nec hoc potest videri inconveniens, quia quemadmodum potest idem intellectus dici speculativus, quatenus tendit in actus speculativos v. g. in metaphysicos, & practicus quatenus tendit in practicos v. g. in morales, cur idem non posset competere eidem habitui & præsertim per se infuso, qui maximam habet proportionem cum ipsamet potentia.

4. Habitus fidei est simpliciter practicus.

DICO 3. *Habitus fidei est simpliciter practicus.* Ita Doctor subtilis, Alensis &c. Probatur Conclusio 1. Non est habitus speculativus, ergo practicus: antec. patet, consequ. est optima, cùm practicum & speculativum sint differentiæ sibi oppositæ habituum, vel passiones propriæ ipsas differentias oppositas consequentes, sed implicat, quòd aliquæ duæ differentiæ sint in eodem uno contento sub illo communi, ergo etiam implicat, quòd speculativum & practicum sint in eodem habitu, & consequenter si non est habitus fidei speculativus, erit practicus.

Probatur 2. Ille est habitus practicus, qui simpliciter est regulativus praxis, sed habitus fidei est talis, ergo. Probatur min. ille habitus est regulativus praxis, qui determinatam rectitudinem proximè vel remotè importat, ut circa suum objectum principale exeat in opus, aut saltem natum sit facere, ut exeat in opus, fides hoc præstat, quia non est dabilis aliqua propositio fidei, quam producat habitus fidei, quæ non habeat rectitudinem in se, ratione cujus possit exire in opus saltem remotè, nam si aliquæ essent, maximè hæ aut similes: *DEUS est, DEUS est trinus, Angeli vident faciem Patris* &c. hæ verò sunt ex intrinseca ratione tales, quòd virtualiter & remotè movere possint ad opus, ergo. omitto paritatem de aliis scientiis, nam sic dicimus Theologiam esse practicam simpliciter, quia habet plures propositiones practicas, licèt aliquas etiam habeat speculativas, sic Logicam dicimus purè scientiam, licèt habeat conclusiones multas tantùm probabiles.

5. Habitus fidei acquisitus non est unus simplex.

Tertia pars asserens requiri ad hanc evidentiam signum aliquod, quod evidens sit esse non posse nisi à DEO. Probatur, Quia evidentia requisita ad fidem excludere debet omne periculum impostura, & tollere omnem prudentem formidinem, sed quamdiu non proponitur mihi signum, quod evidens sit, esse non posse nisi à DEO, non excluditur omne periculum impostura, neque tollitur omnis formido prudens, ergo requirit hæc evidentia signum aliquod, quòd esse non possit nisi à DEO. Probatur min. quia tamdiu est periculum impostura in eo, qui proponit objectum credendum, quamdiu eo tantùm modo proponit, quo ille posset proponere, qui falleret, sed quamdiu aliquis proponit rem credendam non ostendens signum aliquod, quod evidens sit, esse non posse à DEO, proponit eo tantùm modo, quo posset proponere ille, qui falleret, posset enim illa omnia signa facere, quæ non sunt soli DEO propria, ergo tamdiu est periculum impostura quamdiu non sunt ea signa, quæ à DEO solo fieri possunt, quæ tria videntur notatu dignissima. Sed in contra

ARGUITUR: Posito judicio probabili de honestate, aut obligatione alicujus actus, potest voluntas prudenter velle elicere talem actum, ut variis exemplis probari potest, nam ille qui honestè, ac prudenter vult dare eleemosynam illi, quem probabiliter judicat esse pauperem, honestè facit dando eleemosynam;

synam; qui adorat hostiam, quam probabiliter judicat esse consecratam, facit etiam honestè; ergo posito judicio tantùm probabili de obligatione credendi posset aliquis prudenter credere fide divina. Respond. longè disparem esse rationem fidei, & aliarum virtutum, in aliis enim virtutibus distinctis à fide, ideo sufficit judicium speculativum probabile, quia illæ non obligant operantem, ut cohibeat omnem formidinem circa objectum quod proponunt, ut in exemplis jam positis patet. At quia fides ita certa est, ut excludat omnem formidinem, ad illam requiritur judicium moraliter evidens, neque sufficere potest judicium tantùm probabile, quo posito adhuc possum & debeo prudenter formidare.

my- de- vi- bilia ni.

DICO. 2. *Ad hoc ut aliquis credat fide divina necessarium omnino est, ut mysteria sic* et *proponantur, vel immediatè ab ipso DEO, vel ab aliquo DEI legato, ut reddantur evidenter credibilia ex motivis, quæ non possunt fieri ab eo, qui vellet decipere, adeò ut ante sufficientem illam propositionem nemo teneatur, aut etiam posset credere fide divina.* Ita Doctores Catholici communiter. Primò requiri ad fidem aliquam mysteriorum propositionem, Probatur, Quia omne objectum, quod non cognoscitur evidenter ab intellectu, debet illi proponi per aliquid distinctum, sed mysteria fidei obscurè cognoscuntur, neque se ipsis fiunt manifesta, ergo debent proponi per aliquid distinctum, sive DEUS per se Ipsum proponat, sive per Doctores delegatos, delirant enim sectarii qui docent, nihil nos posse credere, nisi quod DEUS immediatè per se Ipsum proponit ut revelatum, quod erroris convincunt Bellarm. & vulgo Doctores Catholici, & sanè illos homines pudere debet suæ insciticæ, vel enim DEUS immediatè per se Ipsum revelat singulis evidenter, & proponit id, quod debent credere, vel obscurè loquitur? primum est manifestè falsum, quia repugnat experientiæ; si proponit obscurè, ergo DEI revelatio & propositio debet fieri evidenter credibilis per aliquam aliam propositionem, ergo mysteria fidei debent proponi ab aliquo alio DEI legato. Deinde DEUS non minùs facere potest revelationem suam evidenter credibilem loquendo per alios, quàm loquendo per se ipsum, quomodo etiam Rex non æquè potest per alios suos nobis manifestare voluntates quàm per se ipsum. Ad quid enim ab initio missi essent Prophetæ, ad quid Apostoli delegati à Christo ad prædicandum gentibus Evangelium, & obligationem credendi, si per se ipsum proponere debet mysteria credenda? nam prædicare obligationem credendi, est proponere evidentiam motivorum. Denique quòd privatus ille Spiritus ad quem confugiunt hæretici non sufficiat ad credendum, jam dictum est, in materia De Ecclesia, & Pontifice, si enim, ut credam aliquid fide divina, satis est, quod dicam, sic mihi revelari à privato Spiritu, nullus hæreticus convinci potest erroris, dicit enim ita sibi suggeri à privato Spiritu. 2. requiri propositionem sufficientem, qua nimirum evidenter fiat mihi credibile DEUM revelâsse, quod proponitur per ostensionem signorum, quæ non possunt esse nisi à DEO, ratio à priori est, quia ut velim prudenter aliquid credere certò & immobiliter, debeo esse certus, quòd possim ita credere, sed non possum habere talem certitudinem, nisi habeam evidentiam, nulla enim est certitudo excepta fide, quæ non sit conjuncta cum evidentia, & quæ in ea non fundetur, ergo ut prudenter velim credere certò oportet omnino ut habeam evidentiam credibilitatis. Deinde prudenter non vult certò, & immobiliter credere, si prudenter possit formidare, vel etiam nolle credere, sed si objectum non sit credibile nisi probabiliter possum prudenter nolle credere, ergo non possum prudenter velle immobiliter credere.

ARGUITUR: Implicat objectum fidei cognosci evidenter credibile, quin cognoscatur evidenter esse verum & possibile, sed mysteria fidei non cognoscuntur evidenter esse vera & possibilia, ergo non evidenter cognoscuntur esse credibilia. Probatur mai. implicat fide divina credi firmissimè tanquam à DEO dictum, quin sit verum & possibile, sed quod est evidenter credibile potest credi firmissimè tanquam à DEO dictum, ergo quod est evidenter credibile, est evidenter verum & possibile. Confirmatur: ista consequentia est bona, illud objectum est evidenter falsum & impossibile, ergo est evidenter incredibile, ergo ista etiam consequentia erit bona, hoc objectum est evidenter credibile, ergo est evidenter verum, nam hæc regula logica optima est, ab optimo antecedentis bene arguitur ad optimum consequentis, ut si dicas: Petrus vidit, ergo vivit, bene arguere licet, Petrus non vivit, ergo non videt. Respondeo concedendo objectum fidei esse eodem modo verum & possibile, evidenter, quo est credibile evidenter, sicut autem illud non est evidenter credibile proximè ac physicè sed moraliter tantùm & remotè, ita evidenter moraliter & remotè verum est, non autem evidenter proximè aut physicè. Hac distinctione totum solvitur argumentum cum sua confirmatione, verum enim est, quòd moraliter & prudenter loquendo implicet aliquid credi fide, quæ prudenter & moraliter existimetur divina, quin sit verum & possibile, sed non implicat physicè. Neque ad confirmationem

Digitized by Google

alia videtur eſſe neceſſaria reſponſio. Fateor enim, quod hæc utraque conſequentia ſit bona, iſtud objectum eſt evidenter moraliter incredibile, ergo evidenter moraliter eſt falſum. Hoc objectum eſt evidenter moraliter credibile, ergo evidenter moraliter verum.

ARGUITUR 2. Si nemo credere tenetur, niſi qui habet evidentiam credibilitatis, ſequitur, quòd ruſtici & pueri non teneantur unquam credere fide divina, quia ille non habet evidentiam credibilitatis, qui non cognoſcit ſufficientiam motivorum, ſed certum eſt, quòd ruſtici & pueri neque ſciunt ea motiva, neque illa ita penetrant, ut cognoſcant illa eſſe non poſſe, niſi à DEO, credunt enim articulos fidei, quos audiunt ſibi proponi à Miniſtris Eccleſiæ. Si dicatur eos per internas illuſtrationes illuminari à DEO, ut cognoſcant eam evidentiam. Contra eſt 1. quia nullus puer aut ruſticus hanc experitur evidentiam. Deinde hoc favet hæreticis dicentibus ſe credere privato Spiritui, hoc eſt, ſibi à Spiritu S. inſpirari, ut credant ea, quæ credunt, quod idem dici poteſt de illis infidelibus, qui de novo ad fidem convertuntur, ſine ullis miraculis. Reſpond. verum eſſe, quòd ruſtici & pueri non penetrent ſufficientiam motivorum, quantum neceſſe eſt, ut illa penetrat homo doctus, neque vident motiva, quæ homini docto poſſunt ſufficere, ſed motiva tamen habent, quæ ſunt ſufficientia reſpectu capacitatis quam habent, illa enim non exigit tantam penetrationem, neque tanta motiva, quanta exigit capacitas hominis docti: homini enim indocto ſatis eſt, quod videat homines ſapientiſſimos fidem illam amplecti ut omnino certam, quòd audiat illam multis miraculis fuiſſe confirmatam, quod oſtendatur illam eſſe rationi conſentaneam, & quod hoc fiat moraliter & humano modo certum. Et hoc fit v. g. cùm pueri à parentibus audiunt, cùm ruſtici à parochis, cùm infideles à prædicatoribus, ſed quia aliquando eſt inſufficiens propoſitio motivorum videtur omnino certum, quòd DEUS non rarò ſuppleat per internas illuminationes id, quod deeſt propoſitioni externæ inſufficienti. Hoc autem multum differt à privato illo hæreticorum Spiritu, qui putant illum ſufficere, quantumvis ſit contrarius ſenſui Eccleſiæ Catholicæ, ego verò nego illam illuminationem internam ſufficere, quoties Eccleſiæ repugnat.

ARGUITUR 3. Myſteria fidei vel ſunt evidenter credibilia fide divina & infallibilia, vel fide tantùm acquiſita & fallibili? Si primum, ergo eſt evidens nos poſſe credere fide infuſa, quod abſurdum eſt, quia hic eſt tantùm articulus fidei, qui non cognoſcitur niſi obſcurè ſi ſecundum ergo eſt tantùm evidens, nos eo modo poſſe credere ut poſſimus credendo decipi, ergo non tenemur, credere firmiter & fide divina infuſa. Probatur conſequen: quia non obligor credere niſi eo modo, quo evidenter cognoſco me obligari, ſed non cognoſco evidenter me obligari ad credendum niſi fide acquiſita & fallibili, ergo non teneor credere niſi fide acquiſita & fallibili. Reſpond. myſteria fidei eſſe evidenter credibilia fide divina & infallibili ex parte objecti, non divina & ſupernaturali ex parte principii, id eſt evidenter nobis patet articulum illum credi debere, ut à DEO dictum, non nobis patet illum articulum credi debere per proprium infuſum à DEO, obligor velle credere, eo modo, quo obligor credere ex parte objecti, non eo modo quo obligor credere ex parte principii.

DICO 3. *Fidei Chriſtianæ myſteria tam evidenter ſunt credibilia ex motivis, quæ omnino evidenter divina ſunt, ut nemo niſi imprudenter dubitare poſſit Chriſtianam religionem ſolam eſſe veram & ſanctam, myſteria ejus omnia firmiſſimè credenda eſſe, alias omnes ſectas damnandas & deſerendas eſſe.* 6. Fidei myſteria ſunt evidenter credibilia. Hæc eſt Patrum & Scholaſticorum D. Thomæ lib. contra Gentes cap. 6. & ſequent: Scoti in prolog. q. 2. Medinæ, Leſſii, Bellarmini. Probatur ratione, quam inſinuat D. Thom: et Scot. citati: Certiſſimum eſt dari neceſſariò debere religionem aliquam verè divinam, in qua homines ritè DEUM colentes iter ſibi certò muniant ad ſalutem, & hoc lumine naturæ notum eſt. Deinde certiſſimum eſt & notum lumine naturæ religionem hanc veram non poſſe eſſe niſi unicam, & alias omnes præter illam unicam, falſas eſſe. Præterea notum etiam eſt illam religionem unam & veram evidenter poſſe dignoſci à nobis per ſigna quædam certa & infallibilia, quæ omnino conſtet eſſe non poſſe niſi à DEO, & quæ demonſtrant illam eſſe divinam. Denique notum eſt & evidens religionem Chriſtianam habere motiva & ſigna, quæ non poſſunt eſſe niſi à DEO, & quæ demonſtrant illam eſſe verè divinam, ergo Religio Chriſtiana ſola vera eſt, ſola divina, ejus myſteria omnia certius credenda, quàm quæ videntur oculis, manibus tenentur, ratione comprehenduntur. Hæc omnia ſufficienter probavi in tractatu de Eccleſia, quæ ibi videri poſſunt, nè tamen mancus ſim, breviter ſigna credibilitatis & motiva, quæ homini non malè affecto perſuadere poſſunt recapitulando aliqua ſubjungo.

tus fuit ex Staphilo Apolog. 2. qui interfuit, & Cocleo in actis ad ann. 1523. & Genebrado. Calvinus tentavit resuscitare mortuum fictum, & fecit mortuum verum Bolescus cap. 13. vitæ ejus. Surius ad Ann. 1538. de quo verificatur illud Tertull. de præscript. hæret. cap. 30. dicentis, Hæreticos imitari Apostolos in perversum his verbis: *Illi de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt.*

DICES cum Calvino Instit. Miracula allegata à Papistis esse partim ficta, partim diabolica, ergo nihil probant. Respond. Hoc dictum Calvini esse blasphemum & diabolicum, sic enim dicebant quoque Pharisæi de Christo in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Et hac ratione sacrilegus etiam sanctos blasphemat, quis enim sanæ mentis diceret, sanctissimos viros de sanctis scripsisse mendacia, ut Nissenus de Thaumaturgo: Athanasius & Hieronymus de S. Antonio: Severus de Martino: Gregorius de Benedicto: Bernardus de Malachia: Bonaventura de Francisco, quibus integra fides est adhibenda, unde S. August. lib. 10. Civit. cap. 18. ait: *Quisquis hoc dicit*, scilicet miracula non fuisse facta, *fide bis rebus negat omnino ullis litteris esse credendum, potest etiam dicere, nec DEOS ullos curare mortalia* &c. Et ibidem: *Si libris magicis (sive quod honestius putant) Theurgicis credunt, quid causæ est, cur illis litteris nolunt credere, ita factum esse* & consequenter omnibus historiis fides foret neganda.

Nona via est *Testimonium eorum, qui foris sunt.*

VIdelicet quia nihil habent dicere contra nos, qui ex adverso sunt, ut monet S. Paulus ad Titum cap. 2. quare doctrinam nostram vocat *Verbum sanum & irreprehensibile*, unde etiam Gentiles & Pagani, qui nostram fidem non sunt secuti, eam tamen laudârunt, ut Josephus lib. 18. Antiquitatum cap. 9. pulcherrimum testimonium ponit de Christo, ubi inter alia de JESU ait: *Christus hic erat.* Ubi etiam veram ejus doctrinam & resurrectionem ex mortuis confitetur. Item de prophetia Sibillæ notat illud D. Augustinus lib. 18. Civit. cap. 23. *JESUS Christus DEI filius Salvator.* Hanc viam etiam amplectuntur Augustinus citatus cap. 4. Tertullianus lib. ad Scapulam, & Chrysostomus orat. 3. contra Judæos referens, quàm humaniter Imperatores Ethnici Catholicos tractabant, & amabant. Vide apud Eusebium libro 8. cap. 1. & lib. 9. cap. 9. Idem faciunt & testantur pro nobis moderni hæretici, qui fatentur fidem nostram esse securam, & nos in illa salvari posse, quamvis nos simile testimonium illis absolutè negemus de illorum secta.

Decima via est *Ineffabilis DEI bonitas.*

QUia DEUS non deest quærentibus toto corde salutem, unde Christus Lucæ 11. dixit: *Omnis qui petit accipit.* Et iterum: *Si vos cùm sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se*, ergo non denegavit DEUS veram fidem sine quâ impossibile est ipsi placere. Hoc manifestè patet exemplis ut in Cornelio & Eunucho Reginæ Candacis, quibus per Petrum & Philippum veritas Evangelica annuntiata est, & explicata Actorum 8. & 10. quod confirmat famosum exemplum Pauli de S. Maria Episcopi Burgensis, qui tempore Joannis II. Regis Castellæ ad fidem à Judaismo conversus, factus postmodum Episcopus Burgensis, & Archi-Cancellarius dicti Regis de se ipso in Prologo Bibliorum hæc scribit: *Cùm toto corde à Domino postularem, ut quod salubrius animæ meæ esset, cordi meo infigere dignaretur, nocte dieque auxilium ejus præstolabar, sicq; factum est, ut Catholicæ fidei desiderium in mente mea de die in diem fortius incandesceret quoad ipsam fidem, quam corde gerebam, publicè profiterer, & ea fere ætate, qua tu nunc es, in hujus Ecclesiæ sacro fonte baptismi sacramentum susceperi.* Item

Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Basilio, Benedicto, Dominico, Francisco, aliisque viris sanctis, qui toto corde quæsierunt eum, & ob amorem ejus omnia arbitrati sunt ut stercora. Sub hac via adducit Doctor alias duas, nempe mirabilem multorum conversionem, morum mutationem, qui quanto ferventius veritatem fidei inquisierunt, tanto sanctiùs postmodum in Ecclesia vixerunt, ut Saulus factus Paulus & ex persecutore Christi Doctor Gentium, Dionysius ex Philosopho Pauli discipulus, Cyprianus ex perverso Mago Christianissimus Episcopus, Augustinus ex Manichæo irretragabilis Ecclesiæ Doctor, quòd etiam liquidò constat quotidiana experientia, nam hæretici conversi ad fidem multo ferventiores & pientiores sunt quàm Catholici nati.

Ultimam denique viam assignat seu verius insinuat Doctor: *Invictam Martyrum constantiam*, quam quoque amplexati sunt olim Justinus Martyr in Apologia 1. ad Senatum Roman. Lactantius lib. 5. cap. 13. & 14. Augustinus & alii. & Probatur 1. Ex Scriptura Lucæ 21. *Injicient vobis manus suas &c. trahentes ad Reges &c. continget autem vobis in testimonium &c. in patientia vestra possidebitis &c.* ergo passiones & affectiones sunt testimonia & viæ ad cognoscendam veram fidem, pro qua illi tanta sunt perpessi, unde Paulus ad Hebræ. 11. postquam varia Sanctorum tormenta enumerâsset, dicit:

cit: *Hi omnes testimonio fidei probati sunt.*

Probatur 2. Ex Patribus, nam Tertullianus docet: *Quòd sanguis Martyrum semen est Christianorum.* Justinus Martyr in Triphon. ait: Persecutionem Ecclesiæ idem esse quod putatio in vinea, seu lætatio ut appellat Palladius, & S. Leo serm. 1. de SS. Petro & Paulo dicit: *Non minuitur Ecclesia in persecutionibus, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt multiplicata nascuntur.* Et res profectò admiranda, innocentes puellas & virgines, ut Agnes & Dorothea, tot tormenta perferre voluisse & valuisse.

Nec obstat: quod etiam multi hæretici gravia subiverint supplicia, Quia illi patiuntur propter impietatem, non verò propter justitiam, nam ut dicit Canon. *Non supplicium facit martyrium, sed causa supplicii* & S. Cyprianus ait: *Occidi talis potest, coronari non potest.* & epist. 57. *Constat si occisi hujusmodi extra Ecclesiam fuerint, fidei coronam non esse, sed potius pœnam esse perfidiæ.* Quod pulchrè ostendit exemplo & ratione S. Augustinus epist. 56. ad Bonifacium in illud Matth. 5. Beati qui persecutionem. dicens: *Non ergo qui propter iniquitatem, & propter Christianæ unitatis impiam divisionem, sed qui propter justitiam persecutionem patiuntur, hi Martyres veri sunt, nam & Agar passa est persecutionem à Sara, & illa erat sancta quæ faciebat, illa iniqua quæ patiebatur.* Et concludit: *Potest enim esse impiorum similis pœna, sed dissimilis est Martyrum causa.* Et hæ omnes viæ faciunt evidenter esse credibilia, quæ nobis ab Ecclesia proponuntur credenda.

DISPUTATIO III.

De Objecto formali fidei.

1. Objectum formale fidei explicatur.

PEr objectum formale hic non intelligo rem illam, quæ movet, ut res est, sed rationem, sub qua movet potentiam intellectivam ad assentiendum, nam si priori modo examinaretur quæstio, certum est, quòd objectum formale fidei movens intellectum, sit DEUS sub ratione Deitatis, sicut est etiam objectum Theologiæ nostræ, hæc enim est quidditativa DEI ratio: si verò in secundo, tunc controversa est hæc quæstio tam inter catholicos, quàm inter hæreticos, Manichæi enim olim tenuerunt objectum formale fidei esse rationem naturalem vel evidenter immediatè cognitam, vel mediatè per discursum deductam, aut saltem taliter apprehensam, hinc dicebant Augustino teste lib. de utilit. credendi cap. 1. *Nihil esse credendum, nisi quod humana ratione assequi potest*, quem errorem D. Bernardus etiam tribuit Abailardo epist. 190. ad Innocentium & reperitur in tom. 4. fol. 112. ubi dicit eum velle, quod nihil credi debeat sine ratione, & eum, qui credit ante rationem levem esse corde, quod modernis temporibus etiam nonnulli hæretici mordicus defendunt, sed bene refutantur ab eodem mellifluo Doctore ibidem his verbis cap. 1. loquens de Abailardo: *Et dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quæ sunt supra rationem, & contra rationem præsumit & contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quàm ratione rationem conari transcendere? Et quid magis contra fidem, quàm credere nolle, quidquid ratione non possit attingere. . . Nam illam, quæ est in DEUM fidem B. Papa Gregorius negat planè habere meritum, si ei humana ratio præbeat experimentum, Laudat autem Apostolos, quod ad unius jussionis vocem secuti sint Redemptorem. Scit nimirum pro laude dictum, in auditu auris obedivit mihi: increpatos è regione discipulos, quòd tardius credidissent. Denique laudatur Maria, quòd rationem fide prævenit, & punitur Zacharias, quòd fidem ratione tentavit.* Et certè magna temeritas est, nolle credere, quod ratione demonstrari non potest, cùm & in physicis pauças satis habeamus demonstrationes, & multa sint quæ fide credenda proponuntur à DEO, quæ omnino sunt supra rationem, quæ si non crederemus, magnam DEO irrogaremus injuriam, cùm & viri docti ac probi graviter ferant, si vera dicentibus fides non adhibeatur; Nec talis citò credens levis est corde, minúsve imprudenter facit, quandoquidem tanta motiva adsint ad credendum, quòd nullus rationabiliter discedere possit, si non laboret affectu pravo.

Qua-

Digitized by Google

Quæstio I.

An & quomodo prima veritas sit objectum formale fidei?

TRipliciter DEUS est prima veritas, *In essendo*, *in cognoscendo*, & *in dicendo*. Prima veritas *In essendo*, est perfectio infinita divini esse, quatenus est in se perfectissimè cognoscibilis. Prima veritas *in cognoscendo*, est cognitio ipsa DEI infinitè perfecta in genere cognitionis, & ita conformis objectis, ut nunquam falli possit, vel aliquid ignorare. Prima veritas *in dicendo*, est DEI perfectio, propter quam loquendo nunquam dicere potest falsum, quæ appellatur veracitas. Tria hæc DEI attributa, sic se habent, ut unum essentialiter præsupponat alterum, quamvis unum formaliter explicitè non includat aliud, nam ut DEUS sit prima veritas in dicendo, necesse omnino est, ut sit veritas prima in cognoscendo, si enim falli posset cognoscendo, posset etiam fallere loquendo: similiter DEUS non potest esse prima veritas in cognoscendo, quin etiam sit prima veritas in essendo, si enim non esset Ens summè perfectum, posset habere cognitiones imperfectas & falsas, ergo prima veritas in dicendo præsupponit primam veritatem in cognoscendo & essendo, tanquam virtuales sui causas, per quas possit probari, sed in suo tamen conceptu formali explicito eas non includit, cùm sine illis tota concipiatur. Difficultas tota est, quænam ex illis tribus sit motivum ultimum formale, propter quod credimus, quidam sentiunt, quòd sit prima veritas in essendo, seu Deitas ut Deitas, ita Aureolus, & plures eum secuti, quos approbare videtur de Lugo. Alii plures cum Valentia esse primam veritatem in cognoscendo, alii cum Suario utramque jungunt, volúntque constitui formale illud objectum ex prima veritate, tum in cognoscendo, tum in dicendo.

3. Veritas aliqua DEI est ultimum motivum formale fidei divinæ.

DICO 1. *Aliqua DEI veritas est objectum motivum formale fidei divinæ.* Est Christianorum omnium, quos nulla creata ratio impellit, ut certò credant sed authoritate suprema DEI, sic enim testantur scripturæ Gen. 15. *Credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad justitiam*, quod expendens Apostolus cap. 4. ad Rom: *Non est autem scriptum*, inquit, *propter ipsum tantùm, sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in Eum, qui suscitavit Christum à mortuis.* Deinde idem prædicant Patres Ambrosius lib. 2. epist. 12. ad Valentinianum, *qui magis de DEO, quàm DEO credant.* August. lib. de Spir. & litt. c. 32. *Veritas*, inquit, *quæ omnia credit, non omni Spiritui credit, ac per hoc omnia quidem credit, sed DEO, quia non dictum est omnibus credit, unde nulli dubium est, eam fidem ab Apostolo commendari, quæ DEO credit.* Denique S. Hilarius apud Eusebium lib. 9. Histor. apertè professus est, quod Author nobis de DEO sit DEUS. Ratio etiam est, quia si DEUS non esset motivum credendi, fides non esset virtus Theologica, certitudo ejus non superaret omnem certitudinem aliarum scientiarum naturalium, neque imitaretur certitudinem scientiæ beatæ.

4. Veritas in essendo non est formale motivum fidei.

DICO 2. *Formale fidei objectum non est prima veritas in essendo, neque in cognoscendo, sed sola in dicendo.* 1. pars Probatur, quia illa sola est ratio formalis motiva fidei, qua primum positâ, etsi alia tollantur omnia, fidei articuli sunt credibiles infallibiliter, & qua primum remotâ manentibus omnibus aliis articuli non sunt credibiles, sed primum posita DEItate, sublata verò prima veritate in dicendo, articuli non manent credibiles infallibiliter, si enim per impossibile DEUS esset DEUS, & non esset summè verax, articuli fidei non essent credibiles, & si DEUS non esset prima veritas in essendo, esset autem prima veritas in dicendo, quæ fallere nunquam posset, articuli fidei manerent credibiles, ut patet, quia credendo, quod diceret, non possem falli. Deinde fides nititur testimonio, veritas autem testimonii formaliter nititur veracitati illius, qui loquitur, non autem veritati in essendo.

5. Veritas in cognoscendo non est formale motivum fidei.

Secunda pars Probatur eâdem ratione. Quia posita prima veritate in cognoscendo, & sublata prima veritate in dicendo, non manet objectum credibile ullo modo, & sublata prima veritate in cognoscendo manente autem prima veritate in dicendo, manet objectum credibile, ergo sola prima veritas in loquendo est objectum formale fidei. Probatur antec. nam posito, quòd DEUS tunc quando loquitur nunquam possit fallere, non possum falli credens iis, quæ dicit, sed prima veritas in loquendo est illa, quæ quando loquitur nunquam potest fallere, ergo posita prima veritate in loquendo, non possum falli credendo iis, quæ dicit. Minor certa est, falsum enim est, quod ajunt aliqui primam veritatem in dicendo non esse aliud, quàm veracitatem, id est, virtutem illam voluntatis, quæ non potest unquam velle fallere, hac enim positâ, certum non erit, quòd sit infallibiliter id, quod dicitur, eo quòd licèt non velim te fallere, sæpe tamen etiam nolens te fallo, quia fallor, prima ergo veritas in dicendo non est sola perfectio voluntatis, quæ non vult fallere, sed est perfectio illa, quæ loquendo nunquam potest fallere, & præsupponit primam veritatem in cognoscendo, tan-

tanquam causam virtualem, sed per illam non constituitur.

Probatur 2. sicut prima veritas in essendo non pertinet ad objectum formale fidei, etiamsi sit causa virtualis primæ veritatis in cognoscendo & dicendo, easque probet, quia non est formalis ratio assentiendi primæ veritati, sed tantùm causa virtualis essendi, ita etiam prima veritas in cognoscendo, cùm sit causa tantùm virtualis præsupposita ad primam veritatem in dicendo, & non ratio assentiendi eidem, non erit objectum formale fidei. Denique à priori ratio est: quia nemo alteri credit, quia verum cognoscit, sed quia verum dicit.

ARGUITUR 1. Contra 1. partem concluſ. Illa est formalis ratio assensûs fidei, cui propter se ita assentitur intellectus, ita ut in eam fiat ultima fidei resolutio, sed ultima resolutio in quam assensus fidei resolvitur, est DEUS sub ratione DEitatis seu prima veritas in essendo, ergo illa est objectum formale fidei. Probatur minor. in illud ultimò fides resolvitur, per quod ultimò cognoscitur, & probatur prima veritas in dicendo, sed hoc cognoscitur, & probatur per ipsam Deitatem, ergo DEitas est id, in quod ultimò resolvitur fides, quæ proximè resolvitur in primam veritatem in dicendo. Resp. Attributum primæ veritatis in dicendo posse considerari Primò prout existens in DEO. Secundò prout formalis ratio assentiendi rebus revelatis, fateor quod prima veritas, prout est reale attributum existens in DEO probetur per DEitatem, nam DEitas est causa virtualis, propter quam prima veritas DEO tribuitur, sed nego primam veritatem in dicendo, prout est ratio assentiendi revelatis probari per DEitatem, quæ non est ratio formalis, propter quam prima veritas est ratio infallibiliter assentiendi rebus revelatis, quemadmodum color consideratus, ut est accidens corporis mixti, & ut est ratio videndi Petrum, mixtio qualitatum est causa coloris, ut est accidens existens in Petro, sed non est ratio formalis, cur videatur Petrus, si autem quæratur, quare videatur Petrus, rectè respondetur, quia est coloratus, & si petatur, cur sit coloratus, respondetur, quia est corpus mixtum, neque tamen dicitur, quòd mixtio qualitatum sit objectum formale visûs, sed tantùm quòd sit causa effectiva coloris, ut accidens est, non autem illius formalis, ut est ratio videndi. Alio etiam exemplo aquæ frigidæ recens è puteo hauſtæ idem explicari potest, ratio enim, propter quam appetitur à sitiente, est, quia frigida est, quamvis ideo sit frigida, quia recens est hausta. Similiter etiam quamvis DEitas sit causa, propter quam dicamus DEUM esse primam veritatem, non est tamen ratio propter quam assentimur primæ veritati, si enim per impossibile DEUS esset prima veritas, & non haberet DEitatem, crederemus tamen primæ veritati, sicut si aqua esset frigida, etiamsi recens hausta è puteo non esset, appeteretur tamen à sitiente.

Ad argumentum ergo in forma Resp. dist. majo: illa est ratio formalis assentiendi in quam fit resolutio ultima fidei, tanquam in rationem formalem ultimam assentiendi, conced. in quam fit ultima resolutio tanquam in causam virtualem essendi, neg. Id, in quod ultimò resolvitur fides tanquam in rationem formalem assentiendi est sola prima veritas in dicendo, quamvis DEitas sit causa virtualis, qua probatur prima veritas. Ad probationem eadem adhibetur distinctio. Fides resolvitur ultimò in id, per quod ultimò cognoscitur & probatur prima veritas, per quod probatur tanquam per virtualem causam essendi, neg. per quod probatur tanquam per rationem formalem assentiendi, conc. nam licèt assensus evidens resolvatur in aliquid per se notum, tamen hoc est falsum de assensu obscuro.

INSTATUR: DEUS quatenus est prima veritas est objectum formale fidei, sed DEUS est veritas prima quatenus est DEUS, ergo DEUS quatenus est DEUS, est objectum fidei. Respond. fallax esse argumentum & habere 4. terminos, quia in majo: reduplicatio illa DEUS quatenus prima veritas est objectum fidei, est reduplicatio formalis, qua significatur rationem reduplicatam esse causam formalem prædicati, nam prima veritas est objectum formale fidei & non assentiendi: at verò in mino: reduplicatio illa DEUS quatenus DEUS est prima veritas, est reduplicatio causalis, quia ratio reduplicata est radicalis causa prædicati, quia DEitas quæ reduplicatur est causa radicalis primæ veritatis. Unde min. posset distin: DEUS quatenus DEUS est prima veritas, ita ut DEitas sit causa formalis, & ratio illi assentiendi, nego. ita ut sit causa virtualis primæ veritatis, ut est attributum divinum, concedo.

ARGUITUR 2. Contra 2. partem. Per id totum constituitur objectum formale fidei, per quod constituitur summa DEI authoritas in testificando, sed prima veritas in cognoscendo constituit saltem inadæquatè summam DEI authoritatem in testificando, nam authoritas

ritas testificantis duo exigit, ut non possit falli, & ut alios non possit fallere, sed ad hoc ut non possit falli, requiritur veritas prima in cognoscendo, ergo per illam constituitur saltem inadæquatè objectum fidei. Respond. quòd objectum formale fidei constituatur formaliter per id, quo constituitur summa DEI authoritas in testificando, tanquam per rationem formalem, non per id, quo constituitur tanquam per causam virtualem sui esse, id est, per quod constituitur authoritas illa formaliter, ut est ratio assentiendi per fidem, non autem per quod constituitur essentialiter tantùm & radicaliter, ut est attributum existens in DEO. Fateor primam veritatem in cognoscendo esse causam radicalem qua constituitur, quasi præsuppositivè summa DEI authoritas in testificando, nego autem esse id quo illa formaliter constituitur, nam prima veritas in dicendo, ut jam dixi, non significat eam tantùm, quæ non potest unquam velle fallere, sed eam, quæ loquendo, seù dum loquitur nunquam potest fallere, includit ergo non posse falli tanquam causam virtualem & præsuppositivè, non includit formaliter.

INSTATUR: Illa prima veritas in dicendo, vel est formaliter perfectio solius voluntatis, & sic est solùm veracitas, seù nunquam velle fallere: vel est propria perfectio intellectûs, & sic dicet formaliter non posse falli, & erit formaliter prima veritas in cognoscendo, ergo prima veritas in cognoscendo ingreditur objectum formale fidei. Deinde patet etiam in humanis, quòd authoritas dicentis non fundet fidem certam, nisi duo dicat, quòd etiam ille, qui loquitur fallere non possit neque falli, ergo id est verum in DEO. Resp. primam veritatem in dicendo esse formaliter perfectionem solius voluntatis, prout dicit præsuppositivè perfectionem aliquam intellectûs, tanquam causam virtualem sui esse, dicit enim quòd nunquam possit fallere, quando loquitur, ad quod duo sunt necessaria, quòd nolis fallere, neque possis falli, quando loqueris, sed unum dicit formaliter, alterum præsuppositivè ac connotativè, neque par est ratio de humana fide, quæ niti non potest sola dicentis authoritate, ut dictum est, cùm authoritas hujusmodi finita & imperfecta sit, & consequenter inidonea ad fundandum assensum certum & infallibilem, fides autem divina solo nititur testimonio, quia illud est maximè idoneum ad fidem infallibilem, cùm sit infinitum in ratione testimonii.

Quæstio II.

Quomodo prima veritas in dicendo debeat cognosci, ut sit objectum formale fidei?

HUic quæstioni occasionem præbet solemnis contradicta superioris quæstionis oppositio, utrum prima veritas in dicendo, ut moveat aliquem ad credendum, debet cognosci ab eo qui credit, quia nulla potest esse cognitio abstractiva & mediata, quæ non supponat objectum suum cognitum, quomodo & quo genere cognitionis debeat cognosci difficillimum omnino est, nihilominus

DICO 1. *Veritas DEI in dicendo prout est motivum fidei, in quod resolvitur, non cognoscitur necessariò evidenter vel notitia naturali, vel supernaturali, sed cognoscitur obscurè per ipsam fidem, quamvis prius supponatur cognita ut evidenter credibilis.* Prima pars est communis contra Altisiodorensem, de Lugo, & Hurtadum. Probatur: Quia si necessaria esset cognitio evidens primæ veritatis, sequeretur pueros & rusticos, qui nullam habent evidentiam naturalem aut supernaturalem, quòd DEUS sit prima veritas, non posse credere fide divina veritates revelatas, consequens autem illud absurdum est, ergo.

1. Veritas divina in dicendo non præcognoscitur prius evidenter

DICES: Neminem esse adeò rusticum, qui non cognoscat ex terminis, si DEUS est, verax est. Contra. Ut aliquis assentiatur absolutè verum esse id quod dicitur, non sufficit, quòd dicat conditionatè, si DEUS est, vera loquitur, sed est necesse, ut dicat, DEUS est, & est prima veritas. Unde ulterius DEUM esse particulares rustici & pueri non cognoscunt ullo modo evidenter, qui tamen absolutè credunt, sed ut aliquis absolutè credat, debet absolutè cognoscere, quòd DEUS sit prima veritas, ergo non debet illud evidenter cognoscere. Deinde implicat, ut prima veritas prout fundat fidem, sit cognita minus certò, quam sit assensus ipse fidei, cùm enim tota certitudo assensus petatur à motivo, implicat, ut summa certitudo fundetur in certitudine imperfecta v. g. implicat, ut principia minus certa sint, quam conclusio, sed si prima veritas prout fundat fidem esset evidenter cognita, summa certitudo fundaretur in certitudine minus perfecta, cùm certitudo fidei major sit certitudine quacunque alia, vel naturali vel supernaturali, quæ habetur in hac vita. Motivum enim fidei certius est alio quovis motivo, ergo prima veritas non est cognita evidenter prout fundat fidem. Denique si haberet intellectus cognitionem

ſupernaturalem evidentem, quòd DEUS ſit, & ſit prima veritas, poſſet voluntas ſine ulla fide incendi ad amorem DEI, & juſtificari ergo.

3. Veritas divina in dicendo prius cognoſcitur obſcurè.

Secunda pars, ſeu quòd prima veritas cognoſcatur eadem fide obſcura, quâ creditur articulus, eſt Suarez & Probatur, quia prima veritas non poteſt fundare aſſenſum fidei, niſi cognoſcatur ſupernaturaliter, neque poteſt cognoſci evidenter, ut oſtenſum eſt, ſed cognitio ſupernaturalis inevidens non eſt, niſi cognitio fidei, ergo prima veritas debet cognoſci per fidem. Deinde objectum materiale & objectum formale attinguntur eodem actu, ergo prima veritas eodem actu attingitur, quo articulus revelatus. Denique à priori valde notanda ratio eſt, quia DEUS nunquam revelare poteſt ullum articulum, & obligare ad illum credendum, quin revelet conſequenter ſe eſſe primam veritatem, & hoc dicere, ſed quoties aliquid revelat, obligat ad illud credendum, ergo etiam revelat ſe eſſe primam veritatem, & ſe hoc revelare, ſed ſi DEUS revelat ſe eſſe primam veritatem, poteſt eadem fide hoc credi, ergo quoties creditur aliquis articulus, poteſt eadem fide credi, quòd DEUS ſit prima veritas.

Tertia pars, quòd ante fidem prima veritas cognoſci debeat, ut evidenter credibilis, eſt communiſſima, & patet, quia nihil unquam credi poteſt fide divina, niſi factum fuerit evidenter credibile, ſed non poteſt fieri evidenter credibile, niſi fiat etiam evidenter credibile, quod DEUS ſit prima veritas, ut conſtabit ex ſequentibus ergo.

ARGUITUR 1. Implicat, ut primus fidei actus ſupponat ſe ipſum, ſed ſi prima veritas cognoſcatur per ipſam fidem, primus fidei actus ſe ipſum ſupponet, ſupponit enim ſuum objectum cognitum cùm ſupponat illud, prout capax movere, ergo ſi ſupponit illud cognitum per fidem, fides ſupponet ſe ipſam. Confirmatur ex aliis omnibus cognitionibus, quæ non ſunt immediatæ, nam illæ præſupponunt ſuum objectum formale cognitum alio genere cognitionis, ut patet in fide humana, quæ præſupponit cognitam veracitatem illius, cui creditur: ſcientia præſupponit cognitionem principiorum, & ſic de cæteris. Reſpond. fidem non ſupponere ſe ipſam, etiamſi prima veritas cognoſcatur per fidem. Ad probationem falſa eſt illa majo: fides præſupponit ſuum objectum formale cognitum, alia cognitione, ſatis enim eſt, quod prius ratione, quàm cognoſcat objectum materiale, cognoſcat objectum formale, ſed non debet illud cognoſcere prius tempore. Fateor autem, quod fides divina in eo differat ab omnibus aliis mediatis cognitionibus, cujuſmodi ſunt fides humana, opinio, ſcientia, quòd illæ neceſſariò præſupponant ſuum objectum formale cognitum alia cognitione, fides autem quamvis ſupponat ſuum illud objectum cognitum, ut evidenter credibile, eo tamen non nititur ut ita cognito, ſed ſua efficacia illud cognoſcit unico indiviſibili actu, qui propterea ſupra naturam eſt, & exigit auxilium gratiæ ſpeciale. Ratio eſt, quia, ut dixi, teſtimonium divinum propter infinitam excellentiam, quam habet in ratione teſtimonii, poteſt obligare ad credenda ea, quæ dicit tanquam infallibilia, non poteſt autem ſic obligare, quin revelet ſe eſſe primam veritatem, unde ſequitur, quòd objectum formale fidei eſſe non poſſit ſufficiens ad illuminanda objecta materialia, quin ſit etiam ſufficiens ad ſe ipſam illuminandam. Et ex hoc Reſp. ad confirmationem: differt enim fides ab aliis cognitionibus mediatis, nam in illis objectum formale ita imperfectum eſt, ut prius debeat illuminari, quàm illuminet, objectum verò iſtud licèt obſcurum, ſe ipſo tamen lumen eſt, & ſufficit ſolùm, ut certò credatur, ſuppoſitis motivis credibilitatis, quæ præceſſerunt ut conditio prævia, non tanquam ratio credendi, tota enim ratio formalis, quare credam DEUM eſſe trinum, eſt, quia DEUS, qui eſt prima veritas, hoc dixit, & dixiſſe credo purè quia dixit, non autem propter miracula, vel ullum alium diſcurſum, in quo plurimum differt divina fides ab humana, & à fide quam habet hæreticus de myſteriis revelatis, nam in illis ratio ultima credendi non eſt ſola authoritas dicentis, ſed aliquod aliud motivum.

ARGUITUR 2. Si prima veritas fundat aſſenſum fidei, prout cognita per fidem, ſequitur quòd prima veritas creditur propter revelationem, & ſic prima veritas non erit objectum, in quod aſſenſus fidei ultimò reſolvitur, datur enim aliquid ulterius quàm prima veritas. Deinde illud non creditur propter revelationem, quod poteſt non eſſe revelatum, quamvis articulus revelatus ſit, ſed fieri poteſt, ut non reveletur, DEUM eſſe primam veritatem, quamvis reveletur DEUM eſſe trinum, ergo prima veritas non creditur in omni aſſenſu fidei propter revelationem. Reſpond. non eſſe verum, quòd prima veritas credatur propter revelationem tanquam propter rationem formalem credendi, ſed propter ſe ipſam ut revelantem, adeò, ut revelatio non ſit ratio formalis credendi primam veritatem, ut ſtatim dicetur, ſed applicatio primæ veritatis ad objectum credendum. Unde nihil datur ulterius quàm prima veritas, quòd ſit ratio credendi, quamvis detur aliquid ulterius, quòd

4. Fides non ſupponit ſe ipſam.

5. Prima veritas quomodo creditur propter ſeipſam.

quòd ſit applicatio rationis credendi. Deinde dictum eſt eſſe impoſſibile, ut DEUS infallibiliter revelet articulum, quin revelet ſe eſſe primam veritatem, & quin revelet ſe revelare, quia obligat ad credendum infallibiliter, quod fieri non poteſt ſine revelatione primæ veritatis.

ARGUITUR 3. Si fide creditur prima veritas, eſt inevitabilis circulus ille, in quo duæ cauſæ ſe invicem probant in eodem genere cauſæ, Credo DEUM eſſe primam veritatem, quia dixit ſe eſſe primam veritatem, & credo illum dixiſſe, quia eſt prima veritas. Reſpond. hoc argumentum eſſe efficax contra eos, qui admittunt primam veritatem & revelationem ſimul eſſe objectum formale fidei, contra nos autem minimè urget, quia revelationem, ut mox patebit, non dicimus eſſe objectum formale, ſed applicationem ejuſdem. Per quod evitatur omnis circulus vitioſus.

ARGUITUR 4. Ludicrum videtur eſſe, non credere aliquem eſſe veracem, niſi quia dicit ſe eſſe veracem, nam ego v. g. non credo teſtimonium unius eſſe infallibile, quia ipſe dicit ſe eſſe veracem, ſed quia ego aliunde ſcio, eum eſſe veracem, credo ejus teſtimonium eſſe infallibile. Reſpond. conced. Ludicrum omnino eſſe credere, quòd aliquis ſit verax ideo tantùm, quia dicit ſe eſſe veracem, quando ille, qui loquitur, habet teſtimonium de ſe fallibile, quo non obligatur ad credendum infallibiliter id quod dicit, quando autem ille habet teſtimonium infallibile infinitè perfectum obligans ad credendum infallibiliter, nego eſſe ludicrum, imo dico eſſe neceſſarium ut credatur, illum eſſe veracem, quia dicit ſe eſſe veracem. Fateor, quòd, ut credam fide humana teſtimonium unius hominis, debeam ſcire aliunde illum eſſe veracem, quia teſtimonium humanum imperfectum eſt, nec teſtificatur veritatem illius, qui loquitur, at fide autem divina nego id eſſe neceſſarium, quia divinum teſtimonium infallibile teſtatur DEUM eſſe, & veracem ſe.

Quæſtio III.

An & qua ratione revelatio pertineat ad objectum formale fidei?

PRo reſolutione hujus quæſtionis Notandum 1. Revelationem aliud non eſſe, quàm veli remotionem, ſeu umbraculi vel velaminis depoſitionem, per quam res alioquin ignota monſtratur, quæ aliquando ſumitur pro clara viſione, ſic exhortatur D. Petrus in ſua epiſt. 1 cap. 4. *Sed communicantes Chriſti paſſionibus, gaudete ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes*, id eſt in æterna beatitudine: ſed in hoc ſenſu non agitur hîc de revelatione, ad propoſitum verò accipitur pro revelatione ſupernaturali ſimpliciter; quæ eſt ab inæquali v. g. à ſuperiore aliquo, DEO immediatè, vel Angelo dicente, ſignificante & annuntiante aliquam rem, quæ de fide ſit credenda, quod tribus modis ſumi poteſt. Primò producendo aliquod ſignum extrinſecum cauſativum aſſenſus, ſic DEUS revelavit legem Moyſi, & Evangelicam, licèt non omnes aſſentiant iis, & hæc poteſt fieri variè multisque modis, ut docet Doctor Gentium 1. ad Hebræos. Secundò revelatio ſumitur pro cauſatione aſſenſus de aliquo credibili complexo in intellectu creato, ut ſi DEUS cauſaret in meo intellectu aſſenſum hujus propoſitionis, poſt quatuor menſes morieris, aut poſt 100. annos erit dies judicii, tunc diceretur DEUS mihi revelâſſe has propoſitiones. Tertiò ſumi poteſt pro actuali aſſenſu producto à nobis ipſis ob motiva credibilitatis, & hæc vocatur revelatio interior, ſicut prior eſt exterior, hæc exterior dicitur etiam activa, poſterior verò paſſiva.

NOTANDUM 2. Revelationem ſeu dictionem, qua DEUS aliquid nobis manifeſtat, aliquando poſſe evidenter cognoſci, aliquando obſcurè, evidenter cognoſcitur, quando intellectus clarè ſcit vel intuitivè videt DEUM eſſe qui ſibi hoc aut illud dicit, obſcurè autem cognoſcitur, quando aliquid ſignificatur à DEO dici, ut diſſentire poſſit intellectus & negare DEUM eſſe, qui hoc dicat. Deinde alia eſt revelatio *vera*, alia *Exiſtimata*, illa eſt quando revera aliquid à DEO eſt ſignificatum: hæc quando ex ſimplicitate, vel ignorantia proponitur, aut creditur aliquid revelatum, quod tamen revelatum non eſt. Revelatio vera iterum ſubdividitur in *formalem*, & *virtualem*. *Formaliter* dicitur aliquid revelari, quando in ſe ipſo revelatur, vel continetur in eo formaliter quod revelatur, quia videlicet vel eſt pars ejus vel definitio v. g. cùm revelatur Chriſtum eſſe hominem, tunc revelatur etiam quòd habeat animam, & ſit rationalis. *Virtualiter* dicitur revelari aliquid quod in ſe ipſo non revelatur, nec continetur formaliter in eo quod revelatur, ſed continetur in eo tanquam in cauſa, id eſt, ſequitur ex eo, quod eſt revelatum v. g. revelatur virtualiter Chriſtum eſſe riſibilem, quando revelatur Chriſtum eſſe hominem, quia riſibilitas non continetur in homine formaliter, ſed eſt proprietas emanans ab ea tanquam à cauſa. Revelatio formalis iterum eſt alia *Explicita*, per quam res aliqua in ſe ipſa revelatur. Alia *Confuſa*, per quam revelatur aliquid con-

2. Revelatio multiplex eſt.

Fol. 111 a 1

Fol. 111 a 2

Fol. 111 b 1

Fol. 111 b 2

tùm & effectus necessarii ex parte intellectûs, ut cognoscat objectum esse revelatum, revelatio autem non est signum tantùm à posteriori, sed est id, quo prima veritas applicatur objecto credendo, ideoque se tenet ex parte objecti.

ARGUITUR 3. Illud est objectum formale fidei, propter quod assentior veritati revelatæ, sed non minus huic assentior quia DEUS dixit, quàm quia est prima veritas, nec unum me magis movet quàm aliud, ergo revelatio est objectum formale fidei. Probatur minor. quia prima veritas, & revelatio habent se in actu fidei sicut in discursu se habent duæ præmissæ, sed in discursu ambæ præmissæ se habent ut objectum formale assensûs conclusionis, ergo revelatio tam est objectum formale quàm prima veritas. Deinde sicut in Spe theologica se habent DEUS, & possessio DEI, sic in fide se habent prima veritas & revelatio, sed in Spe Theologica & DEUS, & ejus possessio pertinent ad objectum formale, ergo in fide prima veritas & revelatio pertinent ad objectum formale fidei, neque ulla potest assignari disparitas. Respond. neg. 1. mino: magis enim assentior revelatæ veritati, quia DEUS est prima veritas, quàm quia dixit, nam veritas me movet ut ratio credendi, revelatio autem me movet ut applicatio primæ veritatis ad objectum credendum. Revelatio est id, quâ prima veritas movet, prima veritas est id, quod movet applicatum per revelationem, neque par est ratio in præmissis discursûs, quia utraque æquiliter est ratio assentiendi, neque una pendet ab altera, hîc autem revelatio non est nisi applicatio, & tota ejus authoritas pendet à prima veritate, veritas autem prima non pendet à revelatione, sed applicatur tantùm per eam. Neque par est ratio fidei theologicæ & Spei, DEUS enim & possessio DEI non se mutuò causant in eodem genere causæ, unus est enim finis (*qui*) alter est finis (*quo*) si autem revelatio & prima veritas sunt objecta fidei partialia, verè prima veritas creditur propter revelationem, & revelatio propter primam veritatem in eodem genere causæ formalis. Deinde finis *qui*, & finis *quo*, cùm sint unus finis, possunt etiam esse unum objectum Spei, ut verò prima veritas non potest coalescere in unum objectum nisi unum credatur propter aliud, cùm una non sit finis *qui*, & altera finis *quo*.

4. Revelatio apparens non sufficit ad eliciendum actum fidei.

DICO 2. *Revelatio DEI solùm apparens & existimata non potest sufficere ad verum actum fidei theologicæ, imò implicat contradictionem, ut illa sufficienter possit proponi ad credendum fide divina, quamvis possit aliquando ita proponi, ut vere obliget ad volendum credere.* Primam partem docent communiter Theologi cum Tridentino sess. 6. cap. 9. ubi dicit, quòd falsum subesse fidei non possit: Et videtur quoque esse definitum atque determinatum ab Innocentio XI. qui hanc propositionem damnat: *Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus DEO.* Unde meritò rejicit Cathemus, qui temerè omnino dixit, quòd licèt fidei catholicæ falsum subesse non possit, fidei tamen privatæ omnino subesse possit. Probatur 1. quia de ratione fidei theologicæ est, ut sit certa, est enim, ut ait Basilius *Expletio animi de divinorum veritate verborum*, & S. Bernard. *fides non est opinio, sed in veritate certa subsistit*, sed si credi fide divina possit aliquod objectum, quod DEUS benedictus non revelâsset, non esset certa fides divina, non enim sum certus de objecto fidei, nisi quia sum certus DEUM dixisse id, quod credo, ergo implicat, ut revelatio falsa sit motivum fidei theologicæ. 2. Fides est virtus intellectualis à DEO infusa, sed virtus intellectualis infusa necessariò tendit in actus veros, sicut virtus voluntatis tendit in actus bonos, ergo fides tendit in actus veros. 3. Fides est inchoatio quædam & participatio vera luminis beatifici, ac instrumentum partiale Spiritûs Sancti, ut moveat nos in bonum, sed lumen beatificum non est determinatum nisi ad verum, ergo etiam lumen fidei est determinatum ad veram revelationem. Denique revelatio non potest esse motivum fidei divinæ, nisi proponatur sufficienter ut credibilis, sed falsa revelatio non potest sufficienter proponi ad credendum fide divina, ergo illa non potest esse fidei motivum theologicæ.

dei divinæ & theologicæ.

Probatur 2. pars. Quia tunc solùm revelatio sufficienter proponitur, quando per signum aliquod evidens prudenter & omnino infallibiliter cognoscimus debere credi, quòd DEUS revera revelaverit id quod proponitur, sed implicat revelationem falsam & putatitiam proponi per aliquod signum, quo prudenter & infallibiliter judicetur debere certò credi, DEUM verè revelâsse id, quod proponitur, ergo falsa revelatio non potest sufficienter proponi. Probatur min: nam signum illud nunquam est sufficiens ad propositionem revelationis, nisi sit aliquid, quod evidenter constet esse non posse ab alio, quam à DEO, alioquin semper possem formidare, sed nunquam dari potest hujusmodi signum ad confirmandam revelationem, quæ non est à DEO, ergo non potest revelatio falsa proponi per aliquod signum, quo prudenter judicetur debere credi, quod proponitur.

7. Revelationem putatitiam implicat posse proponi pro actu fidei.

Secun-

ctum materiale, quod cognoſcitur dependenter à ſuo objecto formali mediatè vel immediatè, nam charitas v. g. extenditur ad omnia objecta materialia, quæ amantur etiam remotè propter DEUM, ſi enim amo proximum propter DEUM, & illi per varia remedia remota vel proxima procuro aliquod bonum, voluntas omnium illorum mediorum ſemper eſt actus charitatis, ergo concluſiones revelatæ mediantibus aliis pertinent ad fidem. Reſpond. majo: illam eſſe falſam, ſi enim mediatè tantùm creditur propter DEI teſtimonium, non creditur propter illud ſolum, ſed propter illud & propter connexionem extremorum cum medio, quod non ſufficit ad fidem, Unde ad probationem Reſpond. verum eſſe, quòd habitus infuſus extendatur ad omnia objecta materialia, quæ attinguntur ſub eodem motivo ſolitariè ſumpto, non extenditur autem ad ea, quæ non attinguntur ſub eodem motivo niſi variato, ſicut hic variatur motivum, quod non eſt ſola revelatio, ut oſtendi. Exemplum quod affertur charitatis & aliarum virtutum voluntatis non eſt ſimile, quia in actibus voluntatis omnia media propter ſolùm amantur finem, non autem propter ſe, unde per charitatem amo media omnia tum proxima, tum remota, quia illa propter ſolum DEUM amo, cùm tamen in intellectu contrarium eveniat, quia concluſiones, quæ deducuntur ex præmiſſis non creduntur propter ſolum DEI teſtimonium, ſed propter connexionem objecti præmiſſarum cum objecto concluſionis, cujus connexionis veritas non creditur propter veritatem præmiſſarum, ſed cognoſcitur in ſe ipſa, intellectus in ea fiſtit, & eâ movetur.

9. Revelatio privata ſufficienter propoſita poteſt movere ad actũ fidei divinæ.

DICO 4. *Revelatio privata ſufficienter propoſita tam poteſt eſſe motiva ad credendum fide divina, quàm publica revelatio, quamvis regulariter loquendo nihil teneamur credere, niſi quod ſola proponit Eccleſia.* Primam partem docent Theologi communius cum Bellarmino lib. 2. de juſtif. cap. 2. Vega lib. 9. in Trid. cap. 3. Suarez diſp. 3. & aliis contra Cajetan: Sotum Cather: qui negant privatas revelationes pertinere ad fidem. Probatur: quia illud quod non mutat rationem motivi, non poteſt mutare aſſenſûs naturam per tale motivum, ſed revelatio privata & publica non mutat objectum formale aſſenſûs fidei, quod enim tantùm ſpectat ad modum proponendi objectum formale, non eſt niſi conditio quædam omnino accidentalis objecti, ſed revelationem eſſe privatam vel publicam pertinet ſolùm ad conditionem quandam accidentalem objecti, ergo non mutat rationem formalem aſſenſûs fidei. Deinde qui negaret id, quod DEUS privatim revelat, & evidenter reddit credibile, tam facit injuriam primæ veritati, quam qui non credit ea, quæ publicè revelat, nam Principi v. g. privatim loquenti tam teneor credere, quàm loquenti publicè. Denique tota ratio cur poſſim & tenear credere propter authoritatem publicam eſt authoritas divina & evidens ejus propoſitio, ſed hæc utraque reperiri poteſt in revelatione privata, ergo propter illam credi poteſt fide divina.

Secundam partem ex variis ſcripturis & Patribus Valentia probat, & approbant Doctores communiter, cujus ratio breviter ſit, quòd ſecluſa Eccleſiæ authoritate regulariter non habeamus motiva credibilitatis ita evidentia, ut tollant omnem occaſionem formidandi rationabiliter. Neque obſtat, quod credamus privatis Doctoribus dicentibus ſe id accepiſſe ab Eccleſia, cùm etiam id illi publicè doceant, neque arguantur ab Eccleſia, nobis enim omnino eſt evidens ea nobis à tali Doctore proponi, quæ proponit Eccleſia.

ARGUITUR 1. contra 1. partem: ſi revelatio ſolùm privata ſufficeret ad fidem divinam, poſſet aliquis obligari ad credendum aliquid, quod ab Eccleſia non proponitur, ſed nemo tenetur ea credere, quæ non proponuntur ab Eccleſia. Quod probatur ex Auguſtino contra epiſt. fundam. cap. 3. *Evangelio non crederem* (inquit) *niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas.* Et in Enchirid: docet: fide tantùm ea credi, quæ ſpectant ad religionem. Conſtat etiam ratione, quia ſi ad credendum privata revelatio ſufficit, ſequitur hæreticos non poſſe convinci, quando dicunt, ſe privato Spiritu duci ad credendum id, quod proponit Eccleſia. Reſpond. eo argumento tantùm probari, quòd regulariter nemo credere tenetur, niſi quod Eccleſia proponit. Hæretici quando fingunt ſe privato Spiritu duci, convincuntur id omnino fingere, quia non credunt ea, quæ proponuntur ab Eccleſia, econtra autem impoſſibile eſt, ut habeatur privata revelatio DEI contraria iis, quæ docet Eccleſia. Imò revelatio privata non poteſt credi, niſi facta fuerit evidenter credibilis per ſignum aliquod divinum, dicant autem hæretici quo ſigno divino probent ſua ſomnia.

ARGUITUR 2. Vel ii ſoli poſſunt & tenentur credere propter privatam revelationem, quibus illa facta eſt, vel etiam alii, quibus illa facta non eſt? non primum, quia ſi revelatio illa poteſt ſufficienter proponi etiam iis quibus non eſt facta, certè poteſt etiam ab iis credi: non ſecundum, quia ille non poteſt credere DEO dicenti, cui nihil DEUS dicit, ſed illi nihil DEUS dicit, cui non fit revelatio, vel immediatè vel mediatè, id eſt,

per aliquem loquentem ex parte DEI. Respond. omnes illos, quibus fit privata revelatio, si eis sufficienter proponatur teneri eam credere, eos autem, quibus non fit revelatio, quantumvis evidenter proponatur, posse quidem credere illam fide divina, non tamen obligari regulariter ad illam credendam, sed posse suspendere assensum, tenentur quidem illi tunc non negare id, quod revelatur, sed non tenentur positivè assensum præbere, nisi eis aliunde constaret, quòd DEUS voluit eos positivè obligare ad hoc credendum.

ARGUITUR 3. Implicat, ut per eundem habitum fidei, quo credimus fide divina propter revelationem publicam, credamus propter revelationem privatam, nam revelatio publica & privata sunt duo objecta formalia, fides enim nostra catholica est universalis, nec cum eadem firmitate possumus assentiri revelationi privatæ, cum qua possumus assentiri revelationi publicæ, nec est hæreticus, qui non credit privatæ alicui revelationi. Respond. posse nos per eundem habitum fidei credere revelationem privatam, & publicam, quia illæ sunt circumstantiæ solùm extrinsecæ pertinentes tantùm ad propositionem, non verò ad objectum formale fidei, quod difficilè illi ostendunt, qui negant objectum fidei esse revelationem omnino puram, præscindendo ab omni propositione. Quod fides nostra catholica sit, est accidentarium fidei divinæ quæ non potest niti privatæ revelationi, prout est fides Catholica, sed tantùm prout est divina. Ille qui non crederet revelationem divinam sufficienter propositam esset infidelis, non tamen hæreticus, quia ille solùm infidelis appellatur hæreticus, qui ea negat, quæ proponit Ecclesia. Denique revelationi privatæ sufficienter propositæ possumus assentiri omnino firmiter.

ARGUITUR 4. Contra 2. partem. vel objecta fidei nostræ creduntur quatenus accepta per Ecclesiam, ut Ecclesia habet infallibilem authoritatem ex assistentia Spiritus Sancti: vel prout humanam habet authoritatem tantùm, non primum, quia hoc ipsum quòd authoritas Ecclesiæ sit infallibilis creditur fide divina, ergo cognitio illa infallibilitatis non potest requiri ante omnem fidem: Non secundum, quia si tollatur ab Ecclesia infallibilis authoritas, manet solùm authoritas fallibilis, quâ non possum moveri ad credendum infallibiliter. Respond. fidei objecta credi ut accepta per Ecclesiam, non quatenus Ecclesia authoritatem habet omnino infallibilem ex assistentia Spiritus Sancti, quia illa infallibilis authoritas cognoscitur tantùm fide divina, ideóque implicat, ut supponatur cognita ante omnem fidem, imò pauci fideles cognoscunt illam infallibilitatem, quin prius crediderint plures alios articulos. Itaque ante omnem fidei actum regulariter prærequiritur, ut cognoscatur authoritas Ecclesiæ omnino humana, sed in eo tamen genere mixta, & moraliter ita evidens ut propter illam evidenter sine formidine possit credi articulus, ut à DEO revelatus quamvis enim authoritas illa physicè loquendo sit fallibilis, moraliter tamen est omnino infallibilis.

Quæstio IV.

In quidnam ultimò resolvatur fides?

1. Resolvi fidem explicatur quid sit?

HÆc quæstio est priorum quæstionum continuatio, quærere enim in quid resolvatur ultimo fides, idem est, ac quærere, quænam sit causa à qua primò producatur fides, res enim ultimò dicitur resolvi in id, à quo primò producitur & causatur, hinc Aristoteles libros de propositionibus, præmissis, regulis & modis syllogismorum, & ipsa scientia, appellavit analyticos, seu resolutorios, ex eo quod scientia reducatur ad sua principia & causas, à quibus producitur, sic etiam hic quæritur de resolutione fidei, & cùm non possit esse difficultas de causa efficiente, est tantùm de causa formali objectiva. v. g. Ego credo DEUM esse unum in essentia & trinum in personis? bene solvo & resolvo in DEI veracitatem, quæ in scripturis id revelavit: sed si quærat adhuc unde scis hanc esse veram scripturam & DEI verbum, solvo & resolvo sic: Quia Ecclesia DEI dicit esse veram hanc scripturam, sed quia hæc non est ultima resolutio, posset enim aliquis adhuc petere, unde scis, quòd illud, quod Ecclesia dicit, sit verum, si respondeam, quia Christus in scriptura dicit eam habere infallibilem assistentiam Spiritûs Sancti, ita quòd non possit errare, quod si facio, manifestum committo circulum idem per idem, & eodem modo probanda, qui circulus ut vitetur, utpote vitiosus, hinc quæritur in quo ultimo resolvatur, ita quod si allegatum fuerit illud, ultra quærendi & interrogandi non detur amplius locus, & supponitur, quòd aliquid esse debeat, nisi processionem in infinitum facere quis vellet. In hac materia variæ, æque diversæ tam hetero-quàm ortho-doxorum sunt sententiæ.

2. Resolvendi fidem variæ opiniones.

Prima est fidem Lutheri & suorum, qui ultimatè resolvunt in proprium cujuslibet judicium, seu ut ipsi vocant in privatum Spiritum, vel ut alii volunt ex ipsis in privatam internam Spiritûs Sancti motionem, quâ illuminati

discc-

Quia producit objecta delectabilia multa, quæ animum hominis valdè movent & inclinant ad aſſentiendum, ergo quòd produceret cauſam peccati, nihil obſtat, quo minus poſſit producere habitum inclinantem ad peccatum, maximè cùm accedat hæc ratio, quòd DEUS primò non intendat illud peccatum per productionem habitus, imò per infuſionem talis habitus DEUS poteſt intendere aliquod bonum videlicet pugnam ſpiritualem, ob quam cauſam etiam relinquit tomitem, & conſequenter ſicut iſtum habitum poteſt producere, poterit etiam erroneum ab omnimoda paritate.

Probatur Conluſio 3. DEUS poteſt producere diſtans aliquod objectum ſenſibile, ita quod non ſit debitè applicatum potentiæ, imò ipſam potentiam ad percipiendum objectum reddere inhabilem &c. quæ omnia ſi adeſſent concurrent ad productionem erroris & actûs falſi circa objectum, ergo poteſt etiam producere habitum, qui inclinaret ad actum erroneum, quia hic eſſet adhuc ſubordinatus intellectui, à quo corrigi deberet. Denique ex hoc habitu non ſtatim deberet interri error, quia alioquin ſequeretur, quòd is qui haberet habitum fornicandi quòd ſtatim & neceſſariò deberet fornicari, & ſic de aliis ſimilibus.

DICES cum Suarez. Non licet DEO ſuadere malum, ergo nec licet infundere habitum, qui inclinaret ad malum, ut eſſet in propoſito: probatur conſequ: tam bene ſuaſio non tollit libertatem ac habitus, & habitus tam bene inclinat ac ſuaſio, ergo ſi non poteſt ſuadere, nec poterit infundere habitum. Reſpond. neg. conſequ: diſparitas eſt, quia ſuaſio in ipſo ſuadente arguit deſiderium, ut fiat talis actus, quod DEO repugnat, habitus verò id non deſiderat, unde ſi DEUS eum infunderet, non ſignificaret per illum, quòd talem actum deſideret, adeóque non ex inclinatione ad actum repugnat DEO ſuaſio, ſed ex eo, quòd ipſa arguat & petat quodammodo fieri quod ſuadet, aut ad minus approbat tanquam melius.

4. Erroneum actum poteſt DEUS producere attamen ſine ordine ad divinā cognitionem.

DICO 2. *Poteſt DEUS etiam actum erroneum per ſe & directè producere in intellectu creato, quo mediante judicaret aliquod falſum eſſe verum, abſque ordine tamen ad cognitionem divinam circa tale objectum.* Ita Authores ſupra, contra Suarez. Coning, Peſantium &c. & Probatur 1. Quia ſi hoc non poſſet maximè ideo, quia mentiretur, ſed hoc non, ergo. probatur minor: infuſio talis actûs non eſſet loquela ipſius DEI, cùm non vellet per talem actum ſignificare, ſe etiam taliter ſentire, nec etiam intenderet quidquam mali moralis per hoc ipſi homini, ſed uteretur ſuo dominio ſuper creaturas ratione cujus poteſt producere omnia quæ ſunt producibilia, quæque non ſunt peccata, ergo DEUS tunc non mentiretur, quia ad mendacium requiritur, ut denotent illa ſigna, quæ adhibentur, quòd ſic etiam ſentiatur à dicente, quod in propoſito non contingeret.

Probatur 2. Tum, Quia in tali actu non eſt niſi imperfectio phyſica, non verò moralis, ergo ſicut poteſt producere cæcitatem, febrem &c. ita poterit etiam producere talem actum: Tum Quia non eſt ullo modo contra ſummam DEI ſapientiam producere talem errorem in alio, quia non eſt contra ſummam ſuam vitam & eſſe neceſſarium, quod in alio producat mortem, ergo nec erit contra ſummam ſapientiam, quòd in alio producat errorem. Sed Nota, quòd hæc concluſio procedat in illa ſententia, quæ ponit, quòd actus vitalis poſſit produci à ſolo DEO, ſeu quòd non dicat eſſentialem ordinem ad potentiam, quia ſi diceret talem habitudinem, ex hoc capite non poſſet produci, licèt poſſet produci ex ratione illa, qua error eſt. Item Nota, quòd nulla quoque eſſet difficultas concluſionis, ſi dicatur, quòd intellectus per talem actum nihil intelligat, ſuppoſito hoc, quòd ad intellectionem requiratur tendentia ad objectum, unde in tali caſu haberet ſe ſicut lapis ad modum mortui, & conſequenter omnis error formalis abeſſet. Sed in contra

ARGUITUR 1. Repugnat divinæ bonitati non ſolùm per ſe peccare, ſed etiam eſſe cauſam, cur alius peccat, ergo etiam repugnat divinæ veracitati, ut non ſolùm ipſa erret, ſed etiam quòd ſit cauſa ut alius erret, à pari. Reſpond. neg. conſequen: diſparitas eſt, quia infinita veritas formaliter conſiſtit in hoc ſolo, quòd nulla veritas objectivè poſſit DEUM latere, & quòd non poſſit decipere ſignificando rem aliter quàm eſt, ac ſe ipſum taliter ſentire, cum quo bene ſtat, quòd poſſit producere aliquem errorem, dummodo hic non dicat habitudinem ad cognitionem divinam tanquam ſic etiam ſentientem, ſicut cum infinita bonitate ſtat, quòd poſſit producere aliquem actum malum phyſicum.

ARGUITUR 2. Ex concluſione ſequeretur, quod nullam poſſimus habere infallibilitatem de articulis fidei, ſed hoc eſt inconvenientiſſimum, ergo. Probatur ſequela, quia ſi DEUS infunderet Angelo errorem, ipſe poſſet propalare & narrare hominibus, quo facto homines per ipſum deciperentur, nullamque infallibilitatem haberent, & unde ſcitur, quòd defacto ſic non contigerit, ergo. Reſpond. negando ſequelam cum ſua probati: quia licèt DEUS Angelo infunderet errorem, per eum tamen nec ipſi loqueretur, quia non manifeſtaret ſe etiam ſic ſentire, nec eum tunc conſtitueret ſuum ad homi-

& ſuperbiam ſuam, & ſuperbiam Ducis Normannorum, & ſuperbiam Regis Francorum. Et ſic ſuperbia Regis Francorum, & ſuperbia Ducis Normannorum, & ſuperbia Comitis Andegavorum, ſuperbiam Regis Anglorum humiliavit.

Quæſtio VI.

Quomodo Rex Anglorum Dux Normannorum Comitatum Andegavorum habuit.

Fulco Comes Andegavorum, cum Rege Francorum, & Duce Normannorum, & Comite Andegavorum, ſuperbiam Regis Anglorum humiliavit.

Fulco Comes Andegavorum, cum Rege Francorum, & Duce Normannorum, & Comite Andegavorum, ſuperbiam Regis Anglorum humiliavit.

Fulco Comes Andegavorum, cum Rege Francorum, & Duce Normannorum, & Comite Andegavorum, ſuperbiam Regis Anglorum humiliavit.

DICO 1. *DEUS potest dicere, & sæpe dixit in scriptura aliqua, ex quibus audientes decepti sunt.* Hæc patet ex pluribus Hæreticorum erroribus, qui ex obscuritate scripturæ occasionem sumpserunt errandi, & non tantùm ex scriptura sumpsisse hanc, sed ex ipsis quoque creaturis. Sapient. 14. dicitur, dum ait: *Eas factas esse in suscitpulam pedibus insipientum:* imo ex ipsa veritate, Verbo incarnato, apud Luc. 2. cap. ut Simeon justus & timoratus dicit: *Ecce positus est hic in ruinam multorum.* Probatur: Tum, Quia ex tali propositione nullum sequitur inconveniens de DEO, quia per hoc nec errorem docet, nec decipit, cum nunquam errorem aut deceptionem intendat: Tum, Quia hujusmodi obscuris dictionibus vult captivare intellectum humanum, eumque humiliare sub potenti manu, ut humiliter veritatem in scripturis inquirant, propriis capritio non fidant, eamque debitè (utpote mysteriis plenam venerentur, alioquin in pœnam præsumptionis permitteret illos cadere in sensum reprobum, ut sit cum hæreticis.

DICO 2. *DEUS de facto nunquam in sacris litteris per se mentitus est, nec per alium.* Ita Cathol. corum concors mens & doctrina. Probatur 1. pars. Num. 23. ubi dicitur: *Non est DEUS quasi homo ut mentiatur, dixit ergo & non faciet? locutus est & non implebit?* Joann. 3. *Qui me misit verax est.* Psal. 114. *Fidelis DEUS in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* ad Rom. 3. *Est autem DEUS verax, omnis autem homo mendax.* Ex quibus locis sic argumentor: eodem modo se habet falsitas ad veritatem, sicuti se habet malitia ad bonitatem, sed DEUS nullo modo potest esse malus cùm sit summa bonitas, ergo nec poterit ullo modo mendax aut falsax esse, cùm sit summa & prima veritas. Et confirmari potest, Veritas divina est perfectio simpliciter simplex existens omnem imperfectionem.

Probatur 2. pars Primò, Quia non esset per se mentitus unquam, ergo nec per alium; probatur consequ: Tum, Quia ille alter per quem mentiretur, vel diceret ex suo sensu, vel ex voluntate DEI: si ex suo sensu, tunc ille suo nomine mentiretur; si ex DEI nomine, ergo DEUS mentiretur per se, quia alter tantùm recitativè haberet mendacium DEI proferendo. Tum, Quia de facto ille nunquam Patribus fuerit locutus per se, sed semper per Angelos, ut patet ex dicto Stephani Act. 7. illorum verba sibi attribuit semper dicens: *Ecce ego, qui loquor: Hæc dicit Dominus exercituum.* Jeremiæ. 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* & Matth. 10. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Probatur eadem pars 2. [illegible] si DEUS fuisset aliquando mendax per se, ita & per alium, æque possemus dubitare de veritate scripturæ, sicut dubitaremus si per se fuisset mentitus, cum ille locutus sit per os Sanctorum in Patribus & Prophetis & novissimè in Filio, ad Hebræos & consequenter tota vacillaret nostra fides, quod absurdum omnino est dicere. Sed in contra

OPPONITUR authoritas Sacræ scripturæ, quæ pluribus in locis asserit, DEUM alios decepisse, & mendacium per alios dixisse, nam Ezechiæ dixit Isaias 4. Reg. 10. *Cras morieris,* & mortuus non fuit. Et Jonæ 3. *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur,* nec tamen subversa est &c. Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Juda donec veniat, qui mittendus est,* quod tamen à Juda fuit ablatum, & translatum ad Machabæos, qui erant de tribu Levi, antequam Messias veniret. Isaias lamentatur sic cap. 63. *Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis.* & Hieremias 20. *Seduxisti me Domine, & seductus sum,* et ut plures omittam 3. Reg. 22. dixit Michæas: *Nunc igitur ecce dedit Dominus Spiritum erroris in ore omnium Prophetarum,* postquam DEUS quæsisset *quis decipiet Achab.* Sed Resp. per regulam D. Damasceni 4. de fide cap. 14. quod in his & omnibus locis Scriptura per Chaldæismum hebraicam significat DEUM permisisse deceptionem, ita quod sensus sit, quòd DEUS fieri permittat illud, quod facit, aut fieri præcipit, quod patet ex pluribus aliis locis, ita quæ priora explicari debent, nam 2. Reg. 16. dicit David ad Abisai volenti occidere Semei: *Dimittite eum, ut maledicat, Dominus enim præcepit ei,* Id est, permisit. Sic Christus Judæis dixit: *Solvite templum hoc* permittendo ut solvatur, non capiebatur enim nec tenebatur, nisi permitteret ipse se capi. Sic quoque dixit Judæ, *quod vis facere, fac citò,* id est, *facies citò,* vel permitto, ut facias citò, non impediendo ipsum: sic denique quando dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem,* id est, ne permittas nos cadere in tentationem, nam ut docent D. Thomas & Scotus, scriptura quod in uno loco dicit verbis metaphoricis, in aliis iterum proponit apertis. Et ne mancus sim. Respond. 2. aliquemlibet textum allegatum particulariter, in primis itaque locis est prædictio tantum conditionata & non absoluta, id est morieris, & Ninive subvertetur, nisi pœnitentiam egerint. Quod si quis autem quærat, cur DEUS hujusmodi propositiones revelet, quæ [illegible] cum non sunt habituræ? Respondeo, ut boni in timore & tremore operentur salutem, & mali convertantur à suis viis pessimis, quia prædixit Joël. *Quis scit si convertatur, & ignoscat DEUS, & relinquat post se benedictionem,* & [illegible] quod nullus quod Jonas prædicam [illegible] est

DEUS permittere potest deceptionem.

vel esse absolute prædictum sine ordine ad aliquam causam, a qua penderet, vel desperarent, & boni in vita perseverarent, & virtuosi efficerentur omnes sancti. Ad 3. locum dico, quòd regnum a sceptrum ante Messiam à Juda fuerit ablatum, nam licet illud habuerint Machabæi, illi adhuc fuerunt de tribu Juda secundum lineam maternam, licèt secundum lineam paternam fuerunt ex tribu Levi, his enim duabus tribubus fas erat, ut sè connubio permiscerent, quod patet ex Zacharia, qui de tribu Levi duxerat Elisabetham, quæ cum esset cognata B. Virginis Mariæ fuit ex tribu Juda. Isaias propriè conqueritur, quòd DEUS eos permiserit errare de viis suis. Jeremias autem loquitur ibi de inductione ad prophetandum, cum aliquam detrectare erit suscipere munus Prophetæ, cui DEUS promiserat, quòd ipsum factus in columnam ferream, cum tamen postea experimenti sint ex prophetæ tione sua carceres & persecutiones. Denique quòdlet genus de decepisse Abrahamum dicatur per missive, inde patet, quod Sarah [illegible] Chanaan tulisse puellam [illegible] Ephram dixerit: *Mentire, ego dicam* [illegible] *& tu mentire dicas*. Ubi [illegible] dubium ergo DEUS permittendo illa prædicere debuit *Ismaelem erit homo*. Sed adhuc [illegible] DEUS permittendo facta & mendacia, quæ in Scriptura a sanctis prolata sunt ex instinctu Spiritus Sancti, & DEUS consequenter DEUS per alios mentiri posset, imo mentitus erit. Probatur sec. num Gen. 22. dixit Abraham pueris suis: *Expectate hic cum asino, ego & puer illuc usque properantes revertemur ad vos*, cum tamen non intenderent cum puero redire, sed eum occidere & immolare, quod fecisse eum ex instinctu DEI asserit Ambrosius lib. de Abrahamo cap. 8. Item Gen. 27. Jacob decepit Patrem suum fingens se esse primogenitum Esau pellibus hædinis, & interrogatus, an esset Esau, respondit *Ego sum*, quod etiam ex instinctu divino fecisse asserunt Ambrosius Lib. de Jacob. Augustinus lib. 83. qq. q. 29. D. Thomas Magister. Respond. ad 1. verum quod ita esse, quòd Abraham illud dixerit ex [illegible] domino, ex eo tamen mendacium non fuit, quia revera credidit se cum puero reversurum, nam licet vellet eum [illegible] & licet eum offerret immolatum [illegible] quòd cum DEUS [illegible] gentes benedicere in [illegible] Isaac esset resuscitaturus, quod confirmatur per D. Paulum ad Hebræos 11. ubi ait: *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentatus esset, & unigenitum offerebat, qui susceperat promissiones, ad quem dictum est: quia in Isaac vocabitur tibi* [illegible]

DEUS. An autem Abraham non fuerit [illegible] Gen. 20. cum ad Abimelech dixerit de uxore sua Sara, quod soror esset, majus, vel æquale dubium est, omnes tamen eum non excusant, verum Scotus licet putet non esse inconveniens asserere, quòd aliqui Sancti Patres in Veteri Testamento mentiti sint, cùm in Patribus Novi Testamenti, ubi gratia abundantior est mendacium [illegible] fuerit non sit contumelia, attamen ait, in Abraham non esse facile admittendum, cùm vita tam laudabilis & completa, dicendum est, eum non [illegible] sed in Scriptura [illegible] fratrem suum appellasse, non [illegible] Sara esset soror ejus dilecta: *Dic ergo quæso, soror mea es tu*, non *filia matris meæ, non filia Patris mei, non filia matris meæ*, mirum videri Thare Patrem meum impudicæ esse, ita ejus mediante, quia [illegible] Patrem habuit Aram, qui mecum Patrem habuit Thare.

Ad secundum locum de Jacob, [illegible] qui dixit eum fuisse mentitum, sed Jacob ex voluntate Matris, non ex instinctu DEI, verum in facto Jacob duo consideranda sunt, videlicet primo quòd se pellibus hædinis vestierit, secundo [illegible] eum, qui non erat, fraudulenter asserens se esse primogenitum Esau, quantum ad hoc ultimum dico ego, eum exstinctum Spiritus Sancti dixisse, & nullo modo mentitum esse, quia jure primogenituræ natus erat, licèt non naturâ, DEUS enim omnes quem respicit dominorum dat portio, Jacob dominium dare voluit [illegible] Esau, antequam quidquam boni vel mali egissent, dicens & promittens, *major serviet minori*. Imò si se Esau pro primogenitura Jacob vendidit, [illegible] de vere fecere, utut, ego sum primogenitus, sicut Angelus in antiquo Testamento Patribus loquens dixit, Ego sum DEUS, nempe ex officio, non ex natura, sic etiam Joannes Baptista vocatur Elias in Spiritu, non in corpore &c. Quod factum autem, quo excusare nolierit cum Patribus, & dicere securam fuisse Salvationem, cui dicendum, [illegible] peccavit, dicere potest. DEUS [illegible] dum indulsit, ut benedictionem [illegible] præsumpserit, & dicendum [illegible] fecisse, certè ille modus [illegible] invenisse Rebeccæ, [illegible] *peccatum & error meus*, non [illegible] licèt [illegible] erunt. DEUS [illegible] cum affectu [illegible] quod [illegible] [illegible] [illegible]

Potest DEUS mentiri cum causa secunda, id est concurrere ad actum mendacii, quantum ad entitatem realem physicam, conc. min: quantum ad id, quod dicit defectum culpæ, nego min: & quantum ad id, quod dicitur ibi, quòd DEUS possit producere habitum vel actum erroneum, jam patet responsio ex supra dictis. Denique ex hoc argumento sequeretur, quòd DEUS etiam posset facere se solo alios actus peccaminosos, ad quos producendos generali concursu concurrit, & sic DEUS non modo posset mentiri, sed etiam se odisse, se negare, se contemnere, maledicere &c. quæ sunt inconvenientia.

INSTATUR: DEUS non solùm concurrit cum causa secunda concursu generali ad actus falsos, sed etiam speciali, ergo poterit actum falsum etiam se solo producere, licèt non posset alios peccaminosos. Probatur antec: DEUS speciali concursu concurrit ad actus meritorios, sed actus falsùs potest esse meritorius, ergo DEUS speciali concursu ad eum concurret. Probatur majo: potest quis meritoriè credere sub speciebus non consecratis ex pura malitia sacerdotis esse corpus Christi, quod tamen falsum erit, ergo. Respond: negando antec: ad cujus probationis majo: Respond. 1. negando eam, quia gratia habituali supposita potest homo elicere multos actus meritorios, sine auxilio alio speciali, quamvis actus arduos & difficiles sine speciali concursu & auxilio elicere non possit, deinde Respond. 2. distin. prob. consequ: ergo DEUS speciali concursu concurrit ad actus falsos qua falsos, nego consequ: qua meritorios, concedo, in casu, quo aliquis invincibiliter ignorans falsum existimaret esse verum, & illud facere bonum.

ARGUITUR 2. DEUS potest facere, quòd de se non involvit implicantiam, sed mendacium non involvit implicantiam, ergo. probatur min: quia si esset aliqua, esset quia peccatum est intrinsecè malum, sed hoc non est, ergo. probatur min: quia si esset intrinsecè malum, nemo sanctorum illud optaret, sed mendacium optavit Michæas Propheta, ut patet cap. 2. ubi dicit: *Utinam non essem vir habens Spiritum, & mendacium potius loquerer* ergo. Respond. negando min: ad probationem ejus dico, quòd Michæas nunquam optavit mendacium, sed potius usus est communi phrasi desiderantium aliquid non evenire, dum dicimus de rebus certissimis factis vel fiendis, quæ aliquod incommodum adferunt, & alii adstantes credere nolunt, utinam non dicerem verum, utinam non essem Propheta, sic etiam Michæas ob certitudinem futuritionis, & compassionem venturorum malorum optat, ut mendacium potius diceret, id est, ut non eveniret, quod prædicebat.

10. Obstetrices Ægyptiorum fuerunt mentitæ.

INSTATUR: si mendacium esset intrinsecè malum, nunquam approbaretur in scriptura tanquam bonum, prout tamen approbat, nam Exodi 1. Obstetrices Ægyptiorum Sephora & Phua, dixerunt Regi fœminas hebræas *non esse sicut Ægyptias, sed ipsæ obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas pariunt*, ubi tamen mentitæ fuerunt, cum masculos servârint, eo quòd timuerint DEUM, ob quod DEUS, eis etiam ædificavit domus. Josue 2. Rachaab meretrix salvatur, eo quòd mentita fuerit abscondendo proditores & exploratores, dicendo: *se nescire qui & unde essent, & jam domo exiisse*, cùm tamen eos absconderit sub stipula lini, &c. ergo. Respond. mendacium in scriptura nunquam laudari & approbari tanquam bonum, nec ob illud aliquem remuneratum fuisse. Ad probationem dicit Rupertus has mulieres nec quidem mentitas fuisse, verum ego dico cum Joanne Majore, & Scholasticis communiter, etiam has mulieres licèt fuerint de genere devotarum, non reliquisse proprietates fœminarum, *fallere, fieri, nere*, mentitæ ergo sunt, sed mendacio officioso & levissimæ culpæ, quare Rachaab solummodo liberatur ex eo, quòd ipsa quoque salvaverit exploratores, quos certò cognovit esse de exercitu DEI viventis, qui immutabiliter traditurus erat eis urbem Jerichotinam, unde non potens salvare totam urbem, salvavit se ipsam & patriam, & sic nemini nocuit, & alicui multum profuit, non enim fecit hoc propter leve aliquod damnum temporale sed gravissimum, nempe ob effugiendam mortem. Obstetricibus autem DEUS ædificavit domus in recompensationem pietatis erga DEUM, quem offendere noluerunt mortaliter occidendo pueros, unde cùm alterutrum effugere non posse opinarentur, elegerunt potius mentiri, tum ut parcerent vitæ puerorum, tum ut salvarent suam, unde D. Gregorius lib. 12. Moral: ait, quòd propter illum actum meruissent vitam æternam, sed quia mendacio eum maculârunt, æternum præmium commutatum fuit in temporale, verum quia nullius actûs meritorii præmium æternum commutatur in temporale, nisi propter mortalem culpam, hinc aliqui, ut ipse Gregorius, putârunt eas mentitas fuisse mortaliter, hinc adhuc dico aliter cum D. Hieronymo in Isaiam in cap. 65. quod DEUS ædificaverat eis domus spirituales gratiæ propter pietatem & timorem erga DEUM, & sic non peccârunt nisi venialiter, hoc etenim gratiam non tollit. Quæres: utrum DEUS possit uti æquivocatione per restrictionem mentalem? Ante resolu-

11. Æquivocatio tripliciter fieri potest

tionem

tionem notandum, æquivocationem tripliciter fieri posse, primò si quis utatur verbis æquivocis duplicem habentibus sensum. Secundò, quando verba ita collocantur, ut tam citò possint generare sensum verum ac falsum, & econtra, si non attendatur commutatio, divisio vel conjunctio in pronuntiatione, ut sunt illa communia, quæ idola olim malè orantibus dedère responsa: *Ibis, redibis nunquam in bello peribis. Ajo, te Æacida Romanos vincere posse. Hostes Suavi ter intrabunt in regnum tuum, & capient Vr Chaldæorum potentia.* Tertiò, quando quis verba sic profert, quæ exterius prolata simpliciter sunt falsa, juncta iis, quæ in mente aliquis retinet, vera sunt, & vocatur restrictio mentalis. De primis duobus modis non est dubium, communiter etiam docetur DEUM uti posse oratione obscura, amphibologica, tropica, & æquivoca, dummodo verba ad extra prolata verum aliquem sensum habeant, & hoc ob multas rationes: Primò ut verba ejus in magna veneratione haberentur, nec cuicunque deprehendenti obviam & palam essent mysteria nostræ fidei. Secundò ut in quærenda & erudienda veritate melius fideles occuparentur; & tandem ut major esset authoritas Prælatorum & Doctorum, ut supra docui. De tertia æquivocatione Respondeo &

12. Æquivocare & mentali restrictione uti non potest DEUS.

DICO 4. *DEUS nequit uti restrictione mentali.* Ita Malderus, Conning, Aragonius, Herinx &c. & Probatur, Quia si DEUS uteretur restrictione mentali, simpliciter mentiretur, quia ad extra proferret propositionem cujus contrariam haberet in mente, sed implicat DEUM mentiri, ergo etiam, quòd utatur restrictione mentali: probatur major ulterius, quia si talis propositio non esset simpliciter falsa & mendacium, esset ideo, quia intentio dicentis & oratio in mente retenta facerent sensum verum, sed hæc non excusant à falsitate & mendacio, ergo: probatur min: quia intentio & verba interna non possunt mutare significationem propositionis prolatæ, nec cum ea unam componere, nec defectum supplere, ergo nequeunt facere, ut propositio de se falsa fiat vera, alioquin etiam dicere possem, quòd illud contrarium, quod est in mente posset integrare unam propositionem cum prolata, dum aliquis absolutè mentitur.

Probatur 2. Quia si DEUS posset uti restrictione mentali, nunquam essemus certi de articulis fidei, quia semper possemus dubitare, an non utatur defacto? & an usus fuerit antecedenter? & licèt diceretur, quòd DEUS defacto testatus sit, sein tota sacra scriptura non usum esse restrictione, & constituisse Ecclesiam infallibilem veri sui sensûs interpretem, adhuc tamen dubitari posset, an non etiam in his verbis usus sit restrictione mentali. Denique non est paritas de DEO & homine, quod enim huic aliquando liceat uti restrictione mentali, provenit, quia potest contingere, quod de aliquo interrogetur, ex qua confessione irreparabile damnum sibi & proximo eveniret, ad quod avertendum uti potest tali restrictione, DEUS autem nequit ad tales angustias redigi interrogatione, cùm posset alio modo avertere cogitationes hominum & Angelorum eum interrogare volentium, ergo. Sed contra conclusionem

OPPONITUR authoritas S. Scripturæ nam Joann. 7. Rogantibus fratribus ut ascenderet ad diem festum Jerosolymam, ibique palam signa faceret, respondit: *Ego non ascendam ad diem festum istum*, ad quèm tamen ascendit, sed quasi in occultò, quod sine aliqua restrictione mentali fieri non potuit. Item Marci 13. de Judicii die interrogantibus discipulis dixit, *de die autem illa vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius hominis, nisi Pater*, & tamen certum est, quòd Christus sciverit de illa die &c. Respond. negando consequ: ex authoritatibus enim illis non potest inferri Christum usum esse restrictione mentali, nam in primo locó dixit quòd non ascendet ad diem festum, primum scilicet, quia ascendit ad medium, tertia die videlicet, aut quod responderit conformiter ad petitionem fratrum, nempe ut signa ibi faciendo se palam faceret. Aut denique ut ly *non* significet *nondum*, maximè cùm postea subjungat, *quia meum tempus nondum impletum est.* Ad alterum locum dico, quòd Christus ibi locutus sit veluti legatus ad nos missus, qui verè negat se scire etiam interrogantibus, quæ à principali non habet, ut communicet, & cùm maximè ex circumstantiis satis pateret se non velle manifestare diem illum, cùm etiam postmodum Actor. 1. interrogantibus curiosè eorum curiositatem repressérit dicens: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta*, satis insinuans se scire, sed revelare non velle vel non debere.

ARGUITUR ex ratione: DEUS utendo restrictione non mentiretur, ergo: probatur antec: quia tunc non iret contra mentem suam, intendens aliquid significare, quod scitur esse falsum, sed quod est verum, ergo. Respond. neg. antec: cum sua probatione, quia illa verba exterius prolata, absolutè significant aliquid, quod DEUS scit esse falsum, & licèt non intenderet significare illud, quod falsum est, sed quod verum, quia hæc intentio esset valde inefficax

& potius quædam velleitas, ideoque efficacem intentionem falsum proferendi non impediret. Sed

QUÆRES 2. An homines possint uti restrictione mentali? Respond. quòd nec æquivocatione, nec restrictione mentali uti possint sive peccato veniali absque gravissima necessitate, qualem habent Confessarii, si interrogarentur à viris de uxorum peccatis &c. Legati &c. & in talibus circumstantiis ubi audientes facile colligere possent, respondentem internè aliqua verba occultare; imò in pluribus casibus nullatenus licitum est uti restrictione mentali, ut in legitima Judicis interrogatione, confessione fidei, restitutione, contractibus, &c.

Hinc Innocentius XI anno 1679. damnavit has duas propositiones: *Si quis vel solus, vel coram aliis sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa sive quocunque alio fine jurat, se non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. Causa justa utendi bis amphibologiis quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.*

DISPUTATIO IV.
De
Actu interno Fidei.

A Principiis effectivo & formali transeo ad actum ejus internum, quo quis firmiter & absque formidine assentitur revelatis à DEO propter summam ejus veracitatem, qua nec falli nec fallere potest in dicendo pro quo sit

Quæstio I.

An actus fidei sit verus & certus? seu de veritate, & certitudine actûs fidei.

1. Apprehensiones complexæ propter veracitatem divinam pertinent etiam ad fidem.

SUppono tanquam certum omnem illum actum esse actum fidei divinæ, quo assentimur alicui propositioni ob veracitatem divinam revelantem, quodcunque sit objectum, de quo habetur assensus, sive sint ipsa motiva intrinseca, vel extrinseca, sive quodcunque aliud: Imo actus fidei non esse solos assensus formales, sed etiam quascunque apprehensiones complexas, quæ ex se sunt natæ determinare ad hujusmodi formales assensus mysteriorum fidei: tum, quia tales apprehensiones procedunt etiam ab habitibus scientificis, si ad scientificos assensus illæ apprehensiones determinant: tum, quia alioquin pauca opera fidelium essent meritoria, quia dum aliquis orat, celebrat, jejunat, &c. debent habere actum fidei, quia accedentem ad DEUM oportet credere, quia est, vix tamen aliquis habet tunc formalem assensum aut saltem vix semper, ergo illæ apprehensiones determinativæ ad hujusmodi assensus erunt actus fidei. Nec refert, quòd D. Augustinus dicat lib. 1. de prædest. cap. 2. *Credere, esse cum assensione cogitare*, quia S. Doctor loquitur tam de assensu formali & physico, quam morali & interpretativo, non verò de solo formali, illæ autem apprehensiones determinativæ sunt assensus morales & interpretativi, adeoque sufficiunt, ut dicantur actus fidei. Sed hoc supposito

2. Certitudo præsupponit veritatem.

NOTANDUM 1. Me ideo hæc duo in hac quæstione combinare, veritatem nempe & certitudinem, quia certitudo præsupponit veritatem, certitudo enim est determinatio intellectûs ad unum verum, unde si intellectus determinaret ad aliquod falsum, non diceretur habere certitudinem, sed firmitatem, qualem videmus, quòd multoties habeant hæretici, qui adeo firmiter adhærent suis erroribus, ut nullis motivis ab eis se avelli permittant, & frequenter multò firmiùs, maximè protervientes & pertinaces, quàm catholici adhæreant veritati, differentia autem inter utramque est, quòd firmitas se teneat ex parte solius potentiæ & tantùm, certitudo autem tam ex parte potentiæ, quam ex parte objecti, ex quo patet, qui possit dici esse firmus, quique certus.

3. Certitudo differt à veritate.

NOTANDUM 2. Certitudinem valde differre à veritate, ab ejus infallibilitate, & ab ejus evidentia; *Veritas* enim non est aliud, quàm conformitas cognitionis cum objecto, quando scilicet eo modo per cognitionem repræsentatur objectum, quo illud existit à parte rei, quod non sufficit ad certitudinem: quia plerumque cognitio est vera, & tamen est solùm probabilis. *Infallibilitas*

Digitized by Google

cognitionis est, quando [illegible]

[illegible] proportionem ex eo, quòd potest, DEUS [illegible]

[illegible] propter Paulum, & propter Petrum [illegible]

[illegible] loquatur tam, Petrus credat aliquid pro[illegible]

[illegible] DEUM esse re[illegible]

[illegible] Ille, & [illegible] Petrus [illegible] modo [illegible]

[illegible] Deum [illegible] esse [illegible] actum [illegible] credendum. Sed contra

ARGUITUR, Potest contingere quòd aliquis inculpabiliter putet aliquid falsum, esse revelatum a DEO, qui tamen illud credat ob DEI authoritatem, & sic credens illud fide theologica: Tum quia ibi deest formalis rationem formalem fidei nostræ: Tum, quia potest aliquid esse præceptum, quod tamen non est, illud implens facit verum actum obedientiæ, & consequenter ille faceret etiam verum actum fidei, ergo Deus potest subesse falsum. Hæc objectio soluta satis fuit superius disp. 1. q. 3. Verumtamen breviter. Resp. iterum negando minorem ad primam probationem. Dico, quòd ille haberet rationem formalem proximam tantum, non autem veram, consequenter si faceret actum illi non conformem dicit fidei, sed naturalis ad eam enim [illegible] habitus supernaturalis fidei [illegible] Ad alterum probationem ergo [illegible] quia actus credendi [illegible] ex objecto præcise [illegible] [illegible] [illegible]

bonus & meritorius, quia à fide divina non procederet, sed tantùm denominatione extrinseca a voluntate imperante.

URGETUR: Si rusticus aut puer a parocho suo audiret plures propositiones proponi, quas parochus diceret à DEO revelatas, inter quas una esset, quæ non esset revera revelata, illi possent omnes credere etiam uno actu, ergo fide divina, quia aliqui sunt verè revelati, qui non credentur fide humana & consequenter fidei divinæ potest subesse falsum. Resp. quòd rusticus, si illas propositiones divinitùs crederet, quòd revelatas crederet fide supernaturali, non revelatam, naturali, quòd si crederet omnes unico actu, tunc esset simpliciter naturalis, quia malum ex quocunque defectu, bonum autem ex integra causa; quòd si autem illo unico actu singulis propositionibus aliquid tribueret (dicit Compton.) ille actus ex parte esset supernaturalis, & ex parte naturalis in quantum terminaretur ad propositionem putatitiè revelatam.

Nota tamen pro majori intelligentia, quod sicut fidei nunquam potest subesse falsum, ita etiam propositio fidei unica quam potest esse per se vera absque ullo defectu falsi, ex vero enim non sequitur nisi verum, nascitur si aliud sit supernaturale, per accidens tamen potest esse causa falsi, nempe si conjungatur in syllogismo aliqua enunciatio falsa, ut v. g. ubicunque sunt accidentia est substantia, in hac hostia sunt accidentia panis, ergo est hostia panis, falsa est consequentia, quæ tamen generatur à præmissis veris, sed quia major naturalis est falsa; non tamen est hoc sequitur inconveniens aliquod, quia frequenter vitam, quod causa bona ex infortunio malo generatur, cum bonum semper velit intelligam creatam.

DICO 2. *Actus fidei divinæ est certus* Theologi communiter. Probatur 1. ex Scriptura 2. Timoth. 1. *Scio cui credidi, & certus sum.* Tobiæ 3. *Hoc autem certo habet omnis, qui te colit.* Probatur 2. ex Patribus Basilio, Chrysostomo, aliisque, sufficiat hic mellifluus Bernardus de verbo tract. de erroribus Abælardi cap. 4. Ubi sic refutat eum putantem fidem esse æstimationem. *Nec mirum si homo qui non curat quæ dicat, irruens in arcana fidei, thesauros absconditos pietatis irreverenter invadit atque discerpit, quid de ipsa pietate fidei, nec pia nec fidelia sentiat. Denique in primo limine theologiæ (vel potius stultitiæ suæ) fidem definit æstimationem: quasi cuique in ea sentire de eloqui quæ libeat, liceat: aut perdeant subito certo in cœlis de rebus divinis fidei suæ Scripturæ, & non magis certa veritate subnixum, oraculis & miraculis divinitus perpetuum, stabilitum & consecratum partu Virginis, sanguine Redemptoris, gloria Resurgentis.* Et post plura præsentem materiam quam maximè ponderata sic concludit in refutatione hujus erroris: *Non est enim fides æstimatio sed certitudo.* Probatur 2. ex ratione, Quia certissimo & infallibili innititur principio, auctoritati divinæ cum lumine intellectus & habitu supernaturali, ergo.

DICO 3. *Certitudine infallibilitatis, seu ex causa, altius fidei nostræ est certior quibuscunque actibus scientiis naturalibus.* Ita D. Thomas, Scotus, Vega, Soto contra Durand. m. & Hugonem à S. Victore, qui existimant fidem esse opinionem, quia res creditæ sunt obscuræ, & ideo credere temerarium, ea enim quæ videntur audiunt à Theologis. Probatur 1. ex Scriptura 2. Petri 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Probatur 2. ex Patribus Aug. lib. 1. Confess. cap. 1. *Et clamasti de longinquo: Imo verò prius clamasti, & rupisti surditatem meam.* Et ad hæc sunt scitu digna de, *Deus erat promptus unde dubitarem? certissimus dubitarem minùs me, quam non sit verum, quæ per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Bernardus super cubili, habet: *Scio cui credidi. & certus sum, clamat Apostolus, & tu mihi fabulosa, fides est existimatio? tu mihi ambiguum garris, quo nihil certius?* quibus adde Cyrillum Hierosolymitanum catech. 5. in epistol. ad Hebræos: *Nec fides dici potest, nisi circa ea quæ non videntur, amplius quam circa ea, quæ videntur, fortior quisque habuerit.* Quare Richardus à S. Victore sic concludit lib. 3. Trinit. 2. *Quotquot veraciter fideles sumus, nihil certius tenemus, quam quod fide credimus.*

Probatur 3. ratione: Ille actus est certior aliis, qui certioribus, & perfectioribus innititur principiis, sed fidei nostræ actus certioribus &c. innititur quàm quocunque motivo humano, ergo. Patet, quia licet dicatur scientia certa quam opinio, quia ex partis motivis certitudo, probatus tamen, quod actus fidei [illegible] principio primo, & habitum supernaturalem, de fide ipsa [illegible] & summa veritate, quæ nec fallere nec falli potest, [illegible] naturales habent habitum [illegible] & ipsas res naturales, sed alia [illegible] certior [illegible] probatur [illegible] Lu[illegible] Cajet[illegible] & ver[illegible] Ir[illegible] tamen [illegible] quam

quàm verba mea, quæ ego vobis revelo. Deinde habitus supernaturalis est etiam multò certior & perfectior quàm naturalis, quia ille perfectior est, qui nequit naturalibus viribus acquiri, quam qui sic acquiri potest, habitus supernaturalis nequit sic acquiri, ergo. Denique habitus supernaturalis est veluti lumen divinum adjuvans intellectum, sed lumen divinum certius est, quàm quodcunque lumen naturale, quod cum maximo labore & variis discursibus eruit veritatem, lumen autem divinum citra omnem laborem, ergo. Sed in contra

ARGUITUR: Illud est certius, quod plures habet causas certiores, sed scientiæ plures habent causas certiores, ergo: probatur minor: quia dependent à lumine naturali clarè ostendente, & ab objecto evidente, fides autem dependet solùm à revelatione DEI veracis, ergo. Respond. negando min: quia fides plures habet causas, primò enim habet authoritatem DEI, quæ est infallibilis absolutè, superatque longè objecti evidentiam, deinde habet lumen supernaturale à DEO productum, quod perfectius est, quàm quodcunque naturale, sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 1. *Quod infirmum est DEI fortius est hominibus*, id est, minimum à DEO, multò potentius est, quàm quæ ab hominibus sunt.

INSTATUR: Lumen naturale est etiam à DEO tam bene ac lumen supernaturale, ergo unum non erit magis forte, quàm alterum. Respond. negando consequ. quia quòd utrumque sit à DEO infert tantùm utrumque esse certum, non tamen quod unum non sit certius altero, sicut bene infertur, assensum principiorum esse certum & etiam assensum conclusionum esse certum ex eo, quòd sit uterque à lumine naturali, non tamen statim licet inferre, quòd uterque sit æquè certus, quia *propter quod unumquodque tale & illud magis tale*, unde sicut scientia potius deberet deseri, quàm fides, quia cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, sic si alterutrum esset necesse potius deberet deseri assensus conclusionis, quàm præmissarum & primorum principiorum.

URGETUR: sub assensu primorum principiorum tam nequit esse falsum, quàm sub assensu fidei, ergo ad minus assensus principiorum primorum erit æque certus, ac fidei: probatur consequ. ubi duo involvunt contradictionem utrumque est æqualiter impossibile, sed tam assensus principiorum involvit contradictionem, ut ei subsit falsum, ac assensus fidei, ergo erit utrumque æqualiter impossibile, & consequenter æqualiter verum. Respond. negando antec. loquendo de æqualitate, quia ipso Aristotele teste, fuerunt antiquitus Philosophi, qui etiam prima principia negarunt, & quamvis non subsit illis falsum, non tamen tam certò connectuntur, sicut assensus fidei, & quando dicitur quòd aliqua impossibilia sint æqualiter impossibilia, negatur, quia etiam in his datur magis & minus, patet, quòd impossibile sit hominem esse equum, & etiam implicat esse lapidem, sed magis implicat esse lapidem quàm equum.

ARGUITUR 2. Damnati sciunt esse infernum multò certius, quàm nos per fidem, ergo scientia est certior quàm fides: ant. patet, quia habent experientiam, ergo. Respond. negan. an. ec. cum sua probatione, quia licet experiantur, non tamen certiùs hac experientia sciunt, quàm nos per fidem, quia experientia est de se fallax, adeóque fallibili innititur scientiæ damnatorum principio.

INSTATUR: saltem scientia Beatorum est certior quàm fides nostra, v. g. de DEO trino in personis, ergo scientia de se est perfectior & certior, quia si unum ex genere est perfectius, est quodcunque, si enim homo est perfectior equo, quicunque erit perfectior quocunque equo. Respond. conc. antec. negando consequ. ad cujus probationem dico veram esse, sed suppositum est falsum, nempe scientiam beatorum contineri sub ratione scientiarum naturalium, quòd autem visio beatorum sit certior quàm fides, est, quia habet æque supernaturalia principia sui elicitiva sicut habet fides, & insuper evidentiam objecti, reliquæ autem scientiæ habent tantùm principia naturalia, conclusio autem nostra loquitur de scientiis naturalibus.

DICO 4. *Certitudine adhæsionis ut quod actus fidei nostræ est certior quibuscunque scientiis & notitiis naturalibus.* Est etiam communior, Videturque esse conformis ad determinationem Innocentii XI. qui hanc prohibet propositionem: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Et Probatur 1. Illud est certius pro quo homo prudenter eligit vitam perdere, illo altero pro quo si perderet, vitámque exponeret, stultus haberetur, sed pro fide prudenter exponitur vita, & stultè pro aliqua scientia, ergo. major videtur certa. Probatur minor ex D. Bonaventura 3. d. 23. a. 1. q. 4. dicente: *Etiamsi Martyres prudenter eligant mori potius, quam fidem relinquere, stultus tamen jure haberetur is, qui pro ulla veritate naturali vellet vitam profundere.*

1. Fides nostra est etiam certior certitudine adhæsionis ut quod.

Probatur 2. Illud est magis certum certitudine adhæsionis *ut quod*, pro quo parati sumus etiam quamcunque scientiam negare & deserere, sed pro solo actu fidei parati sumus quamcunque de-

Digitized by Google

ferere scientiam, ergo. Probatur minor. nam propter solam fidem limitamus, vel planè negamus illud commune principium : *Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se* : Negamus etiam ad positionem accidentium poni substantiam ; actiones esse suppositorum ; ubi duæ sunt naturæ rationales, duas esse personas : & plurima alia non ob aliam rationem, quàm quia firmius credimus & certius, quòd detur Trinitas personarum in una Deitate, in Eucharistia accidentia manere destructâ substantiâ; in Christo duas esse naturas & unam tantùm personam ergo ; hæc autem certitudo oritur ex lumine supernaturali, interna motione DEI, & pia voluntatis affectione. Sed contra conclusionem sic

ARGUITUR: Illud est certius certitudine adhæsionis, quod semel cognitum, intellectus nunquam dimittit, sed semel cognitam scientiam intellectus nunquam dimittit, facilè autem fidem, ut patet in tot apostatis, ergo scientia naturalis est multò certior. major. patet. probatur minor, quia semel cognitam hanc scientiam, *Omne totum est majus sua parte: Quodlibet est, vel non est* &c. nunquam negabit intellectus, qui semel debitè apprehenderit. Respond. dist. majo. Illud est certius &c. Si utrumque dependeat æqualiter, & tantùm ab intellectu, conc. majo. si unum tantùm ab intellectu, & alterum ab intellectu & voluntate simul, nego majo. Itaque quòd intellectus quandoque deserit fidem, non est ideo, quia ei firmissimè non adhæret, sed quia voluntas liberè vult ipsam dimittere, sicut firmius & certius frequenter proponimus nobis nunquam potius Deum offendere, quàm nostra quærere commoda, & tamen hæc frequentius quærimus, & citius Deum offendimus ex eo, quia voluntas liberè ab illa propositione recedit.

INSTATUR : Certius adhæret intellectus illi, quod in acquisitione, & conservatione à solo intellectu dependet, quàm quòd ab intellectu & voluntate simul, sed ex dictis modò, fides ab intellectu & voluntate simul dependet, scientia verò à solo intellectu, ergo, probatur majo. quia intellectus semper naturaliter fertur in objectum, in illudque eodem modo semper tendit, non sic autem voluntas. Respond. neg. maj. vel potius distin. eam. Certius adhæret &c. quàm quod ab intellectu & voluntate simul, si non habeat secum aliquod principium infallibile, conc. maj. si habeat, nego majo. Itaque licèt fortè in naturalibus adhæsionibus hoc verùm sit, in supernaturali non est, quæ non tantùm ab intellectu & voluntate dependet, sed etiam ab infallibili DEI authoritate, quo certior autem est causa, certior & perfectior est effectus. Nec etiam refert, quòd nonnunquam circa fidem aliquæ dubitationes suboriantur, non verò circa scientiam, quia vel hæ tantummodo speculativæ sunt, vel oriuntur circa principia formalia, vel eorum applicationem, quæ non sunt sufficienter proposita, cognita autem semel DEI revelatione, quòd hoc vel illud revelaverit, nullum amplius in fide remanet dubium. Deinde hæc fluctuatio oritur ex fidei obscuritate, & ex voluntatis fragilitate. Tertiò ex sublimitate, & excessu, quia res fidei superant omnem intellectum humanum, ideoque non valens ea attingere, dejicitur quodammodo & succumbens incipit fluctuare, si tamen stat firma & pia voluntatis affectio, auxilium supernaturale & legitima propositio nunquam fluctuabit. Quòd autem in scientiis hi motus non oriantur, est, quia sunt proportionatæ intellectui, non excedunt terminos ejus, & propriam sphæram, & evidenter se ingerunt, quare si quæ difficilia sunt, quæ non statim & sufficienter capit, æquè fluctuat, ut sunt quæstiones de continuo, infinito &c. Hinc

DICO 5. *Certitudine adhæsionis ut quo assensus scientiarum naturalium est certior assensu fidei* Ita Aretinus, cum quo etiam. Probatur 1. Quia intellectus noster plenius apprehendit veritates naturales, quàm veritates fidei, illæ enim sunt sibi evidentes & juxta ejus capacitatem, istæ autem sunt & supra capacitatem & obscuræ, ergo. Probatur 2. Quia subjectum adhæsionis *ut quo*, est intellectus, sed in intellectu insurgunt sæpe quidam dubitationis motus, qui non insurgunt circa veritates naturales, cujus alia ratio nequit assignari, quàm quòd intellectus in scientiis determinetur intrinsecè à se ipso, in fide autem non determinatur intrinsecè à se ipso, sed à lumine supernaturali & à voluntate, ut per totam quæstionem sæpe dictum est, quod ut adhuc plenius intelligatur, examinandum est ulterius, quomodo assensus fidei à voluntate dependeat, quare sit

9. Scientiæ naturales certiores sunt fide certitudine adhæsionis ut quo.

Quæstio II.

An & quomodo requiratur imperium voluntatis ad eliciendum actum fidei ? seu pius credulitatis affectus, ubi etiam an sit liber?

1. Credendo ad non necessariò impellimur.

SOlemnis satis est hæc quæstio in materia fidei, ut patet ex tam diversis Do-

Digitized by Google

dicitur Proverb. 23. *Fili præbe mihi cor tuum*, id est, tuam voluntatem, ut eam meæ totaliter conformes, ergo ad eliciendum actum fidei, qui sit salutis initium. Requiritur voluntatis imperium &c.

Probatur 2. ex illo Isaiæ 50. *Dominus DEUS aperuit mihi aurem, & ego non contradico*, sed contradicere est voluntatis ergo si in fide non contradicit, voluntate id facit. Ex quo desumitur etiam sic ratio: Fides est vera obedientia docente D. Paulo ad Roman. 1. *Accipite gratiam ad obediendum fidei* & 10. *Non omnes obediunt Evangelio*, sed obedientia est, ubi aliquis non contradicit, estque actus voluntatis, ergo. Denique Probatur 3. Nec præcepta dantur nisi de voluntariis, nec meritum est, ubi non est liberum, sed fides ex præcepto est meritoria, ergo à voluntate esse debet, probatur min. quia si non esset fides sub præcepto, non diceretur: *Qui non crediderit, condemnabitur*, nec hæretici & Ethnici peccarent: quia *ubi non est lex, non est prævaricatio*, ergo est sub præcepto. Probatur min. quòd sit meritoria, quia *credidit Abraham DEO, & reputatum est ei ad justitiam.* Roman. 4. *Sancti per fidem vicerunt regna & adepti sunt promissiones.* ad Hebræ. 11. *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.* 1. Petri 1. Et denique quia omne opus bonum in gratia factum est meritorium, fides est opus bonum, ergo si in gratia fiat erit meritoria.

Probatur 4. Ex Concilio Arausicano secundo can. 5. ubi sic habetur. *Initium fidei esse ipsum credulitatis affectum, eúmque inesse nobis per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem.* Trident. sess. 6. cap. 6. sic inquit: *Fidem ex auditu concipientes liberè moventur in DEUM, credentes vera esse, quæ à DEO revelata sunt.* Similia habet Toletanum IV. can. 56. & refertur *in cap. de Judeis dist. 45.* ubi dicit Judæos non esse compellendos ad fidem, quia fides est voluntaria.

Probatur 5. Ex præcisa ratione: Objectum formale movens fidei nostræ est authoritas divina obscure proposita, sed certum est, quòd intellectus non moveatur obscuris, ergo quòd hîc & nunc credat & assentiatur, cùm nulla evidentia adsit, quæ eum alioquin tantummodo determinat, debet voluntas compellere eum, ut se captivet ad assentiendum in obsequium Christi.

Probatur 6. ex authoritate SS. Patrum Augustini tract. 26. in Joann, ubi dicit: *Multa potest homo facere non volens, credere autem non potest nisi volens.* D. Bernardi epist. 258. ubi dicit, quòd nemo invitus bene faciat, *quia nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis.* Et alibi sæpè & maximè serm. 24. in Cantica ubi ait: *Mors fidei est separatio charitatis. Credis in Christum? fac opera Christi, ut vivat fides tua, fidem tua dilectio animet, probet actio.* Ergo ad fidem requiritur imperium voluntatis, cùm dilectio sit ejus actus.

Probatur 2. pars. Primo: Quia apprehensiones complexæ, quæ natæ sunt determinare intellectum ad assensum mysteriorum talium fidei, sunt veri actus fidei, ut supra annotavi, sed tales apprehensiones præcedunt omnem voluntatis actum, ergo ad hoc ut aliquis credat, non requiritur positivus actus voluntatis, sed sufficit sola non contranitentia.

4. Fidei actus ad eliciendum sufficit sola nō contranitentia.

Secundò: Si aliquis haberet habitum credendi Paulo Mediolanum esse, & Paulus illud ipsum denuo diceret, ille sine ullo imperio voluntatis crederet Mediolanum esse, ergo similiter in fide divina evenire potest, quia etiam in ipsa potest aliquis fidem habitualem acquisivisse credendi aliquibus articulis fidei, & quandoque sunt ita evidenter propositi, ut non nisi malitiosus possit non assentire, ergo in tali casu habitûs acquisiti posset quis assentire absque imperio voluntatis. Omnes oppositiones, quæ contra istam partem fieri possunt, facilè solvuntur sive ex ratione, sive ex authoritate, quod loquantur de fide quæ est initium salutis, aut quæ est actus extraordinarius, aut si quis nondum sit bene respectu alicujus articuli habituatus, uno verbo præcedunt & convincunt regulariter loquendo, quod etiam ipse in Conclusione dico. Sed contra primam partem

DICES: Dæmones credunt, ut Jacobus testatur, sed illi non credunt ex imperio voluntatis, ergo regulariter saltem loquendo non requiritur ad fidem voluntatis actus. Patet majo. Probatur minor, quia dæmones cruciantur illa fide, & vellent eam non habere, si possent, ergo non credunt ex imperio voluntatis. Respond. distin. majo. credunt fide divina, neg. majo. fide morali, concedo. Itaque in dæmonibus non requiritur voluntatis actus, qui sit pia affectio, unde illi debent credere, quia moraliter vident signa credibilitatis, quòd aliter esse non possit, & in similibus casibus non requiritur imperium voluntatis, sicut etiam in nobis non requiritur, quòd credamus esse Constantinopolim &c.

DICES 2. Sequeretur, quòd fides non esset initium justificationis, quia præsupponeret actum voluntatis per ordinem ad quem esset liber. Respond. Fidem non debere esse ita initium justificationis, quin ad eam plures actus possint & debeant prærequiri, ut apprehensiones objecti credibilis, revelationis divinæ, & sæpissimè, si non semper, judicium de credibilitate, ergo præsuppositio actûs voluntatis non impedict, quo minus possit esse initium justificationis, sicut nec præsuppositio illorum aliorum actuum. Itaque

Digitized by Google

efficacia proponatur ad tollendam obscuritatem & difficultatem intellectûs, & ad præparandum bene voluntatem, sed tales præparatorii discursus non sunt actus fidei, sed ille solus, qui jam cognita credibilitate per lumen internum assentit articulis tanquam à DEO revelatis, de hoc ergo & omnibus aliis quæritur, an actus fidei sic innitatur discursui, ita quòd elici non possit, quin in forma Syllogistica inferatur, idque vel formaliter vel virtualiter, & tunc motivum fidei formale non conjungitur cum propositione fidei, sed mediatè in aliqua ex præmissis, aut licèt sine ipso discursu elici possit, casu tamen quo eliceretur per & propter discursum, an tunc propositio formalis ex talibus præmissis sit assensus & actus fidei, imò etiam an propositio ipsa objectiva sit de fide, sive postmodum utraque præmissa sit de fide, sive una tantùm. In qua materia Durandus, Gabriel, & plures Recentiores dicunt assensum similem, qui eliceretur ob duas præmissas fidei, aut altera fidei, & maximè in hoc discursu: *Quidquid DEUS revelat, est verum, DEUS revelat esse infernum, & vitam æternam beatam, ergo est verum dari infernum, & vitam beatam* esse de fide.

Secunda sententia dicit, fidem non discursivam, sed uno simplicissimo actu attingere, vel solam revelationem, vel revelationem simul & rem revelatam, ut v. g. credo DEUM revelâsse esse infernum, aut credo esse infernum, quia DEUS revelavit. Ita Occamus, Valentia, Vega &c. ante resolutionem

NOTANDUM Ex Logica 1. Alium esse habitum principiorum, alium conclusionum. 2. Diversum esse actum, quo quis assentitur præmissis ab eo, quo assentitur conclusioni, ex eo quòd quilibet habitus tendat in propriam suam veritatem: Tum, quia præmissæ sunt priores & causa, conclusio verò est effectus & posterior, quæ semper diversificant actus: Tum, Quia nequimus eodem actu affirmare & negare, sed in præmissis frequenter affirmamus, & in conclusione negamus, consequenter nequit esse idem actus. His præmissis

2. Fidei assensus ob duas præmissas elicitus non est actus fidei.

DICO 1. *Assensus elicitus ob duas præmissas, quarum una, vel utraque sit de fide non est assensus fidei, nec in hoc quidem syllogismo Omne revelatum à DEO est verum, DEUS revelavit Trinitatem, ergo Trinitatem esse, est verum, adeoque fides non est discursiva.* Ita Authores supra, favet etiam Doctor subtilis, qui frequenter pro hoc citatur.

Probatur 1. pars Primò: Assensus ille non est fidei, qui non elicitur ob rationem formalem fidei, sed assensus, qui elicitur ob duas præmissas non elicitur ob motivum & rationem formalem fidei, ergo. probatur minor, quia talis assensus innititur dispositioni & modo syllogistico, ac huic principio naturali: *Quæcunque sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*, sed hæc non sunt ratio formalis fidei, ergo. probatur min: quia hæc sunt motiva scientiarum, ergò non fidei, alioquin sicut idem haberent motivum, eandem haberent etiam fides & scientia certitudinem contra dicta superius, ubi docui fidem esse certiorem aliis scientiis. Probatur 2. eadem pars: Qua si talis assensus esset fidei, hoc ideo esset, quia præmissæ, aut una illarum procederet ab habitu fidei, sed ex hoc non sequitur, ergo. probatur min: Ex eo, quòd in demonstratione assensûs præmissarum procedat ab habitu principiorum, non sequitur, quòd etiam assensus conclusionis procedat ab illo habitu, alioquin Philosophi frustra multiplicarent habitus illos, ergo etiam à pari licèt præmissæ aut una illarum procedat ab habitu fidei non sequitur, quòd etiam assensus conclusionis ab eo procedat. Et si quæras à quo habitu ergo procedat, Respondeo, quòd à Theologico, qui est distinctus ab habitu fidei, qui inclinat ad propositiones fidei, quæ sunt principia Theologiæ, sicut habitus principiorum est distinctus à conclusionum habitu in scientiis.

Probatur 2. pars. Si ille assensus in syllogismo appositio esset fidei, maximè ideo, quia inniteretur principio formali motivo fidei, sed huic non innititur, ergo. major est adversariorum. probatur min: Ille assensus in quantum sequitur ad duos actus veluti ad præmissas, tantummodo repræsentat extrema, & non medium, quare sit aliquid tale v. g. si dicam: Quidquid DEUS revelavit est verum, sed revelavit canem Tobiæ movisse caudam, ergo canem Tobiæ movisse caudam verum est, ubi solùm repræsentatur *verum*, & *movisse caudam*, quæ sunt extrema illarum propositionum, non verò repræsentat rationem formalem veracitatis divinæ revelantis, ob quam aliquis est assensus fidei, ergo ille assensus non innititur immediatè motivo fidei, cùm in hoc actu non repræsentatur, sicut nec repræsentatur medium assumptum ad aliquid probandum in conclusione scientifica, sed tantùm extrema, quia ideo dicuntur inter se connexa, quia cum tertio fuerunt connexa in præmissis.

OPPONITUR authoritas D. Pauli, qui ad Hebræ. 11. vocat *Fidem argumentum non apparentium*, sed argumentum significat discursum, ergo fides est discursus, sive discursiva. Respond. neg. min: Quia S. Paulus vocat fidem argumentum, seu convictionem & manifestationem eorum, quæ non videntur, & quia per eam ignota manifestantur, argumentum dicitur, idque impropriè tantùm, sicut etiam impropriè dicitur *substantia*.

INSTA-

Digitized by Google

INSTATUR: Fides humana est propriè argumentum, est discursus, ergo etiam divina. probatur antec: experientiâ, quia quando audimus & credimus Petro narranti, primò examinamus, an sit verax, an sit credibile, quod dicit, & tandem adhibemus dicenti fidem, ergo. Respond. neg: antec: Quia si in fide humana præmittantur tales præmissæ, non est amplius actus fidei sed opinionis, si autem credimus Petro aliquid dicenti, sine ullo discursu facimus per simplicem actum terminatum ad rem, & ad dictionem Petri, & sicut fides humana tendit unico simplici actu in utrumque, sic etiam fides divina, quemadmodum potentia visiva unico actu tendit in colorem & lucem, licèt lux sit ratio videndi colorem, sic fides in rem revelatam & revelationem, licèt revelatio sit ratio assentiendi rei revelatæ.

3. Assensus ex discursu est tantùm fides objectiva non actus fidei formalis.

ARGUITUR ex ratione: Ille assensus est discursus, qui elicitur actu distincto propter alium, sed in dato syllogismo uno actu majoris credimus verum esse illud, quod DEUS revelavit, deinde credimus DEUM revelàsse, tandem propter utrumque credimus rem revelatam ergo ille est discursus, est etiam de fide quod credimus, ergo fides est discursiva. Respond. totum syllogismum verum esse usque ad illud, quod in consequenti additur, scilicet quòd etiam sit de fide, si velit arguens intelligere esse actum fidei formalem, secus si velit dicere, quòd sit fides objectiva, talis quidem est, in quantum de se simpliciter consideratur, non verò in quantum innititur bonitati illationis, adeóque assensus ille non est actus fidei.

INSTATUR: Ille actus est propter authoritatem DEI revelantis, sed qui fit ob hanc est assensus fidei, ergo etiam iste. Respond. neg. mai: Quia per illum actum authoritas divina non attingitur, sed est propter identitatem objecti sui, non cum revelatione, sed cum objecto à DEO revelato in forma syllogistica deductam; Quòd verò objectum illud afficiatur divino testimonio seu revelatione. Non sufficit, ut assensus ille dicatur esse propter revelationem, sicut in aliis naturalibus syllogismis constat, v. g. in hoc: *Omne quod est risibile est rationale, Petrus est risibilis, ergo Petrus est rationalis*, in quo licèt *risibile* sit identificatum cum rationali, sicut revelatio est identificata cum aliquo revelato, *risibile* tamen non est ratio, cur assentiam huic conclusioni, *ergo Petrus est rationalis*, sed ratio assentiendi est identitas Petri cum aliquo risibili.

URGETUR: Talis actus sufficeret ad salutem, si objectum esset credibile necessitate medii, ergo esset fidei. Resp. 1. si ad salutem sufficit habere aliquem actum supernaturalem, licèt non sit rigorosè fides, quòd talis actus sufficeret ad salutem, quia suppono quòd fiat in gratia, quæ tunc requiritur, si verò requiritur actus Fidei rigorosus talis actus absolutè non sufficit. Respond. 2. Quòd quando talis casus contingit, tunc semper actum elici propter motivum formale fidei, licèt primò proponatur in forma syllogistica postmodum quasi per repetitionem immediatè terminatur ad revelationem. Supposito itaque assensum hunc non esse fidei

Progredior nunc ad examinandam propositionem objectivam, an saltem ipsa quando per syllogismum deducitur sit propositio & materia circa quam actus fidei haberi possit, si ei assentiatur propter motivum formale fidei, & hoc non ex eo quasi præmissæ aut syllogistica dispositio faceret eam esse de fide, sed quia enucleatè rem evolvendo propter connexionem ostendunt clarè aliquam propositionem contineri in alia, adeóque sicut illa altera ita etiam ista sit materia fidei, pro quo

4. Propositio alia est formaliter revelata alia virtualiter.

NOTANDUM: Propositionem aliquam posse esse dupliciter revelatam, *Formaliter* nempe & *virtualiter* uti jam supra dixi, & adhuc iteratò explico: Formaliter tunc dicitur aliqua esse revelata, quando vel res immediatè in se & directè revelatur, ut quod DEUS creavit cœlum & terram: quòd ab initio rectum fecerit hominem: quòd Eva comederit fructum ligni vetiti. &c. vel quando aliquid immediatè & directè quidem revelatur, sed quia in aliquo universali, ideo omnia singularia sub eo contenta dicuntur immediatè revelari & formaliter, sed confusè, sic *Omnis homo* significat immediatè Petrum & Paulum, etiamsi per illum communem conceptum clarè & distinctè non repræsentetur, sed generaliter & confusè. *Virtualiter* tunc dicitur esse propositio revelata, quando subjectum ejus non est quidem immediatè & directè propositum, sed vel physicè, vel metaphysicè necessariò consequitur aliud subjectum, quod est immediatè revelatum, exempli gratiâ: fuit revelatum, quòd Joannes baptista sit homo: *Fuit homo missus à DEO* ait Evangelista, naturæ autem humanæ proprietas est risibilitas, sic si quis diceret: *Joannes baptista fuit risibilis*, hæc propositio non est immediatè & formaliter revelata, sed tantùm virtualiter. De utrisque est difficultas, an quando talis propositio infertur in conclusione, ubi aliqua præmissa est immediatè revelata sed obscurè, vel virtualiter tantùm, & altera naturalis, conclusio exinde deducta sit de fide, non quidem in quantum reduplicativè consideratur qua deducta, quia sic communiter dicitur non esse de fide, quia non innititur totaliter principio formali fidei, sed simul formæ syllogisticæ,

Digitized by Google

stica, sed in quantum de se simpliciter consideratur. Quare

5. Propositio contenta in formaliter revelata non est materia fidei.

DICO 2. *Quando aliquid revelatur immediatè & formaliter, non censetur etiam esse revelatum quidquid cum ipso est identificatum, ac proinde illud alterum non est materia fidei proprie loquendo.* Est in re communis, & Probatur: Si ad revelationem alicujus objecti omne illi identificatum esset quoque revelatum, sequeretur primò, quòd sicut DEUS immediatè se in antiquo testamento revelavit esse DEUM, etiam immediatè esset revelatum, quòd esset trinus in personis, & sicut credere debuerunt esse DEUM, ita etiam debuissent credere esse trinum, quod est contra communem sensum Theologorum, imo sequeretur, quòd quando se revelavit Num. 23. *Non est DEUS quasi homo ut mentiatur*, ad Rom. 3. *Est autem DEUS verax*, quòd etiam revelâsset se tunc, quòd sit immensus, & ubique, cùm immensitas & ubiquitas sint ipsi identificata, & sic quoque ad propositionem Parochi, quòd DEUS sit verax, deberet etiam credere quòd sit ubique quod nemo dicit.

DICES: Non magis identificatur animal rationale homini, quàm veracitas immensitati, ergo sequitur, quòd licèt revelatum sit quòd Christus sit homo, non esse tamen revelatum, quòd sit animal rationale. Respond. negando consequ. quia to *homo* & ly *animal rationale* non sunt duo conceptus formaliter distincti, sicuti sunt veracitas, & immensitas, sed est idem formalissimè conceptus objectivus, quamvis aliter explicentur, alioquin etiam sequeretur, quòd si DEUS revelaret aliquem esse animal rationale, quòd non revelaretur eum esse hominem.

INSTABIS: Animal rationale est definitio hominis, ergo si ex eo quòd revelatur aliquem esse hominem revelatur quòd sit animal, sequitur esse revelatum hanc esse veram definitionem hominis. Resp. dist. conseq. sequeretur revelatum esse hanc esse definitionem hominis in se & specificativè, ac in actu exercito, conc. consequ: reduplicativè dicendo hanc esse definitionem hominis, & in actu signato, neg. consequ. quia licèt reveletur utrumque eo ipso in se, nihilominus non dicitur hæc est vera definitio hominis habens omnia requisita ad veram definitionem, sicut etiam quando revelatur, quòd res aliqua sit in loco per ubicationem, sequitur, quòd habeat ubicationem, quidquid illud sit, ita, quòd si quis neget illam ubicationem esse distinctam, non propterea esset hæreticus.

URGEBIS. Sequeretur, quòd qui revelaret Joannem Baptistam esse hominem etiam revelaret eum esse risibilem, quia risibilitas non est realiter distincta, sed identificatur sicut animal rationale. Resp. 1. neg. sequelam cum sua probatione, quia animal rationale & homo planè idem sunt, risibilitas autem formaliter à natura distincta. Resp. 2. distin. sequ. sequeretur esse revelatum eum esse risibilem virtualiter, conc. formaliter, nego, tò enim *homo* ex natura & institutione sua non plus importat quàm naturam humanam secundùm se præcisè.

6. Propositio deducta ex una formaliter revelata est materia fidei.

DICO 3. *Conclusio objectiva deducta ex una formaliter revelata, licèt obscurè & generatim est propositio & materia fidei* Probatur Quia terminus communis per se, & directè, ac immediatè revelatus dicit ex vi significationis suæ formaliter & directè omnia, & singula individua, aut species sub illo contentas, ergo sicut ipse est materia fidei, ita etiam erit quæcunque propositio & conclusio deducta & ostensa sub illo contineri. Probatur consequ. quia certum est quemcunque hominem & leonem esse creaturam DEI, ex eo quòd animal sit creatum à DEO, sed leonem esse creatum non est revelatum, nisi ex eo quòd omne animal sit creatum, &c. ergo

Probatur 2. In probabili sententia Universale non est aliud quàm omnia individua simul sumpta, ergo si universalis hæc propositio: omne animal est creatum à DEO, etiam erit de fide leonem, canem, catum, hominem &c. esse creata à DEO, quia omnia recensita non sunt aliud quàm omne animal. Unde non videtur, quòd sit alia & alia propositio objectiva, sed solummodo alia penes diversitatem & alicitatem terminorum. Et quod de hanc propositione dico, sentio de omnibus aliis communibus, ùt: Omnes in Adam peccaverunt, Omne Concilium legitimè congregatum est infallibilis authoritatis &c. sequitur enim benè: Ex omnibus est aliquis Petrus, ergo peccavit in Adàm, Concilium Tridentinum est legitimè congregatũ, ergo infallibilis authoritatis. Quòd si autem quæras quàm evidens debeat esse altera præmissa cum altera fidei. Resp. quòd quamvis efficaciòr sit, si esset evidenter & physicè vel metaphysicè certa, nihilominus sufficit etiam moralis certitudo, quia dicunt Authores requirentes evidentiam physicam, quòd infans baptizatus sit in gratia seu acquirat gratiam ex eo, quòd omne Sacramentum sit causativum gratiæ in subjecto non habente obicem, ubi tamen non est nisi moraliter certus baptizans, quòd Sacramentum administraverit baptismi, primò enim nescit, an hic infans sit homo, an aqua illa sit naturalis, cùm per illusionem dæmonis etiam habita aqua naturali possit aliam substituere, & sensum fallere. Deinde omnia motiva fidei non habent majorem certitudinem quàm moralem de articulis revelatis, ergo neque requiritur major certitudo pro illa altera præmissa naturali. Denique Concilium Tridentinum esse infallibilis authoritatis probatur ex eo, quod omne

Digitized by Google

legitimè congregatum sit infallibilis authoritatis, & altera quòd hoc Concilium fuerit legitimè congregatum, quod tamen non nisi moraliter constat.

7. Propositio deducta ex naturali una & altera fidei in qua non nisi virtualiter continetur, non est de fide.

DICO 4. *Propositio objectiva deducta ex naturali, & fidei in qua non nisi virtualiter revelata est, eò quòd cum ipsa physicè aut metaphysicè connectatur, non est de fide.* Ita Suarez, Coning, Valentia, Molina &c. Probatur. Quia nihil est fide divina credibile nisi quod à DEO revelatur sic credendum, sed illud quod ex uno revelato sic tantùm deducitur, non est ipsummet revelatum, ergo. probatur min. quia ex eo quòd esset revelatum, DEUM esse infinitum ens & infinitè sapiens, non sequitur statim, quòd etiam esset immensus & ubique, ergo nec ex eo quòd sit revelatum aliquem esse hominem, censetur etiam revelatum hominem esse risibilem, & quod de risibilitate dixi, dicendum est de quibuscunque aliis proprietatibus metaphysicis, quæ non revelantur nisi remotè, videlicet in radice & in causa, quare quando ex una fidei & altera naturali deducuntur, nec sunt fidei propriè nec purè naturales, sed mixtæ & Theologicæ. Sed in contra

ARGUITUR: Hinc sequeretur, quòd negans hanc conclusionem objectivam, *Ergo Christus est risibilis*, non esset hæreticus, quia illa conclusio deducitur ex naturali, quòd homo sit risibilis, & ex alia de fide, in qua virtualiter continetur revelata risibilitas, sed hoc durum videtur, ergo. Respond. distin. sequel. non esset hæreticus si illam simpliciter negaret, quatenus esset ex naturali sequens, conc. si negaret eum taliter, ut censeretur potius velle negare præmissam fidei obscuram, nego. Itaque re vera talis non esset hæreticus, si solùm negaret conclusionem, attamen videtur talis potius velle negare præmissam, ideo præsumitur veluti hæreticus.

INSTATUR: Qui negaret hanc conclusionem negaret eam propter revelationem, sed qui negat propter revelationem DEI est hæreticus, ergo. probatur maj: quia illa conclusio, quod *Christus sit risibilis* creditur ideo, quia est homo, & quòd homo sit creditur, quia revelatum est, ergo qui eam negaret, negaret propter revelationem. Respond. neg. maj. cujus probationem dist: Creditur *Christus risibilis* propter revelationem solam, neg. propter revelationem & aliquid aliud simul, nempe propter naturalem, quòd *homo sit* risibilis, conc. antec. & neg. consequ. Itaque ut dicatur aliquis propositionem negare propter revelationem debet totaliter & adæquatè niti testimonio divino & DEI revelationi, ille proinde negaret tantùm conclusionem mixtam & theologicam.

URGETUR: Christus sine risibilitate esset chymera & non homo, ergo qui ipsum crederet hominem sine risibili diceret ipsam chymæram & non hominem, sed qui negaret eum hominem esset hæreticus, ergo etiam qui negaret eum risibilem. Respond. concesso antec. dist. consequ: diceret ipsum chymæram & non hominem, si positivè ab eo excluderet risibilitatem, dicendo eam non habere Christum, transeat: si præcisivè & abstrahendo affirmando solam humanitatem Christi, nego. Itaque quemadmodum Judæi crediderunt DEUM sine eo quòd crederent esse trinum in personis non faciebant chymæram, licèt implicet esse DEUM sine personis, magis quàm hominem sine risibili, sic dum quis credit hominem sine risibili non facit chymæram, quia præscindit ab ea. Et licèt risibilitas directè sequatur ad humanitatem, non tamen omne quod ad aliud sequitur censetur esse immediatè, & formaliter revelatum. Sed

DICES: Omnia, quæ amantur propter DEUM sive mediatè sive immediatè, amantur ex charitate, ergo etiam omnia quæ creduntur propter testimonium DEI, sive mediatè sive immediatè creduntur ex fide. Respond. neg. consequ: disparitas est, quia objecta amoris sive mediata sive immediata semper fiunt propter totum & adæquatum amoris motivum, nempe divinam bonitatem, quæ verò mediatè creduntur non fiunt tantùm propter motivum fidei, sed etiam propter naturalem connexionem.

QUÆRES. An actus fidei sit supernaturalis in substantia? Habitus esse, patet ex dictis, de actibus Respond. Apud omnes certum esse, actum fidei esse supernaturalem, difficultas tamen inter utramque scholam, An supernaturalis in substantia, an in modo sit? Et mihi videtur difficultatem etiam tantùm esse de modo loquendi, si enim ad actum supernaturalem in substantia sufficit, quòd procedat à principio supernaturali, negandum non est, eum esse in substantia supernaturalem; si verò ad supernaturalitatem in substantia requiritur, quòd connaturaliter produci nequeat similis actus nisi concursu causæ supernaturalis, prout Scholastici communiter volunt, sic dicendum est, non esse supernaturalem in substantia sed in modo, sicuti restitutio visûs cæco à nativitate, refusitatio mortui, dicuntur supernaturales in modo, ex eo quòd naturæ viribus visus haberi possit à potentia visiva, unde actus supernaturalis in substantia dicitur is, qui non tantùm excedit naturæ vires in modo quo producitur, sed etiam in ipsa entitate, supernaturalis in modo verò, qui secundùm entitatem suam non excedit quidem naturæ facultatem, bene tamen in modo quo producitur, hinc *lumen gloriæ*,

gloriæ, habitus fidei, Spei, & charitatis, & visio supernaturalis simpliciter supernaturales in substantia dicuntur, quia nunquam viribus naturæ nec in modo, nec in entitate haberi possint, restitutio visûs, resuscitatio mortui, in modo, quia hæc in entitate naturæ vires non excedunt, bene tamen in modo, quo producuntur. Et idem sentiendum puto de actibus virtutum theologicarum, unde

3. Fidei actus non est supernaturalis in substantia.

DICO 5. *Actus fidei non est supernaturalis in substantia, sed in modo.* Ita Occam, Gabriel, Durandus &c. Mastrius &c. Probatur 1. Quia SS. Patres ordinariè discrimen ponunt inter actus patriæ & viæ supernaturales, istud videlicet, quòd patriæ nunquam viribus naturæ haberi possint bene tamen viæ, ad quos licèt requirant etiam auxilium supernaturale actuale vel habituale, attamen semper limitant & modificant hoc, scilicet quòd non sine gratia possint haberi *sicut oportet ad hoc ut ei justificationis gratia conferatur.* Ut loquitur Trident. sess. 6. can. 3. sed actus, qui absolutè haberi possunt viribus naturæ, sunt supernaturales in modo, quando habentur per auxilium supernaturale, ergo etiam actus fidei, cùm Concilium dicat, quòd tantùm sine gratia non possimus credere *sicut oportet*, satis insinuans, quòd absolutè quidem credere possimus, sed non *sicut oportet*, ubi etiam to *sicut oportet* non significat, quòd non possimus sine gratia credere tam firmiter sicut oportet, aut tam faciliter: Tum, Quia statim subditur: *ut ei justificationis gratia conferatur*: Tum, Quia naturaliter credit aliquis tam firmiter, ac supernaturaliter alter: Tum, Quia habitus isti non dantur ad faciliter & firmiter operandum sed ad simpliciter operandum, ut per to *sicut oportet* putem intelligendam infallibilitatem, quia sine gratia revelatis infallibiliter credere non possumus sine fide supernaturali.

Probatur 2. Si actus fidei esset supernaturalis in substantia etiam esset actus charitatis, sed actus charitatis non est supernaturalis in substantia, ergo. probatur min. si actus charitatis esset supernaturalis in substantia, deberet nunquam actus aliquis charitatis elici posse nisi à charitate, quod si verum esset, sequeretur, quòd aliquis posset naturaliter cognoscere se esse in gratia contra scripturam *cum nemo sciat, an odio vel amore dignus sit* quia posset cognoscere, se nunc & de facto firmiter credere & fortiter diligere, quod inconvenientissimum est, ergo. Quare licèt multi Sancti viri specialissimos actus amoris elicuerint, ut S. Franciscus, Petrus &c. qui videbantur evidenter potuisse se esse in gratia, hoc tamen revera non cognoverunt evidenter sed tantùm moraliter.

9. Fidei actus supernaturales & naturales non differunt ex parte objecti formalis.

QUÆRES 2. An actus supernaturales & actus naturales fidei semper differant, ex parte objecti formalis, ita ut non possit æqualiter ab eodem moveri? Resp. negativè; Primò: quia alioquin posset quis cognoscere, an sit in gratia vel non. Secundò, Quia mihi potest proponi DEUS trinus & unus; visio beatifica &c. quæ possum apprehendere, naturaliter; & accedente motivo formali illa credere, sicut potest quis DEUM amare ex eo quòd sit summa bonitas propter hanc rationem, licèt nullus adesset habitus. Tertiò: potuisset homo in puris naturalibus creari, & in eo casu proponi unio hypostatica, quam eò quòd DEUS revelavit, crederet naturaliter, qui, si ipsi gratia infunderetur, crederet postea supernaturali actu, ergo non necessariò differunt ex parte objecti formalis. Et hoc defacto patet in lapsis à fide, qui recedentes negant Ecclesiam, negant virginitatem Mariæ, Sacramenta, credunt tamen Incarnationem propter revelationem divinam sicut ante, & ante supernaturaliter, modò naturaliter, ergo. Quartò: Quia objecta formalia non sunt causæ adæquatæ specificativæ actuum, sed tantùm inadæquatæ, ergo.

14. Affectio pia ad credendum non est supernaturalis in substantia.

QUÆRES 3. An habitus causans imperium voluntatis & piam affectionem ad credendum sit supernaturalis in substantia, sicut etiam ipsa pia affectio? Respond. negativè: Tum, Quia nulla est ratio id asserendi, Tum, Quia ille affectus à pura voluntate potest procedere, consequenter non erit supernaturalis in substantia etiam quando procedit à gratia actuali vel habituali, sufficit ergo quòd pia affectio sit supernaturalis in modo, quando adest gratia. Et à fortiori patet, species concurrentes loco objectorum non esse supernaturales.

DISPUTATIO V.
De Mysteriis credendis.

IN superioribus Disputationibus fuit demonstrata fidei necessitas, tam quoad actum, quàm quoad habitum, eorùmque natura & qualitas, restat proinde resolvere & declarare, quænam mysteria, quæque objecta materialia sint creditu necessaria ad salutem, qualia sunt DEUS ut existens, DEUS ut remunerans, DEUS salvans, redimens &c. & hoc tam quoad fidem implicitam, quàm explicitam pro quo sit

Quæſtio I.

Quæ olim, & modò fuerint & ſint neceſſariò credenda neceſſitate medii?

1. Fides alia implicita alia explicita.

NOn omnia eſſe æqualiter credenda certiſſimum eſt, alioquin pauci ſalutem conſequerentur æternam, cùm pauci ſint, quibus omnia credibilia nota ſint: Nota autem quæſtionem verſari tam circa eos, qui fuerunt in ſtatu legis naturæ, ſcriptæ, & gratiæ Nota iterum, fidem aliam eſſe explicitam, aliam implicitam; hæc vel eſt implicita ſicut actus in potentia, vel habitu, vel implicita ſicut particulare in univerſali. Item implicitè poteſt quis adhuc credere ex parte intellectûs, & ex parte voluntatis, ex parte intellectûs eſt, quando credimus articulum univerſalem crediturî etiam particularem ſi proponeretur: ex parte voluntatis eſt, quando ſumus ita diſpoſiti & parati, ut velimus credere, quod credunt ſapientiores explicitè.

2. Symbolum continet principaliſſima ereditu neceſſaria.

NOTANDUM 3. Principaliſſima, quæ credi poſſunt & debent, contineri in ſymbolis Apoſtolorum, Nicæno, & Athanaſii; articuli in ſymbolo Apoſtolorum ſunt quatuordecim, quorum ſeptem reſpiciunt DEUM ſecundùm ſe præcisè, alii DEUM ratione naturæ humanæ aſſumptæ; qui DEUM ſecundùm ſe reſpiciunt, ſunt. 1. Credo in unum DEUM. 2. Patrem omnipotentem. 3. Filium ejus JESUM Chriſtum. 4. & in Spiritum Sanctum, & hi reſpiciunt DEI eſſentiam; poſtea ſunt tres, qui reſpiciunt DEUM ut efficientem, nempe 5. Creatorem Cœli & terræ. 6. ſanctam Eccleſiam Catholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, cujus ſenſus eſt, quòd nempe DEUS ſanctificet ſuam Eccleſiam, in qua eſt Sanctorum communio & remiſſio peccatorum; & tandem 7. Carnis reſurrectionem & vitam æternam finaliter nobis concedendam, quod ſi vis hos disjungere, tunc pone Creatorem cœli & terræ ad primum, & manebunt ſeptem ſicut modò. Septem reſpiciunt DEUM ratione naturæ humanæ, ſuntque iſti 1. Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto. 2. Natus ex Maria Virgine. 3. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus & ſepultus. 4. Deſcendit ad inferos. 5. tertia die reſurrexit à mortuis. 6. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram DEI Patris omnipotentis. 7. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. His prænotatis

3. DEUS debet credi ſub aliquo conceptu ſub proprio.

DICO 1. *Omnibus quibus neceſſaria eſt fides actualis explicita, neceſſe eſt & ſemper fuit credere in unum DEUM ſecundùm aliquam rationem & conceptum ei proprium.* Hæc eſt communis & patet: Tum, Quia nulla potius fides dicenda eſt neceſſaria neceſſitate medii, quàm iſta: Tum, Quia nulla alia fides haberi poteſt ſine iſta, cùm omnis fides divina debeat eſſe propter revelationem, & veracitatem divinam: Tum denique, Quia *accedentem ad DEUM oportet credere quia eſt.* ad Hebræos 11. Probant alii eandem veritatem Joann. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum DEUM verum*, ego autem hunc locum non cenſeo eſſe efficacem, nam ſtatim additur, & quem miſiſti JESUM Chriſtum; ubi Joannes eodem modo probare videtur neceſſitatem cognitionis Incarnationis, & tamen fides Chriſti explicita non fuit omnibus ſemper neceſſaria neceſſitate medii, ut poſtea docebo cum iisdem Authoribus, qui minus conſequenter utuntur illa authoritate ad probandam præſentem veritatem, ſenſus ergo iſtius loci eſt, quòd felicitas ſumma hominis in hac vita ſit DEUM Patrem & Chriſtum cognoſcere & amare, neque ibi eſt ſermo de fide, eſto ad illam applicari fortè poſſet, at non ita, ut ſit ea explicatio literalis, ideóque faciat certitudinem fidei.

QUÆRES; Quomodo nos poſſimus fidem de veri DEI exiſtentia habere, cùm eò ipſo, quòd ignoretur aliquod DEI attributum, jam videatur totus DEUS ignorari, nam juxta Ariſtotelem *In rebus ſimplicibus ignorare aliquid, eſt ignorare totum*, ergo cùm pauci, aut fortè nullus ſit inter catholicos, qui in aliquo DEI conceptu non erret, nullus erit, qui veram habeat fidem de DEO. Reſpond. eſto DEUS ſit omnino ſimplex realiter, habet tamen vel formaliter, vel ratione noſtra, aut virtualiter diverſos conceptus, habet & quidem aliquos, per quos adæquatè diſtinguitur à creaturis, ut eſſe Ensà ſe, infinitum, omnipotens, unum principium creaturarum, &c. quos qui noſcit & credit, etiamſi circa alios conceptus invincibiliter erret, dicetur tamen abſolutè noſcere DEUM. Dixi ſi invincibiliter erret, quia error vincibilis ſaperet aliquid de hæreſi.

ARGUITUR: Multi cognoſcunt evidenter DEUM eſſe, ergo tales de eo myſterio non poſſunt habere fidem, cùm fides & evidentia de eodem objecto materiali non cohæreant. Hoc argumentum anguſtiat Thomiſtas & Scotiſtas aliquos qui negant poſſe fidem & ſcientiam de eodem objecto eſſe ſimul, & quidem aliqui eo devenerunt, ut dicerent de talibus myſteriis non eſſe neceſſariam fidem. Sed quia id maximè adverſatur Paulo ſuprà, & rationi ob quam fides requiritur, ideo alii Reſpondent, hominem doctum non habere de DEO evidentiam tunc temporis, quando habet de eodem fidem. Sed contra eſt, quod difficulter poſſit explicari, quomodo in tali homine ſpecies evidentes DEI, quas habet ex longo uſu, non excitentur, quando cogitat per fidem de DEO. Reſpond. ergo, negando, illos duos actus non poſſe cohærere circa idem

mate-

Digitized by Google

materiale objectum, sub duobus formalibus motivis diversis, ita videlicet, ut unum simpliciter determinet intellectum, & alterum voluntatem; aut etiam successivè, eos habendo; vel in præparatione cordis, imò aliqui Scotistæ simpliciter tenent posse istos duos actus simul stare cùm nulla hujus rei vel probabilis repugnantia appareat.

DICES: Saltem contra Scotum est sic sentire, cùm in 3. dist. 24. n. 13. dicat, impossibile est simul stare scientiam & fidem. Fateor multos Scotistas sic eum interpretari, sed patet ex contextu, quòd non fuerit locutus ex propria mente, sed de mente Philosophi, nec de scientia à posteriori & ab effectibus desumpta, quæ non est propriè & strictè dicta scientia, sed de scientia, quæ generatur ex per se notis, & per proprias ac intrinsecas causas, item quæ juxta Philosophum expelleret omnem dubitationem, incertitudinem, & inevidentiam actualem à suo subjecto circa suum objectum materiale. Scientia autem quæ de DEO, pro hoc statu est, non generat perfectam evidentiam de ipso, cùm ejus propria natura ex se & secundùm intrinseca considerata non pateat evidenter, utpote quæ per proprias species non cognoscitur.

2. DEUS debet credi ut Remunerator est.

DICO 2. *Pro quocunque statu fuit etiam, & est necessarium credere necessitate medii, quòd DEUS remunerator sit, id est, quòd bene viventibus daturus sit vitam æternam, & malè æternam pœnam.* Est etiam communis & D. Pauli, loco allegato Et Probatur: Tum ex declaratione Innocentii XI. qui hanc propositionem damnat: *Non nisi fides unius DEI videtur necessaria necessitate medii non autem explicita Remuneratoris*: Tum Quia credere DEUM remuneratorem est credere secundùm affectum voluntatis, quam DEUS maximè attrahit per promissionem bonorum, & comminationem malorum, nam Eccles. 1. dicitur *Initium sapientiæ timor Domini. . . Radix sapientiæ est timere DEUM.* & cap. 25. *Timor DEI initium dilectionis ejus.* Quia valde difficile est, statim DEUM perfectè diligere, nisi prius ascensus fiat ab imperfectioribus gradibus secundùm timorem de amittendis tam magnis & solemnibus bonis, & incurrendis tam crudelibus malis, quare has eas dem conditiones ponit Concilium Tridentinum ad hoc ut peccatores sese disponant ad justificationem, fidem remunerantis DEI & graviter punientis peccata. Sed

DICES: Peccator credens DEUM summum bonum eo ipso posset amare ipsum super omnia supernaturaliter, & ex ipso amore dolere de peccatis, sed si moreretur, antequam proponeretur illi, quòd DEUS sit daturus vitam æternam diligentibus se, & pœnam peccantibus, & in peccatis perseverantibus salvaretur, ergo fides DEI remunerantis non est necessaria ad salutem consequendam. Respond. quòd si possibilis est casus, de quo maxima est difficultas, illum habiturum fidem remunerantis DEI in voto, aut etiam implicitè, attamen casus iste videtur impossibilis moraliter, nam quòd peccator doleat de peccatis, videtur manifestè includere conceptum talem, quòd DEUS ob illa sic offendatur homini, ut propter ea velit eum excludere à gloria sua, & damnare ad supplicia. Quod si tamen esset possibilis, certum est, quòd sit futurus rarissimus, unde conclusio intelligenda est regulariter. Hinc

3. Animæ immortalitas semper fuit necessaria creditu.

DICO 3. *Pro omni statu & tempore fuit necessarium credere animæ immortalitatem.* Probatur: Quia semper debuit DEUS credi tanquam remunerator bonorum & punitor malorum, sed hoc non potest credi, nisi credatur, & vita æterna, & pœna. Deinde fides est *substantia sperandarum rerum*, sed sperare non potest res illas æternas, qui non credit se victurum in æternum, aut qui credit animam cum corpore desituram.

4. DEUM peccantibus fieri placabilem necessarium est credere.

DICO 4. *Pro omni statu lapsæ naturæ debuit etiam necessitate medii credi DEUM peccantibus fieri per pœnitentiam placabilem.* Ita Aretinus. Probatur: Quia alioquin non possent homines se ad DEUM convertere, si nescirent, quòd ipse esset, qui peccata dimittit, & veniam præbet. Deinde Lucæ 27. dicitur: *Oportebat Christum pati & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.*

7. Fides Mediatoris DEI & hominum semper fuit necessarium necessitate medii.

DICO 5. *Post lapsum Adæ semper fuit necessaria necessitate medii fides alicujus Mediatoris, qui redimeret genus humanum à peccatis, licèt non æqualiter omnibus.* Probatur 1. ex Scriptura nam Apostolus per totam Epistolam ad Romanos nihil aliud conatur ostendere, quàm quòd nemo possit justificari nisi per fidem in Christum, ac proinde nec cognitionem naturalem, nec legem Mosaicam sufficere ad salutem & justificationem, ex quo sic argumentor: Hæc fides in Christum, quæ juxta Apostolum est necessaria ad salutem, debet explicitè versari circa aliquid quod est in Christo, ergo vel circa munus redemptionis, vel circa divinitatem, vel circa mortem & passionem ejus, sed non debet versari circa divinitatem, mortem & passionem ejus, ergo circa munus redemptionis & mediationis.

Probatur 2. ex D. Augustino epist 89. ad Hieron. & alibi ubi expressè docet, justos veteris testamenti non fuisse liberatos nisi per eandem fidem, per quam & nos liberamur ju ta illud Actorum 15. *Per gratiam Domini nostri JESU Christi credimus salvari sicut & illi.* Audi illum lib. 18. de Civit. cap. 47. ubi hæc habet: *Quòd nemini concessum fuisse credendum est,*

mum eſt, alioquin Aſina Baalam prophetadici potuiſſet, ſi intelligentia non requireretur. Deinde Enoch cognovit & explicitè credidit, ut dicitur in epiſt: Judæ, ubi ait: *Prophetavit de his ſeptimus ab Adam Enoch, Ecce Dominus veniet in ſanctis millibus ſuis facere judicium & arguere omnes,* ergo ſi Chriſtum prophetavit judicaturum, Chriſtum explicitè cognoſcere debuit venturum.

8. Fides Chriſti ſub conceptu DEI & hominis in antiqua lege non erat neceſſaria neceſſitate medii.

DICO 6. *Fides explicita Chriſti ſub conceptu unius, qui eſſet DEUS & homo, quique ex ſua paſſione & morte redimeret genus humanum non erat in veteri teſtamento neceſſaria neceſſitate medii.* Ita Magiſter in 3. ſent. quam plures SS. Patres etiam tenere videntur. Probatur 1. Si fides explicita horum myſteriorum fuiſſet neceſſaria, fuiſſent etiam revelata, ita quòd omnibus fidelibus fuiſſent nota, ſed nec Judæis, nec aliis fidelibus ſub his conceptibus fuerunt nota, ergo. Probatur 2. Quia ex Evangelio patet, quòd non habuerint conceptum de Meſchiæ paſſione & morte, dicebant enim: *Nos audivimus, quia Chriſtus manet in æternum*, hinc ſcandalizabantur in eo, imò nec Apoſtoli capiebant hoc myſterium ſufficienter, antequam eis Spiritus Sanctus datus eſſet, & antequam eis aperiret ſenſum ſcripturarum, quòd ſic oportuerit pati Chriſtum. Probatur 3. Ex S. Bernardo tract. ad Hugonem ſupra relato.

OPPONITUR Authoritas S. Auguſtini lib. de peccato originali cap. 24. ubi ſic ait: *Sine fide ergo Incarnationis & mortis & reſurrectionis Chriſti, nec antiquos juſtos, ut juſti eſſent, à peccatis potuiſſe mundari, & DEI gratiâ juſtificari, veritas Chriſtiana non dubitat.* ergo debuerunt habere explicitam fidem illorum. Reſpond. negando conſequ. quia S. Auguſtinus loquitur de fide implicita ſub ratione Mediatoris alicujus, qui eſſet redempturus genus humanum, aut ſi vellet habere explicitam, dico eam ſolum requiſiviſſe in majoribus. Quare ultra

9. Trinitatis myſterium ſeniores & doctiores tenebantur olim explicitè credere.

DICO 7. *In ſtatu naturæ & legis ſcriptæ, Majores Eccleſiæ tenebantur credere explicitè myſterium Trinitatis, Minores autem implicitè in fide Majorum.* Ita Aretinus. Probatur cum eo prima pars. Quia non poteſt myſterium incarnationis explicitè credi, niſi etiam credatur explicitè Trinitas, quia Incarnatio conſiſtit in hoc, quòd Filius DEI Patris aſſumpſerit naturam humanam, & per gratiam Spiritus Sancti renovaverit mundum, quòdque ex Spiritu Sancto conceptus fuerit, ſed in ſtatu legis naturæ, & ſcriptæ Majores tenebantur credere myſterium Incarnationis, ergo. Ex quo patet etiam 2. pars. Quia Minores tenebantur implicitè credere incarnationem, ergo etiam implicitè Trinitatem.

DICO 8. *Poſt Evangelii promulgationem neceſſarium eſt neceſſitate medii credere explicitè omnibus myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis.* Ita Aretinus &c. Probatur: Tum, Quia fides hujus myſterii pertinet ad fundamentum ſalutis, ut patet ex illo Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritûs Sancti.* Tum, Quia eſt principale objectum expreſsè revelatum: Tum, Quia ſine hoc myſterio non poteſt Chriſtus cognoſci, cùm ſit Filius Patris, & ſanctificatus Spiritu Sancto, unde dicit S. Irenæus lib. 3. cap. 2. *In Chriſti nomine ſubauditur, qui unxit, & ipſe qui unctus eſt, & ipſa unctio, unxit quidem Pater, unctus eſt Filius in Spiritu, qui eſt unctio.* intellige concluſionem hanc cum limitatione ſubſequentis.

10. Trinitatis myſterium nunc poſt Evangelium promulgatum tenentur omnes credere.

DICO 9. *Probabilius eſt ſacræque Scripturæ conformius poſt ſufficientem promulgationem explicitam fidem Chriſti ſub conceptibus Divinitatis, paſſionis & mortis ac reſurrectionis neceſſariam eſſe neceſſitate medii omnibus adultis juſtificationis gratiam conſequi volentibus.* Ita Scholaſtici antiquiores, D. Thomas, Scotus, Bonaventura, Alenſis, Riccardus, quòsque plures RR ſequuntur contra alios, qui docent etiam tempore legis gratiæ non eſſe neceſſariam fidem explicitam Chriſti, ſed ſufficere implicitam. Probatur 1. authoritate ſcripturæ Joann. 3. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam . . . qui non credit in eum, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii DEI.* ubi fides in Chriſtum comparatur cum morte & exaltatione ejus, ſed certum eſt, quòd præſentibus decretis ſtantibus nemo poſſit ſalvari niſi per mortem Chriſti, ergo etiam nemo niſi per fidem Chriſti explicitam. Secundò, Marci 16. *Prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*, ſed credere Evangelio non poſſunt, niſi credant etiam divinitatem ejus & mortem, unde ſicuti nemo infans ſalvatur defacto ſine baptiſmo, ita etiam nemo adultus juſtificari & ſalvari poteſt ſine fide explicita Chriſti, & quamvis ibi requirat Chriſtus, quòd etiam debeat baptizari, non tamen ita neceſſariò requirit ſicuti fidem, quia baptiſmus in voto ſufficit, ſi nequeat haberi in re, in voto autem habendo debet habere fidem explicitam Chriſti antecedenter, ut præclarè notat D. Bernardus tract. ad Hug. epiſt. 77. cap. 2. quod ſecundo loco non repetat: *qui verò non fuerit baptizatus, damnabitur* ſed tantùm *qui verò non crediderit, condemnabitur.* volens innuere magis neceſſariam eſſe fidem quàm baptiſmum. Accipe ejus verba: *Vide ne etiam ob hoc . . .*

11. Fides explicita Chriſti ſub conceptu divinitatis omnibus adultis nunc eſt neceſſaria neceſſitate medii.

cautè

eantè & vigilanter non repetierit, qui verò non baptizatus fuerit, ſed tantùm qui verò non crediderit condemnabitur: nimirum innuens ſolam interdum fidem ſufficere ad ſalutem, & ſine ipſa ſufficere nihil, ergo. Item Act. 4. dicitur: *Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* ubi to *oportet* neceſſitatem medii ſatis inſinuat, ut aliqui Patres exinde deducunt.

Probatur 2. ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 4. ubi docet translationem impii ad juſtitiam fieri non poſſe poſt Evangelium promulgatum *ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto.* Ex quo ſic argumentor: Poſt Evangelium promulgatum nemo poteſt juſtificari adultus ſine baptiſmo in re, vel in voto, ſed baptiſmus in re vel in voto nequit haberi ſine fide explicita Chriſti, ergo. probatur min: de baptiſmo in re, quia hic confertur ex eo, quòd Chriſtus ipſum inſtituerit, & in nomine ſuo cum nomine Patris & Spiritûs Sancti. Probatur etiam de baptiſmo in voto, quia ſi ſufficeret baptiſmus in voto ſine fide explicita Chriſti, ſatis erit, quòd baptiſmus contineatur in fide implicitè, ſicuti continebatur in fide antiquorum Patrum, & in figuris legis antiquæ, ſed certum eſt, quòd non ſic ſufficiat, quia alioquin non plus requireretur in lege gratiæ quàm in lege antiqua: Tum, Quia aliàs Concilium non tam aſſeveranter aſſereret *poſt promulgatum Evangelium*, quia per hoc exigit fidem ex promulgatione factam, fides autem ex promulgatione Evangelii eſt fides explicita. Imò cap. 6. ponit expreſsè ad juſtificationem neceſſariam fidem explicitam redemptionis per Chriſtum, videatur ibi.

Probatur 3. Ex Authoritate SS. Patrum Auguſtini lib. de prædeſt. Sanct. cap. 7. ubi de Cornelio agens, quem Scriptura commemorat placuiſſe DEO, ejúſque orationes ad DEUM aſcendiſſe, tamen juſtificatum planè non fuiſſe ſine fide explicita Chriſti, aut ſi jam fuit juſtificatus, ſalutem tamen ſine ea habere non potuit, ait enim S. Doctor: *Quia ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſalus, non ad eum ædificandum mitteretur Architectus Apoſtolus Petrus.* Et lib. de corrept. & grat. cap. 7. hæc habet: *Si enim ſicut veritas loquitur nemo liberatur à damnatione, quæ facta eſt per Adam, niſi per fidem JESU Chriſti, & tamen ab hac damnatione non ſe liberabunt, qui dicere potuerunt ſe non audiviſſe Evangelium:* intellige poſtquam jam & defacto eſt ſufficienter promulgatum.

DICES 1. Has omnes authoritates intelligendas eſſe de fide implicita Chriſti, non verò explicita. Sed contra 1. Ultimus locus D. Auguſtini nullatenus intelligi poteſt de fide implicita, quia dicit, quòd à damnatione non ſe liberabunt, qui dicent ſe non audiviſſe Evangelium. Contra 2. Quia alioquin ſequeretur, quòd Chriſtus non eſſet magis revelatus, quàm antiquis Patribus, qui de Chriſto implicitam ad minus fidem habuerunt. Deinde ſequeretur, quòd Judæus defacto, ſi haberet invincibilem ignorantiam Evangelii per ſolam fidem implicitam poſſet ſalvari credendo Meſchiam venturum cum animo parato credendi in eum, ſi ipſi ſufficienter promulgaretur, quod tamen eſt contra Scholaſticos.

INSTABIS: Si poſt promulgationem Evangelii requiritur magis explicita fides Chriſti quàm antè, ſequeretur juſtificationem noſtram eſſe difficiliorem quàm Patrum, cùm tamen dicatur lex gratiæ. Sed Reſpond. negando ſequelam, nam licèt ſint defacto plura neceſſaria, nihilominus ex hinc non eſt dicenda juſtificatio difficilior, quia etiam defacto eſt gratia copioſior & abundantior, & ſemper auxilium DEI paratum facientibus quod in ſe eſt, quod patet ex pluribus exemplis tum Scripturæ, ut de Cornelio, & Evnucho Reginæ Candacis, quibus miſit DEUS ſues prædicatores, qui inſtruerent & illuminarent. Tum de S. Catharina & Barbara, quæ etiam divinitus edoctæ fuerunt de fide explicita Chriſti.

DICES 2. Illa omnia teſtimonia intelligenda eſſe de via ordinaria & regulariter, cùm videlicet poteſt quis de fide explicita Chriſti inſtrui, quòd ſi non poſſet, ſufficiet implicita. Contra: ſic eodem modo poſſet dici quòd regulariter etiam requiratur fides explicita DEI & remuneratoris, ſi commodè eam poſſet habere adultus. Item quòd regulariter tantùm requiratur aliqua fides ſupernaturalis, quamvis etiam ſufficiat cognitio naturalis, abſque gratia & dono, ac auxilio ſupernaturali. Tandem dicatur etiam quòd tantùm regulariter requiratur prædeſtinatio &c. Et licèt non omnes proximè habeant occaſionem credendi explicitè in Chriſtum, habent tamen remotè, ſi facerent, quod in ſe eſſet, quia tunc DEUS proximè etiam illos illuminaret, ut ſupra docui. Ratio pro hac concluſione evidens & probans adferri nequit præter liberam DEI voluntatem, quæ ſic voluit & ordinavit, quòd in lege nova neminem velit ſalvare ſine fide in Chriſtum. Sed In contrarium

ARGUITUR: D. Paulus ad Hebræos 11. ad ſalutem aliud non requirit, quàm credere quòd DEUS ſit, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit, ergo poteſt quis ſalvari ſine fide explicita Chriſti, alioquin remedium ſalutis eſſet nimis arctatum, & plus quàm fuerit in antiquis. Reſpond. explicando S. Paulum, ad ſalutem aliud non requiritur &c. tanquam medium omnes ſemper & neceſſariò pro quacunque legis differentia

Digitized by Google

rentia obligans, conc. antec. tanquam medium ſe ſolo ſufficiens pro quocunque tempore, neg. antec. & conſequ. nec ob hoc remedium ſalutis dicendum eſt arctatum, quia per fidem explicitam Chriſti facilius cognoſcimus DEUM remuneratorem, & ſuam bonitatem infinitam.

INSTATUR: In lege antiqua fuit promiſſum in quacunque hora ingemuerit peccator, Ezech. 31. & ſe ad DEUM converterit, quòd omnium iniquitatum ejus obliviſcetur DEUS &c. ergo ſatis erat tunc habere contritionem & DEI dilectionem ad juſtificationis gratiam conſequendam, ergo ſi defacto hæc non ſufficiunt, remedium ſalutis defacto eſt magis coarctatum. Reſpond. Etiam in lege nova id promiſſum eſt, & etiam in ipſa ſemper juſtificatio datur, quando aliquis conteritur, nihilominus non ſine explicita fide Chriſti, & hoc quàm maximè in prima juſtificatione, quia ad contritionem & dilectionem eliciendam nec DEUS vult dare gratiam, & auxilia ſine fide explicita Chriſti. Sed

URGETUR: Si Cathecumenus inſtrueretur in fide DEI remuneratoris, & Eccleſiæ, quòd omnia credenda ſint, quæ ipſa proponit, ſic inſtructus poteſt firmiter credere hoc, & anteqùam perveniat ad notitiam aliorum articulorum, & Chriſti ut redemptoris poteſt incidere in infirmitatem periculoſam impedientem uſum rationis, in tali caſu poteſt & debet baptizari, ſed talis ſalvabitur, ſi moriatur, nec tamen habebit fidem explicitam Chriſti ſed tantùm implicitam, ergo ſine explicita fide in Chriſtum DEUS adhuc confert juſtificationis gratiam. Reſpond. Quòd vel talis cathecumenus ſi non haberet fidem explicitam Chriſti, quòd defacto damnaretur, quia non haberet illud, quod eſt medium neceſſarium ad ſalutem; vel DEUS non permitteret illum mori, antequam perveniret ad fidem Chriſti explicitam, quia juxta ſuaviſſimam diſpoſitionem & providentiam ſuam, ita diſponeret cauſas ſecundas, quòd ei non nocerent uſque dum haberet, quod ordinavit habendum, quem vult æternaliter ſalvare. Nec hoc eſt fingere providentiam aliquam miraculoſam ſine fundamento, minus cum derogatione meritorum Chriſti, quia miraculum non eſt, quod DEUS ordinavit facere, quando facit & quomodo facit, ſed ordinavit, quòd *facienti, quod in ſe eſt, velit adeſſe ipſe quoque*, ut eſt vulgatum Theologorum, conſequenter ſi talis cathecumenus feciſſet quod in ſe, DEUS vel prolongaret vitam ejus, vel infunderet cognitionem fidei Chriſti explicitam ſine ullo miraculo. Nec hoc meritis Chriſti derogat, imò extollit, conveniens enim eſt, quod quemadmodum actu jam redempti ſumus per mortem ejus factam, etiam per fidem ejus & dilectionem ſalvemur, eamque magis explicitè quàm olim, ubi redemptionis myſterium nondum erat peractum nec promulgatum.

OPPONUNTUR etiam contra concluſionem exempla Cornelii, Eunuchi, Lydiæ purpurariæ, qui juſtificati fuerunt, antequam explicitam fidem Chriſti habuerunt. Verùm nihil probant, imo contrarium improbant, ſi enim non fuerunt ſalvati, licèt boni eſſent, ſine fide Chriſti, ob quod Apoſtoli ad eos fuerunt miſſi, ſignum eſt, quòd ſit neceſſaria. Deinde SS. Patres plures dicunt, nec ipſos fuiſſe juſtificatos ante fidem Chriſti, & quod antecedenter meritum habuerunt, fuit tantùm de congruo ad merenda & acquirenda ulteriora gratiæ auxilia. Denique illo tempore non erat adhuc Evangelium ſufficienter promulgatum. Et hæc puto ſola eſſe, quæ credenda ſunt neceſſitate medii. 11. Cornelius & Eunuchus an & quomodo ſine fide Chriſti fuerint juſtificati.

Pro fine Notandum: non implicare quin in caſu aliquo extraordinario, & ut dicere ſolemus metaphyſico, poſſit aliquis ſalvari ſine illis myſteriis explicitè creditis, nam cùm ordinarius credendi modus fiat per auditum juxta Apoſtolum, *quomodo credent, quem non audierunt* &c. in prædicatione autem poteſt contingere & frequenter contigit ſucceſſio, adeoque poteſt proponi myſterium unum fidei ſine altero, v. g. DEUM eſſe Ens infinitum, amabile, ſummè bonum &c. quo audito poteſt cathecumenus excitari ad amandum DEUM ſuper omnia, & conſequenter juſtificatur ante fidem explicitam Chriſti aut Trinitatis. Idem etiam poteſt contingere non ob ſolam ſucceſſionem myſteriorum, ſed ex eo quòd inſtructor noluit tunc quidquam proponere de Incarnatione, aut Trinitate, eſto DEUM exiſtere, eſſeque remuneratorem ſufficientiſſimè propoſuerit; Nec dubito cum gentilibus multitudinem Deorum colentibus ſæpe reipſa ante propoſitionem Incarnationis, aut Trinitatis actum eſſe de DEO ut uno per motiva naturalia, quæ oſtendunt DEUM debere eſſe unum, & inde eos inductos ad credendam unitatem, ſuppoſita autem eâ fide, cur non poſſet tunc homo excitari ad DEUM amandum ſub ea ratione. Si dicatur DEUM tali homini non daturum ex ſpeciali providentia in lege gratiæ auxilium, ut tunc eliciat amorem DEI ſuper omnia. Contra eſt: quòd hoc non eſſet privilegium legis gratiæ, ſed potius gravamen, ſi enim Judæis olim faciebat DEUS talem favorem, non expectato altero actu fidei, profectò negare jam illum, & expectare donec alter actus ſequatur, potius eſt diminutio gratiæ, quàm augmentum & occaſio, ut multi damnentur præoccupati morte, antequam audiant

Quæ ex his
sunt bonæ
nutrimenti.

Quæ ex his sunt bonæ nutrimenti.

Cap. II.

Quæ ex his sunt bonæ nutrimenti.

Ex his quæ dicta sunt, manifestum est, quæ bonum succum generant, & quæ malum. Quæ enim ex his bonum succum generant, ea bonæ nutrimenti sunt. Quæ vero malum, ea malæ nutrimenti. Quæ igitur bonæ nutrimenti sunt, ea & bonum corpus efficiunt, & bonum colorem, & bonum robur, & bonum habitum. Quæ vero malæ nutrimenti sunt, ea & malum corpus efficiunt, & malum colorem, & malum robur, & malum habitum. Quæ igitur bonæ nutrimenti sunt, ea & bonum corpus efficiunt, & bonum colorem, & bonum robur, & bonum habitum. Quæ vero malæ nutrimenti sunt, ea & malum corpus efficiunt, & malum colorem, & malum robur, & malum habitum.

tam rudes, quòd non poſſent ullo modo eos capere. Probatur ex Conciliis Agathenſi, & Braccarenſi 11. Item ex Catechiſmo Pii V. in cujus principio dicitur, quod omnes Chriſtiani ſcire & credere debeant, illa quæ Apoſtoli certis articulis comprehenderunt. Confirmatur ex uſu & traditione Eccleſiæ proponentis hos articulos omnibus credendos, & ordinantis nè adulti recipiantur ad baptiſmum, niſi prius in toto ſymbolo ſint inſtructi, ut patet *ex cap. 20. Dies diſt. 54. c. baptizandos. 57. c Non liceat 58. de conſecr. diſt. 4.* & hinc ibidem *c. ſymbolum, 55.* præcipitur, ut octo diebus ante Paſcha competenter prædicetur ſymbolum. Ad hoc etiam facit uſus Eccleſiæ non impendentis abſolutionem ſacramentalem, niſi ſcientibus ſymbolum.

Probatur 2. Contra Sanchem directè, quia ſi eſſet aliqua pars ſymboli, quæ non eſſet credenda ex præcepto, maximè communio Sanctorum, hoc enim eſt exemptum, quod affert Sanchez ad probandum, non omnia contenta in ſymbolo eſſe credenda, ſed illa communio eſt credenda, ergo nihil contentum in ſymbolo excluditur à præcepto: Probatur min. Tum, Quia aliàs in ſymbolo non poneretur inter tot alia præcepta: Tum, Quia ejus cognitio eſt valde neceſſaria & utilis, imò magis videtur utilis quàm cognitio ipſius articuli, quòd Chriſtus deſcenderit ad inferos, nam credere illam communionem juvat multùm ad habendam confidentiam, & ſpem adipiſcendi regni cœleſtis, & ad invocandos ſanctos, ergo illa communio Sanctorum eſt credenda.

Dixi autem in concluſione *Aliquo actu particulari*, quia non requiritur ut credantur actu, quo conciperentur termini iſtorum articulorum diſtinctè, aut actu præſupponente diſtinctum conceptum iſtorum terminorum, cùm id eſſet valdè difficile, & moraliter impoſſibile fidelibus communiter. Dixi etiam *ſaltem quoad ſubſtantiam*, quia licèt ſit neceſſarium credere iſtum articulum *Paſſus ſub Pontio Pilato* quantum ad ſubſtantiam, quæ conſiſtit in hoc, quòd Chriſtus ſit paſſus, tamen communiter tenetur, quod non ſit neceſſarium credere, quòd ſit paſſus à Pilato, ſed revera videtur quòd hoc etiam ſit neceſſarium neceſſitate præcepti, quia proponebatur ab Apoſtolis, & adhuc ſemper proponitur, quamvis fortè transgreſſio præcepti quoad illam circumſtantiam non eſſet niſi veniale peccatum, ſi non ex contemptu illud quis transgrederetur. Dixi denique: *Niſi quis ſit tam rudis, ut non poſſit capere terminos*, nam ſi caſus iſte ſit poſſibilis, in ullo rationis compote, ſine dubio non obligabitur præcepto ad credendum articulum illum, cujus terminos capere non poterit, ſed vix credo caſum eſſe poſſibilem ſic, quin aliquo modo quicunque capax rationis, poſſit terminos quorumcunque articulorum ſymboli, prout ſunt in ſymbolo concipere conceptu proprio: Excepi tamen illum caſum, ut abſtraherem reſolutionem à poſſibilitate vèl impoſſibilitate ejus. Sed quia non eundem conceptum omnes debent habere de rebus contentis in ſymbolo quantum ad diſtinctionem ac perfectionem, utile eſt hic explicare, qualiſnam poſſit ſufficere omnibus communiter quantum ad obligationem communem ex ratione Chriſtiani & fidelis.

DICO 5. *Præter ſymbolum Apoſtolorum debet quilibet Chriſtianus credere ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, & præcipuè Baptiſmum, Pœnitentiam, & Euchariſtiam.* Eſt communis, & Probatur, Quia cognitio eorum eſt facilis acquiſitu, proponitur à omnibus tanquam quid credendum, & eſt valde neceſſarium non ſolùm ſuſcipientibus, ſed aliis etiam, ut illa Sacramenta debito honore proſequantur, & ut par eſt æſtiment, ac ſuo tempore procurent iis, quibus neceſſaria ſunt. Confirmatur: ſi aliqua ex ipſis non eſſent omnibus credenda neceſſariò maximè Confirmatio & Extrema Unctio, quorum ſuſceptio non eſt ſub præcepto, & Matrimonium ac Ordo, quia non conveniunt omnibus, nec debent ab omnibus ſuſcipi, ſed illa ſunt cognoſcenda, quia licèt Confirmatio & Extrema Unctio non ſint ſub præcepto, ſunt tamen magnæ utilitatis, & nullo modo contemnenda, ergo ut Parentes & amici habeant curam, ut dixi ea opportuno tempore procurandi iis, quibus viderint ea futura eſſe uſui, opportunum eſſet præcipere earum cognitionem. Similiter Matrimonium & Ordo licèt non omnibus conveniant, tamen ut ſtatus Matrimonii & Ordinatorum dignè æſtimetur, opportunum valde eſſet præcipere talem cognitionem. 6. Chriſtiani etiam ſacramenta credere tenentur.

Secunda pars quam tenent Doctores ſupra citati, Probatur de Pœnitentia & Baptiſmo propter ſummam neceſſitatem eorum, & de Euchariſtia propter dignitatem, ac ingentem utilitatem ipſius. Ad ſatisfaciendum autem huic obligationi non eſt neceſſe, ut memoriter teneant fideles hæc Sacramenta eo ordine quo in Catechiſmo parvulorum proponi ſolent, imò nec ut ullo modo cognoſcant eorum nomina, ſed ſufficit quòd ſciant illam baptizationem parvulorum, quæ fieri ſolet, eſſe omnino neceſſariam ipſis, & illam aliam cæremoniam, quâ utitur Epiſcopus, dum confirmat, eſſe valde conducentem ad utilitatem ſpiritualem ſuſcipientis, & idem dicendum de reliquis ſacramentis.

Quod ergo ipsum esse sit ipsa diuina substantia, ex hoc apparet, quia si esse diuinum non est substantia, oportet quod sit accidens. Et sic erit in genere accidentis, quod est primum subiectum. Et ita substantia diuina participabit esse per accidens, et non erit ipsum esse. Quod est contra ea quæ supra ostensa sunt.

Quod autem esse diuinum sit substantia, ex hoc apparet, quia esse diuinum est esse infinitum. Esse autem infinitum non potest esse nisi substantia. Quia cum esse sit actus, nihil potest esse infinitum nisi per hoc quod actui nulla potentia respondet. Sicut enim materia finitur per formam, quia materia infinita est quæ formam non recipit, ita forma infinita est quæ materiæ non determinatur. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo, quia forma non est in materia, sed per se subsistens, sicut dicimus de substantiis separatis. Alio modo, quia forma non est alicui materiæ determinata, sicut dicimus de forma ignis, quæ si esset in materia, esset infinita, quia materiæ non determinaretur. Esse autem diuinum non est in materia, quia sic esset participatum. Nec est alicui materiæ determinatum, quia sic esset finitum. Ergo esse diuinum est infinitum, et per consequens substantia.

Item. Esse diuinum est esse perfectum. Esse autem perfectum non potest esse nisi substantia. Quia cum esse sit actus, nihil potest esse perfectum nisi per hoc quod actui nulla potentia respondet. Sicut enim materia finitur per formam, quia materia infinita est quæ formam non recipit, ita forma infinita est quæ materiæ non determinatur. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo, quia forma non est in materia, sed per se subsistens, sicut dicimus de substantiis separatis. Alio modo, quia forma non est alicui materiæ determinata, sicut dicimus de forma ignis, quæ si esset in materia, esset infinita, quia materiæ non determinaretur. Esse autem diuinum non est in materia, quia sic esset participatum. Nec est alicui materiæ determinatum, quia sic esset finitum. Ergo esse diuinum est infinitum, et per consequens substantia.

Item. Esse diuinum est esse perfectum. Esse autem perfectum non potest esse nisi substantia. Quia cum esse sit actus, nihil potest esse perfectum nisi per hoc quod actui nulla potentia respondet. Sicut enim materia finitur per formam, quia materia infinita est quæ formam non recipit, ita forma infinita est quæ materiæ non determinatur. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo, quia forma non est in materia, sed per se subsistens, sicut dicimus de substantiis separatis. Alio modo, quia forma non est alicui materiæ determinata, sicut dicimus de forma ignis, quæ si esset in materia, esset infinita, quia materiæ non determinaretur. Esse autem diuinum non est in materia, quia sic esset participatum. Nec est alicui materiæ determinatum, quia sic esset finitum. Ergo esse diuinum est infinitum, et per consequens substantia.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Quæ sint
Causæ sanitatis
& morbi.

Cap. II.

Causæ sanitatis & morbi sunt, quæ ad corpus humanum, vel ejus partes, vel ad totum hominem, vel ejus partes, vel ad ea, quæ extra hominem sunt, ita se habent, ut sanitatem, vel morbum, vel ejus partes, vel totum hominem, vel ejus partes, vel ea, quæ extra hominem sunt, efficiant, vel conservent, vel corrumpant, vel destruant.

Quæ sint
Causæ sanitatis.

Cap. III.

Causæ sanitatis sunt, quæ sanitatem efficiunt, vel conservant, vel corrumpunt, vel destruunt.

Quæ sint
Causæ morbi.

Cap. IV.

Causæ morbi sunt, quæ morbum efficiunt, vel conservant, vel corrumpunt, vel destruunt.

Quæ sint
Causæ sanitatis
& morbi.

Cap. V.

Causæ sanitatis & morbi sunt, quæ ad corpus humanum, vel ejus partes, vel ad totum hominem, vel ejus partes, vel ad ea, quæ extra hominem sunt, ita se habent, ut sanitatem, vel morbum, vel ejus partes, vel totum hominem, vel ejus partes, vel ea, quæ extra hominem sunt, efficiant, vel conservent, vel corrumpant, vel destruant.

Quæ sint
Causæ sanitatis.

Cap. VI.

Causæ sanitatis sunt, quæ sanitatem efficiunt, vel conservant, vel corrumpunt, vel destruunt.

Quæ sint
Causæ morbi.

Cap. VII.

Causæ morbi sunt, quæ morbum efficiunt, vel conservant, vel corrumpunt, vel destruunt.

DISPVTATIO II.
Confessione contra FIDE.

Quæritur, an Confessio contra fidem sit peccatum mortale. Et videtur, quod non: quia Confessio est actus virtutis, ergo non peccatum. Antecedens patet, quia Confessio est actus Religionis, quæ est virtus. Consequentia patet, quia nullus actus virtutis est peccatum. Item, Confessio est actus meritorius, ergo non peccatum. Antecedens patet, quia Confessio est actus Religionis, quæ est virtus. Consequentia patet, quia nullus actus meritorius est peccatum. Item, Confessio est actus meritorius, ergo non peccatum. Antecedens patet, quia Confessio est actus Religionis, quæ est virtus. Consequentia patet, quia nullus actus meritorius est peccatum.

re dicitur, ad cujus finem ordinatur, & ex cujus objecto formali laudem consequitur, sed exterior confessio ex objecto formali fidei laudem consequitur, ordinaturque ad illam tanquam ad finem suum, quia exterior locutio ad interiorem ordinatur, sic ut quod interius mente dicimus & credimus, exterius proferamus, unde D. Paulus 2. Corinth. 4. ait: *Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, credidi propter quod locutus sum, & nos credimus propter quod & loquimur*, ergo est actus fidei: Attamen non nego, quòd si imperetur illa confessio ex motivo aliarum virtutum, videlicet ex motivo religionis, ut per eam DEI honorem procuremus, aut propter summam ejus dilectionem, aut propter honestum arduum, tunc etiam poterit spectare ad alias virtutes, nempe religionem, charitatem & fortitudinem, Itaque ut sit actus fidei debet fieri ex volitione confitendi extra, quod intra credimus, estque hæc confessio sub præcepto ex multis scripturæ locis, ait enim Apostolus ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem*, unde sicut de interiore fidei actu, ita etiam de exteriori duplex est præceptum *Affirmativum* nempe & *Negativum*. Illud præcipit aliquando confiteri fidem, hoc nunquam eam negare. Sit itaque:

Quæstio I.

De Præcepto affirmativo Confessionis externæ.

2. Confessio fidei externa alia materialis alia formalis.

PRO quæstione exactiùs resolvenda Notandum: Confessionem externam duplicem esse nempe *Materialem* & *Formalem*. *Formalis* est, quando per se & directè verbum externum profertur, vel aliquod aliud signum externum fit ad demonstrandam fidem internam; *Materialis* est, quæ fit intuitu alterius virtutis, reipsa tamen non est confessio externa, ut dum quis ex religione Christum adorat, portat rosarium, audit, aut celebrat sacrum &c. & ad hanc toties quis obligatur, quoties quis debet elicere hujusmodi virtutis actum &c. sed de formali quæritur an & quando obliget, cùm enim sit affirmativum, non semper obligabit. Quare

3. Confessio fidei externa cadit sub præcepto divino.

DICO 1. *Datur præceptum divinum, & Ecclesiasticum de facienda confessione externa fidei.* Probatur 1. pars ex Matth. 10. *Omnis qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* ad Rom. 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum JESUM Christum, & corde credideris, quia DEUS suscitavit illum à mortuis, salvus eris, corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* ergo. Deinde ex S. Augustino lib. 1. de fide & symbolo cap. 1. ait: *Fides officium à nobis exigit, & cordis, & linguæ.*

Probatur 2. pars ex Pio IV. in *Sacrosancta.* ubi omnes Doctores & Professores adstringit ad fidei confessionem faciendam. Item in, *Injunctum nobis.* Omnes Prælatos Regularium etiam ordinum Militarium Trident. sess. 24. cap. 12. de reform. ubi professionem requirit ab omnibus promotis ad Canonicatus, & dignitates cathedrales. & sess. 25. cap. 2. de Reform. ab Episcopis, & ArchiEpiscopis.

4. Confiteri fidem quis tenetur, quoties de ea legitimè interrogatur.

DICO 2. *Quotiescunque quis interrogatur de fide Christi publicè, & ab authoritate publica potestatem interrogandi habente, tenetur quis confiteri fidem non obstante mortis periculo, nec licet tunc tacendo occultare: Secus est, si quis interrogetur à privata persona.* Ita communiter Doctores, contra Suarez & alios nonnullos quoad 2. partem. Probatur proinde 1. pars, Tum ex locis scripturæ suprà allegatis: Tum ex Lucæ 9. *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc erubescet filius hominis, cum venerit in sede Majestatis.* Et cap. 12. *Qui autem negaverit me coram hominibus negabitur coram Angelis DEI.* Tum ex definitione Innocentii XI. qui hanc propositionem damnat: *Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut DEO & fidei glorioſum consulo, tacere, ut peccaminoſum per se non damno.*

Probatur 2. Ex Patribus, nam in cap. *Quisquis* 11. q. 3. ex Augustino hæc habentur: *Qui metu potestatis veritatem occultat, iram DEI supra se provocat, quia magis timet hominem quàm DEUM.* Isidorus lib. 2. de summo bono sic ait: *Sicut nihil profuit fides, quæ ore tenetur, & corde non creditur, ita nihil est profutura fides, quæ corde tenetur, si ore non proferatur.*

Probatur 3. Ratione: Quia nullum magis accommodatum tempus, occasióve assignari potest pro adimpletione hujus præcepti affirmativi, quàm quando confitetur fidem coram authoritate publica publicè, tunc enim promovetur cultus DEI, ejus honor, quam si non faceret, vel omitteret, magnam summæ DEI veracitati irreverentiam irrogaret, utique negaret ipsum veracem in dicendo, & consequenter DEUM, approbaret que tacendo, vel negando fidem falsam.

DI-

ſi ſit in fine dictionis, ſi ſequens dictio incipiat à vocali, aut diphthongo, aut ſi ſequens dictio ſit monoſyllaba, & ſi ſequens dictio ſit monoſyllaba, & ſi ſequens dictio ſit monoſyllaba, &

Athanasius, ut patet ex ejus vita, qui insignē Apologiam scripsit de sua fuga. Ratio etiam est, Quia nullum constat præceptum de non fugiendo obligans æqualiter omnes: Tum, Quia, qui fugit, non negat, sed quid sentiat, fatetur, & publica confessione monstrat se talem esse.

Probatur 2. pars: Quia si esset aliquis privatus homo, qui ob imbecillitatem suam de constantia in confessione fidei, aut tormentis diffideret, fugere deberet, ob periculum defectionis à fide, & quia exponeret vitam suam corporalem sine spe alicujus magni fructûs spiritualis. Hinc existentes in Anglia, si diffidant de suis viribus in perseverando, debent potiùs patriam deserere, & temporalium jacturam facere, quàm spiritualem salutem exponere periculo, quòd si autem firmo proposito magnanimi fortitudine præditi nullam persecutionem pertimescant, perseverare ibidem possunt.

DICES: Apostoli fuerunt reprehensi, quòd fugerint à Christo, dum caperetur, ergo non est licitum fugere: Tum, Quia vix videtur licitum fugere ab eo quod DEUS ordinat, quales sunt persecutiones, Tum, Quia alioquin Apostoli non fuissent reprehensi. Respond. neg. conseq. Quia, quòd Apostoli fuerint reprehensi, non fuit propter solam fugam præcisè, sed quia fugerunt cum scandalo, cum diffidentia de Christo, imo cum defectione in fide juxta nonnullos, quod tamen asserere nolim. Ad probationem alteram, quòd vix videatur licitum fugere ab eo, quòd DEUS ordinat, aut permittit, omnino falsum est, quia pestis tam est à DEO quàm persecutio, & tamen illam fugere licet, & cur non hanc?

Quæstio II.

De Præcepto Negativo fidei respectu Confessionis externæ.

2. Christiano & Papista quid significent.

NOn modò verbis sed etiam factis, cæremoniis, signis & nutibus, ipsaq; simulatione falsæ religionis. & dissimulatione veræ fides negari potest, hinc in quæstione ista non solùm agam de negatione externa fidei, sed etiam inquiram, an sit licitum uti similibus signis absque fidei negatione. Itaque

NOTANDUM 1. Quòd licèt hoc nomen Christianus per se significet discipulum Christi, & nomen *Papista* hominem & confitentem Papam esse verum caput Ecclesiæ unicæ sponsæ Christi, extra quam non est alius, itaque quod qui se negaret Christianum, vel Papistam, negaret fidem, nihilominus potest contingere, quòd aliquis per nomen Christiani non vellet intelligere Christi discipulum, sed hostem suum v. g. existente bello in Ungaria, interrogat me Saracenus, an sim Christianus, id est, inimicus suus & hostis, ut me posset trucidare, si negarem, non denegarem fidem, quia responderem ad mentem interrogantis, qui non quærit meam fidem, sed hostilitatem. Idem dico de ly *Papista*, quo nomine solent compellare hæretici Catholicos, quia semper currit vulgatum, quòd non teneamur respondere ultra intentionē interrogantis.

NOTANDUM 2. Quòd vestes Infidelium possunt considerari secundùm quadruplicem instituentium ordinationem, nam aliquando sunt ordinatæ ad distinguendam Nationem à Natione v. g Chaldæam, Græcam, Ægyptiam &c. quæ ante Conversionem & post defectionem semper manserunt eædem. Secundò sunt vestes aliquando institutæ ad discernendos fideles ab Infidelibus, & econtra ob finem politicum & meliorem gubernationem, & non ob protestationem fidei, sic in pluribus Italiæ urbibus Judæi debent portare pileum flavum, fœminæ eorum velum flavum. Tertiò sunt aliquæ institutæ penes hoc quod habent tegere corpus ad protestationem falsæ religionis, quales sunt vestes sacerdotum Machometanorum, eorumque religiosorum. Et Quartò sunt aliquæ institutæ ad specialem cultum & honorem suo idolo præstandum, quales sunt omnes vestes sacrificulorum, item illæ quæ habent imagines suorum idolorum v. g. Saraceni Lunam, Machometem &c. His prænotatis aliqui putant tres posteriores vestium institutiones immediate adversari fidei, ita quòd nullatenus eis aliquis uti possit, alii negant, & quartum tantùm genus excipiunt, alii aliter limitant, & media incedunt via, quos puto sequendos. Itaque

2. Vestes habent diversas significationes & ordinationes.

DICO 1. *In nullo casu licet negare fidem directè.* Est de fide contra complures antiquos hæreticos, qui tempore persecutionis ad servandam vitam putârunt licere negare fidem, modò internè servaretur, teste Eusebio lib. 6. histor. c. 31. & Epiphanio hæresi 9. videtur etiam esse contra Priscillianistas, qui teste August. hæresi 70. existimârunt posse quemvis in pejerando negare suum internum sensum. Probatur Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Luc. 9. *Qui voluerit animam suam salvam facere*, hoc est, qui eam à morte salvare vult negando fidem instante persecutione, *perdet eam*, hoc est peccabit mortaliter, & incurret damnationem æternam, nisi postea resipuerit, quæ explicatio patet ex ratione, quæ subjungitur: nam *qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua* 2. ad Tim. 2. *Si negaverimus eum, & ipse negabit nos.*

1. Negare fidem nunquam licet.

Proba-

Martyrum. Et Beda in Martyrologio. Et Ado Viennensis. Et Notker Balbulus. Et Usuardus. Et Wandelbertus. Et Hermannus Contractus. Et Sigebertus. Et Marianus Scotus. Et Ordericus Vitalis. Et Aimoinus. Et Rupertus Tuitiensis. Et Vincentius Bellovacensis. Et Petrus Comestor. Et Petrus de Natalibus. Et Antoninus Florentinus. Et Vincentius Ferrerius. Et Petrus Ribadeneira. Et Petrus de Alva. Et Ioannes Molanus. Et Ioannes Wilhelmus Baronius. Et Ioannes Bollandus. Et Ioannes Stilting. Et Ioannes Chrysostomus Calenius. Et Ioannes Baptista Crispus. Et Ioannes Baptista Carpentarius. Et Ioannes Baptista Pamelius. Et Ioannes Baptista Thiers. Et Ioannes Baptista Sollerius. Et Ioannes Baptista Cotelerius. Et Ioannes Baptista Gallonius. Et Ioannes Baptista Rubeus. Et Ioannes Baptista Lupus. Et Ioannes Baptista Ferrarius. Et Ioannes Baptista Mabillonius. Et Ioannes Baptista Thomasius. Et Ioannes Baptista Sollerius. Et Ioannes Baptista Cotelerius. Et Ioannes Baptista Gallonius. Et Ioannes Baptista Rubeus. Et Ioannes Baptista Lupus. Et Ioannes Baptista Ferrarius. Et Ioannes Baptista Mabillonius. Et Ioannes Baptista Thomasius.

Cap. 6. De Sanctis Apostolis Petro & Paulo.

Martyrum. Et Beda in Martyrologio. Et Ado Viennensis. Et Notker Balbulus. Et Usuardus. Et Wandelbertus. Et Hermannus Contractus. Et Sigebertus. Et Marianus Scotus. Et Ordericus Vitalis. Et Aimoinus. Et Rupertus Tuitiensis. Et Vincentius Bellovacensis. Et Petrus Comestor. Et Petrus de Natalibus. Et Antoninus Florentinus. Et Vincentius Ferrerius. Et Petrus Ribadeneira. Et Petrus de Alva. Et Ioannes Molanus. Et Ioannes Wilhelmus Baronius. Et Ioannes Bollandus. Et Ioannes Stilting. Et Ioannes Chrysostomus Calenius. Et Ioannes Baptista Crispus. Et Ioannes Baptista Carpentarius. Et Ioannes Baptista Pamelius. Et Ioannes Baptista Thiers. Et Ioannes Baptista Sollerius. Et Ioannes Baptista Cotelerius. Et Ioannes Baptista Gallonius. Et Ioannes Baptista Rubeus. Et Ioannes Baptista Lupus. Et Ioannes Baptista Ferrarius. Et Ioannes Baptista Mabillonius. Et Ioannes Baptista Thomasius. Et Ioannes Baptista Sollerius. Et Ioannes Baptista Cotelerius. Et Ioannes Baptista Gallonius. Et Ioannes Baptista Rubeus. Et Ioannes Baptista Lupus. Et Ioannes Baptista Ferrarius. Et Ioannes Baptista Mabillonius. Et Ioannes Baptista Thomasius.

Digitized by Google

frangendum præceptum Eccleſiæ. Denique ſi quis inſerviret alicui Principi gentili, cui ex ſervitio deberet adeſſe ſacrificanti, non peccaret contra fidem, ſi ei ſacrificanti manus teneret, alióve modo ſerviret, aut cum eo genuflecteret, dummodo aliunde conſtet, eum eſſe alterius fidei, & hæc ob ſervitium Principis facere, non ob idoli honorem.

6. Veſtibus infidelium ſignificantibus falſam religionem uti non licet.

DICO 4. *Non licet Chriſtianis uti veſtibus Infidelium in tertia & quarta acceptione & inſtitutione.* Ita D. Antoninus, Cajetanus. Probatur: Quia tales revera negarent fidem, perinde enim eſt, ſive verbis neget ſive factis, approbaretque falſam religionem, ergo.

DICES: Magnam diſparitatem eſſe inter veſtes tales, & inter verba, nam per ſe primò inſtituta ſunt verba ad ſignificandum animi conceptum, nec habent alium uſum, veſtes verò habent alium uſum ut corpus tegant, ſuntque indifferentes ad hanc vel illam fidem ſignificandam. Sed contra 1. Sicut hæc vel illa veſtis ex ſola hominum voluntate determinatur ad hanc falſam ſectam profitendam, ita hæc vel illa vox ex hominum ſolo beneplacito determinatur ad hunc vel illum conceptum ſignificandum, ergo ſicut licet veſtem determinatam ad ſignificandam falſam religionem determinare ad alium uſum, ſic etiam poterit quis verba inſtituta ad ſignificandum hunc conceptum determinare ad alium, & ſic in omnibus liberè mentiri, quod nullus ſapiens dicet. Contra 2. Thus ex natura ſua habet, ut purificet aërem, caput confortet, ſicut ſunt veſtes ad tegendum corpus, & ſicut thus eſt indifferens ut adoleatur DEO vero, vel falſo, attamen non licet adolere thus idolo ob hanc indifferentiam, ergo etiam non licebit uti veſtibus inſtitutis ad profitendam falſam religionem licèt alioquin ſint indifferentes. Sed

INSTABIS: Quando verba habent duplicem ſignificationem, poſſum illa adhibere in hac vel illa, licèt audiens in alia acceptione intelligat, ergo etiam veſtibus in hac vel illa applicatione, cùm duplicem uſum habeant. Reſpond. diſt. antec. ſi non ſit aliunde præceptum obligans ad directam reſponſionem ſecundùm mentem interrogantis, conc. ſi ſit, nego. Talis autem portatio veſtis eſt publica (licèt tacita) interrogatio de ſua & cujusque fide, unde cùm confiteri debeam eam, veſtem portare non potero.

7. Veſtibus infidelium ob finem politicum uti poteſt fidelis.

DICO 5. *Licet Chriſtiano ob gravem cauſam, quando præceptum confeſſionis non obligat, uti veſte, quæ ſit propria Infidelium propter ſolum finem politicum.* Probatur: Quia talis non ſimulat ſimpliciter ſuam fidem, ſed ſe eſſe alterius nationis, vel alterius ſtatûs politici, ergo non peccabit contra fidem, & ſi peccaret alio modo non niſi mendacio levi officioſo. Probatur 2. ex praxi fidelium etiam DEUM timentium, qui ſine ſcrupulo in multis caſibus ad ſe occultandum, & actiones ſuas expediendas hoc remedio utuntur, ſic Duces mittunt milites in veſtibus turcarum ad explorationem faciendam, utuntur luna in ſuis navibus, ſic laicus induit veſtem Monachi, mulier habitum viri, ut manus Judicum evadat &c. ergo etiam veſtibus Infidelium quis veſtiri poteſt ſine peccato fidei etiam probabiliter mendacii. Nec obſtat, quòd eum videntes judicent, eum eſſe Infidelem, per accidens enim hoc eſt, quia hoc regulariter verum eſt, nam quando Catholicus intrat Civitatem hæreticam, ordinairè habent eum pro hæretico, nec tamen ob judicium iſtud illicitus eſt introitus ad tales civitates, ergo. Dixi tamen in concluſione *ob gravem cauſam*: Quia licèt hæc portatio veſtis non ſit per ſe mala, habet tamen aliquam ſpeciem mali, ſed ad fidei honorem ſpectat, ut fidelis ita ſe gerat, ut non judicetur Infidelis ſine cauſa.

DISPUTATIO VII.

De Vitiis Fidei oppoſitis.

1. Vitia fidei oppoſita.

VItia & peccata contra fidem ſunt *Curioſitas* in articulis fidei diſcutiendis, *Vacillatio*, *Dubitatio*, in materia ejusdem, *Hæreſis*, *Apoſtaſia* à fide, eam negando; *Incredulitas*, & omnis pertinax & malitioſa *Infidelitas*, atque *Atheiſmus*. Quantum autem ſit Incredulitatis vitium S. Bernardus deſcribit, docetque cuncta pene vitia ex Incredulitate oriri:

In vitâ myſt. cap. 45. *Quis enim vanam mundi gloriam quæreret, ſi perfectè crederet aliam eſſe futuram in cœlis immarceſſibilem: quàm oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ humilibus conſervantur? Putásne huic gloriæ mundanæ tam incertæ quàm tranſitoriæ animum inclinaret? Nequaquam. Sed quod tales adſerunt ſe DEO credere, provenit ex quadam conſuetudine, quia totum pene mundum tali vident & audiunt fide teneri. Quod ſi Infidelium numerus excreſceret, & nomen Chriſti non poſſent ſine pœna, vel ſine timore confiteri:*

teri: citius audires quod corde gerunt; & lingua propalare eum, quem factis denegare non timent. Et paulo poſt: *Simile eſt de avaris, qui cœleſtes non curant divitias; & de invidis, qui charitatis laudem & præmium non attendunt; & de iracundis, qui in patientia animas ſuas non poſſident; & de acediosis, qui pro æterno commodo labores ſubire refugiunt temporales; & de luxuriosis, qui cœleſtibus voluptatibus mentis oculum non intendunt, & de gulosis, qui panem illum delicatiſſimum Angelorum ſuis epulis terrenis poſtponunt: quia ſi ea quæ futura promittuntur verè crederent, nequaquam terrenis tam ardenter inhiarent. Propter ergo incredulitatem ſuam dantur, non ſolùm vulnerandi per tentationes, ſed etiam occidendi per veneni ſui infuſionem ſerpentibus ignitis id eſt dæmonibus.* Ad cognoſcendum ergo hoc vitium præſens ordinatur diſputatio, quæ generatim naturam Infidelitatis explicabit ſine immoratione in particularibus. Igitur ſit

Quæſtio I.

Quid & quotuplex ſit Infidelitas?

2. Infidelitas quid ſit?

QUantum ad primum certum eſt, Infidelitatem aliud non eſſe, quàm vitium habituale, vel actuale non credendi iis, quæ quisque tenetur credere, vel diſcredendi, quibus diſcredere non deberet, ſicuti fides eſt virtus actualis, vel habitualis credendi iis, quibus aſſentire debemus, & diſſentiendi quibus diſcredendum eſt: nec puto quod ad primum alia poſſit eſſe difficultas, quantum ad ſecundum.

3. Infidelitas alia negativa alia Poſitiva.

Infidelitas Primò alia eſt *Extra Genus*, alia *Intra Genus*. *Extra Genus* eſt, quæ non ſolummodo principium fidei tollit, ſed etiam ipſum Authorem fidei, gratiæ, & naturæ negat poſitivè, ut eſt Atheiſmus omnium ſcelerum impiiſſimum. *Intra Genus* eſt, quæ quidem DEUM aliquem cognoſcit, vel cognoſcere deberet, & ſi poſſet ac ſciret, vellet, ut contingit in educatis in ſylvis & ſimilibus. Hinc iterum Infidelitas intra Genus alia eſt *Negativa*, alia *Poſitiva*. *Negativa* eſt, quæ frequenter dicitur pœna peccati, & non peccatum ad Thoma 22. q. 10. a. 1. eaque conſiſtit in negatione omnis actûs, & habitus fidei in ſubjecto apto nato & obligato eam habere, hinc parvuli non baptizati ſunt infideles, quia fidem habitualem non habent, quam apti nati ſunt habere, & beati non ſunt infideles, ſi vera eſſet ſententia, ſi fidem non haberent, quia non ſunt amplius apti nati aut obligati habere; adulti autem in ſylvis educati, licèt in nullo diſcrederent articulis, ſi tamen tenerentur habere fidem, jam infideles ſunt, quia in eo ſtatu ſunt, ut fidem habere ſint obligati. *Infidelitas poſitiva* ea eſt, quæ incurritur per actum erroneum pertinacem contra omnes, vel aliquos articulos fidei, ratione cujus vel perdit habitum infuſum, ſi antea habuit, vel ponit poſitivum impedimentum non infundendi habitum infuſum. *Infidelitas poſitiva* principaliter ſubdividitur à Theologis poſt Cœleſtinum Papam in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ in *Paganiſmum*, *Judaiſmum* & *Hæreſim*, ſecundùm triplicem rationem, qua fidei adverſatur, nam Infidelitas vel adverſatur fidei noſtræ nullo modo ſuſceptæ & eſt *Paganiſmus*, & hic iterum eſt alius *Turciſmus*, alius *Confuciiſmus*, qui in regno Chinenſi plurimum viget, de quibus infra. Vel ſuſceptæ aliquando ſed in figuris, & non ſic explicitè, aut de futuris myſteriis, eſtque *Judaiſmus*, vel adverſatur fidei jam in ſe formaliter per actum, vel habitum ſuſceptæ, & eſt *Hæreſis*. Verum ego cenſeo &

4. Infidelitatis diviſio alia.

DICO 1. *Prædicta diviſio eſt adæquata.* Probatur: Quia nulla eſt aſſignabilis alia, quæ ad iſtas ſpecies infidelitatis non poſſet reduci: Turciſmus enim ad Paganiſmum reducitur, licèt enim is multa teneat, quæ quoque credunt Chriſtiani, ut quòd Chriſti Mater manſerit Virgo, quòd ſit futura dies Judicii &c. nihilominus hæc non credunt, prout à Chriſto nobis tradita ſunt, ſed prout à Machometo ſuo. Nec obſtat, quòd in Judaiſmo olim fuerint etiam plures Sectæ, ii enim, qui in aliquo errabant, & pertinaciter negabant, cenſebantur, & erant hæretici, non ſecus, ac ii, qui in aliquibus à Chriſti fide catholica deficiunt, quare ſi aliquis totam fidem catholicam negaret, non modò hæreticus eſſet propter fidem negatam quam ſemel tenuerat, ſed etiam alterius perfidiæ Machometanæ, aut Judaicæ, quam amplecteretur, reus eſſet, & ſic poteſt unus duplicem Infidelitatis ſpeciem incurrere. Hinc

5. Species accidentales infidelitatis.

DICO 2. *Hæc diviſio non eſt generis in ſpecies eſſentiales, ſed tantùm accidentales.* Probatur: Quia inter illas non eſt differentia alia, quàm ſecundùm majus & minùs, omnes enim adverſantur uni eidem virtuti theologicæ, & inæqualiter tantùm bono ſuo privant, ergo. Nota tamen, quòd ut fiat aliquis hæreticus, non eſſe neceſſarium, quòd antecedenter ſuſceperit baptiſmum, ſi enim cathecumenus partem negaret in fide, quam antecedenter admiſerat, eſſet hæreticus, utpote qui negaret ſuſceptam.

DI-

6. Infidelitas ſemper eſt graviſſimum peccatum.

DICO 3. *Infidelitas poſitiva voluntaria ſemper eſt graviſſimum peccatum, non tamen negativa.* Ita communiter Theologi: Probatur: Tum Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Joann. 3. *Qui non credit jam judicatus eſt.* Et cap. 16. *Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Tum ex Matth. 10. ubi Chriſtus loquens de iis, qui non erant ſuſcepturi prædicationem ſuam & diſcipulorum ſic ait: *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die Judicii, quàm illi civitati.* Probatur 2. ex Authoritate S. Auguſtini, qui lib. 3. contra duas epiſtol. Pelagian. cap. 3. explicans illud Joann. 16. *Arguet mundum.* dicit: *Filios autem diaboli infidelitas facit, quod peccatum proprium vocatur, quaſi ſolum ſit, ſi non exprimatur quale peccatum ſit. Sicut Apoſtolus cum dicitur. Si non exprimatur quis Apoſtolus, non intelligitur niſi Paulus: quia pluribus eſt epiſtolis notior, & plus omnibus illis laboravit. Unde quod ait Dominus de Spiritu Sancto: Ipſe arguet mundum de peccato: infidelitatem intelligi voluit. Hoc enim cùm exponeret, ait: De peccato quidem, quòd non crediderunt in me. Et ubi ait: ſi non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent.*

Probatur 3. Ratione: Quia non credere ſummæ DEI veracitati eſt eam virtualiter contemnere, atqui contemptus DEI etiam virtualiter factus graviſſimum eſt peccatum, ergo etiam infidelitas.

Athens, he was stirred in his spirit, when he saw the city wholly given to idolatry. 17 Therefore disputed he in the synagogue with the Jews, and with the devout persons, and in the market daily with them that met with him. 18 Then certain philosophers of the Epicureans, and of the Stoicks, encountered him. And some said, What will this babbler say? other some, He seemeth to be a setter forth of strange gods: because he preached unto them Jesus, and the resurrection. 19 And they took him, and brought him unto Areopagus, saying, May we know what this new doctrine, whereof thou speakest, is? 20 For thou bringest certain strange things to our ears: we would know therefore what these things mean. 21 (For all the Athenians and strangers which were there, spent their time in nothing else, but either to tell, or to hear some new thing.) 22 Then Paul stood in the midst of Mars' hill, and said, Ye men of Athens, I perceive that in all things ye are too superstitious. 23 For as I passed by, and beheld your devotions, I found an altar with this inscription, TO THE UNKNOWN GOD. Whom therefore ye ignorantly worship, him declare I unto you. 24 God that made the world and all things therein, seeing that he is Lord of heaven and earth, dwelleth not in temples made with hands; 25 neither is worshipped with men's hands, as though he needed any thing, seeing he giveth to all life, and breath, and all things; 26 and hath made of one blood all nations of men for to dwell on all the face of the earth, and hath determined the times before appointed, and the bounds of their habitation; 27 that they should seek the Lord, if haply they might feel after him, and find him, though he be not far from every one of us: 28 for in him we live, and move, and have our being; as certain also of your own poets have said, For we are also his offspring. 29 Forasmuch then as we are the offspring of God, we ought not to think that the Godhead is like unto gold, or silver, or stone, graven by art and man's device. 30 And the times of this ignorance God winked at; but now commandeth all men every where to repent: 31 because he hath appointed a day, in the which he will judge the world in righteousness by that man whom he hath ordained; whereof he hath given assurance unto all men, in that he hath raised him from the dead. 32 And when they heard of the resurrection of the dead, some mocked: and others said, We will hear thee again of this matter. 33 So Paul departed from among them. 34 Howbeit certain men clave unto him, and believed: among the which was Dionysius the Areopagite, and a woman named Damaris, and others with them.

CHAP. XVIII.

1 Paul at Corinth. 4 Preacheth to the Jews. 6 Turneth to the Gentiles. 8 Many believe. 9 God encourageth him by a vision. 12 Gallio refuseth to judge. 17 Sosthenes beaten. 18 Paul taketh his vow. 19 Preacheth at Ephesus. 22 Returneth to Antioch. 23 Confirmeth the disciples. 24 Apollos, mighty in the scriptures, 25 instructed in the way of God, 26 is more perfectly taught by Aquila and Priscilla. 27 He helpeth them which had believed through grace. 28 He mightily convinceth the Jews.

1 After these things Paul departed from Athens, and came to Corinth; 2 and found a certain Jew named Aquila, born in Pontus, lately come from Italy, with his wife Priscilla, (because that Claudius had commanded all Jews to depart from Rome) and came unto them. 3 And because he was of the same craft, he abode with them, and wrought: for by their occupation they were tentmakers. 4 And he reasoned in the synagogue every sabbath, and persuaded the Jews and the Greeks. 5 And when Silas and Timotheus were come from Macedonia, Paul was pressed in the spirit, and testified to the Jews that Jesus was Christ. 6 And when they opposed themselves, and blasphemed, he shook his raiment, and said unto them, Your blood be upon your own heads; I am clean: from henceforth I will go unto the Gentiles. 7 And he departed thence, and entered into a certain man's house, named Justus, one that worshipped God, whose house joined hard to the synagogue. 8 And Crispus, the chief ruler of the synagogue, believed on the Lord with all his house; and many of the Corinthians hearing believed, and were baptized. 9 Then spake the Lord to Paul in the night by a vision, Be not afraid, but speak, and hold not thy peace: 10 for I am with thee, and no man shall set on thee to hurt thee: for I have much people in this city. 11 And he continued there a year and six months, teaching the word of God among them. 12 And when Gallio was the deputy of Achaia, the Jews made insurrection with one accord against Paul, and brought him to the judgment seat, 13 saying, This fellow persuadeth men to worship God contrary to the law. 14 And when Paul was now about to open his mouth, Gallio said unto the Jews, If it were a matter of wrong or wicked lewdness, O ye Jews, reason would that I should bear with you: 15 but if it be a question of words and names, and of your law, look ye to it; for I will be no judge of such matters. 16 And he drave them from the judgment seat. 17 Then all the Greeks took Sosthenes, the chief ruler of the synagogue, and beat him before the judgment seat. And Gallio cared for none of those things. 18 And Paul after this tarried there yet a good while, and then took his leave of the brethren, and sailed thence into Syria, and with him Priscilla and Aquila; having shorn his head in Cenchrea: for he had a vow. 19 And he came to Ephesus, and left them there: but he himself entered into the synagogue, and reasoned with the Jews. 20 When they desired him to tarry longer time with them, he consented not; 21 but bade them farewell, saying, I must by all means keep this feast that cometh in Jerusalem: but I will return again unto you, if God will. And he sailed from Ephesus. 22 And when he had landed at Cesarea, and gone up, and saluted the church, he went down to Antioch. 23 And after he had spent some time there, he departed, and went over all the country of Galatia and Phrygia in order, strengthening all the disciples. 24 And a certain Jew named Apollos, born at Alexandria, an eloquent man, and mighty in the scriptures, came to Ephesus. 25 This man was instructed in the way of the Lord; and being fervent in the spirit, he spake and taught diligently the things of the Lord, knowing only the baptism of John. 26 And he began to speak boldly in the synagogue: whom when Aquila and Priscilla had heard, they took unto them, and expounded unto him the way of God more perfectly. 27 And when he was disposed to pass into Achaia, the brethren wrote, exhorting the disciples to receive him: who, when he was come, helped them much which had believed through grace: 28 for he mightily convinced the Jews, and that publickly, shewing by the scriptures that Jesus was Christ.

Quòd ex eo Chriſtus Apoſtolis illam formam præſcripſerit, tantum ſequitur, quòd Eccleſia non poſſit cogere Infideles, quæ non curat de his quæ foris ſunt, non tamen quòd id nequeant Principes ſæculares, de his loquitur Concluſio, non de Principibus Eccleſiaſticis. Sed

Inſtatur: Si Principes Eccleſiaſtici non habent talem poteſtatem, ſequitur nec habere ſæculares à fortiori, ergo. Probatur ſequela: Quia ad ſæculares Principes non pertinet gubernatio circa ſpiritualia & ſupernaturalia, ſed ſolùm circa ſtatum politicum, ergo. Reſpond. negando ſequelam cum ſua probatione: Quia Principes ſæculares defacto habent authoritatem directam puniendi ſacrilegos Judæos, blaſphemos & alia crimina contra legem DEI committentes, eosque minis terrent, ut impoſterum non faciant, cur non ergo poſſint minis cogere, ut ſacrilegam ſectam deſerant minis & terroribus. (morte enim dicitur ordinariè non licerè) Deinde Principes ſæculares licèt non habeant jurisdictionem directam ſuper ſpiritualia, habent indirectam quando videlicet bonum publicum & tranquillitas ac pax communitatis id requirit, quare in ſimilibus caſibus licitè poſſet Infideles cogere ad ſuſcipiendam fidem, vel ad patriam vitandam; per quod patet quid dicendum ſit de aliis ſceleribus contra naturam, puto enim quòd eodem modo eos impedire poſſint, & punire, in quantum bono Reipublicæ adverſantur, & patet experientia Romæ, &c.

Hîc agendum foret de pœnis hæreticorum tam temporalibus, quàm ſpiritualibus, ſed illæ ad Legiſtas pertinent, has ego ſatis fusè pertractavi in materia de Cenſuris, quæ ibi videantur; Judæi autem & Pagani non poſſunt propriè ab Eccleſia puniri utpote cùm ante baptiſmum nullam in eos habeat Jurisdictionem. Et hæc ſufficiant Theologo Scotiſtæ dicta de fide, utpote cùm Magiſter amplius nihil de ipſâ tradiderit, quæ ſicut eſt initium, radix, & fundamentum noſtræ juſtificationis, Concilio Tridentino teſte, ita ſit hæc tractatio, ſcriptio, lectio, medium aliquale ad reportandum *finem fidei noſtræ, ſalutem animarum*, inventi ea omnia feciſſe 1. Petri 1. *in laudem & gloriam, & honorem* JESU *chriſti*, in cujus revelatione exultabimus, ſi nunc modicum oportet contriſtari.

Ad Aphorismum & Materiam præcedentem ſit

Quæſtio Ethica:
Quare in quibusdam Regnis & Regionibus tam frequentes ſint fidei mutationes?

REſpondeo, & dico 1. Quia vel Principes, aut Reges in rebus fidei agunt arbitros, & ſacrorum ſibi uſurpant directionem, quam tamen Chriſtus illis non commiſit, unde neceſſe eſt tanquam alienorum uſurpatores Spiritu agitari erroris. Secundò: Quia Reges & Principes in fidei dogmatibus vacillant & variant, nam ut Salomon in Proverbiis loquitur cap. 29. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios*: hinc exortum eſt commune proverbium: *Plerumque qualis eſt Princeps, talis etiam eſt ſenatus & conſilium, & tales ſunt Miniſtri.* Et aliud ſimile: *Qualis Rex eſt, tales plerumque ſunt ſacerdotes.* Qualis Dominus, talis Servus. Qualis Domina, tales Catellæ & Ancillæ; cùm Princeps amat virtutem, ſapientiam, doctrinam, juſtitiam, Religionem, & ſervos DEI, Miniſtri plerumque tales honorant, laudant, & amant, atque hortantur (ut gratiam venentur) Principem ipſum, ut tales virtutes ſectetur, collaudant easdem atque extollunt, ad quæ reſpexiſſe videtur Claudianus in panegyri de quarto conſulatu Honorij: . . *componitur orbis*
Regis ad exemplum: Nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita Regentis
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.
Et in laudibus Stillicon. paneg. 1.
Scilicet in vulgus manant exempla Regentum
Utq; Ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.

Et ratio eſt: Quia nihil eſt tam rapax quàm natura ſimilium, nam Principes quo in altiori gradu conſiſtunt, plebe jorum & ſimplicium oculos in ſe rapiunt, quidque dicant, agant, ac quomodo vivant diligenter perquirunt, & audita ſequuntur, exempla enim adeo movent animos, ut ſimpliciores exiſtiment, quòd ab illis fit & creditur, à ſe quoque fiendum & credendum, nam in priori ſæculo factum legitur: Quosdam in Imperio dixiſſe: Ego credam, quod Cæſar meus eſt creditura; Sumus enim nobis omnes invicem ſimiæ dictorum, factorum, & creditorum, imitatores, non verba volentes, ſed res affectantes. Veritas hæc plurimis exemplis tam profanis, quàm ex ſacra pagina poteſt comprobari: Nam de Jeroboam Rege Iſraël legitur 3. Regum 12. *Et fecit fana in excelſis & ſacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi. Conſtituitque diem ſolemnem in menſe octava quinta decima die menſis in ſimilitudinem ſolemnitatis, quæ celebrabatur in Juda*: quem totus populus Iſraëliticus eſt ſubſecutus. Similiter Manaſſes 2. Paralip. 33. *Converſus inſtauravit excelſa, quæ dæmolitus fuerat Ezechias pater ejus: conſtruxitque aras Baalim. Et fecit lucos, & adoravit omnem militiam cœli, & coluit eam*, cujus facta pariformiter eſt imitatum totum Regnum, & ſic pluribus in locis etiamnum contingit. Sed ad alia. Aa 2 ETHI-

ETHICÆ SACRÆ

Aphorismus Quartus.

Spera in Domino . . . & dabit tibi petitiones cordis tui.
Pſalm. 36. verſ. 3.

De ſpe, & Fiducia in ſolo Deo habenda.

SYMBOLUM.

Ibi Portus noster, ubi Anchora Proposita.

Bonum eſt . . . ponere in Domino Deo ſpem meam. Pſal. 72. v. 27.
Tamdiu ſperandum eſt, quamdiu deſperare non licet.

Non ſi malè nunc: & olim
Sic erit. Horat.

Declaratio Aphorismi & Symboli.

1. Spes in DEO ſolo habenda.

Vlm & efficaciam hujus aphorismi expertus fuit à DEO approbatus Ethicus Pſalm. 72. *Mihi autem adhærere DEO bonum eſt: ponere in Domino DEO ſpem meam*, quando DEUS illum eripuit de manu omnium inimicorum ſuorum, & de manu Saul, 2. Regum 22. ubi dicit: *DEUS fortis meus, ſperabo in eum: ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ: elevator meus, & refugium meum: Salvator meus, de iniquitate liberabis me.* Unde alibi admonet omnes afflictos, anxios, & in tribulatione poſitos, Pſalm. 145. *Nolite confidere in principibus: in filiis hominum in quibus non eſt ſalus*, nam ut pulchrè admonet Minutius pag. 389. *Næ ille miſerabilis cujus in homine mortali ſpes omnis innititur, totum enim ejus auxilium cum extincto homine finitur.* DEUS autem æternus eſt, nihilque mutabilitatis admittit, omniaque poteſt,

poteſt, & quidquid vult rectum eſt bonum: *Ipſe enim*, loquor cum Oroſio, 7. cap. 2. *Unus & ſolus eſt arbiter ſæculorum, regnorum, locorumq; omnium* DEUS. Et D. Cyprianus 1. Epiſt. 3. *DEI nutu & arbitrio regi, & gubernari omnia ſcimus & credimus*, omne enim auxilium, omnis ſalus in cunctis neceſſitatibus unicum remedium ab illo ſperandum eſt, ejus omnipotentia enim adjuvare poteſt infirmitatem noſtram. Ejus miſericordia compatitur infirmitati noſtræ. Ejus fidelitas (quæ noſtra incredulitate non evacuatur) in tentationibus, periculisque proteget nos, ſalvabit nos, ventorum igitur murmur premat, premat tempeſtatum furor, & cymbam inter ſcopulos agitet, jactanda eſt cura ſupra illum, & ſperandum in Domino, ipſe dabit petitiones cordis tui, ut aphorismus promittit, & cymbam in portum deducet optatum, nam Providentia ejus fortiter & ſuaviter in adverſis & proſperis dirigit vias & ſemitas noſtras, in ſolido & liquido æquore, hanc ſpem & fiduciam ſi Petrus habuiſſet majorem, non cæpiſſet mergi; hac habita & concepta de fluctibus fuit erectus; Eadem Spes & fiducia Doctorem Gentium tertiò naufragantem de profundo pelagi liberavit, omnesque animas impetravit, qui cum illo navigabant, uti legitur Actorum 27. ita affectos, & animo dejectos conſolans & aſſecurans. *Nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe, amiſſio enim nullius animæ erit ex vobis, præter quam navis, aſtitit enim mihi hac nocte Angelus* DEI, *cujus ſum ego, & cui deſervio, dicens: Ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere: & ecce donavit tibi* DEUS *omnes qui navigant tecum.* Unde Eccleſiaſticus hortatur omnes turbatos cap. 7. *Noli eſſe puſillanimis in animo tuo*, ubi græca verſio habet: *Noli eſſe puſillanimis in oratione tua*, nam cum magna fiducia & ſpe in tribulationibus noſtris orandus eſt Deus, nec propter ulla peccata, eorumque multitudinem deſperandum, ſeu diffidendum de DEI bonitate & miſericordia, ſed fiducialiter invocandus, nam ſpes & fiducia in illum eſt quaſi anima, & nervus orationis, quod olim etiam Cato decrevit in his verſibus:

Rebus in adverſis animum dimittere noli,
Spem retine: Spes una hominem nec morte relinquit.

Audiatur ipſa Domini atteſtatio Pſalm. 90. *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum:* imò totus ille pſalmus de tentationibus & afflictionibus hominis agit, & eum ad ſpem & fiduciam in DEO collocandam excitat, ideoque ab Eccleſia in Completorio Officij divini recitatur, ut religioſæ mentes à nocturnis illuſionibus & tentationibus præſerventur, ſancteque dicitur à piis fidelibus, ſive in itineribus, ſive in navigationibus, ſive quandoque aliquod periculum aut neceſſitas imminet, quod piè contemplans S. Bernardus ſerm. 15. in dictum Pſalmum 90. Miſericordiæ divinæ hoc eſſe beneficium: *Non enim dedignatur eſſe Spes miſerorum miſerator & miſericors Dominus: non ſeipſum liberatorem ſimul & protectorem in ſe ſperantibus exhibere recuſat. Quoniam in me ſperavit (inquit) liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Nempe, niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam, ſive ille homo, ſive etiam Angelus eſſet.* Et pòſt multa alia encomia, ſubdit: *Poſtremò beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & utique vita in voluntate ejus, & in beneplacito ejus ſalus æterna. Quoniam in me ſperavit, liberabo eum. Dulciſſima liberalitas, in ſe ſperantibus non deeſſe. Hoc enim totum hominis meritum, ſi totam ſpem ſuam ponat in eo, qui totum hominem ſalvum facit. In te ſperaverunt Patres noſtri, ſperaverunt & liberaſti eos, ad te clamaverunt & ſalvi facti ſunt: in te ſperaverunt, & non ſunt confuſi. Quis enim ſperavit in eo & confuſus eſt? Sperate in eo omnis congregatio populi. Quemcunque enim locum calcaverit pes veſter, veſter erit. Pes veſter utique ſpes veſtra eſt: & quantumcunque illa proceſſerit obtinebit, ſi tamen in DEUM tota figatur, ut firma ſit & non titubet.*

2. Peccatores ſperent in DEO.

Magnæ proinde virtutis & efficaciæ eſt ſperare in Domino, quia non ſolùm liberat à morte, morbis, periculis, ſed etiam à peccatis juxta illud Matth. 9. *At* JESUS *converſus, & videns eam dixit: confide filia, fides tua te ſalvam fecit. Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora:* quare S. Joannes Chryſoſtom. in illud Eccleſ. 2. *Nullus qui ſperavit in Domino eſt confuſus.* Ait: *Non dixit juſtus. Sed quis? Etſi ſit peccator. Hoc enim admirabile, quod etiam peccatores hanc anchoram ſpei tenentes ſint ab omnibus inexpugnabiles.* Idem in Pſalm. 117. ſibi objicit: *Dices: Ego ſperavi, & ſum pudore affectus. Bona verba quæſo ô homo: nè divinæ ſcripturæ obloquaris: Nam ſi pudore affectus es, ideo affectus es, quod non ut oportuit ſperaveris, ex eo quòd puſillo & anguſto animo fueris, quòd ceſſeris, quòd finem non expectaveris. Hoc enim vel maximè eſt ſperare, quando in media mala & pericula fueris conjectus, tunc erigi.* Non ſolùm purgat mentem à triſtitia & animi mœrore ſed etiam hominem ingentibus repletbonis & conſolationibus, ſecundùm quod Pſaltes dicit pſalm. 93. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Has conſolationes quoque ſenſiſſe videtur Job, quando cap. 17. dixit: *Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra me.* Tales quoque fuerunt Abraham, Joſeph, Phinees, Joſue, Caleb, David, Elias, Ananias, Daniel, & alij qui enumerantur 1. Mach. 2. & concluditur: *Et ita cogitate per generationem & generationem:*

TRACTATUS III.

Von Ordnung der Kirchen Spolien.

Es ist nicht ohne / daß die Kirchen Spolien / oder Kirchen Ordnungen / in vielen Stücken mit den Policey Ordnungen übereinkommen / und gleichsam Policey Ordnungen sind / welche die Kirchen-Diener / und die Kirchen-Sachen / betreffen. Dann / gleichwie die Policey Ordnungen / die Gemeine Wesen / und alle Sachen / so darinnen vorgehen / in gute Ordnung bringen / und darinnen erhalten / also thun auch die Kirchen Spolien / in Ansehung der Kirchen / und alles / was darinnen vorgehet / und darzu gehöret. Und / gleichwie die Policey Ordnungen / nicht allein / was gut / und was böse / ist / anzeigen / sondern auch / wie das gute zu befördern / und das böse zu verhindern / und zu bestrafen / sey / also thun auch die Kirchen Spolien / in Ansehung der Kirchen / und alles / was darinnen vorgehet / und darzu gehöret. Und / gleichwie die Policey Ordnungen / nicht allein / was gut / und was böse / ist / anzeigen / sondern auch / wie das gute zu befördern / und das böse zu verhindern / und zu bestrafen / sey / also thun auch die Kirchen Spolien / in Ansehung der Kirchen / und alles / was darinnen vorgehet / und darzu gehöret.

DISPUTATIO I.

De

Spe ſecundum ſe.

Quæſtio I.

Quid ſit Spes, an ſit virtus Theologica, à Fide & Charitate diſtincta?

2. Spes habet varias acceptiones.

PRo prima parte tituli Nota, nomen Spei multas habere ſignificationes, nam Primò communiſſimè ſignificatum dicitur quæcunque expectatio futuri eventûs, ſeu boni, ſeu mali, nam Cicero lib. 1. ad Atticum: *Spem malorum* dicit, & Virgilius inducit Didonem: *Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.* Verùm hanc eſſe impropriam acceptionem cenſet D. Auguſtinus l. 8. Enchiridii, & probat authoritate grammaticorum. Secundò dicitur propriè Spes expectatio futuri boni, ſic Cicero q. 4. Tuſculan. eam à timore diſtinguit, & lib. 6. epiſt. fam. *Semper*, inquit, *magis adverſos rerum eventus metuimus, quàm ſperamus ſecundos*, idemque confirmat D. Auguſtinus ſuprà authoritate Lucani dicentis: *Liceat ſperare timenti*; ſed hæc eſt nimis generalis acceptio. Tertiò accipitur Spes pro acceptatione boni ſenſibilis, quo pacto, Spes eſt una quædam paſſio appetitûs ſenſitivi, & differt à gaudio, quia gaudium eſt reſpectu boni præſentis, ſed Spes reſpectu futuri, atque ita loquitur Boëtius 1. de conſol. metro ultimo: *Gaudia pelle, pelle timorem, ſpemque fugato*, ſed nec ſic eſt ad noſtrum propoſitum. Quartò accipitur Spes pro objecto ſpei, hoc eſt pro re ipſa, quam ſperamus, ut ad Roman. 8. *Spes quæ videtur, non eſt ſpes.* Et ad Titum 2. *Expectantes beatam ſpem.* Quintò accipitur Spes pro actu ſpei, & in hac ſignificatione intelligit Gloſſa ſuper illud Matth. 1. *Abraham genuit Iſaac, Iſaac genuit Jacob.* Id eſt, inquit Gloſſa: *Fides genuit ſpem, Spes Charitatem.* Quod nequit intelligi niſi de actu ſpei, nam habitus ſimul infunduntur. Sextò accipitur Spes pro habitu inclinante ad deſiderandam & expectandam futuram Beatitudinem, quam proinde definio, &

3. Spes habitualis definitur.

DICO 1. *Spes Theologica bene definitur, quòd ſit virtus Theologica, inclinans ad actum deſiderij circa Bonum infinitum abſens, ut ab ipſo ſperante fruendum & poſſidendum.* Hæc deducitur ex Doctore 3. d. 26. q. un. §. *ad quæſtionem igitur*, ubi ait: Spes eſt Virtus inclinans ad hunc actum nempe deſiderare bonum infinitum ineſſe nobis bonum, & hoc à DEO ſeipſum liberaliter conferente; non quidem primo, ſed propter aliquid aliud acceptum ſibi ordinatum ad illud, ut propter merita. Hæc Concluſio non tam indiget probatione, quàm explicatione, quatuor enim requirunt Theologi communiter ad rationem ſpei. Primò, quòd objectum ejus ſit bonum ipſi ſperanti, quia ſpes cùm ſit amor concupiſcentiæ, non fertur niſi in bonum amantis. Secundò, quòd illud bonum non ſit jam poſſeſſum à ſperante, quia Spes eſt quædam proſecutio boni acquirendi, neque Spes quæ jam poſſidetur eſt Spes. Tertiò, quòd bonum illud ſit poſſibile, & ſaltem apprehendatur tanquam poſſibile acquiri, quia Spes propriè dicta nunquam fertur in impoſſibile apprehenſum ut tale. Addunt quartò, quòd bonum illud ſit arduum & difficile acquiſitu, quæ omnes conditiones in noſtra definitione ſufficienter exprimuntur, nam imprimis dicitur, quòd Spes Theologica ſit circa bonum infinitum, quod eſt maximè bonum ſperanti. Secundò additur, quòd hoc bonum debeat eſſe abſens, & nondum à ſperante poſſeſſum. Tertiò per ly *Fruendum & poſſidendum*, exprimitur & ſaltem ſupponitur poſſibilitas objecti reſpectu ſperantis. Quartò denique hoc ipſo quòd dicatur bonum eſſe infinitum, intelligitur eſſe arduum & difficile ſperanti, ergo illa definitio continet omnes conditiones veræ ſpei Theologicæ, adeoque eſt ſufficiens & bona.

4. Spes actualis deſcribitur.

DICO 2. *Spes actualis, eſt efficax deſiderium & expectatio certa futuræ Beatitudinis conſequendæ ex gratia DEI & meritis.* Hanc definitionem ſic explicat doctiſſimus Gerſon: Spes eſt certa certitudine non aſſenſûs, ſed inclinationis ex parte DEI, non ex parte noſtra: *Per duas res enim immobiles firmiſſimum ſolatium*, inquit Apoſtolus ad Hebræ. 6. *Expectatio* dicitur ad excludendam comprehenſionem futuræ beatitudinis ad differentiam timoris ſervilis, qui dicitur expectatio miſericordiæ: *ex gratia DEI*, id eſt DEI benignitate conſiderata; & *meritis* ad differentiam præſumptionis, quæ ex DEI benignitate tantùm conſiderata, & non cum hoc ex meritis beatitudinem adipiſci credit.

5. Spes eſt propriè & ſtrictè virtus Theologica.

DICO 3. *Spes eſt propriè & ſtrictè virtus, eaque Theologica.* Ita Comptonus, Aretinus. Probatur 1. pars. Omnis actus bonus hominis reſpondet alicui virtuti huma-

humanæ tanquam suo principio, sed sperare bonum arduum, possibile nobis, & à DEO obtinendum est actus bonus & laudabilis, ergo correspondet alicui virtuti tanquam suo principio, & consequenter habitus spei, cui respondet est virtus. Probatur 2. pars: Quia Spes habet omnes conditiones requisitas ad rationem hanc, ut sit Theologica, nam Doctor citatus dicit: Tres conditiones ponuntur pertinere ad virtutem Theologicam. Prima est, respicere DEUM pro primo objecto. Secunda, habere pro regula primam regulam humanorum actuum, non autem regulam acquisitam. Tertia immediatè infundi à DEO, sicut à causa efficiente, atqui has habet, quod patet, adeoque ibidem dicit: Concludendum est, quod Spes licèt ad hoc, quòd sit virtus Theologica, requirat duas primas conditiones, & in quantum habet illas, habeatur pars propositi: completivè tamen habetur, quòd sit virtus Theologica ex tertia conditione ex hoc scilicet, quod ipsa est nata infundi: & si non infundatur, non habetur ita perfectè, sicut nata est haberi ex infusione, cùm enim suprema portio rationis immediatè subdatur DEO, non perficitur perfectissimè ab aliquo creato, sed immediatè à DEO perficiente: habitus autem, qui natus est esse circa Deum immediatè, ut circa objectum, & inniti sibi, ut primæ regulæ, immediatè natus est perficere supremam portionem: igitur licèt aliquis habitus acquisitus possit haberi: non tamen perfectissimus, & per consequens, sicut dictum est supra de fide, quod est aliqua acquisita, & cum hoc etiam necessariò requiritur infusa, licèt necessitas illius infusæ non possit probari per rationem naturalem, eodem modo dicendum est in proposito de spe. Et sicut illa salvatur Theologica propter objectum, & regulam, & aptitudinem, ut infundatur, quæ concluditur ex portione superiore recipiente: ita etiam arguitur in proposito de spe, licèt aliqua Spes possit esse acquisita, sicut & aliqua Fides.

6. Religio, &c. quare non sint virtutes Theologicæ.

DICES: Ergo Religio est virtus Theologica, cùm feratur in cultum DEI, & hoc modo etiam in DEUM. Respond. negando illatum, ad probationem dico, discrimen esse in modo, quo in duobus actibus includitur DEUS, in objecto quippe Religionis, quod est cultus DEI, non includitur DEUS ut objectum, neque ut pars constituens, aut complens objectum Religionis, sed ut finis ad quem cultus & honor, qui est completum objectum Religionis, ordinatur, sed in objecto spei, quod est visio, includitur DEUS ut complens & constituens objectum integrum. Ex his intelligitur, quare Religio, Obedientia, Justitia, erga DEUM, pœnitentia & similes non sint virtutes Theologicæ sed morales, sint verò Fides, Spes, & Charitas. Primò, quia non infunduntur per se. Secundò, quia secundum quid respiciunt DEUM quasi indirectè & ut finem cui, Religio intendendo bonum cultûs ratione ipsius excellentiæ, obedientiæ bonum subjectiones Legislatori, Justitia divinum Jus illæsum, pœnitentia compensat injuriam factam DEO, etsi enim negari nequeat istas virtutes DEUM respicere, non tamen respiciunt illum directè, sed aliquod creatum ad DEUM pertinens.

7. Spes est virtus distincta à Fide & Charitate.

DICO 4. *Spes Theologica est virtus distincta simpliciter à Fide & Charitate.* Est communis, & Scoti 3. d. 26. q. un. n. 10. & sequentibus contra quosdam, quos sæpe idem citat. Probatur: Quia Scriptura & Patres ubique loquuntur de ipsis tanquam de distinctis & diversis virtutibus, dum dicunt, tria hæc spem, fidem, & charitatem manere, & esse nobis infusa. Item fidem & spem non esse mansuras in Patria, cujus contrarium de charitate docent, & specialiter hoc de fide docet Apostolus ad Ephes. 3. *In quo*, inquit, *habemus fiduciam per fidem ejus*, ubi nugaretur Apostolus, si idem per fidem & fiduciam intelligeret, unde Augustinus Serm. 2. de verbis Apostoli: *Domus*, inquit, *DEI credendo fundatur, sperando erigitur, & dilegendo perficitur.* Dein sicut Fides est actus intellectûs, quo credo revelatis à DEO propter ejus veracitatem, Spes autem quo spero & appeto bonum absens & possibile; de charitate etiam constat, quia imprimis potest actus spei esse informis & sine charitate; sicut defacto definit Tridentinum manere in peccatore amissâ per peccatum charitate. Deinde actus spei sequitur affectionem commodi, estque amor concupiscentiæ, actus verò charitatis affectionem Justitiæ, & post Amor Amicitiæ. Denique actus charitatis tendit in Deum, ut in se bonus est, actus verò spei tendit in ipsum ut est mihi bonus, ergo.

ARGUITUR 1. Solius virtutis moralis proprium est, consistere in medio duarum malitiarum, inter scilicet, defectum & excessum, sed Spes est medium inter præsumptionem & desperationem, ergo tantum est virtus Moralis & non Theologica. Probatur major: Quia tendendo in DEUM per quemcunque actum virtutis Theologicæ non potest dari excessus, nemo enim diligendo, desiderando aut credendo in DEUM potest excedere, cùm adhuc DEUS sit magis diligendus & desiderandus, ergo nulla virtus Theologica potest esse medium duarum malitiarum. Respond. dist. maj. proprium est solius virtutis moralis habere medium tam ex parte actûs, quàm ex parte objecti, & in eo consistere, conc. majo. & hoc modo nulla virtus Theologica habet medium ex parte objecti, proprium est ipsius habere medium ex parte actûs tantùm,

Digitized by Google

tantùm, neg. majo. quia poteſt in actu tendente in DEUM eſſe exceſſus & defectus, & hoc modo inquit Scotus poteſt concedi fides eſſe media inter levitatem, quâ quis nimis leviter credit, quod non erat credendum, juxta illud Eccleſiaſt. 9. *Qui cito credit, levis eſt corde*, & inter pertinaciam, qua quis nimis reſiſtit credendis, nolens alicui aſſentiri, niſi per rationem naturalem oſtendatur, nec aliter Spes habet. Medium inter præſumptionem & deſperationem.

8. Voluntati ineſt duplex inclinatio adeoque duplex virtus.

ARGUITUR 2. Duo perfectibilia reſpectu ejusdem neceſſariò objecti ſufficienter perficiuntur duabus perfectionibus, ſed in anima non ſunt, niſi duæ potentiæ perfectibiles reſpectu objecti increati, intellectus ſcilicet & voluntas, ergo ſicut intellectus in ordine ad idem objectum ſufficienter perficitur per habitum ſolius fidei, ita & voluntas per habitum ſolius charitatis, adeoque non eſt ponenda tertia virtus Theologica. Reſpond. cum Scoto diſt. maj. quando quodlibet perfectibile ex illis non habet niſi unam inclinationem & affectionem, ſecundùm quam petit perfici circa idem objectum, conc. maj. quando plures & diverſas habet inclinationes & affectiones, neg. maj. in propoſito autem voluntas, licèt ſit unum perfectibile, habet diverſas & inclinationes, & affectiones circa objectum increatum, affectionem ſcilicet Juſtitiæ, qua per actum amoris amicitiæ tendit in DEUM immediatè, ut in ſe bonus eſt, & affectionem commodi, qua per actum concupiſcentiæ tendit in DEUM ut mihi bonum, & uterque actus eſt bonus & ordinatus, adeoque debet eis correſpondere alius & alius habitus, non ſic inquit Scotus de intellectu, qui non habet niſi unam affectionem intelligentiæ, qua in DEUM tendit intelligendo, & ex revelatione credendo, ad quod ſufficit unus habitus.

DICES: Per ſpem acquiſitam poſſum ſperare mihi promiſſum hominis veracis, ergo à fortiori per eandem poſſum ſperare promiſſum DEI veracis ſecluſa ſpe infuſa, adeoque talis ſuperfluit. Reſpond. argumentum tantùm probare, nos non poſſe ratione naturali demonſtrare, dari in nobis ſpem ſupernaturalem & infuſam, ſicut de fide infuſa diximus, oportet tamen inquit Scotus propter authoritatem Scripturæ & Conciliorum eas admittere, unde neg. ultimam conſequentiam.

ARGUITUR 3. Eâdem qualitate diſponitur quis ad amandum bonum præſens, & deſiderandum abſens, ſed per charitatem ſufficienter diſponitur ad amandum præſens, ergo & ad deſiderandum abſens, ergo ulterius Spes aut deſiderium boni abſentis non diſtinguitur à charitate. Probatur maj. eadem qualitate tendit quis in terminum non habitum, & quieſcit in habito, ut patet de gravi per ſuam gravitatem deſcendente ad centrum, & in eodem centro per eandem quieſcente, unde Auguſt. 9. de Trinit. c. ult. *Appetitus*, inquit, *inhiantis, ſit amor fruentis*. Reſpond. diſt. maj. eadem qualitate diſponitur quis ad amandum bonum præſens & ad deſiderandum abſens in ſe & propter ſe, conc. maj. ad amandum præſens in ſe & propter ſe, & ad deſiderandum mihi idem abſens, quia mihi commodum eſt, neg. maj. & utramque conſequentiam.

ARGUITUR 4. Sperare mihi beatitudinem nihil aliud eſt, quàm tenere me juſtum finaliter ſalvandum, ſed hoc per fidem teneo, ſicut teneo per fidem omnem juſtum finaliter eſſe ſalvandum, ergo non differt Spes à Fide. Reſpond. neg. maj. ſed eſt potius deſiderare me finaliter ſalvandum.

Quæſtio II.

Cujus potentiæ ſit actus Spei.

1. Aliqui tenent ſpem eſſe actum intellectûs.

DEfinivi ſupra ſpem actualem eſſe deſiderium, & conſequenter illius potentiæ erit ſperare, cujus deſiderare, nempe voluntatis, prout etiam communiter ſentiunt Authores, quamvis & hîc inter ſe diſtincti ſint, communiùs tamen tenetur in deſiderio complacentiæ. Aliqui à Suarez hic diſp. 1. ſec. 2. ſuppreſſo nomine citati, docent in actu intellectûs conſiſtere ſpem, ſic etiam Pontius in Commentario ſuper diſt. 26. lib. 3. magis ſibi placere dicit illam ſententiam, quam ibi ponit, quòd conſiſtat in opinione, quâ quis indicat, ſe conſecuturum beatitudinem, aut aliud bonum, quod ſperat. Pro quo

2. Deſiderium duplex eſt amicitiæ & complacentiæ.

NOTANDUM 1. Duplex eſſe *deſiderium concupiſcentiæ*, ſcilicet, & *amicitiæ*; deſiderium *amicitiæ*, eſt amor alicujus propter ſe, quo quis optat illi bonum ſine ordine ad ſe ipſum, ita ſcilicet, ut non moveatur ad amandum ipſum aut optandum ipſi bonum, quia id cedit in emolumentum proprium ſuum. Deſiderium verò *concupiſcentiæ* eſt amor, quo quis deſiderat ſibi ipſi bonum, quatenus bonum ſuum proprium eſt, aut quo vult bonum ſive ſibi, ſive alteri, quatenus inde ſequitur ſuum emolumentum.

3. Deſiderium aliud etiam efficax & inefficax.

NOTANDUM 2. Duplex eſſe adhuc deſiderium *Efficax*, ſeu abſolutum, & *Inefficax*, ſeu conditionatum. Primum eſt, quando apprehenditur & deſideratur objectum ut poſſibile acquiri per hæc vel illa media, volendo & imperando poſitionem illorum. Secundum, dum deſideratur quidem objectum, ſed non ut poſſibile ſibi, tamen ſi eſſet poſſibile velletillud, ſic projiciens merces in mare, ut vitam ſalvet, projectionem vult abſolutè, retentionem mercium deſiderat, ſed inefficaciter, & conditionatè ſi eſſet poſſibile illas

Digitized by Google

illas retinere cum vita, sic etiam desperati desiderant quidem vitam æternam, sed tantùm conditionatè, quia non apprehendunt eam ut sibi possibilem, si quis verò desideret vitam æternam ut sibi possibilem, & non velit positionem mediorum, præsumptuosus erit, quia sine gratia & meritis illam sperare non Spes, sed præsumptio est. His prænotatis

4. Spes non est in intellectu.

DICO 1. *Spes non est in intellectu.* Est contra Pontium communis Scotistarum & Theologorum. Probatur 1. Intellectus nullos habet actus circa objecta supernaturalia præter actus credendi, sed actus credendi sunt actus fidei, & non spei, ergo Spes non potest esse in intellectu. Probatur 2. Sicut judicare & opinari possum per merita me consecuturum præmium, sic judicare & opinari possum me propter peccata mea puniendum, ergo si sperare est opinari, utraque opinio erit Spes, sed hoc est falsum, ex una enim opinione oritur Spes, ex altera timor, ergo. Probatur 3. Non ponitur habitus supernaturalis in ordine ad opinionem quæ habetur à sperante de bono futuro, sed habitus supernaturalis Spei ponitur in ordine ad actum Spei, ergo actus Spei non erit opinio. Probatur major. Non debet habitus supernaturalis poni in ordine ad actum falsum, sed tale judicium de consequenda beatitudine potest esse falsum, ut quando reprobus existens in gratia sperat se consecuturum beatitudinem, quam tamen non consequetur, cùm sit reprobus, ergo.

5. Spes consistit in actu voluntatis efficaci.

DICO 2. *Spes actualis consistit in actu voluntatis, qui est desiderium efficax concupiscentiæ alicujus boni futuri.* Est Doctoris, Aretini, contra Comptonum, quoad illam partem, quòd sit desiderium concupiscentiæ, seu quòd sit in parte concupiscibili. Probatur 1. Quia objectum circa quod versatur actus Spei est de se concupiscibile, & immediatè, & non per aliud, ergo actus, qui versatur circa tale objectum est actus potentiæ concupiscibilis, consequentia patet, ipsa enim potentia dicitur concupiscibilis ab actibus, & præcisè ab illis circa objecta, quæ sunt immediatè appetibilia. Probatur 2. Quia nihil obstat, quo minus talis habitus ponatur in voluntate respectu desiderij concupiscentiæ, sicut obstabat respectu opinionis, est enim actus bonus super quem non cadit falsitas.

6. Spes etiam vult media ad salutem.

DICO 3. *Habitus spei non solùm est principium actuum desiderij, sed etiam nolitionis actualis impedimentorum, ac volitionis applicandi media necessaria ad conservationem boni desiderati.* 1. Pars est communis, & patet. Secunda Probatur. Quæcunque virtus tendit in prosecutionem objecti, eadem tendit in nolitionem impedimentorum, & volitionem applicandi media, neque enim hæ volitiones & nolitiones refundi possunt in aliam virtutem quàm prosecutionem boni, respectu cujus sunt impedimenta, aut media, ergo habitus Spei non solùm concurrit ad desiderium, sed etiam ad nolitionem impedimentorum, & volitionem mediorum. Confirmatur: Quia Charitas habet pro actibus amorem DEI, & nolitionem omnis illius rei, quæ est contra amorem, ergo habitus inclinans ad desiderandum DEUM non solùm habebit desiderium, sed etiam nolitionem.

7. Spes non producit physicè dolorem.

DICO 4. *Non producuntur proximè & physicè ab habitu Spei dolor de impedimento posito consequendi rem speratam, si ille dolor non sit nolitio impedimenti, nec timor de non consequendare sperata.* Probatur: Dolor & timor si non sint nolitiones, erunt passiones, sed ad passiones producendas non requiruntur habitus, ergo, &c. Dixi proximè & physicè, quia possunt ab ir so produci, quatenus habitus producit desiderium rei speratæ, & nolitionem impedimentorum, ad quæ sequuntur dolor & timor. Sed contra secundam conclusionem

ARGUITUR 1. Nullus desperans habet spem, sed desperans desiderat beatitudinem, seu habet desiderium beatitudinis, ergo desiderium non est Spes. Probatur minor, quia tristatur de amissa, nemo autem tristatur de amissione rei, quam non concupiscit, ergo. Respond. distin. min. desiderio efficaci, nego. Inefficaci, concedo. Et distin. conseq. desiderium inefficax non est Spes, conc. efficax, nego. Ad probationem dico, quòd ad tristitiam non requiratur desiderium efficax, sed sufficit inefficax, & conditionatum.

INSTATUR: Ex communi usu intelligentium omnium linguas, quorum nullus dicit in quacunque lingua esse idem, desidero efficaciter beatitudinem, & spero beatitudinem, ergo sperare non est desiderare. Respond. quòd licèt apud Grammaticos hæc non sint idem, re ipsa tamen sunt, quòd autem pro eodem accipiantur est, quia v. g. sperare est impositum ad significandum desiderium cum connotatione opinionis seu Judicij suppositi, ly autem desiderare non est impositum cum tali connotatione, ac proinde non videntur idem.

ARGUITUR 2. Illi, qui desperat, suadetur, ut concipiat talem opinionem, quam si concipiat, statim definit desperatio, ergo signum est, quòd Spes consistat in tali opinione. Respond. negando consequ. solùm enim habetur, quòd concepta tali opinione apprehendantur motiva, quæ moveant ipsum credendo ad sperandum, & amoveantur motiva moventia ipsum ad desperandum. Doctor 3. d. 26. dicit: *Desperanti suadetur, ut credat, & non ut diligat.* Quia prima radix hujus erroris, scilicet quòd non absolutè desi-

Digitized by Google

Chap. III. Of Mankind, their Duty to God.

Sect. I. Of Religion in general.

Religion, what.

Religion is the Practice of Piety and Virtue, or the Performance of all Duties to God and Man, from a Principle of Love to God.

Natural Religion.

Natural Religion is that which is discoverable by the Light of Nature, or Reason.

Revealed Religion.

Revealed Religion is that which is discovered by Revelation, or Divine Inspiration.

Christianity.

Christianity is the Religion which God has revealed to Mankind by his Son Jesus Christ.

Sect. II. Of the Duty of Mankind to God.

Duty to God.

Our Duty to God consists in Faith, Hope, Love, Fear, Worship, Obedience, Thankfulness, Resignation, Prayer, and Praise.

Faith.

Faith is a firm Belief of the Existence and Perfections of God, and of the Truth of his Revelations.

Hope.

Hope is a Confidence in God's Goodness, and a Reliance on his Promises.

Love.

Love is a Desire to please God, and to be like him.

Fear.

Fear is a Dread of displeasing God, and of incurring his Punishments.

Worship.

Worship is the Acknowledgment of God's Perfections, and of our Dependence on him.

Obedience.

Obedience is a Conformity to God's Will, and a Submission to his Commands.

Thankfulness.

Thankfulness is a Sense of God's Goodness, and a Gratitude for his Favours.

Resignation.

Resignation is a Submission to God's Will, and a Patience under his Dispensations.

Prayer.

Prayer is a Petition to God for Things agreeable to his Will.

Praise.

Praise is a Declaration of God's Perfections, and of our Thankfulness for his Favours.

Ad Ma-
tutinas.

Ad Ma-
tutinas.

Ad Ma-
tutinas.

[illegible] [illegible] [illegible] [

3. In operibus bonis potest aliqua fiducia collocari.

DICO 2. *Licèt per se loquendo, & ob periculum deceptionis, & inanis gloriæ tutiùs sit & melius in sola DEI misericordia & benignitate totam fiduciam nostram ultimatè reponere, in bonis tamen operibus, quæ verè talia sunt, potest licitè aliqua fiducia collocari.* Est communis Theologorum, & Probatur 1. Pars, nam Daniel. 9. dicitur: *Neque in justificationibus nostris, prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* Et idem orat Ecclesia in quadam collecta: *DEUS qui conspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus.* Et in Canone post consecrationem: *In quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus Largitor admitte.* Et ratio est: Quia, quamvis quis habeat conjecturas aliquas & certitudinem quandam moralem se habere bona opera, tamen hæ conjecturæ plerumque sunt fallibiles, & ulteriùs bona opera non habent jus ad vitam æternam, nisi ex liberali DEI promissione, ergo tutiùs & meliùs in promissionem DEI & misericordiam refundenda est fiducia nostra, quàm in opera, maximè cùm sic melius evitetur periculum deceptionis & vanæ gloriæ, nec credo ullum Christianum post Pelagianos ita ponere fiduciam in operibus, ut DEI misericordiam & gratiam excludat.

Secunda Pars Conclusionis Probatur: Quia plurimi sanctissimi viri talem fiduciam in operibus collocârunt, ut constat de Davide per Psalm. 16. confidenter ait: *Probâsti Cor meum & visitâsti nocte, igne me examinâsti, & non est inventa in me iniquitas.* Et Ezechias apud Isaiam 38. c. *Obsecro Domine, memento, quomodo ambulaverim coram te, & quod bonum est in conspectu tuo fecerim.* Et Paulus 2. Tim. 4. *Bonum*, inquit, *certamen certavi, cursum consummavi*, &c. *in reliquo reposita est mihi Corona Justitiæ, quam reddet*, &c. Et S. Hieronymus in vita Pauli 1. Eremitæ scribit eundem morti propinquum dixisse: *Peracto cursu superest mihi corona Justitiæ.* Et S. Hilarius ut idem refert: *Egredere*, inquit, *Anima mea, egredere, quid times, septuaginta propè annis servivisti Christo, & mortem times?* quibus consonat illud Tobiæ 4. *Fiducia magna erit coram summo DEO eleemosyna omnibus facientibus eam.* Probatur 2. Authoritate S. Augustin. lib. de grat. & lib. arbit. cap. 8. ubi ait: *Nascitur non parva quæstio, quæ Domino donante solvenda est: Si enim vita æterna bonis operibus redditur, sicut apertissimè dicit scriptura. Quoniam DEUS reddet unicuique secundùm opera ejus: quomodo gratia est vita æterna, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, ipso Apostolo dicente: Ei qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm meritum. Et iterum: Reliquiæ*, inquit, *per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Et mox addidit. Si autem gratia jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia. Quomodo ergo est gratia vita æterna, quæ ex operibus sumitur? An fortè vitam æternam non dixit Apostolus gratiam? imò verò sic dixit, ut negari omnino non possit, nec intellectorem acutum, sed tantummodo intentum desiderat auditorem. Cùm enim dixisset, Stipendium peccati mors: continuò subdidit: Gratia autem DEI vita æterna in Christo JESU Domino nostro. Ista ergo quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolvi, nisi intelligamus & ipsa bona opera nostra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere, propter illud, quod ait Dominus JESUS sine me nihil potestis facere. Et ipse Apostolus cùm dixisset: Gratia salvi facti estis per fidem & hoc non ex vobis, sed DEI donum est, non ex operibus, nè fortè quis extollatur NB. vidit utique putare posse homines hoc ita dictum, quasi necessaria non sint opera bona credentibus, sed eis fides sola sufficiat: & rursus posse homines de bonis operibus extolli, velut ad ea facienda sufficiant sibi. Mox itaque addidit: ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo JESU in operibus bonis, quæ præparavit DEUS, ut in illis ambulemus.* Probatur 3. Ratione quia videre in bonis operibus nihil aliud est, quàm judicare nos illa opera rectè fecisse, quod probabiliter & certò quasi moraliter scire possumus, & ex hoc expectare præmium à Deo promissum tali operi, quorum neutrum videtur illicitum.

Opponitur authoritas Scripturæ, nam Psalm. 48. reprehenduntur, qui confidunt in virtute sua. Et Lucæ 18. reprehenditur Pharisæus confidens in suis meritis. Et ad Corinth. dicitur, ut non simus confidentes in nobis, sed in DEO, ergo. Respond. eos reprehendi, qui ita confidebant in suis meritis, quasi ex se ipsis & non ex gratia DEI essent talia merita, & præmium eis correspondens, & qui superbè præferebant se aliis, eos contemnentes, & denique qui nimis præsumptuosè se esse justos confidebant, cùm citra revelationem nemo sciat, utrum odio an amore dignus sit, unde ad Philipp. 2. monemur ut cum timore salutem nostram operemur.

ARGUITUR 2. Christus Joann. 10. reprehendit mercenarios, sed qui operatur Spe mercedis est mercenarius, & hinc Bern. lib. de diligendo DEUM: *Non*, inquit, *sine præmio diligitur DEUS, licèt absque præmij intuitu diligendus sit, vacua namque Charitas esse nequit, nec tamen mercenaria est alteri.* Respond. Mercenarios propriè non vocari, nisi qui solam mercedem intuentur, & ejus solius intuitu operantur, ita ut sine Spe mercedis nullo modo servirent, nos autem non dicimus esse operandum primò & principaliter propter mercedem vitæ æternæ, sed primò propter DEI honorem & gloriam, deinde propter commodum nostrum, secundùm quod superius ait Tridentinum: cum hoc, *ut in illis glorificetur DEUS mercedem quoque intuentur æternam.* Et

juxta

juxta hoc intelligendus eſt Bernardus, vult enim DEUM eſſe diligendum absque intuitu præmij, tanquam primarij motivi, ob quod DEUS eſſet diligendus, quia tunc Charitas eſſet vacua & mercenaria.

4. Operari Spe mercedis temporalis præcisè non licet.

DICO 3. *Licitum quoque eſt ſervire Deo Spe mercedis temporalis recipiendæ.* Hæc Probatur 1. Id licere, quando id temporale petitur tanquam medium utile ad ſalutem ſuam & alienam procurandam.

DICO 4. *Illicitum eſt DEO ſervire ob mercedem temporalem eo animo, ut niſi hac propoſitâ nollemus ei ſervire.*

DICO 5. *Probabile eſt, poſſe quempiam aliquas actiones bonas facere, puta orare, ſacrum audire, aut quid ſimile eo præcisè fine, ut aliquod temporale bonum ex nulla circumſtantia vitiatum obtineatur, eſto non referat illud ad altiorem finem.* Ratio eſt Primò: Quia DEUS bene operantibus promittit mercedem temporalem in multis Scripturæ locis, ergo licitè poteſt quis operari ut illam obtineat. Secundò: poſſum mihi optare ejusmodi bona temporalia ob finem honeſtum absque ullo ordine ad vitam æternam, neque de ea quidquam cogitando, ergo poſſum aliqua bona opera facere, quibus DEUM moveam, ut talia bona mihi concedat.

Quæſtio V.

De ſubjecto remoto Spei, nempe in quibus ſit & maneat, ubi etiam de certitudine ejus.

1. Spes manet in Animabus purgatorij.

DIxi ſuperius ſubjectum immediatum Spei eſſe voluntatem, cùm ſit actus amoris concupiſcentiæ, & ſolummodo hic quæritur de ſubjecto remoto ejus, in quibus ſcilicet & pro quo ſtatu Spes inveniatur, & præcipuè controvertitur de Beatis in Cœlo, certum namque eſt, ſpem non manere in damnatis, tum, quia fide carent, tum etiam, quia ſciunt, ſalutem ipſis eſſe impoſſibilem, neque minus certum eſt, eam manere in animabus purgatorij, cùm beatitudo ſit ipſis adhuc poſſibilis & abſens, ac poſt graviſſimas purgatorij pœnas acquirenda, unde quæſtio præcipuè movetur de beatis in cœlo, utrum in ipſis maneat Spes ſive quoad actum, ſive quoad habitum. Quidam apud Vaſquetz 1. p. d. 84. c. 1. docent, habitum Spei manere in Beatis, eosque quandoque elicere veros actus Spei circa aliqua ejus objecta ſecundaria, puta gloriam ſui corporis, ſalutem electorum, & ſimilia. Conning Diſp. 19. dub. 10. fatetur in Beatis non inveniri actum Spei, ſed eundem habitum, quem habuerunt in Via, in Patria quoad ſubſtantiam & entitatem eandem manere, licèt amplius non habeat rationem Spei propriæ.

2. Spes manet in Patria non tamen cum ſuis imperfectionibus.

DICO 1. *In Beatis Spes Theologica manebit, non tamen ſub propria ratione, & cum imperfectionibus ſive quoad actum, ſive quoad habitum.* Prima pars patet ex dictis in tractatu de Beatitudine. Et Probatur ulterius 1. Beati in Cœlo deſiderant gloriam ſui corporis, per quam accidentaliter perficitur gloria animarum, & quam nondum habent. Item deſiderant aliis Electis beatitudinem, in quantum conducit quodammodo ad ipſorum accidentalem beatitudinem, ergo circa hæc habent Beati in Cœlo veram ſpem. Probatur conſequ. quia Spes eſt actus deſiderij circa bonum abſens & commodum ſperanti, ſed talis eſt actus, quo deſiderant Beati glorificationem ſui corporis, ergo

Probatur 2. Iſte actus, quo deſiderant Beati in Cœlo glorificationem ſui corporis debet eſſe alicujus virtutis Theologicæ non alterius quàm Spei, ergo. Probatur min. quia imprimis non eſt actus fidei, cùm non ſit actus intellectûs ſed voluntatis, nec eſt actus charitatis, cùm non tendat in DEUM in ſe & propter ſe amandum, ergo debet eſſe actus ſolius Spei.

Probatur 3. Non implicat dari habitum Spei, quo non ſolùm inclinaretur homo ad deſiderandum bonum abſens, verum etiam ad tenendum idem præſens bonum in eoque habito complacendum, ergo etiam de facto admittendum eſt, dari in Beatis talem habitum. Probatur conſequ. quia ſicut in via per habitum Spei deſiderabant Beati & expectabant Deum abſentem, ita jam in Cœlo feruntur in eundem præſentem per complacentiam & tentionem actualem, ergo non eſt denegandum manere in ipſis habitum præteritum Spei, cujus inclinatione DEO tam delectabiliter fruuntur, maximè cùm id non implicet. Confirmatur: Idem habitus charitatis inclinat ad amorem imperfectum in Via DEI abſentis & obſcurè per fidem propoſiti, & in Patria ad amorem perfectum circa DEUM præſentem & clarè viſum, ergo & eodem modo idem habitus Spei inclinans ad actum imperfectum in Via, poterit inclinare ad actum perfectum in patria.

Secunda pars eſt communis Theologorum ſententia, & expreſsè Scoti in 3. d. 31. q. un. n. 2. eamque apertè tradit Apoſtolus 1. Corinth. 13. ubi hanc ſpecialem prærogativam charitati præ cæteris tribuit, quòd *in Patria nunquam excidat ſive prophetiæ evacuabuntur ſive linguæ ceſſabunt.* Fidem autem & ſpem ibidem docet evacuandas, *cùm*, inquit, *venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*, id eſt, fides & Spes quoad actus imperfectos & quoad habitus in quantum ſecum trahunt aliquam imperfectionem, quæ evacuabitur.

Proba-

Digitized by Google

Probatur hæc eadem pars ratione Scoti: Spes prout de ea loquuntur Scriptura & Patres inclinat in bonum commodum absens, estque desiderium quoddam rei absentis arduæ & possibilis, sed talis nec quoad actum, nec quoad habitum manet in Beatis, ergo. Majorem probat Scotus ex illo Apostoli ad Rom. 5. *Spes quæ videtur, non est Spes*, id est, speratum quod actu retinetur & possidetur non est amplius speratum, sed possessum, nec consequenter circa illud versatur Spes, sed quod Beati sperabant in Via, jam per visionem & fruitionem in Patria possident, ergo ea amplius non sperant, probatur minor, quia ex quo DEUM jam retinent, & perfectè possident, non possunt ipsum amplius tanquam absentem sperare & desiderare.

Circa secundam partem quæstionis tituli solet inquiri, an & qualiter Spes Theologica sit certa? & an possit stare cum omnimoda & infallibili certitudine de eventu rei sperandæ. Lorca 2.2. disp. 11. n. 7. putat, non posse nos propriè sperare rem, quam omnino certò scimus nos adepturos, quia, inquit, talis respectu nostri non habet rationem ardui, cùm certò sciatur futura.

1. Spes Theologica est certa.

DICO 2. *Spes Theologica est omnino certa idque pluribus ex motivis.* Probatur ex illo ad Rom. 5. *Spes non confundit.* 2. Quia objectum, quod intenditur verè habet illam bonitatem & possibilitatem ad obtineri. Tertiò: Quia voluntas mediis efficacibus finem inquirit. Quartò: Quia statuit se iis mediis finem infallibiliter obtinere. Quintò: Quia consequenter prosequitur finem, & parata est omnia perpeti, quàm à fine cessare.

4. Spes potest stare cum omnimoda certitudine.

DICO 3. *Bene potest stare Spes Theologica ejusque actus cum omnimoda certitudine de eventu rei sperandæ, ad eam tamen per se loquendo requiritur & sufficit tanta certitudo, qua certum sit rem speratam esse possibilem speranti.* Est quoad utramque partem communis Scotistarum sententia contra Lorcam & alios. Probatur 1. Pars; Ad rationem Spei per se loquendo nihil aliud requiritur, quàm quòd sit circa objectum arduum, absens, possibile, & commodum speranti, sed hæc omnia possunt stare & compati cum omnimoda certitudine de eventu rei speratæ, ergo. Probatur min. Quia imprimis animæ in purgatorio sperant post tolerantiam pœnarum vitam æternam, de cujus tamen adeptione sunt certissimæ, & B. Virgo, aliisque Sancti specialiter in gratia confirmati sperabant post consummationem vitam æternam, cùm tamen ex divina revelatione essent certissimi se illam consecuturos, & Christus ipse in probabili sententia sperabat gloriam sui corporis, quam tamen certò sciebat futuram, ergo signum est, veram esse spem, nec esse solùm & necessariò conjunctam cum aliqua incertitudine, licèt in nobis id communiter contingat.

Secunda pars conclusionis est certissima, & per se constat, quia nemo potest sperare, quod judicat sibi esse impossibile, adeoque ut speret, debet esse certus de possibilitate rei.

ARGUITUR: Nemo dicitur sperare id quod certò & infallibiliter scit eventurum, ergo non stat Spes cum omnimoda certitudine de eventu rei sperandæ. Probatur: Quia nemo dicitur sperare ortum solis cras, non ob aliam rationem, nisi quia certum & infallibile est solem cras orturum, ergo. Respond. neg. antec. ad cujus probationem dico, quòd nemo propriè dicatur sperare ortum solis cras futurum, quia res in se est certa, sed quia res non est nobis ardua & proprio labore acquirenda. Hic tractant aliqui de obligatione eliciendi actum Spei, an scilicet & quoties teneamur in vita actum positivum Spei elicere? Ad quod eodem modo servatis servandis Respondeo sicut respondi superius de obligatione actûs fidei, cùm in proposito nihil occurrat speciale dicendum.

Quæres: An Spes maneat in hæreticis? Respondent communiter Doctores negativè loquendo de supernaturali, quia non habent fidem, quæ est radix & fundamentum totius justificationis nostræ, & statûs supernaturalis, ut definit Trident. Sess. 6. c. 8. adeoque sicut sublato fundamento totum ædificium necessariò corruit, ita sublata fide, nisi ad fundamentum visio beata ei succedat, totus noster status supernaturalis constans ex habitibus infusis necessariò perit & destruitur.

DISPU-

DIVISION of the Vegetable Kingdom.

Vegetables in general.

Definition.

A Vegetable is a living body, consisting of a Root, Stem, Leaves, Flowers, Fruit, and Seed, or of some of these parts, which grows by Nutrition, and propagates by Seed.

Chapter I.

Of the Parts of Vegetables.

dum ad ipsum, quod ipse sit Deus, & ad ipsum, quod ipse sit Deus Trinus & unus. Quia ipse est Deus, ideo est omnipotens, omniscius, omnipræsens, æternus, immutabilis, infinitus, & cætera, quæ ad naturam divinam pertinent. Quia ipse est Deus Trinus & unus, ideo est Pater, Filius & Spiritus sanctus, & cætera, quæ ad personas divinas pertinent. Ad primum ergo, quod ipse sit Deus, pertinet, quod ipse sit omnipotens, omniscius, omnipræsens, æternus, immutabilis, infinitus, & cætera, quæ ad naturam divinam pertinent. Ad secundum, quod ipse sit Deus Trinus & unus, pertinet, quod ipse sit Pater, Filius & Spiritus sanctus, & cætera, quæ ad personas divinas pertinent. Ad primum ergo, quod ipse sit Deus, pertinet, quod ipse sit omnipotens, omniscius, omnipræsens, æternus, immutabilis, infinitus, & cætera, quæ ad naturam divinam pertinent. Ad secundum, quod ipse sit Deus Trinus & unus, pertinet, quod ipse sit Pater, Filius & Spiritus sanctus, & cætera, quæ ad personas divinas pertinent.

Articulus VI.

De rebus prædestinatis.

Quæritur, quæ res prædestinatæ sint? Respondeo, quod res prædestinatæ sunt omnes res, quæ ad naturam divinam pertinent, & omnes res, quæ ad personas divinas pertinent. Ad primum ergo, quod ipse sit Deus, pertinet, quod ipse sit omnipotens, omniscius, omnipræsens, æternus, immutabilis, infinitus, & cætera, quæ ad naturam divinam pertinent. Ad secundum, quod ipse sit Deus Trinus & unus, pertinet, quod ipse sit Pater, Filius & Spiritus sanctus, & cætera, quæ ad personas divinas pertinent. Ad primum ergo, quod ipse sit Deus, pertinet, quod ipse sit omnipotens, omniscius, omnipræsens, æternus, immutabilis, infinitus, & cætera, quæ ad naturam divinam pertinent. Ad secundum, quod ipse sit Deus Trinus & unus, pertinet, quod ipse sit Pater, Filius & Spiritus sanctus, & cætera, quæ ad personas divinas pertinent.

Rule 27. Whenever a Vessel shall be found to have been navigated in violation of the Law, it shall be the duty of the Collector to report the name of the Master thereof, with the number of the Vessel, to the Commissioners of the Customs, that he may be disqualified from holding a Register.

Rule 28. Whenever a Vessel shall be found to have been navigated in violation of the Law, it shall be the duty of the Collector to report the name of the Master thereof, with the number of the Vessel, to the Commissioners of the Customs, that he may be disqualified from holding a Register.

Rule 29. Whenever a Vessel shall be found to have been navigated in violation of the Law, it shall be the duty of the Collector to report the name of the Master thereof, with the number of the Vessel, to the Commissioners of the Customs, that he may be disqualified from holding a Register.

Rule 30. Whenever a Vessel shall be found to have been navigated in violation of the Law, it shall be the duty of the Collector to report the name of the Master thereof, with the number of the Vessel, to the Commissioners of the Customs, that he may be disqualified from holding a Register.

Rule 31. Whenever a Vessel shall be found to have been navigated in violation of the Law, it shall be the duty of the Collector to report the name of the Master thereof, with the number of the Vessel, to the Commissioners of the Customs, that he may be disqualified from holding a Register.

Rule 32. Whenever a Vessel shall be found to have been navigated in violation of the Law, it shall be the duty of the Collector to report the name of the Master thereof, with the number of the Vessel, to the Commissioners of the Customs, that he may be disqualified from holding a Register.

Rule 33. Whenever a Vessel shall be found to have been navigated in violation of the Law, it shall be the duty of the Collector to report the name of the Master thereof, with the number of the Vessel, to the Commissioners of the Customs, that he may be disqualified from holding a Register.

Rule 34. Whenever a Vessel shall be found to have been navigated in violation of the Law, it shall be the duty of the Collector to report the name of the Master thereof, with the number of the Vessel, to the Commissioners of the Customs, that he may be disqualified from holding a Register.

Rule 35. Whenever a Vessel shall be found to have been navigated in violation of the Law, it shall be the duty of the Collector to report the name of the Master thereof, with the number of the Vessel, to the Commissioners of the Customs, that he may be disqualified from holding a Register.

Rule 36. Whenever a Vessel shall be found to have been navigated in violation of the Law, it shall be the duty of the Collector to report the name of the Master thereof, with the number of the Vessel, to the Commissioners of the Customs, that he may be disqualified from holding a Register.

Rule 37. Whenever a Vessel shall be found to have been navigated in violation of the Law, it shall be the duty of the Collector to report the name of the Master thereof, with the number of the Vessel, to the Commissioners of the Customs, that he may be disqualified from holding a Register.

Rule 38. Whenever a Vessel shall be found to have been navigated in violation of the Law, it shall be the duty of the Collector to report the name of the Master thereof, with the number of the Vessel, to the Commissioners of the Customs, that he may be disqualified from holding a Register.

Rule 39. Whenever a Vessel shall be found to have been navigated in violation of the Law, it shall be the duty of the Collector to report the name of the Master thereof, with the number of the Vessel, to the Commissioners of the Customs, that he may be disqualified from holding a Register.

Rule 40. Whenever a Vessel shall be found to have been navigated in violation of the Law, it shall be the duty of the Collector to report the name of the Master thereof, with the number of the Vessel, to the Commissioners of the Customs, that he may be disqualified from holding a Register.

net adhuc obligatio prosequendi salutem. Probatur minor : Manifesta est implicantia, quòd aliquis damnaretur non prosequendo salutem, nisi ad ejus prosecutionem teneretur, ergo facta quacunque revelatione de mea damnatione propter peccatum futurum & finalem meam impœnitentiam, implicat me damnari, nisi sim obligatus ad illud peccatum evitandum & finaliter pœnitendum, si non teneor vitare aut pœnitere, quomodo non vitando aut non pœnitendo damnabor? ergo ulterius non obstante revelatione de mea damnatione facta propter peccatum futurum, ejusque finalem impœnitentiam manet mihi adhuc integra obligatio vitandi illud peccatum, pœnitendi, & meam salutem prosequendi, adeoque non potero propter ullam revelationem licitè desperare, & quod idem est nolle eam prosequi.

Nec valet, quod hîc Respondet Coninq, non esse in plena libertate hominis vitare illud peccatum futurum, & à DEO sic revelatum, aut ponere & non ponere suam salutem, quia, inquit, quantumvis maximum conatum adhibeat Homo ad vitandum illud peccatum, aut suam salutem procurandam, adhuc ex revelatione divina certò scit se peccaturum, & ex hoc infallibiliter damnandum : Quia contra hoc est primò, quod ex communi consensu Theologorum nemo dicitur peccare in eo, quod non potest vitare, ergo quantumvis DEUS revelet homini suum peccatum futurum, & ex hoc suam æternam damnationem, adhuc in plena hominis libertate est peccare, vel non peccare, adeoque suam damnationem ponere vel non ponere, aut si non, nullatenus in eo peccabit. Deinde revelatio divina de meo peccato futuro nullam infert mihi necessitatem peccandi, nec enim ideo ego pecco, quia DEUS revelavit, sed ideo DEUS revelavit & ab æterno vidit me peccaturum, quia in rei veritate ego eram liberè peccaturus, ergo non obstante revelatione divina in plena mea libertate est peccare vel non peccare, meam salutem prosequi, vel non prosequi.

7. Probatur 2. Conclusio : Si DEUS revelaret homini se certò & infallibiliter damnandum propter peccatum finale desperationis futurum, non posset licitè desperare salutem, ergo revelatio damnationis propter peccatum futurum non solvit ab obligatione sperandi & prosequendi salutem, multò minus dat licentiam desperandi. Consequ. patet. Probatur antec. Si licitum esset homini in tali casu desperare non obstante revelatione, non peccaret desperando, sed hoc est falsum, aliàs propter peccatum desperationis non damnaretur contra suppositum & revelationem factam, ergo. Respondet Coninq : DEUM non posse revelare ulli homini suam damnationem propter peccatum desperationis, quia, inquit, factâ tali revelatione damnationis, desperatio salutis ad eam consequens nequit esse peccatum. Sed contra hoc est, quòd nulla appareat ratio, quare DEUS non possit revelare homini suam damnationem propter peccatum desperationis futurum tam bene ac propter aliud peccatum quodcunque nondum commissum, cùm in rei veritate æque desperatio sit offensiva ac alia peccata. Deinde revelatio non tollitur à desperatione sequente rationem peccati, cùm ea relinquat in plena libertate hominis, ut proximè dixi. Denique constat idem ex facto Petri, cui revelatus est suus lapsus tempore satis determinatè futuro, & tamen secundùm omnes peccavit negando Christum, ergo talis revelatio non impedit, quò minùs actio sequens & prohibita sit verè peccaminosa.

ARGUITUR : Cui revelaretur sua damnatio propter peccatum futurum & nondum commissum, est tam certus de sua damnatione infallibiliter futura, ac ille cui revelata est sua damnatio propter peccatum præteritum & commissum, scitque pro certò se frusta ullum conatum adhibiturum ad sperandam vel procurandam salutem, ergo facta tali revelatione potest homo licitè desperare & nolle prosequi salutem, quamvis peccatum sit adhuc futurum. Confirmatur. Ut aliquis possit sperare beatitudinem, debet ipsi proponi tanquam moraliter possibilis & probabiliter futura, sed cui revelatur sua damnatio propter peccatum futurum certissimè novit suam beatitudinem nunquam futuram, & esse moraliter impossibilem, ergo non poterit eam sperare. Respond. distin. antec. est certus de sua damnatione dependenter à sua libertate futura, & proveniente ex peccato liberè committendo, quod potest & tenetur non committere, conc. antec. est certus de damnatione sine ullo ordine ad liberum ipsius consensum, & ad peccatum ab ipso liberrimè ponendum, nego antec. & consequ. non enim ideo in secundo casu potest quis absque peccato desperare salutem, quia est certus de sua damnatione, sed quia est certus de damnatione futura ex causa, quæ amplius non est in potestate ipsius, & cujus remedium non potest ponere DEO nolente acceptare ejus pœnitentiam. Unde quamdiu peccatum, propter quod revelatur damnatio est in potestate hominis, sicut est omne peccatum futurum, tenetur non desperare, sicut tenetur causam damnationis non ponere. Ad Confirm. Respon. dist. majo. debet beatitudo ipsi proponi ut moraliter possibilis & probabiliter futura, si ipse homo velit cooperari, aut non ponere obstaculum, quod tenetur non ponere, con. majo. aliter, nego

majo.

Digitized by Google

majo. & diſtincta ſimiliter mino. nego conſequentiam. Concludo hanc materiam cum inſigni paraphraſi D. Auguſtini ſerm. 53. de tempore: *Nemo igitur quamvis ingenti peccatorum pondere prematur, de bonitate divinæ pietatis deſperare debet, ſed ſpe certæ miſericordiæ illius indulgentiam ſibi quotidianis deprecari lacrymis, quàm rectè ſperare poſſunt, ſi ab actione pravi operis ceſſabunt. Ideo non propter ſpem veniæ perſeveranter peccare debemus, neque quia DEUS juſtè peccata punit, veniam deſperare debemus: ut neque cum fiducia peccemus, neque rurſus peccata deſperemus, ſed utroque periculo evitato, & à malo declinemus, & de pietate DEI veniam ſperemus. Similiter & in omnium tribulationum anguſtia, ſpe in ſolatium ſuperna pietatis currendum eſt: quia in illo ſolo omnis ſpes & ſalus ſine dubio conſiſtit, dicente Propheta: In DEO ſalutare meum & gloria mea, DEUS auxilij mei, & ſpes mea in DEO eſt.*

Ad Aphorismum & Materiam præcedentem ſit

Quæſtio Ethica:

Quæ cauſa ſit, quòd multi ſpem amittant, & deſperent?

1. Deſperationis cauſæ aſſignantur.

RESpondeo 1. Poſſe dici melancholiam naturalem fundamentalem eſſe cauſam, quâ nimis anxij ponderant ſua peccata, falſaque de DEO concipiunt opiniones, unde bene Eccleſiaſticus cap. 14. *Felix, qui non habuit animi ſui triſtitiam, & non excidit à ſpe ſua*, monet, quem locum Tigurina verſio ſic legit: *Beatus, qui non deſpondet animam, & ſpe ſua in DEUM non excidit.* Unde S. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 17. *De triſtitia*, dicit, *Malitiâ, Rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor circa præcepta, vagationis ergà illicita naſcitur.* Noſter Lyranus triſtitiam illam non ſolùm pro naturali hominis affectione capit, ſed etiam pro *Acedia*, adeoque ſecunda cauſa originata à prima, eſt acedia, hæc eſt enim maximum impedimentum bonorum operum, reddit enim hominem difficilem & ponderoſum ad hilariter operandum, & cogitatum ſuum ad DEUM dirigendum, pulchrè proinde Gloſſa interlinearis dicit: *Felix qui non habet animi ſui triſtitiam*, id eſt, *qui in adverſitate animo non frangitur, ut deſperet, & non excidit à ſpe ſua*, id eſt, *ab operibus bonis, pro quibus ſperanda ſunt æterna præmia.* Optimè S. Thomas 2. 2. q. 20. art. 4. utramque hanc cauſam complectitur dicens: *Ad hoc, quòd aliquis bonum arduum non eſtimet, ut poſſibile ſibi adipiſci per ſe vel per alium, producitur ex nimia dejectione, quæ quandoque in affectu hominis dominatur, videtur ei, quòd nunquam poſſit ad aliquod bonum relevari, & quia Acedia* NB. *eſt triſtitia quædam dejectiva Spiritûs, ideo per hunc modum deſperatio ex acedia generatur.* Quare non inconcinnè Triſtitia pelago vaſtiſſimo comparatur, in quo ſi quis fluctuat, aut navigat, ſi non firmiſſima ſpe erigitur, demergitur in profundum, & de tali triſtitia videtur locutus fuiſſe S. Paulus 2. Corinth 2. *Sufficit illi, qui ejusmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus . . . nè forte abundantiori triſtitia abſorbeatur.* Ecce ingens mare in quo quis facilè ſubmergitur, & abſorbeatur. Remedium igitur contra triſtitiam & deſperationem eſt bona conſcientia, nam ut dicit Auguſtinus in Pſalm. 31. *Quomodo mala conſcientia tota in deſperatione eſt, ſic bona conſcientia tota in ſpe.* Et plura alia, ut ſuprà citavi. Et S. Bernardus tract. de interiori domo cap. 45. ait: *Vis nunquam eſſe triſtis? bene vive. Bona vita ſemper gaudium habet, conſcientia rei ſemper eſt in pœna. Nolite.* Ergo, admonet S. Paulus ad Hebræ. 16. *Amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem.* Auream conſolationem addit S. Joannes Chryſoſt. hom. 2. in Pſalm. 50. *Si iniquus es, cogita publicanum: ſi immundus, attende meretricem: ſi homicida es, perſpice latronem: ſi iniquus es, cogita blaſphemum, conſidera Paulum prius perſecutorem poſtea annuntiatorem. Nolo mihi dicas, blaſphemus ſum; nolo dicas, immundus ſum, perſecutor ſum; habes omnium oſtenſiones, in quam volueris partem confugito: vis in novum? vis in veterem? in veteri David, in novo Paulus, Petrus, Magdalena . . . Quid eſt enim peccatum ad DEI miſericordiam! tela araneæ, quæ vento flante nunquam comparet.* Fiat Domine!

Quæſtio Altera.

An deſperanda ſit ſalus eorum, qui in aquis ſe ſubmergunt, vel laqueo enecant?

2. Occidentium ſeipſos an ſalus deſperanda.

RESpondeo: Quòd ſi faciant ea intentione & motivo, uti fecit Judas Proditor, deſperando miſericordiam DEI, omninò miſerè perire; unde licèt Evangeliſta dicat, quòd *pœnitentiâ ductus*, nihilominus verè deſperavit cum Cain, ſe miſericordiam conſequi poſſe, nam Auguſtino teſte in ſoliloquio: *Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens culpa inquinat; nihil proſunt lamenta, ſi multiplicentur peccata.* Unde pulchrè S. Hieronymus in Pſalm. 108. dicit: *Pœnitentiâ Judæ pejus peccatum factum eſt. Quomodo pejus peccatum factum eſt? ivit,*

ivit, & ſuſpendio periit; pro clementia Domini hoc dico, quia magis eo offendit Dominum, quia ſe ſuſpendit, quàm quòd Dominum prodidit, adeoque pœnitentia ejus non proceſſit ex vera ſolidi propoſiti induſtria, ſed ex perturbatæ mentis anguſtia, ac conſequenter magis peccaminoſa fuit quàm doloroſa.

Reſpondeo 2. Illos quoque eſſe in ſtatu æternæ damnationis, qui Circumcellionum more ſeipſos trucidant, erroneè exiſtimantes Chriſtum hoc præcepiſſe, quando dixit Joann. 12. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo*, de quibus ſcribit S. Auguſtinus lib. de Hæreſibus ad quod vult DEUM. Hæreſ. 69. dicens: *Circumcelliones, genus hominum agreſte, & famoſiſſimæ audaciæ, non ſolùm in alios immania facinora perpetrando, ſed nec ſibi eadem inſana feritate parcendo. Nam per mortes varias maximè præcipitiorum, & aquarum, & ignium ſeipſos necare conſueverunt: & in iſtum furorem alios, quos potuerint ſexus utriuſque ſeducere, aliquando ut occidantur ab aliis, mortem ſibi fecerint comminantur.*

Reſpondeo 3. Non eſſe planè deſperandam eorum ſalutem, qui ex hebetudine mentis, magnâ melancholiâ aliisque animi perturbationibus, &c. aliquando ſeipſos interimunt. Et ratio eſt: Quia per melancholiam, vehementem triſtitiam ita phantaſia hominis perturbari poteſt, ut veluti amens reddatur, ſicut ergo illorum, qui ex amentia, gravi infirmitate, ut fieri ſolet in calidis & malignis febribus, ſeipſos præcipitant, non deſperatur ſalus, ita nec horum ex vehementi planè melancholia. Secundò: Quia legitur in hiſtoria probata Germaniæ, quendam pium hominem aſſuetum fuiſſe ſingulis diebus legere aliquos verſus, conatumque fuiſſe lecta adimplere, contigit autem quadam vice illum incidiſſe in illud Job. 7. *Quam ob rem elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea*, quod exiſtimans ſibi dictum, & adimplendum, laqueo ſe ſuſpendit, in cujus ſceleris deteſtationem authoritate publica cadaver illud in aqua ſubmerſum fuit, ſed aqua iterum illud ejecit, usque dum honorificè ſepeliretur, viſoneque teſtatus fuit, ſe ſalutem pio errore ſuo fuiſſe conſecutum. Solemnius magisque authenticum narrat noſter Lucas Wadingus tom. 5. Annal. Minorum ad annum 1448. mihi fol. 543. in vita B. Petri Regalati Regular. obſerv. cujus feſtum authoritate Apoſtolicæ ſedis celebratur die 13. Maj. In oppido quodam ad ripam fluminis Duriani ſito, mulier erat dives, viro DEI valde addicta, & erga Fratres benefica, fragilitate fœminea in maritum deliquit, & detecti criminis mortis pœnam timuit ſe daturam. In deſperationem ab eo, qui adulterium inſpiravit, redacta, ſe præcipitavit in flumen. Poſt biduum extractam vir ligneo incluſit loculo, atque his verbis inſcriptis: Nullus contingat, corpus ineſt deſperatæ mulieris, quæ ſibi intulit necem, denuò projecit in flumen. Qui ſupernatantem videbant capſam, avidè in terram trahere conabantur, at lecta inſcriptione dimittebant. Apparuit nocte ſequenti Angelus Domini viro ſancto matutinas laudes concinenti, & totius rei ſeriem aperuit, atque ut loculo prope decurrenti occurreret, & corpus eccleſiaſticâ donaret ſepulturâ præmonuit. Etſi enim, inquit, deſperans ſe aquis præcipitaverit, attamen DEI miſerantis peculiari dono pœnituit, & potentiſſima gratia inter ipſas aquas & mortis pœnas ita ſuæ animæ curas egit, ut pereunte corpore, ſolius commiſſi reatus & ſecuti præcipitij dolore vexaretur. Plurimum debet tuis tuorumque orationibus propter beneficia recepta repenſis; hac ſingulari venia delictorum voluit Dominus illius compenſare munera, & veſtras preces illuſtrare. Hinc cautè procedendum cum Eccleſiaſticis & Religioſis, qui aliquando prô dolor ſibi necem inferunt, nè infami ſtatim ſepultura illos ac Religiones confundant, ſed potius Conſiſtorium, aut Superiores conſulant, qui examinatâ vitâ, naturâ, & moribus etiam honeſto modo, & loco eos condi faciant.



ETHI-

ETHICÆ SACRÆ

Aphorismus Quintus.

Diliges Dominum DEUM ex toto corde tuo.

De Deo, Summo Bono diligendo.

SYMBOLUM.

Amor Sacerdos Immolat.

Diligere . . . majus eſt omnibus holocaustomatibus & Sacrificiis. Marci 12. v. 33.

Declaratio Aphorismi & Symboli.

1. Amor Deo juge eſt ſacrificium.

MAndatum magnum in lege, & unicum quod ſufficit in Ethica Sacra, eſt diligere DEUM & proximum, ab hoc enim *tota Lex pendet & Prophetæ*, Magiſtro cœleſti teſte, *quia*, ut S. Gregor. hom. 27. in Evang. dicit: *quidquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt: ſic multæ virtutes ex una charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis.* Unde antiquitus nec ipſa ſacrificia DEO placita erant, niſi in charitate fundarentur, & dilectionem DEI habere unicum, & juge erat ſacrificium, unde pſaltes Pſalm. 104. ait: *Elevatio manuum mearum*, quo Cor DEO ſacratur & offertur, *ſacrificium veſpertinum.* Et Pſalm. 50. *Sacrificium DEO Spiritus contribulatus Cor contritum & humiliatum.* Unde Michæas Propheta ex perſona DEI poſtquam reprobâſſet Hebræorum materialia ſacrifi-

cia, ait cap. 6. *Indicabo tibi ô Homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum DEO tuo.* In quem locum D. Auguſtinus lib. 10. de Civit. DEI cap. 5. ſic diſcurrit: *In hujus Prophetæ verbis utrumque diſtinctum eſt, ſatisque declaratum, illa ſacrificia per ſeipſa non requirere DEUM: quibus ſignificantur hæc ſacrificia, quæ requirit DEUS: in Epiſtola quæ inſcribitur ad Hebræos: Benefacere, inquit, & communicatores eſſe nolite oblivisci. Talibus enim ſacrificiis placatur DEUS. Ac per hoc ubi ſcriptum eſt: Miſericordiam magis volo quàm ſacrificium: nihil aliud quàm ſacrificio ſacrificium prælatum oportet intelligi: quoniam illud, quod ab omnibus appellatur ſacrificium, ſignum eſt veri ſacrificij. Porro autem miſericordia verum eſt ſacrificium: Unde dictum eſt, quod paulò antè commemoravi: Talibus enim ſacrificiis placatur DEUS. Quæcunque igitur in miniſterio tabernaculi ſive templi aliis modis de ſacrificiis leguntur divinitus eſſe præcepta, ad dilectionem DEI & proximi ſignificandam referuntur. In his enim duobus præceptis, ut ſcriptum eſt, tota lex pendet & Prophetæ. Unde ipſe Homo DEI nomini conſecratus, & DEO devotus, in quantum mundo moritur, ut DEO vivat, ſacrificium eſt.* Continuat S. Doctor cap. 6. Similiter Corpus noſtrum cùm per temperantiam caſtigamus, ſi hoc quemadmodum debemus, propter DEUM facimus, ut non exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma Juſtitiæ DEO, ſacrificium eſt. Ad quod exhortans Apoſtolus ait: *Obſecro itaque vos, Fratres, per miſericordiam DEI, ut exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam vivam, ſanctam, DEO placentem, rationabile obſequium veſtrum.*

Si ergo Corpus, quo inferiore tanquam famulo, vel tanquam inſtrumento utitur Anima, cùm ejus bonus & rectus uſus ad DEUM refertur, ſacrificium eſt: quanto magis Anima ipſa, cùm ſe refert ad DEUM, ut igne amoris ejus accenſa, formam concupiſcentiæ ſæcularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ ſubdita, reformetur; hinc ei placens, quod ex ejus pulchritudine acceperit, fit ſacrificium? quare cap. 7. conſequenter docet etiam Angelos eſſe ſacrificium DEI; quod igitur D. Aurelius de homine DEO per tria eſſentialia vota conſecrato, quodque de corporis mortificationibus dixit, hoc de fide dicendum, hæc enim *per charitatem operatur*; hoc de ſpe, quam ſolam facit firmam Charitas, quæ *foras mittit timorem*, quare admonet Propheta Pſalm. 4. *Sacrificate ſacrificium Juſtitiæ, & ſperate in Domino.* In quera locum S. Auguſtinus lib. de Magiſtro. Cap. 1. interrogat: *Ubi putas ſacrificium Juſtitiæ ſacrificari, niſi in templo mentis & in cubilibus cordis.* Hoc de omnibus aliis virtutibus moralibus, earumque ſpeciebus ſubjectivis eſt aſſerendum, diligere itaque DEUM & proximum, depuratum, perfectumque eſt ſacrificium, quod *Amor Sacerdos immolat.* Quod ut cum D. Auguſtino iterum comprobem, audiatur in enarrat: in Pſalm. 4. *Sacrificium Juſtitiæ opera juſta ſunt poſt pœnitentiam. Nam & interpoſitum diapſalma, non abſurdè fortaſſis inſinuat etiam tranſitum de Vita veteri, ad vitam novam: ut extincto vel infirmato per pœnitentiam vetere homine, ſacrificium Juſtitiæ ſecundùm regenerationem novi hominis offeratur DEO: cùm ſe offert ipſa Anima jam abluta, & imponit in altare fidei, divino igne, id eſt, Spiritu Sancto comprehendenda. Ut iſte ſit ſenſus, ſacrificate ſacrificium Juſtitiæ, & ſperate in Domino: id eſt, rectè vivite, & ſperate donum Spiritus Sancti, ut vos Veritas, cui credidiſtis, illuſtret.* Diligere itaque DEUM, credere, & ſperare verum & internum ſunt Chriſtianorum ſacrificium, quod *Amor Sacerdos immolat.*

Intus itaque habemus victimam, intus habemus thus quod imponamus, non eſt opus ex Arabia Thura Sabæa quærere, intus eſt quod accendimus, & quo flectimus DEUM; intus habemus ignem, qui nos transformabit in naturam alteram, & corruptibile hoc faciet incorruptibile, corporale hoc faciet ſpirituale, nam ignis in ſacrificiis, Auguſtino teſte lib. 22. contra Fauſtum, ſignificabat, quòd *ſubſtantia corporis in cœleſtem commutabitur qualitatem.*

Habemus intus fumum odoriferum, quo ſummè delectatur Dominus, quæ ſunt preces & ſupplicationes fidelium Chriſtianorum juxta illud Apocalyp. 8. *Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram DEO. Oratio ergo*, Verba ſunt Auguſtini in Pſalm. 140. *purè directa de corde fideli tanquam de Ara ſancta ſurgit incenſum: Nihil eſt ergo delectabilius odore Domini, ſi oleant omnes qui credunt*: hoc eſt ſacrificium Chriſtianorum. Elegans eſt Prophetia Malachiæ 3. *Et placebit Domino ſacrificium Juda & Jeruſalem, ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui.* Quem locum S. Auguſtinus lib. 20. de Civit. cap. 26. ſic legit. *Sicut diebus priſtinis, & ſicut annis prioribus*, & ait, quod hoc dictum ſit referendo ad illud tempus, quo primi homines in paradiſo fuerunt. *Tunc enim*, inquit, *puri & integri ab omni ſorde ac labe peccati ſeipſos mundiſſimas hoſtias DEO obtulerunt.* O Felix Status Chriſtianorum, qui in ſacrificiis comparari poſſunt primis Parentibus adhuc in ſtatu Innocentiæ exiſtentibus! Et quid dico Chriſtianorum ſacrificia illis comparari, plus ajo, Auguſtinus in loco citato putat *poſt Judicium cùm fuerint etiam igne mundati, qui ejuſmodi mundatione ſunt digni, in omnibus Sanctis nullum invenietur omnino peccatum, atque ita ſeipſos offerent in Juſtitia,*

2. Virtutibus ſtudere eſt ſacrificare.

3. Preces ſunt fumus in ſacrificio.

Juſtitia, ut tales hoſtiæ omnino immaculatæ, ac ſine ullo vitio ſint futuræ, erunt profectò ſicut priſtinis diebus, & ſicut annis prioribus, quando in umbra hujus rei futuræ mundiſſimæ offerebantur hoſtiæ. Hæc erit namque munditia tunc in immortali carne ac mente ſanctorum, quæ figurabatur in illarum corporibus hoſtiarum. Hoc eſt ſacrificium Chriſtianorum. Cedant proinde antiquorum Symbola, quibus Poëtæ olim vanos ſuos amores per Cupidinis arcus, per tædas, & faces expreſſerunt. Cedant Pyrales, ſeu Pyraſtæ, quæ ex Ariſtotele lib. 5. Hiſt. Animal. cap. 19. igne naſci dicuntur, in igne nutriri, & ſine igne, vel ab eo remotæ dicuntur mori, ut quidem hæ beſtiæ, de quibus adhuc eſt ambiguitas, ignem patiantur, non ignem tamen, minus amoris generant, non ſunt igitur charitatis Chriſtianæ Symbolum. Cedant Salamandræ, quæ in igne vivere, ardere, & non comburi ſcribuntur: Cedant inquam, quia Salamandra in igne exiſtens non æſtuat, ſed ignem rigore & frigore extinguit, aut temperat, Chriſtianorum Amor eſt Ignis, & Æſtus, qui amantem in amatum transformat, & liqueſcere præ dulcedine facit, experta fuit Sponſa Cantic. 2. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo.* Et David Pſalm. 21. *Factum eſt Cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Et Paulus ad Galat. 2. *Vivo autem jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. Quòd autem nunc vivo in carne: in fide vivo Filij DEI, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* In quem locum dicit S. Chryſoſt. *Quoniam ſeipſum Chriſto & cruci totum præbuerat, & ad illius voluntatem omnia faciebat, non dixit, vivo ego Chriſto, ſed quod longè majus eſt, vivit verò in me Chriſtus.* Ratio omnium eſt, quia Amor Chriſtianorum ſacrificium eſt verum & holocauſtum, quo totum ſanctificatum comburitur, & DEO dicatur, quod *Amor Sacerdos immolat. Cole ergo DEUM,* claudo cum Ariſtotele lib. 5. Ethic. *Nam omnia proſperæ veniunt colentibus DEUM, adverſa ſpernentibus*; Cole DEUM per juge Amoris ſacrificium, & perfectiſſimus futurus es Ethicus, ut autem natura, & obligatio charitatis, & dilectionis ſciatur, ſequitur.

TRACTATUS IV.

De

Virtute Theologica Charitatis.

Procœmium.

I. Charitatis encomia.

NObilis illius Regis, & hominis Chriſti JESU tertia Filia eſt Charitas, quæ pulchritudine ſuæ excedit omne quidquid eſt creatum, utpote quæ ſola eſt Pulchritudo, decor, & forma, *nam fidem non facit utilem, niſi Charitas*, ait D. Auguſtinus, *ſine charitate quippe fides*, idem eſt de ſpe, *poteſt quidem eſſe, ſed non prodeſſe.* Ratio ejus eſt: Quia Charitas eſt *Veriſſima, Pleniſſima, Perfectiſſimaque Juſtitia*, quod fundatur in D. Paulo, *Plenitudo legis eſt Charitas*, & alibi: *Finis præcepti eſt Charitas, de Corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta:* Unde idem S. Doctor ait: *Lex adducit ad fidem, fides impetrat Spiritum largiorem, diffundit Spiritus charitatem, implet Charitas legem.* Et paulo pòſt: *Ne littera ſine Spiritu occidat, Spiritus vivificans credentibus & invocantibus datur, Charitas verò DEI diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, ut fiat, quod idem Apoſtolus dicit: Plenitudo legis Charitas.* Hanc præconiis quantis extollat D. Paulus, notum eſt; quantum verò hæc ſpecioſa filia, Charitas inquam, ab Ethico Chriſtiano ſit appetenda, & quàm affectanda exhortatur S. Auguſtinus dicens: *Dilectio ſola diſcernit inter filios DEI & filios Diaboli: Signent ſe omnes Signo Crucis Chriſti, reſpondeant omnes, Amen; cantent omnes Halleluja; baptizentur omnes, intrent Eccleſias, farciant parietes baſilicarum: non diſcernuntur filij DEI à filijs Diaboli, niſi charitate. Qui habent charitatem, nati ſunt ex DEO: qui non, non ſunt nati ex DEO. Magnum Judicium, magna Diſcretio! Quicquid vis habe: hoc ſolum non habeas, nihil tibi prodeſt. Alia ſi non habeas, hoc habe: & implebis legem. Qui enim diligit alterum implevit legem, ait Apoſtolus, & plenitudo legis Charitas. Puto margaritam eſſe illam, pro qua Homo negotiator deſcribitur in Evangelio, qui invenit eam margaritam, & vendidit omnia quæ habebat, & emit eam. Hæc eſt margarita pretioſa, Charitas, ſine qua nihil tibi prodeſt, quodcunque habueris: quam ſi ſolam habeas, ſufficit tibi.* Quare licèt in ordine virtutum theologicarum tertio ponatur loco, hoc fit Via generationis, quia præſupponit fidem & ſpem, in linea verò perfectionis prima eſt, & omnium major, de qua proinde hic Ethico erit agendum. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De Charitate respectu DEI.

Quæstio I.

An & Quid sit Charitas?

2. Charitatis derivatio.

PRo resolutione hujus quæstionis Notandum 1. Charitatem derivari à *charis*, quod est gratia, eadem quippe qualitas in nobis sunt charitas & gratia, ut docet Scotus 2. d. 27. Est autem charitas duplex scilicet *Increata*, & *Creata*, hæc iterum alia *Infusa*, alia *Acquisita*; illa nonnunquam dicitur infusa, quasi ab increata charitate divinis influxibus mentibus nostris intus fusa, quandoque diffusa quasi de intus fusa, in quantum ad interiora opera bona diffunditur; & quandoque effusa quasi ad extra fusa, in quantum ad extra per bona opera relucet. *Increata Charitas* est ipse DEUS juxta illud 1. Joann. 4. *DEUS Charitas est*, sumiturque vel essentialiter, vel notionaliter, seu personaliter, ut patet ex primo.

3. Magistri sententia de Charitate refertur, & explicatur.

NOTANDUM 2. Sententiam Magistri asserentis, charitatem, quâ diligimus DEUM & proximum, non esse aliquid creatum, sed ipsum Spiritum Sanctum inclinantem & moventem hominis voluntatem ad diligendum sine aliquo habitu infuso, licèt ad credendum & sperandum indigeat tali habitu, nisi explicetur manifestum esse errorem, & patet ex scripturis, quæ non rarò distinguunt inter Spiritum Sanctum & charitatem, ut inter causam & effectum, seu donatorem & donum, ut ad Rom. 5. *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, ubi de charitate DEI est sermo, non quâ DEUS nos diligit, sed quâ DEUM diligimus, ut exponunt Patres Concilii Tridentini sess. 6. c. 7. & ante illos disertè quoque D. Augustinus in lib. de Spiritu & lit. cap. 32, his verbis: *Charitas DEI dicta est diffundi in cordibus nostris, non quâ nos ipse diligit, sed quâ nos facit dilectores suos, sicut justitiam DEI, quajusti ejus munere simus, & Domini salus Psal. 3. quâ nos salvos facit, & fides JESU Christi, quâ nos fideles facit.* Item ad Galat. 5. *Fructus autem Spiritus est charitas*, si ergo fructus, & si charitas tribuitur nobis à Spiritu Sancto, seu quod idem est per Spiritum Sanctum, non est illa ipsa Spiritus Sanctus. Dixi nisi explicetur, quia Scotus Magistrum sic explicat, quod Spiritus Sanctus moveat ad actiones fidei & spei, interventu spiritualium habituum, ad diligendum verò non per specialem habitum movet, sed per actum illuminat, per quem Spiritus Sanctus habitat in homine, qui est gratia, sic explicata sententia Magistri nullum errorem continet, coincidit que cum sententia Scoti asserentis charitatem, & gratiam esse idem realiter, licèt fortè ratione distinguantur. His notatis

4. Charitas theologica datur in nobis.

DICO 1. *Datur in nobis charitas, quæ sit virtus theologica inclinans ad DEUM super omnia amandum & diligendum.* Est quoad 1. partem de fide, ex variis scripturæ locis, quæ ejus necessitatem & utilitatem ubique inculcant. ut 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas* &c. & ibidem: *Si habuero omnem fidem, & noverim mysteria omnia, & si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* & alibi. *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Item ex Trident. sess. 6. cap. 7. *Hæc omnia simul infusa accipit homo fidem, spem, & charitatem* &c. Porro hanc esse virtutem theologicam inde constat: quia inclinat ad actum rationi rectæ maximè conformem, & nobis à DEO præceptum, tenditque in DEUM ipsum, ejusque infinitam bonitatem, tanquam in objectum. Sed in Contra

5. Amor mensura amoris quomodo.

ARGUITUR 1. Impossibile est, DEUM super omnia diligere, ergo ad hoc non est ponenda ulla virtus theologica inclinans, Probatur antec. ex Philosopho 6. Ethic. ubi dicit: *Amabilia ad alterum mensurantur ex bis, quæ sunt ad ipsum*, id est amor, quo quis se ipsum diligit est mensura dilectionis, quâ alterum diligit, sed mensuratum in perfectione non excedit mensuram, ergo amor quo diligimus DEUM non excedit amorem, quo nos ipsos diligimus, adeoque non possumus ipsum super omnia amare. Probatur 2. idem antec. amicitia fundatur super unitatem amantis & amati, sed amanti nihil potest esse magis unum quam sit ipse, ergo nihil potest plusquam se ipsum diligere. Respond. neg. antec. ad cujus primam probationem Respondet Scotus in 3. d. 27. q. un. n. 21. principium illud Philosophi intelligendum esse, quantum ad notificationem dilectionis alicujus, quia sic ex amicitia & amore sui ipsius innotescit amicitia & amor, erga alterum, quando scilicet appetit alteri similia his, quæ mihi appeto, colligitur & satis innotescit, quòd amem ipsum sicut me ipsum, sed non debet, inquit Scotus, intelligi quoad rei veritatem, quasi verè & ex natura rei amicitia ad se sit perfectior amicitiâ, quam habet ad alterum maximè.

DE-

DEUM infinitè bonum, & amabilem.

Ad 2. Probationem dico, inquit Scotus, quod duæ conditiones concurrant in objecto amabili, unitas scilicet & bonitas objecti amabilis, & licèt superet unitas in uno motivo, tamen in alio recompensat bonitas, unde in forma distin. majo. amicitia fundatur super solam amantis & amati unitatem nego maj. super unitatem & bonitatem objecti amabilis, conc. in proposito autem licèt unitas amantis ad seipsum sit major, quàm unitas ejus ad Deum, bonitas tamen Dei incomparabiliter excedit bonitatem ipsius.

ARGUITUR 2. Ex Scoto, qui ita sibi ipsi objicit, Potest homo ex puris naturalibus DEum super omnia diligere amore saltem imperfecto, & ex frequentis ejusmodi actibus sibi acquirere habitum ad talem amorem inclinantem, ergo habenti talem habitū non potest vera inesse charitas infusa. antec. patet alibi probatur consequ. duo habitus ejusdem speciei de lege saltem ordinaria non possunt simul in eodem compati, quia unus necessariò esset superfluus, sed charitas infusa & acquisita sunt ejusdem speciei, ergo habendi charitatem acquisitam, non potest infusa infundi, Probatur min. quia objectum, ratio formalis objecti, potentia, modus tendendi in objectum in utroque habitu sunt prorsus eadem, & tantùm differunt per respectum ad diversas causas effectrices, quia unus habitus est à solo DEO infusus, & alius à causa creata productus, sed diversitas causæ efficientis non arguit diversitatem specificam in effectibus, aliàs homo à DEO per creationem productus, esset diversæ speciei ab homine per generationem producto, ergo.

Respond. Quidquid sit de antec. de quo postea, neg. conseq. ejusque probationis min. ad cujus etiam probationem conc. ssa majo. distin. min. diversitas causæ efficientis non arguit diversitatem specificam in effectibus, quando effectus unius causæ ita exigit esse ab ipsa ut repugnet ipsi esse ab alia, neg. min. quando non repugnat effectui unius causæ produci ab altera, conc. in proposito autem charitas infusa ita exigit à solo DEO per creationem produci, ut nequeat produci ab ulla creatura creata, sicut producitur charitas acquisita, talis autem repugnantia in uno & non repugnantia in altero, arguit diversitatem specificam in ipsis, non sic de homine, qui æque potest à DEO per creationem, ac à creatura per generationem produci.

6. Amicitia inter Deum & hominem esse post.

ARGUITUR 3. Si daretur talis virtus theologica, esset quædam amicitia inter DEUM & hominem, sed inter DEUM & hominem nulla potest amicitia intercedere, ergo. Probatur ex Philosopho 6. Ethic. c. 2. ubi ait, quòd amicitia non potest esse nisi inter aliquomodo æquales, sed inter DEUM & hominem nulla est æqualitas, unde dixit Poëta: *Non bene conveniunt, nec in eadem sede locantur, Majestas & amor.* Pro Resolutione oppositionis Notandum Philosophum loco citato plures requirere conditiones ad veram amicitiam inter aliquos quas in sequenti quæstione adducam, nempe ut sit amor benevolentiæ & non commodi, ita videlicet, ut verus amicus amet alterum propter ipsius bonitatem in se, non verò propter speratum aliquod inde lucrum. Et ut habeant inter se communionem & conjunctionem, quia proprius actus amicitiæ est unire duos inter se, quod maximè fovetur & fit mutua communione, unde ait Philosophus, quòd taciturnitas, & non communicatio affectuum dissolvit amicitiam, & quia manifestum est has conditiones inter Deum & hominem non posse intercedere, hinc ait Philosophus, non posse inter eos veram amicitiam intercedere. Sed Respond. ad argumentum conc. majo. distin. mino. inter DEUM & hominem elevatum per divinam gratiam ad statum supernaturalem, & quodammodo divinum non potest intercedere amicitia, nego min. inter DEUM & hominem non sic elevatum, transeat, neque ad talem amicitiam requiritur alia æqualitas, quàm æqualitas ejusdem statûs, & ejusdem quasi conditionis supernaturalis, qualis intercedit inter DEUM & hominem taliter elevatum, unde Christus ipse Joann. 15. vocat Apostolos suos amicos, *Vos*, inquit, *amici mei estis*, & Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui DEUS*, de quo aliquid paulo fusius dicam in sequenti quæstione.

7. Charitas est vera qualitas homini inhærens.

DICO 2. *Charitas theologica est qualitas creata immediatè inhærens animæ, eamq; permanenter & per modum habitûs informans.* Est communis Theologorum sententia, & quoad 2. partem contra Vasquez, qui ait, talem qualitatem permanentem & habitum supernaturalem ab actibus distinctum, non esse necessarium maximè in adultis. Probatur ad Rom. dicitur: *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*, sed hoc malè diceretur, si ipse Spiritus S. esset charitas, quia tunc sensus esset, quòd Spiritus Sanctus sit diffus per Spiritus S. ad Galat. 5. *Fructus autem Spiritûs est charitas.* Joann. 4. *Diligamus nos invicem quia charitas ex DEO est*, nempe tanquam effectus ab illo productus; item 1. Corinth. 12. vocat Apostolus Charitatem aliasque virtutes charismata & dona Spiritus Sancti. & cap. 13. connumerat charitatem cum fide & Spe tanquam ejusdem rationis, & ordinis cum illis, ergo ex mente Apostoli charitas est aliquid creatum in anima, & à Spiritu Sancto ipsi infusum, quod ulterius

Digitized by Google

Ad
Ad
Ad

ſtrum ſuum. Et ſic ſtatim ſubito ſurrexit ſanus. Et ſic ſanatus ſuum ſtrum ſuum portauit. Et ſic ſanatus ſuum ſtrum ſuum portauit. Et ſic ſanatus ſuum ſtrum ſuum portauit

gradu, quia virtus ſignificat eſſentiam habitûs connotando perfectionem, ergo nec charitas in infimo gradu eſt virtus. Confirmatur. Quia charitas non facit hominem promptè & delectabiliter operari, ergo. Reſpond. neg. maj. nam ideo virtutes morales tales gradus admittunt, quia paulatim ſicut medicina ſanant mores, & ſic compatiuntur ſecum aliquid contrarii, charitas autem in infimo gradu ſanat animam, & non compatitur ſecum aliquid peccati mortalis. Ad Confirm. Reſpond. diſtin. antec. ad ſuos actus elicitos, nego. ad imperatos, conc. quia charitas in infimo gradu non facit hominem delectabiliter jejunare, dare eleemoſynam, &c.

10. Charitas eſt excellentiſſima virtus.

DICO 4. *Charitas eſt excellentiſſima virtus.* Ita Aretinus, Comtonius, contra hæreticos, qui fidem perfectiſſimam dicunt. Probatur: Tum, quia eſt forma aliarum virtutum: Tum, quia virtutes morales quoad ſtatum abſque charitate perfectæ eſſe non poſſunt ſecundùm Apoſtolum 1. Corinth. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt,* ratio eſt, quia ille cenſetur ſtatus perfectus virtutum, dum ita in hominis anima exiſtunt, ut ei proſint ad beatitudinem, ſed quantumcunque homo aliis virtutibus fuerit inſtructus, ſi tamen deſit charitas, cœleſtem beatitudinem nunquam aſſequetur, in quam rem apoſitiſſimè S. Auguſt. l. 15. Trinit 18. *Ipſam fidem,* inquit, *non facit utilem niſi charitas, ſine charitate quippe fides poteſt eſſe, ſed non prodeſſe.*

DICES: Martyrium eſt actus excellentiſſimus, ergo. Reſpond. diſtin. antec. in quantum eſt opus ſolius fortitudinis, nego, ut patet ex Apoſto. ſupra: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam,* in quantum imperatur à charitate, conc. antec. & nego conſeq.

DICES 2. Ex Paulo ad Galat. 5. *Fides per dilectionem operatur,* ergo charitas eſt inſtrumentum fidei ad operandum, & fides eſt principale agens. Reſpond. ſenſum eſſe fidem operari per dilectionem, non tanquam per ſuum inſtrumentum, ſed tanquam per ſuam formam, fides enim ſine operibus, charitate ſcilicet, mortua eſt, neque particula *per*, denotat ſemper cauſam inſtrumentalem, ſed etiam principalem, ut notat D. Baſilius, & patet ex illo Gen. 4. *Poſſedi hominem per DEUM,* ſcilicet cùm genuiſſet Cain.

Quæſtio II.

An Charitas ſit vera amicitia hominis erga DEUM?

1. Amicitiæ veræ conditiones.

Quæres 1. quæ peccata & in quibus teneamur corripere? Respond. ad 1. peccata mortalia quæcunque esse materiam correptionis fraternæ. Deinde quoties ex frequentatione venialium est periculum probabile labendi in peccatum mortale aut quoties superior aliquis videret ex peccatis venialibus suorum subditorum disciplinam regularem dissolvendam, tenetur sub mortali corripere subditum, vel saltem sub ea obligatione, qua tenetur ipsam disciplinam conservare, & idem probabiliter est dicendum de quolibet religioso privato, qui sit membrum ejusdem communitatis, quando commodè potest corripere fratrem, & subest spes emendationis. Ad 2. Respond. teneri nos corrigere quoscunque sive fideles, sive infideles, qui ex ignorantia invincibiliter juris aut facti peccant, eos instruendo, quando subest spes emendationis, & cöercitionis à peccato. 2. tenemur corrigere publicè, & ex consuetudine peccantes, ut sunt usurarii, quotidiè ebrii, & similes, si sit probabilis spes emendationis ipsorum, sed quia ejusmodi spes de similibus est rara, ideo tales à bonis & zelosis communiter deseruntur, & in suis miseriis sine fraterna ulla correctione relinquuntur. 3. denique tenemur quandoque superiores nostros corripere exemplo D. Pauli, & aliorum multorum, servata tamen debita humilitate, submissione, aliisque circumstantiis loci, temporis, personæ corripientis &c. ut scilicet fiat seorsim ab aliis, & quando videmus eos bene dispositos ad suscipiendam correctionem, & corripiens sit alicujus authoritatis apud superiorem, vel ob probitatem morum, vel opinionem prudentiæ.

6 Peccatum occultum Potest superiori aperiri.

Quæres 2. Utrum peccatum occultum proximi possit licitè aperiri superiori sine prævia admonitione, esto videam ex privata mea admonitione proximum emendandum? Respond. Quoties prudenter judico fratrem aut proximum meum certius, efficacius, ac cum majori fructu posse corrigi, & à periculo reincidendi præservari per discretam, paternam, & charitativam admonitionem Prælati, posse me licitè omissa privata admonitione, aut testium inductione eum ad Prælatum, ut ad Patrem deferre. Ratio est, quia correctio fraterna, ejusque ordo sunt inducta ad bonum corripiendi, adeoque in ea debet servari iste modus & ordo, ex quo maximum bonum fratris prudenter speratur, sed majus bonum proximi est cum aliquali, aut certè nulla jactura famæ apud superiorem ab ipso certius, efficacius, & cum majori fructu corrigi, quàm à me sine spe tanti fructûs, ergo. Neque huic obstat ille ordo Matth. 18. præscriptus: quia solùm prohibet, ne deferamus fratrem nostrum ad superiorem tanquam ad judicem, aut judicialiter examinandum sine prævia ipsius admonitione, in hac tamen delatione fratris ad superiorem attendenda est semper conditio Prælati & subditi, si scilicet Prælatus sit prudens & discretus ex amore potius quàm ex rancore procedens, & subditus non sit nimis elatus, & ex superioris correctione, aut monitione magis pervertendus, quàm emendandus.

7 Correctio fraterna potest etiam quandoque omitti.

Quæres 3. Utrum generali statuto possit in aliqua Religione firmari, ut neglectâ privatâ ac fraterna admonitione possit quilibet peccatum sui fratris, quantumvis occultum, & infamatorium, immediatè ad superiorem deferre? Respond. ita de facto constitutum esse in Societate JESU, & à Sede Apostolica per Gregorium XIII. confirmatum, & approbatum inter reliquas constitutiones ejusdem Societatis quantumvis acriterà multis oppugnetur tanquam indiscretum, & animorum inter fratres aversionem fovens, & fraternam societatem dissolvens, magis quàm nutriens, sed quidquid sit de veritate hujus sententiæ, aut censuræ, illud imprimis videtur certum, & ex superioribus satis constat, quòd si constaret in quavis Religione Superiores omnes & prælatos habere semper in gubernando talem assistentiam Spiritûs Sancti, ut in corrigendis peccatis subditorum ad se delatis servarent debitum modum, prudentiam, & discretionem, quibus constaret defectus subditorum melius & securiùs corrigendos, quàm per privatam monitionem, posse tunc licitè & utiliter tale generale statutum condi, nec aliter ulla religio condidit unquam tale statutum, nisi ex suppositione, quòd Prælati sicut nomine, ita & re, omnibus præeant in prudentia, discretione, charitate, aliisque conditionibus in Prælato adquisitis.

Quòd si autem corruptio temporum, & hominum etiam religiosorum in deterius

rius mutata conditio, experientiam faceret, hæc omnia in superioribus et subditis communiter non reperiri, & talem denuntiationem magis in destructionem religionis quàm in ædificationem cedere, melius & consultius judicarem tale statutum si quod esset, omittendum, aut penitus abolendum, prout defactò in nulla Religione video observari, præterquam in Societate JESU, in qua, an magis conservet, quàm destruat Charitatem, viderint ipsi.

1 Juri suo in famam suam potest quis cedere

Quæres denique: An quis possit cedere juri, quod in famam suam habet, dando aliis licentiam, ut sua peccata occulta extra confessionem cognita immediatè ad Superiorem deferant? Respond. Probabilius esse, id quandoque posse licitè fieri absque tamen præjudicio tertii, & ob finem bonum, puta sui majorem mortificationem, aut in spiritu profectum. Hanc sententiam tradunt Sairus, Valent: Bannes, Turrianus & alii apud Coning. Et Ratio est: Quia homo verè est Dominus suæ famæ, ergo sicut alias suas res potest validè & licitè prodigere ob bonum finem, ita & famam. Deinde ab alio injustè infamatus secundùm multos potest ipsi condonari restitutionem famæ, sed ejusdem potestatis est, dare alicui veniam non restituendi nobis ablata, & dare veniam eadem auferendi, ergo qui potest unum, poterit & aliud. Denique licite quandoque aperit quis publicè suos defectus exemplo S. Augustini, qui in suis confessionibus defectus suos toti Mundo aperuit ad majorem sui confusionem & mortificationem, ergo cui non liceret ob eundem finem dare licentiam alteri idem faciendi. Adde in opinione prudentum plus laudis & bonæ famæ accrescere tali homini ex ejusmodi resignatione quàm infamiæ aut ignominiæ, inde enim judicatur humilis, resignatus, boni zeli ac propositi, & erga superiorem obedientis animi.

DISPUTATIO III.

De Vitiis Charitati oppositis.

Omnia peccata mortalia, & quæcunque vitia generaliter loquendo opponuntur Charitati, quia omnia illam moraliter destruunt, perdunt, & expellunt, quoniam excludunt à Regno DEI, occidunt animam, & damnationi æternæ subjiciunt, ut D. Paulus docet ad Galat: 5. *Manifesta sunt autem opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorũ servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ dissensiones, sectæ invidiæ, homicidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum DEI non consequentur.* Quem textum perpendens S. Augustinus hom. 50. cap. 10. & 11. dicit: *Judicet ergo seipsum homo in istis voluntate dum potest, & mores convertat in melius, nè cùm jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur.* Verùm in hoc sensu non agam de vitiis Charitati oppositis, sed de illis quæ directè huic virtuti, ejusque objecto materiali & formali opponuntur, quibus invicem se homines mordent, & comedunt, qualia sunt Odium, Acedia, Invidia, Discordiæ, Contentiones, Rixæ, Seditiones, Schismata, Scandala, Bella, & Duella & cætera hujusmodi de quibus in hac disputatione.

Quæstio I.

De odio DEI & Proximi.

IN hac quæstione de tribus præcipuè agitur: Primò, An odium DEI sit possibile? Secundò, An Odium & quale peccatum sit odium DEI? Tertio, An & quale odium proximi sit peccatum? Et quoad primum dependet à resolutione alterius quæstionis, qua generaliter quæritur, An bonum qua bonum possit odiri, aut amari malum qua tale?

1 Odium est duplex,

Pro intelligentia verò secundi advertendum, odium proximi aliud esse *Inimicitiæ*, aliud *Abominationis*. *Odium Inimicitiæ* est, quo volumus alicui malum, quatenus ipsi malum est, & apparet nobis quodammodo utile vel delectabile, quod tale malum subeat, non quòd aliud aliquod bonum nobis inde eveniat, sed quia ipsi malum est, & opponitur amicitiæ, quadiligo alterum in se & propter se.

Odium Abominationis est, quo rem aliquam aut personam tanquam notis, aut DEO vel amicis contrarium aversamur, quod fieri potest quandoque, etsi nihil mali ipsi personæ velimus, sed solùm fugiamus ejus præsentiam aut conversationem propter quasdam rationes ad hoc sufficienter moventes.

2 DEUS non potest odiri.

DICO 1. *DEUS secundùm se, aut directè non potest odiri, bene tamen indirectè, & quoad aliquos effectus v. g. Justitiæ, vindictæ &c. quos ad extra operatur.* Est quoad utramque partem communis sententia Theologorum, & quoad primam partem eam expressè tradit Scotus 4. d. 49. q. 10: n. 8. & 9. his verbis: *Sicut circa malum ostensum non possum elicere actum nisi nolle, sic circa bonum oblatum non possum elicere actum* volun-

Digitized by Google

Voluntatis nisi velle. Et paulo infrà: *Respond. Quòd à voluntate excluditur actus volitionis respectu miseriæ & actus nolitionis respectu beatitudinis, quia miseria non est nata esse objectum actus volitionis, nec beatitudo objectum actus nolitionis.*

Probatur conclusio Ratione: Nihil sub eadem ratione formali & respectu ejusdem potentiæ appetitivæ potest esse simul appetibile & fugibile, amabile & odibile, sed bonum quà bonum est semper amabile & appetibile, ergo sub eadem ratione non potest esse odibile, aut quà tale odio haberi, sed DEUS in se absolute spectatus, est infinitè bonus, & omnis boni fons & origo, ergo secundum se consideratus nullo modo potest odio haberi.

Secunda pars concluſ. Probatur 1. Ex Scriptura Psalm. 73. *Et gloriati sunt, qui oderunt te in medio solemnitatis tuæ.* Psal. 82. *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: & qui oderunt te, extulerunt caput.* & Psalm. 138. *Nonne qui oderunt te Domine oderam: & super inimicos tuos tabescebam?* Joann 15. *Qui me odit: & Patrem meum odit nunc autem & viderunt, & oderunt & me & Patrem meum, sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.*

Probatur 2. Ex Ratione: Quia dæmones & damnati propter gravissimas pœnas inferni, quas ex justa DEI judicio propter peccata sua patiuntur, vellent DEUM, aut ejus justitiam punitivam non esse, quem apprehendunt causam & authorem omnium miseriarum & pœnarum, quas patiuntur, unde oritur in ipsis odium quoddam inimicitiæ circa ipsum, & ex hoc procurant quantum in ipsis est honorem DEI prostituere invitando alios ad peccandum contra ipsum præcisè: quia hoc cedit in injuriam quodammodo, licèt ipsis nullum ex hoc commodum, sed potius augmentum pœnæ accedat, & ita gladius impiorum intrat in corda eorum.

Arguitur 1. Dæmones & damnati oderunt DEUM juxta illud Psalmi 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Et multi oderunt vitam suam, ut constat de illis, qui ex desperatione se suspendunt, sed tale factum aut mors illorum non potest habere rationem boni, ergo volunt malum quà malum. Respond. ad Primum: Dæmones & damnatos non odisse DEUM secundum se, sed in quantum infligit ipsis justas pœnas pro peccatis ipsorum, sicut dictum est in probatione partis secundæ. Ad Secundum Respond. Tales non odisse vitam suam secundùm se consideratam, sed solùm quatenus connexa est multis miseriis, quas in æstimatione talium melius est effugere per mortem, quam continuò in vita sustinere, quia melius quodammodo est, nullo modo esse, quàm in continuis miseriis esse, juxta illud: *Bonum erat ei, si natus non fuisset.*

Arguitur 2. Multi oderunt suos inimicos volendo ipsis malum quà tale v. g. mortem, amissionem bonorum &c. ergo potest aliquis velle alteri malum, quatenus præcisè malum est. Respond: distin. antec. Volendo illis malum quatenus malum eorum, quos oderunt, conc. ante. Quatenus malum eorum, qui oderunt, neg. Malum enim inimici hoc ipso quod malum ipsi, est Oso bonum ad minus delectabile, & sub hac ratione ab ipso amatur, non autem quatenus præcisè malum est sine omni ratione boni honesti vel delectabilis.

3 Odium DEI est maximum peccatum.

DICO 2. *Odium DEI sive secundùm se & directè, sive quoad effectus & indirectè semper est gravissimum peccatum.* Hæc est indubitata omnium ratione utentium, unde Scotus in 2. d. 37. q. 1. ubi dicit, odium DEI sive averſionem à fine ultimo formalem vel virtualem esse speciale peccatum contra præceptum hoc: *Diliges Dominum DEUM tuum* & in 2. d. 6. q. 2. ostendit, quomodo in dæmone cadente fuerit & esse potuerit hoc peccatum dicens: *Incepit malitia dæmonis ab immoderato amore sui, quod non erat maximum peccatum, & consummabatur in odio DEI, quod est maximum peccatum, quod sequebatur ex hoc, quia non potuit habere volita manente DEO: & ideo ex inordinato appetitu prius potuit DEUM velle non esse: & ita odisse.* Probatur etiam Ratione: Quia odium DEI est directè oppositum dilectioni, & avertit se à summo & unico bono contrariè vel negativè nolendo illud, & hoc est odisse atque speciale peccatum, ergo. Confirmatur: Quia secundùm Aristotelem 2. Rhetoric: Osus vult se osum non esse, unde quia damnati oderunt DEUM juxta Psalm. 73. cit. volunt illum non esse, sed velle DEUM non esse, vel etiam ejus Justitiam summum est peccatum, ergo. Ad Odium DEI reducunt aliqui Blasphemiã, Execrationem, Maledictionem &c. Verùm ego de his agam in virtute Religionis, tanquam Vitiis illi directè oppositis, nunc de Dilectione proximi.

4 Proximus non potest odisse odio inimicitiæ.

DICO 3. *In nullo casu licet odisse proximum odio inimicitiæ, bene tamen odio abominationis, in quantum scilicet DEUM, aut proximum offendit.* Est quoad utramque partem communis. & Prima pars constat: Quia odium inimicitiæ opponitur directè charitati, quam tenemur habere circa proximum quemlibet, quantumvis sit inimicus, ergo nunquam est licitum talem positivè odisse, unde in Evangelio & passim per scripturam totam DEUS prohibuit odium proximi & amorem præcepit. Secunda pars concluſ: Satis colligitur: Tum ex Scriptura Psalm 118. *Iniquos odio habui.* & Sapient. 14. *Odio sunt DEO impius & impietas ejus.* Tum ex S. Augustino serm. 227. de Tempore ubi in illud 1. Joann. 3. *Qui odit, homicida est. Non venenum paraſti, non ad percutiendum inimicum*

Digitized by Google

cum cum gladio processisti: non ministerium sceleris præparasti, non locum, non tempus: postremò ipsum scelus non fecisti. Tantùm odisti, & prius te quàm illum occidisti. Discite ergo Justitiam ut non oderitis nisi vitia, homines ametis. Hoc si tenueritis, & hanc justitiam feceritis, ut homines etiam vitiosos sanari malitis potius quàm damnari, bonum opus in vinea feciſtis. Et lib. 14. de Civit. cap. 6. *Quoniam naturâ nemo, sed quisquis malus est, vitio malus est: perfectum odium debet malis: qui secundùm DEUM vivit: ut nec propter vitium oderit hominem, nec amet vitium propter hominem: sed oderit vitium, amet hominem. Sanato enim vitio, totum quod amare, nihil autem quod debeat odisse, remanebit.*

Probatur 3. Ratione: Quia tale odium sæpius cedit in bonum proximi, & propter ejus bonum intenditur, ut scilicet ex nostra aversione excitetur magis ad pœnitentiam, & ad recognoscendum suum delictum; unde licitè quandoque aversamur nostros alios amicos & fratres quantum ad externam conversationem, quando probabile esset periculum ex eorum conversatione vel familiaritate posse sequi jurgia, rixas, & contentiones, quod addo propter aliquos scrupulosos, qui putant se odisse fratrem, dum illius conversationem fugiunt, aut non possunt eum læta aut hilari fronte aspicere, cùm tamen sæpius hoc proveniat ex quadam naturali antipathia inter conditiones & complexiones hominum, aut ex melancholico humore aliquo sine ullo rancore vel odio contra proximum.

Quæstio II.

De Invidia, Acedia, Discordia, Contentione & Rixa.

1 Invidere multipliciter accipitur.

INvidia sextum alioquin capitale peccatum, genus quoddam odii est, unde S. Augustinus Enarrat: in Psalm: 104. sic definit: *Invidia est odium felicitatis alienæ.* Quæ ordinariè describitur, quòd sit tristitia de bono alterius, in quantum æstimatur aliquo modo diminutivum proprii honoris aut boni ex mente D. Thomæ 2. 2. q. 36. quod multipliciter in nobis potest contingere, aut enim dolemus de bono proximi, eo quòd timeamus ex ejus prosperitate aliquod nocumentum nobis eventurum, & hic dolor si sit moderatus & prudens, est quandoque licitus. Vel secundò dolemus, non quia alter tale bonum habet, sed quia nos simili bono caremus, & hic dolor propriè vocatur zelus, estque quandoqe licitus juxta illud: *Æmulamini charismata meliora.* Tertiò dolemus quandoque, quòd aliqua bona accidant indignis. Verùm hic dolor non est licitus, nisi quando timentur tales abusuri talibus bonis in detrimentum Reipublicæ, aut boni communis. Quartò denique dolet quis de bono proximi, eò quòd timeat ab eo in ejusmodi æquari vel superari, & tunc est propriè invidia & gravissimum peccatum, per quod peccatum intravit in mundum. Et quamvis data definitio sit bona, nihilominus eam aliter & breviter describo, atque

2 Invidia describitur.

DICO 1. *Invidia est dolor inordinatus, seu ægritudo voluntaria animi nolentis bonum alterius, quatenus est diminutivum proprii boni formaliter.* Probatur ex Proverb. 14. *Vita carnium, sanitas cordis: putredo ossium invidia.* Eccles. 6. *Noli fieri pro amico inimicus proximo: improperium enim & contumeliam malus hæreditabit, & omnis peccator invidus & bilinguis.* 1. Timoth. 6. *Superbus est nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ.*

DICITUR *Dolor*: Quia in hoc convenit tanquam in genere cum aliis doloribus, est enim invidia quædam affl ctio orta ex nolitione boni, vel quia ipsa nolitio affligit hominem, dicitur autem inordinatus, quia si fieret conformiter ad rectam rationem, non foret dicenda invidia, unde Paulus 1. Corinth. 12. *Æmulàmini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Ubi æmulatio comprobatur, quæ tamen alioquin est invidiæ filia, & talis æmulatio est charitatis & boni desiderii effectus. Dicitur *Inordinatus* & *Voluntarius*, ut distinguatur à non voluntario. Dicitur *de bono alterius*, ut distinguatur à dolore concepto de aliis objectis, ut de malo nostro vel alieno. Dicitur *quatenus est diminutivum proprii boni*, ut distinguatur à dolore de bono alterius sine tali respectu ad bonum nostrum.

3 Invidia est mortale peccatum.

DICO 2. *Invidia ex genere suo est peccatum mortale.* Ita D. Thomas & Doctores omnes. Probatur 1. ex scripturis jam citatis, & ubi inter scelera, in quæ Romani fuerunt prolapsi propter ex cœcata eorum corda, enumeratur etiam invidia ad Rom. 1. *Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones* & addit *DEO odibiles.* ubicunque autem odisse aliquid DEUS asseritur, peccatum grave denotatur, ergo. & Sapientiæ 2. *Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Hinc Patres communiter appellant invidiam peccatum diabolicum quorum authoritate

probatur Conclusio 2. ex S. Augustino lib. 6. contra Julianum cap: 1. ubi illummet ita alloquitur: *Ipsam sic describis invidiam, ut in tua descriptione hoc vitium & peccatum appareat & pœna peccati? An non est peccatum diabolicum invidia? An non est pœna peccati, quæ* protinus ipsum, de quo oritur, vexat authorem? *Hæc verba tua sunt, tam.n. diuturna loquacitate visus tibi es*

acutissime disputâsse, unum idemque vitium peccatum pœnamque peccati esse non posse. Elegantius autem ex S. Cypriano probat, quantum invidia sit malum lib. 4. contra Donat. stas cap. 8. dicens: *Ipsa invidia, quæ non potest esse nisi malevola, quantum malum est, non quæramus alios testes, sufficit nobis ipse Cyprianus, per quem tam multa de zelo & livore Dominus verissimâ intonuit & salubria præcepit. Legamus ergo epistolam Cypriani de zelo & livore, & videamus quantum malum sit invidere melioribus: cujus mali originem ab ipso diabolo extitisse memorabiliter docet*: Zelare *inquit*, quod bonum videas, & invidere melioribus, leve apud quosdam & modicum crimen videtur fratres dilectissimi. *Deinde paulò pòst, cùm ejus mali caput atque originem quæreret*: Hinc Abolus, *inquit*, inter initia statim mundi, & periit primus & perdidit. *Et paulò pòst*: Quale malum est, *inquit*, fratres dilectissimi, quo angelus cecidit, quo circumveniri & subverti alta illa præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse, qui decepit? Exinde invidia grassatur in terris, dum livore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum qui zelat imitatur, sicut scriptum est, Invidiâ autem diaboli mors intravit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum, qui sunt ex parte ejus. *Hæc verba Cypriani in Epist. populis nota, quàm vera, quàm fortia sint recognoscimus.* Omitto S. Bernhardum serm. 54. in Cantica, & alios.

Probatur 3. Ratione: Quia sicut odium ita & invidia directè opponitur dilectioni proximi, ergo. Tum, Quia directè adversatur ordinationi divinæ, ejusq; liberalitati, qua secundùm consilium voluntatis suæ distribuit sua dona hominibus, quibus contradicit, quisquis invidet alienis bonis. Tum etiam, Quia ex invidia omnia mala originantur, nam ut eleganter Author sermonum ad fratres in Eremo inter opera D. Augustini tom. 10. in appendice serm. 18. refert: Invidia omni vitio pejor, omni peste deterior &c. *Hæc est quæ angelum de cœlo projecit, quæ hominem de paradiso exulavit, quæ filios Israel in deserto percussit, quæ contra Joseph fratres armavit, quæ Danielem in lacum leonum misit, quæ Caput nostrum crucì affixit, quæ Judam suspendi fecit. Scitote fratres mei, atque discite, & super tecta prædicate, quòd invidia est illa fera pessima, quæ fidem tollit, concordiam dissipat, tertiam linguam multiplicat, justitiam disperdit, & omnia mala generat. Hæc est quæ Abel occidit, Adam oneravit vel exulavit, pastorem suspendit, Petrum jugulavit dum Christum negavit, Paulum decollavit, & Joannem, Stephanum lapidavit, Goliam prostravit, David decepit, muros Jerusalem evertit, Romam depopulavit, Carthaginem destruxit, Trojam devastavit, & multa mala per hanc feram pessimam in orbe terrarum facta esse legimus.*

DICO 3. *Invidia non semper est peccatum mortale, sed veniale fieri potest ex imperfectione motûs aut parvitate materiæ.* Est etiam communis: Quia potest esse aliquando motus in parte sensitiva & etiam voluntate tam subitus & ferè naturalis, sicut contingit in animantibus fieri, atqui talis motus antevertit omnem deliberatum consensum, qui tamen ad mortale requiritur, ergo. Deinde sæpe evenit apud plebejos & pueros, quòd sibi propter pomum aliquod, aut leve & minimum lucrum sibi invideant, quæ tamen mortaliter non peccant, requiritur ergo materiæ gravitas. 4 Invidia non semper est peccatum mortale.

Imò ajo, Invidiam nullum esse peccatum, si quis invideret & tristaretur de sanitate alterius, eo quòd illa abuteretur ad peccatum; item de collatis dignitatibus subjectis indignis per quæ pauperes, aliique probi viri damnificantur.

Invidiæ filias enumerat S. Gregorius libro 31. Moral. cap. 17. quinque *Odium, Susurratio, Detractio, Exultatio in adversis proximi*, & *Afflictio in prosperis.* Quæ de se patent. Hoc tamen notandum Exultationem seu gaudium in adversis proximi peccatum esse, si malum de quo gaudetur magnum est, & deliberatio plena, simili ratione dico etiam peccatum esse tristitiam de prosperis proximi, excepto hoc, quod afflictio ista & tristitia subsequens sit etiam pœna peccati invidentis, quæ ipsum semper comitatur, ut præclarè describit S. Augustinus serm. 83 de Tempore dicens: *Sicut ærugo ferrum, ita invidia illam ipsam animam, in quâ est, interimit & consumit. Et sicut ajunt, viperas dilacerato & dirupto illo ipso materno utero, in quo conceptæ sunt, nasci: ita & invidiæ natura illam ipsam animam à qua concepta est, & consumit & perdit. Qualis hæc animæ tinea est? Quæ cogitationum tabes pectoris? Quanta rubigo, zelari in homine donum DEI, & in malo opprobrio bona aliena convertere, aliorum gloriam facere pœnam suam, velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent.* 5 Invidiæ filiæ.

Acedia nomen est græcum teste Calepino & idem est quod latinè Pigritia, tristitia, tædium &c. derivatur à verbo græco ἀχθέω quod curam & laborem significat, unde derivatur ἀχηδία sine labore & cura, quod propriè pigrorum est & tædiosorum. Verum nonnulli latinè derivant ab acido, id est, frigido, nam quemadmodum frigida non moventur facilè, sic piger & acediosus ex nimia tristitia torpescit ad bonum; undecunque derivetur parum est curandum, qu ad rem 6 Acedia etymon

DICO 4. *Acedia, sive Accedia est tristitia & torpor voluntarius de bono spirituali propter ejus molestam procurationem, & conservationē.* Hæc etiam patet ex Proverb. 10. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic* 7 Acedia describitur

piger his, qui miserunt eum. cap. 13. *Vult & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur.* cap. 21. *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim manus ejus quidquam operari: tota die concupiscit, & desiderat: qui autem justus est, tribuet, & non cessabit.*

Probatur explicando Dicitur *Tristia* id est nolentis, & *languor* seu *torpor voluntarius* ad denotandum illum solum peccare tali peccato, qui voluntariè dolet, quòd non possit exercere actum virtutis sine labore, aut sine privatione alicujus consolationis, qua alias posset gaudere, potest autem quis duobus modis talem dolorem concipere: Primò, si dolet, quòd exercitium virtutis sit difficile. Secundò, si doleat non obstante hac difficultate se obligatum ad exercendam virtutem, uterque hic dolor est peccaminosus, nam si ex naturali complexione vel infirmitate langueret, & torperet, non peccaret, sicut contingit in Melancholicis & aliis mala complexione affectis, & similibus languor iste potius vergit ad meritum.

DICITUR de *bono spirituali*, quod principalissimum est beatitudo nostra, unde respicit primò DEUM summè diligendum, qui se diligentibus eam est daturus, propter quem debet et amare, quòd in proximis videat dona DEI, quibus ad beatitudinem præparatur, & tandem etiam quòd ita sibi suaviter per ordinatissima media providerit, ad quæ ex præcepto dilectionis seriò se debet applicare. Eleganter S. Bernhardus in vite mystica describit hujus vitii naturam dicens: *Acediæ vitium* est, quod quendam torporem incutit animo, ut ipsi omnia exercitia spiritualia quasi insipida videantur, & in grave tædium convertantur. De quo tædio dicit Psalmus: *Dormitavit anima mea præ tædio.* Et alibi: *Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Tantum quippe aliquando affligitur hoc vitio anima bonorum, ut etiam omnem escam, id est, omne spirituale exercitium abominetur, ut nec orare nec legere, nec meditari, nec opus manuum libeat exercere. Imò & appropinquant usque ad portas mortis, id est, ut etiam ipsius vitæ fastidium habentes morte finiri desiderent, cum sancto Job dicentes: *Tædet animam meam vitæ meæ.* Hic gravi vitio medetur *jucunditas.*

1 Acedia est de genere suo peccatum mortale.

DICO 5. *Acedia, quæ versatur circa bonum spirituale divinum, & in quantum ad DEUM refertur, si materia sit gravis est peccatum mortale ex se, secus est, si tantùm sit languor & remissio fervoris, & charitatis in DEUM.* Hanc deduco ex D. Thoma. 2. 2. q. 35. art. 1.

Probatur 1. pars ex 2. ad Corinth. 7. *Tristitia hujus sæculi mortem operatur.* In quem textum D. Augustinus vel qui author est, tom. 9. lib. 1. de consolat. mortuorum cap. 3. dicit: *Maximè cogitandum est, quod divina sententia per Apostolum definit: Quia tristitia hujus mundi mortem operatur. Quòd si tam oblectatio quàm utilitas præsens sive consuetudo, res mundi sunt & gaudia sæculi transitoria, propter hæc animum deijcere, & spiritum contristari, vide quàm sit mortifera valetudo. Repetens autem iterum atque iterum dicam: Tristitia mundi mortem operatur. Quare autem mortem operatur? Quia solet nimia tristitia aut ad dubitationem, aut periculosam perducere ad blasphemiam.*

Probatur hæc eadem pars Ratione: Quia hoc vitium per actum oppositum charitati contrariatur, quia charitas includit quoddam gaudium de bono divino, & omni illo, quod ad divinum bonum refertur, unde Matth. 5. Christus monet Apostolos *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*, sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt *ante vos.* Econtra autem acedia, si in omnibus bonis spiritualibus & ad DEUM pertinentibus versatur habet tristitiam, pigritiam & dolorem, ergo, hoc tamen semper intelligendum est, si materia sit gravis, & actus ac torpor deliberatus & voluntarius, secus autem non erit, nisi veniale peccatum, & sic patet secunda pars.

Filiæ Acediæ sunt *Desperatio*, Pusillanimitas, Torpor, Malitia, Rancor, *mentis evagatio. Desperatio* autem completa est gravissimum peccatum, de quo egi suprà. *Pusillanimitas* est qua homo non audet divina consilia exequi in iis quæ ad perfectionem tendunt, & hæc est culpa tantùm venialis. *Torpor* verò est quo homo negligit, vel omittit ea facere, quæ præcepta sunt, & hic est peccatum mortale secundùm Marchantium, non tamen distinctum ab illa omissione peccaminosa. *Malitia* est, qua homo odio habet ipsa bona spiritualia volendo vel ea non esse, aut dolendo benefacta esse, aut contemnendo DEI beneficia &c. & hæc est mortalis. *Rancor*, quo homines religiosi & Ecclesiastici, vel quicunque alii in fastidio sunt, eo quod ad spiritualia admoneant atque exhortentur, & hic non est nisi venialis, nisi grave ad mixtum sit odium. Denique *Evagatio mentis*, quæ intercurrit in rebus spiritualibus exequendis, non est nisi venialis culpa, nisi in rebus talibus sit, quæ graviter obligant, tunc enim foret mortalis. Ita Toletus lib. 8. cap. 70. 9 Acediæ filiæ.

DICO 6 *Discordia est contrarietas voluntatum, eritque contra charitatem, & peccatum, quando ex ea prævidetur malum sequi, quod ex charitate impedire tenemur.* Hæc etiam patet ex Proverb. 17. *Qui meditatur discordias, diligit rixas: & qui exaltat ostium, quærit ruinam.* & cap. 30. *Qui producit iras, provocat discordias.* quod idem sensit antiquus Orator Cicero lib 4. Tuscul. definiens discordiam, quod *sit ira acerbior intimo odio, & corde concepta.* Et de Amicitia: *Quanta vis amicitiæ, concordiæque sit ex*

Digitized by Google

ex dissensionibus atque discordiis percipi potest. Et ratio est, qui nihil magis lædit charitatem & bonum ac profectum publicum, quàm discordia & animorum dissensio, ipsa experientia teste.

DICO 7. *Contentio est verbalis altercatio, quâ quis protervè impugnat alterius sententiam, non minus opponitur charitati quàm discordia, frequentèrque est peccatum majus vel minus pro qualitate actuum.* Hæc etiam patet ex Proverb. 20. *Honor est Homini, qui separat se à contentionibus, omnes autem stulti miscentur contumeliis.* Eccles. 40. *Ad hæc mors, sanguis, contentio, & rhompheæ, oppressiones, fames, & contritio & flagella.* Ad Titum 3. *Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita, sunt enim inutiles & vanæ.* Imo idem S. Apostolus per quatuor capita priora Epistolæ 1. ad Corinthios nihil aliud conatur. quàm ostendere quantum dedeceat populum Christianum contentiones, inferens in cap. 3. *Cùm enim sit inter vos zelus & contentio: nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis.* Unde in re à Plinio appellatur Contentio *Oratio pugnax*, & profectò talis ubi semper aliquis vult vincere ita ut Cicero dicat: *Si nostram causam per laudationem extollemus, adversariorum contentionem deprimemus.* Hoc vitium quàm commune fuerit etiam olim inter Religiosos testatur Augustinus epist. 64.

DICENS: *De Contentione autem & dolo quid me attinet dicere, quando ista vitia non in plebe, sed in nostro numero graviora sunt? Horum autem morborum mater, superbia est, & humanæ laudis aviditas, quæ etiam hypocrisim sæpe generat. His non resistitur nisi crebris divinorum librorum testimoniis incutiatur timor & charitas DEI.*

DICO 8. *Rixa in hoc differt à contentione, quòd Rixa respiciat facta, Contentio verò dicta.* Nec de hac fusius requiritur examen.

Quæstio III.

De Bello & Seditione.

1 Belli etymon

Bellum à Prisciano per antiphrasim dictum quod minimè bellum sit seu pulchrum, aut bonum, nam pulchrum aliquando pro bono accipitur, & bonum pro pulchro, ut apud Terrentium est videre: Alii à bono derivant, non quod bono & bello contrarium sit, sed quòd antiquitus belli boni causâ susciperetur, nec ad niserendâ sed ad propulsandâ injuriam.

Festus verò derivat à belluis, eo quòd homines belluarum more soleant se interficere, quod propriè bestiarum & belluarum est, quidquid autem sit de origine vocis, origo Bellorum est discordia animorum non qualiorumcunque, sed publicarum personarum multitudinem repræsentatium, & ad contentiones, certamina, & prælia provocantium, quod est contra charitatis præceptum, unde quæstio olim fuit exorta, An liceat Christianis cum Christiano bellum gerere, maximò cùm oppositum videatur insinuari 2. Paralip. 25. & 35. ita quod indignum censeat populo Christiano quemquam bello lacessere exemplo Josiæ Regis 2. Paralipom. 35. ubi legitur ad admonitionem Regis Ægypti: *Noluit Josias reverti, sed præparavit contra eum bellum, nec acquievit sermonibus. Nec hoc ex ore DEI: verum perrexit ut dimicaret in campo Mageddo, ibique vulneratus à sagittariis, dixit pueris suis: Educite me de prælio, quia oppido vulneratus sum*, & ita docuerunt olim Manichæi, postmodum Wicleffus, & novissimè Lutherus docentes bellum esse illicitum. pro quo

2 Bellum duplex.

Notandum 1. Bellum aliud esse *Aggressivum*, aliud *Defensivum*: *Aggressivum* est, quando fit ad sumendam vindictam, unde & vindicativum & offensivum appellari solet. *Defensivum* est, quod fit ad repellendam vim & injuriam, si enim injuria, est adhuc in fieri bellum ex parte injuriati est defensivum, si verò jam factâ injuriâ, aggressivum.

3 Conditiones justi belli quatuor.

Notandum 2. Ad justum bellum potissimùm tres requiri conditiones. Primò, Quòd in belligerante sit authoritas indicendi bellum, qua tantum est in Republica perfecta, vel Principe non recognoscente superiorem in temporalibus, ut sunt Imperator, Reges, & alii Principes absoluti etiam his inferiores. Hanc conditionem expressè requirit D. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 75.

DICENS: *Inter est enim quibus causis, quibusque authoribus homines gerenda bella suscipiant: ordo tamen ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit. Ut suscipiendi belli authoritas atque consilium penes Principem sit, exigendi autem jussa bellica ministerium milites debeant paci salutique communi.* Quæ conditio tantum requiritur ad bellum defensivum, & repulsivum; quilibet enim à natura habet jus se tuendi, ac defendendi.

Secunda est propulsatio gravis injuriæ aut certæ, aut certò imminentis, & quando actu adest non solùm potest licitè bellum sumi, sed etiam ab aliis juvari, quamvis alii essent Infideles, prout noster Augustissimus facit assumendo in societatem armorum Regem Angliæ Acathoïcum, de Imperio Principes, quibus fidem debet, non potest esse dubium. An autem Turcam & Machometanum quemvis, nolo ego definire, sed valde timeo propter casum sextum Bullæ Cœnæ.

Tertiò requiritur in illo qui bellũ indicit certa persuasio, vel valde probabilis justitia causæ, unde diligenter eã examinare debet, audiendo rationes adversariorum, & consulendo probos àtque prudentes

Digitized by Google

viros. Quòd si causa dubia sit, tunc si unus illorum est in possessione ante decisum dubium illicitum est alteri movere bellum, quia in dubiis melior est conditio possidentis. Militibus autem subditis & stipendiariis satis est, si nesciant belli causam esse injustam, si autem dubitent, debent superiori obedire, qui verò non sunt subditi, debent saltem probabiliter putare bellum esse justum, ita Fillucius de victoria & alii.

Quartò requiritur intentio recta, nè videlicet affectu odii, sed potiùs justitiæ moveatur, ideòque Princeps pro fine debet intendere pacem, & publicam tranquillitatem, si tamen hæc conditio absit, non inducit obligationem restitutionis, bene tamen reliquæ. His prænotatis:

4 Bellum justum Christianis est licitum.

DICO 1. *Bellum seu offensivum, seu defensivum ex natura sua, & servatis prætactis conditionibus est Christianis licitum.* Ita communis mens Theologorum.

Probatur 1. Ex scriptura Judicum 3. ubi DEI consilio instituuntur Israëlitæ ad bella contra Chananæos, ita enim legitur ibi: *Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israëlem, & omnes qui non noverant bella Chananæorum, ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* 1. Regum 15. ubi Saul ex præcepto DEI bellum gerit. *Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcunque fecit Amalec Israëli, quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto, nunc ergo vade & percute Amalec, & demolire universa ejus: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum atque lactentem, bovem & ovem, camelam & asinum.* Simile præceptum accepit David à Domino 1. Reg. 23. *Consuluit ergo David Dominum, dicens: num vadam & percutiam Philisthæos istos? & ait Dominus ad David: Vade & percuties Philisthæos, & Ceilam salvabis.* Confirmatur ex prædicatione S. Joannis Baptistæ, & instructione data militibus Lucæ 3. *Interrogabant autem eum & milites, dicentes: quid faciemus & nos? & ait illis: neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.*

Probatur 2. Authoritate S. Augustini epist. 5. ad Marcellinum ubi hæc habet: *Misericorditer enim si fieri posset, etiam bella gererentur à bonis ut licentiosis cupiditatibus domitis hæc vitia perderentur, quæ justa imperio vel extirpari vel deprimi debuerunt. Nam si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seque omnino militiæ subtraherent. Dictum est autem eis, neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit.* Et lib. 22. contra Faustum cap. 74. *Sed quia Manichæi Joannem aperte blasphemare consueverunt, ipsum Dominum JESUM Christum audiant, hoc stipendium jubentem Cæsari reddi, quod Joannes dicit debere sufficere militi. Reddite, inquit, Cæsari quæ Cæsaris sunt, & DEO quæ DEI sunt. Ad hoc enim tributa præstantur, ut præter bella necessario militi stipendium præbeatur. Merito & illius Centurionis dicentis, Et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit: & alii veni, & venit: & servo meo fac hoc & facit: fidem laudavit, non illius militiæ desertionem imperavit.* Et S. Bernhardi toto tractatu ad milites templi, & signanter cap. 3. ubi dicit: *Securè proinde dissipentur gentes, quæ bella volunt, & abscindantur, qui nos conturbant, & disperdantur de civitate Domini omnes operantes iniquitatem, qui repositas in Hierosolymis Christiani populi inestimabiles divitias tollere gestiunt, sancta polluere, & hæreditate possidere sanctuarium DEI. Exeratur gladius uterque fidelium in cervices inimicorum ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam DEI, quæ est Christianorum fides, ne quando dicant gentes, ubi est DEUS eorum?*

Probatur 3. Ratione: Quia si non liceret Christianis contra Christianos bellare maximè propter multa damna ex bello orientia, aut propter obligationem quàm habent Christiani de diligendo proximo, sed hæc non impediunt, nam damna plura possent impediri per bellum, quàm sequerentur ex illo, nam si quis non posset bellum gerere ob defensionem Reipublicæ, posset tota Respublica venire in potestatem inimici, qui plura damna posset inferre, quàm ex bello sequerentur. Et universaliter verum est, quemlibet posse se suàque defendere quocunque meliori modo. Non sequitur etiam, non debere committi bellum propter obligationem diligendi proximum, quia non tenetur quis diligere plus proximum quàm se, unde tenetur impedire bello, nè inferantur gravia mala. Deinde ex charitate tenemur impedire mala majora proximi mediantibus malis minoribus, quando alias non possumus impedire illa, sed mala proximi inimici, quæ committuntur dum dant nobis causam gerendi bellum, sunt majora quam illa mala, quæ sequerentur ex bello, ergo per bellum possumus impedire illa, quando aliàs non possumus, sed non possumus alio modo, quando ipsi nolunt desistere, nisi bello eis resistatur, ergo.

Opponitur: David 1. Paralipom. 2. prohibetur ædificare domum Domini eò quòd plurima bella commisisset. Item Christus Joann: 18. Petro inquit, *Mitte gladium*, ergo non licet gerere bellum. Respond. neg. consequen. David enim non fuit impeditus ab ædificatione domus DEI, quòd plurima gessisset bella, sed quia in bellis commisit aliqua peccata, quæ

Digitized by Google

quæ displicuerunt DEO, quale fuit injusta sanguinis effusio Uriæ, vel noluit DEUS, ut ædificet alius, quàm vir pacificus, qualis fuit Salomon: Nec jussit Christus gladium mittere in vaginam, quasi vellet per hoc significare, quod nunquam liceret eum educere, sed quia tunc non erat conveniens, ut Petrus eo uteretur; Aut si Christus illo dicto in Petro Ecclesiam instruxit, tunc solum vult gladio non esse utendum propria & privata authoritate contra voluntatem Principum, talis enim non potest gladium accipere, nisi pro sua defensione. Hinc D. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 70. dicit: *Ille autem utitur gladio, qui nulla superiori ac legitima potestate vel jubente vel concedente in sanguinem alicujus armatur.*

OPPONITUR 2. Authoritas Concilii Nicæni can. 11. ubi imponitur pœna Christianis, qui post assumptam fidem se militiæ dabant. Et de S. Martino refert Sulpitius, cùm invitaretur denuò ad bellum, quòd dixerit: *Christianus sum, pugnare non licet*, ergo bellum Christianis non est licitum. Respond. negando consequ. Quia Concilium Nicænum loquitur de Christianis, qui signum Infidelium, quod deposuerant, iterum assumebant, & quia per hoc redire ad militiam cum Infidelibus & infidelibus Ducibus erat periculosa occasio redeundi ad infidelitatem. Per hoc etiam patet quid sit de S. Martino dicendum.

ARGUITUR 3. Bellum secum adfert infinita mala, peccata, cædes, rapinas, proximorum despoliationes, & repugnat dilectioni inimicorum, & remissioni injuriarum, ad quam tamen sub præcepto tenemur, ergo bellum non est licitum. Respond. Argumentum bene probare, Bellum quantum fieri potest esse vitandum, & solùm quasi in extrema necessitate, tentandum, quando scilicet nullum aliud est remedium, non verò esse de se illicitum, quia licèt ex se sequantur multa mala, id tamen per accidens est, & multò majora sequerentur, si nunquam liceret, ut pulchrè docet S. Augustinus in lib. 22. ad Faustum cap. 74. Nec hoc repugnat dilectioni inimicorum, si recta intentione geratur, videlicet non odio inimici sed amore justitiæ servandæ, & injuriæ propulsandæ, nunc ergo determino ulterius quis & ob quas

5. Regni pol-sunt gerere bella & indicere.

DICO 2. *Omnis Rex & Princeps, aut Respublica libera potest occasione sufficienti oblata bellum indicere ob damna illata à proximo, ob terras sublatas, ob feritatem & dominandi libidinem, & ut terreantur & conterantur superbi.* Ita D. Augustinus lib. 22. contra Faustum Manichæum cap. 74. ubi dicit: *Nec miretur bella per Moysen gesta, aut horreat, quia & in illis divina secutus imperia, non sæviens, sed obediens fuit: nec DEUS, cùm jubebat ista, sæviebat, sed digna dignis retribuebat, dignosque terrebat. Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, ut domentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum: nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia, hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur, quæ plerumque ut etiam jure puniantur adversus violentiam resistentium, sive DEO sive aliquo legitimo imperio jubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis.* Et cap. 75. *Interest enim quibus causis, quibusque authoribus homines gerenda bella suscipiant: ordo tamen ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli authoritas atque consilium penes principem sit, exequendi autem jussa bellica ministerium milites debeant paci salutique communi.* Probatur: Quia quandoque licet indicere bellum sed nunquam potius quàm data occasione & causâ, ergo.

Causas autem sufficientes justi belli recensèt S. Augustinus lib. 6. qq. super Josue q. 10. *Quod DEUS jubet loquens ad Jesum, ut constituat sibi retrorsus insidias, id est, insidiantes bellatores ad insidiandum hostibus: hinc admonemur non injustè fieri ab his, qui justum bellum gerunt: ut nihil homo justus præcipue cogitare debeat in his rebus, nisi ut justum bellum suscipiat, cui bellare fas est. Non enim omnibus fas est. Cùm autem justum bellum susceperit, utrum apertâ pugna, utrum insidiis vincat, nihil ad justitiam interest. Justa autem bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est. Sed etiam hoc genus belli sine dubitatione justum est quod DEUS imperat, apud quem non est iniquitas, & novit quid cuique fieri debeat. In quo bello exercitus vel ipse populus, non tam author belli, quàm minister judicandus est.*

DICO 3. *Nulla Civitas aut pars Regni vel Reipublicæ potest suscipere bellum ob quamcunque causam sine consensu Regis aut Reipublicæ, quòd si Rex aut Respublica nollent consentire, cùm deberent, & Civitas aut pars Regni speraret absque gravioribus damnis, quam quæ illata sunt, posse se impedire illa damna, possent bellum suscipere invito Rege aut Republica.* Probatur: Quia absurdum esset, quòd in re tanti momenti non haberent subordinationem ad Regem, aut Superiores Reipublicæ præsertim, quin possent commodè expectari, quod addo, quia si occasio se offerret, bellum statim suscipiendo recuperandi damna illata, & non esset Spes tam commodè id postea faciendi, possunt statim inconsulto Rege milites cogere, & suscipere bellum, & possent existimare id fieri secundùm voluntatem Principis.

Probatur 2. Pars concluſ. Quia non

debet ulla pars Reipublicæ pati injustum damnum propter reliquam partem Reipublicæ aut Regem, quando potest id bene impedire, sed pateretur, si in casu conclusionis non liceret ipsis invito Rege, & reliqua parte Reipublicæ aut Regni bellum suscipere.

DICES: Homo privatus non potest bona sua injustè ablata ab alio vi recuperare, sed debet expectare sententiam judicis, qui si noluerit pro eo sententiam ferre, debet habere patientiam, sed eadem est ratio de homine privato, ac de Civitate, ac reliqua parte Reipublicæ, ergo Civitas aut pars Reipublicæ nequit vi mediante bello recuperare bona perdita invito Principe, etiam cùm deberet consentire. Respon. 1. neg. min. Quia facilius est homini privato duci passione, & existimare bona aliqua esse sua, & injustè ablata, ac detenta, cùm tamen ita non esset, quàm Civitati, aut parti alicui Reipublicæ, unde propter inconvenientias secuturas ex eo, quòd id liceret homini privato authoritate sua, id posset prohibere legibus, quamvis non deberet prohiberi Civitati aut parti Reipublicæ. Respond. 2. neg. maj. Quia injuria esset manifesta, & Princeps aut Judex nollet justam sententiam ferre, & posset homo ille privatus absque gravioribus damnis defendere se contra Regem & alios, qui vellent se opponere, qui casus videtur quidem moraliter impossibilis respectu hominis privati, sed non est ullo modo impossibilis respectu alicujus magnæ Civitatis & notabilis partis Reipublicæ. Verùm quia hæc res periculosa est, & Rebelliones fovere posset, dico nullam Civitatem sine sui Principis assensu bellum incipere posse.

6 Rebellio est causa sufficiens belli.

DICO 4. *Rebellio est causa sufficiens belli gerendi.* Probatur, Quia aliàs subditi possent, quando vellent rebellare, & sic Reges & Principes Rerumpublicarum perderent sua jura, quod sine dubio est maximum damnum, & præferendum malis ex bello secuturis, præsertim quando Spes est probabilis debellandi & expugnandi rebelles. Imò tenentur Principes Rerumpublicarum compescere hujusmodi rebellionem. Idem etiam est de vindicta gravis injuriæ illatæ regno, aut Reipublicæ, quia eadem est ratio de hac ac de rebellione. Item de recuperatione bonorum injustè ablatorum & de auxilio impensi illis, cum quibus justè bellum gerimus, & de defensione innocentium. Sed nullo modo licet inferre bellum ob causam aliquam injustam, quia hoc esset aliis manifestam facere injuriam, nec ad castiganda mala & peccata enormia à subditis commissa, quia nemo debet illa castigare, nisi superior, ille autem talis non esset Superior, cùm tales non essent subditi. Existimarem tamen, Pontificem posse committere Regi, ut bello castigaret talia enormia committi solita ab aliqua Republica, aut regno Christiano, cùm aliàs impediri non possent, quia Pontifex est Superior solum quoad spiritualia. Vide Augustinum supra citatum pro conclusione secunda.

7 Hæretici possunt bellis cogi ad fidem.

DICO 5. *Licet bello, quando aliàs fieri non potest, Infideles, & multò magis Hæreticos cogere ad hoc, ut non impediant prædicationem ac instructionem, qua mediante possent converti ad fidem, & etiam ut conveniant ad ejusmodi instructionem audiendam.* Hæc patet ex dictis in Disputatione de Infidelitate quæst. ultima. Et Probatur 1. Ex S. Augustino in epist. 50. ad Bonifacium virum militarem, in qua ostendit per metum legum imperialium hæreticos posse ad Ecclesiæ unitatem compelli, accipe sensum ejus: *Imitatur Ecclesia in istis cogendis Dominum suum, quæ prius ut neminem cogeret expectavit, ut de fide regum atque gentium prædicatio prophetica compleretur. Etiam hinc enim non absurdè intelligitur illa Apostolica sententia, ubi Paulus beatus dicit: Parati ulcisci omnem inobedientiam, cùm completa fuerit prior obedientia vestra. Unde & ipse Dominus ad magnam cœnam suam prius adduci jubet convivas, postea cogi. Nam cùm ei servi sui respondissent: Domine factum est, quod jussisti & adhuc est locus: Exite, inquit, in vias & sepes, & quoscunque inveneritis, cogite intrare. In illis ergo qui leniter primò adducti sunt, completa est prior obedientia. In iis autem qui coguntur, inobedientia coërcetur. Nam quid est cogite intrare: cùm primò dictum esset, Adducite: & responsum esset: factum est quod jussisti, & adhuc est locus? si miraculorum terroribus cogendos voluisset intelligi, magis ad eos qui prius vocati sunt divina miracula multa facta sunt, maximè ad Judæos de quibus dictum est: Judæi signa petunt. In ipsis quoque gentilibus talia temporibus Apostolorum miracula Evangelium commendaverunt, ut si talibus cogi juberentur, priores (ut dixi) potius convivæ coacti esse meritò crederentur.*

Probatur 2. Quia ex præcepto de dilectione proximi debemus procurare bonum necessarium ipsi ad vitam æternam, & ad hoc applicare quæque media necessaria & licita, sed bonum fidei est tale, & bellum in casu conclusionis necessarium remedium & quidem licitum, si enim est licitum ad procuranda bona minoris momenti, quantò magis ad majora bona universaliter.

Hinc sequitur: Posse quem bello aggredi etiam eos, qui nos impediunt ab exercitio nostræ fidei Catholicæ, & impediunt, nè instrueremus in principiis ejus, ac ea statuerent, ex quibus necessariò moraliter secuturum videretur, ut nostri multi sint avertendi à vera fide, & prorsus mirum

mirum videtur, quòd aliquis poſſit interficere eum, qui vellet filium aut amicum injuſtè interficere, ſi alio modo illi malo occurri non poſſet, & quòd non liceret eum interficere, qui conaretur filios & proximos ſpirituales ſpiritualiter interficere, præſertim cùm ipſi reſiſtere non valent, ut fiebat in Hibernia, quando hæretici filios Catholicorum rapiebant, ut eos in ſua fide hæretica adjuvarent. Qui plura de bello deſiderat, legat Fillucium, Azorium, Victoriam in Relatione de Jure Belli.

DICO 6. *Non licet autem Principibus & Regibus bellum indicere ſolum propter dilationem ſuorum Regnorum & Provinciarum.* Ita Theologi communiter contra Pſeudo-Politicos, qui dicunt, quod uniuscunque Principis nulla major debet eſſe cura, quàm cura augendi Imperii, quæ auctio aliter cum fieri non poſſit quàm per bella, conſequenter ob cauſam hanc bellum eſt licitum, & inde acquirunt titulos *Auguſti & Auguſtiſſimi.* Probatur concluſio 1. Authoritate Patrum, nam D. Auguſtinus lib. 4. de Civit. cap. 6. dicit: *Inferre autem bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſola regni cupiditate conterere & ſubdere, quid aliud quàm grande latrocinium nominandum eſt.* D. Bernardus Epiſt. 120. ad Duciſſam Lotharingiæ ſic eam admonet: *Ore veſtro Ducem ſalutamus: & tam ipſum quàm vos admonemus, ut ſi caſtrum pro quo guerram facturi eſtis, veſtri juris non eſſe noveritis, pro DEI amore relinquatis. Scriptum quippe eſt: Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur: ſe autem perdat, & detrimentum ſui faciat?*

Probatur 2. Authoritate Philoſophorum, nam ut refert Hugo Grotius de Jure Belli & Pacis in Prologom. n. 23. Ariſtoteles graviter accuſavit eos, qui cum inter ſe neminem velint imperare, niſi qui jus imperandi habeat, nihilominus in exteros quid juſtum, quid injuſtum ſit, nihil curant. Demoſthenes verò dixit: Bellum in eos debere eſſe, qui nequeunt coërceri indiciis, ſi judiciis obtemperare nolint, bello compelli poſſunt, *non minori enim Religione tractanda ſunt arma, quam exerceri debent judicia.* Vernulæus *Inſtit. polit. lib. 4. t. 4. §. 5.* ait: Pernitioſi ſunt, & è Schola Machiavelli Conſiliarii illi, qui non vitio ſed laudi tribuunt circumferre per orbem arma, & aut fraude aut marte augere regnum. Ita enim illi Conſiliarii Principes faciunt latrones; & publica latrocinia, rapinas, & Provinciarum probant devaſtationes. Bellum ex ſtultitia & malitia non rarò naſcitur. Tale eſt, cum ejus cauſa non eſt alia, quàm ambitio, gloria, libido dominandi, nocendi cupiditas, mens impacata, luxus, nimia felicitas, ita ille.

Probatur 3. Ratione: Quia hujusmodi bellum non poteſt fieri illæſa honeſtate & jure ſalvo, ergo iniquum eſt & injuſtum. antec. patet: probatur conſequ. Quia non ſufficit dicere, iſtud bellum erit meo Regno & Imperio utile, quia honeſtas & æquitas nunquam debent ſejungi ab utilitate, aliàs aliena rapere, proximi fundos occupare, quod utique eſt latrocinium, juſtum poſſet dici bellum.

Ex his patet, quid dicendum ſit ad rationem Pſeudo-Politicorum, nam licèt Principi cura eſſe debeat augendi ſui Imperii, id tamen aliter non eſt intelligendum, quàm ſi belli cauſam habeat juſtam, tunc enim juſtè agitur, ſi gerendo bellum augeat ſuum Imperium, quòd ſi cauſa belli non adſit juſta, tunc conſervandum eſt Imperium, nè patiatur detrimentum, aut ſi eſt augendum, id licitis modis eſt procurandum, videlicet per matrimonia, & alia familiarum pacta, &c.

Seditio frequens belli occaſio, aliud non eſt quàm bellum privatum inter membra ejusdem Reipublicæ, unde etiam ſeditio oriri poteſt in exercitu, Claſſe, Campo, & ubicunque eſt multitudo hominum adverſus Duces & Magiſtratus, unde Cicero lib. 6. de Republ. docet: Seditionis proprietatem à diſſenſione Civium dictam eſſe, quod ſeorſum erant alii ad alium, eſt enim propriè cum populo diſcordante itur ad manus qualem deſcribit Virgilius lib. 1. Æneidos. 8 Seditio deſcribitur.

Ac veluti magno in populo cùm ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitq; animis ignobile vulgus
Jámque faces, & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

Quæſtio IV.
De Belli effectibus.

Fructus belli *bella Pax*: & *Bellona*, ſeu *non bella Calamitas.*

NUlla ſalus bello pacem depoſcimus omnes. habet vulgaris parœmia, unde omnes rationabiliter bellantes pro fine pacem habere debent; ex una parte ergo fructus belli eſt *bella Pax*; verùm antequam ad hanc perveniatur præcedit amarus alius effectus & fructus Bellonæ, ſeu *non bella calamitas*, quam & quas graphicè deſcribit in priori lib. de Civ. Dei S. Auguſtinus libet funeſtas cædes & crudelitates in raptu Sabinenſium Virginum ab eo deſcriptas audire & legere lib. 3. c. 13. *Quantis*, inquit, *& quàm multis utrinq; vulneribus ac funeribus tam propinquorum quàm conſinium iſtæ victoriæ conſtituerunt? Propter unum Cæſarem ſocerum, & unum generum ejus Pompejum: jam mortua Cæſaris filia uxore Pompeji, quanto & quàm juſto doloris inſtinctu, Lucanus exclamat:* 1 Fructus belli miſeri.

Bella per Emathios plus quàm civilia campos,
Júſque datum ſceleri canimus - - -

Vic-

Vicerunt ergo Romani, ut strage socerorum manibus cruentis ab eorum filiabus amplexus miserabiles extorquerent: nec illæ auderent flere patres occisos, nè offenderent victores maritos: quæ adhuc illis pugnantibus, pro quibus facerent vota, nesciebant. Talibus nuptiis populum Romanum non Venus sed Bellona dotavit.

Cædes ergo, Captivitates, Despoliationes, Jurium divinorum & humanorum violationes sunt primi bellorum fructus, & apud Christianos adjungitur pœna irregularitatis bella sequentibus & occidentibus homines. Itaque in hac quæstione quæritur, An & quomodo homicidia sint licita, An direptiones Urbium concedendæ militibus, An capti in bello possint fugere, & qualiter despoliantes teneantur ad restitutionem, & tandem An & quomodo incurratur à bellantibus Irregularitas, ad quas resolvendas incipio &

2 Cædes quæ & quales licitæ in justo bello.

DICO 1. *In justo bello omnia illa licent etiam cædes, & homicidia, despoliationes & captivitates tum in ipso conflictu & præparatione ad illum, tum postea partâ victoriâ, quæ vel necessaria, vel accommodata sunt media ad obtinendam justam compensationem illatæ injuriæ, & ad stabiliendam pacem.* Ita Azorius, Victoria, & constat ex Scriptura Judic. 20. ubi Israël contra tribum Juda bellum egit, multósque arte & dolo hinc inde occiderunt, & per totos Regum libros. Deuteronomii 20. *De his autem civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere.* Favétque huic opinioni S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 74. ubi de prædicatione S. Joannis facta militibus hæc annotat licere: *Alioquin Joannes, cùm ad eum baptizandi milites venirent, dicentes: Et nos quid faciemus? respondet eis; Arma abjicite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite. Sed quia sciebat eos, cùm hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores.* Hinc interfici possunt milites, donec exercitus oppositus, & Hostes ad eum statum pervenerint, ut nec in præsenti, nec postea ab iis renovandi belli immineat periculum, amplius autem in eos non est sæviendum, nisi injuriam talem fecerint, ob quàm meritò etiam capti, & cùm amplius nocere non possint, mortis supplicio affici possint, ut si ipsi alios contra datam fidem interfecerint, aut culpa illa ob quam vindicandam, susceptum est bellum, mortis pœna digna sit; unde licet occidere obsides, si fidem hostis fregerit, ea enim conditione dantur, ut fides servetur, & quia aliter pax & securitas ex bello haberi non posset, nec hostes semel devicti possent contineri in officio. Conclusio hæc confirmari potest Exemplis, nam Thucydides narrat Thraces olim capta Mycalesso fœminas quoque & infantes occidisse. De Macedonibus narrat Arrianus id factum in Thebarum direptione. Romani quoque capta Ilurci Urbe in Hispania *sine discrimine interemerunt etiam mulieres & pueros.* ait Appianus, & ita etiam cecinit seu verius planxit Homerus:

\- - - *Illæsáque corpora terræ*
Infantûm, sævus dum concutit omnia Mavors.

Quod videtur fundari in *Instit. De his qui sui, vel alieni juris sunt*, ubi dicitur apud omnes plerasque Gentes advertere possumus, Dominis in servos, vitæ necisque potestatem fuisse; quod licèt non fuerit honestum, erat tamen permissum, seu nõ punitum ex omnium gentium consensu. Et quemadmodum talia homicidia fuerunt licita licèt alioquin innocens jure divino non possit occidi, ita ex Gentium tacita conjunctione sunt quædam illicita, quæ alioquin jure naturæ non forent inhibita, nam Jure naturæ illum quem licite & absque peccato occidere possum gladio possem & veneno, & tamen omnium gentium saltem exculturum jure inhibitum est, nè cui liceat hostem veneno interficere, ex ratione nè nimis intendatur bellica sævitia, generosius enim est ita occidere aliquem, ut se defendere possit is qui occiditur: Aliàs etiam vita Regum minus esset tuta, hinc etiam fontes intoxicare est prohibitum, quod Florus lib. 2 dicit: *Hoc non tantùm est contra morem Majorum, sed etiam contra fas Deorum.*

3 Illicita quæ sint in bello.

Major difficultas est de innocentium cæde, qui nec ipsi arma sumpsère, nec belli dedère causam, ut sunt parvuli, mulieres, religiosi, peregrini, & similes aliæ personæ, circa quam communis resolutio est, quòd possint justè per accidens interfici, non tamen per se directè, ad quod intelligendum notandum, per accidens eos interfici, qui interficerentur per tormenta bellica, quibus Urbes aut quaterentur hostiles muri, aut domus aut ipsimet hostes, qui resisterent, aut cum in capta Urbe, dum jure belli sæviretur in resistentes, obvii quique trucidarentur sine discrimine, vel quia non esset tempus discernendi nocentes ab innocentibus, vel quia si parceretur innocentibus non possent puniri sufficienter nocentes, sed quoties innocentibus commodè caveri potest, fine dubio non debent, nec possunt interfici.

4 Innocentes & quomodo possint interfici.

Sed alia suboritur prima difficultas, videlicet, Quid sit dicendum, si hostes merentur propter aliquam crudelitatem, quam prius exercuerunt, ut civitas integra gladio committeretur, an possent tunc innocentes perimi, cùm salvari absque dubio possent? videtur quod sic, quia possent alius bonis hujusmodi ob causam privari, ergo & vitâ, quia licèt privatio vi-

tæ

Digitized by Google

ritæ suæ, justi belli quam aliorum bonorum; tamen inde solum sequeretur, quòd privans vitâ magis peccaret, quam privans bonis, unde si privare bonis non esset peccatum levius, nec privare vitâ esset peccatum gravius. Deinde hoc videtur esse medium valde opportunum ad retrahendos hostes à crudelitate prævertenda, & ab assumendo injuste bellum, ergo videtur licere, posse, nam minus damnum videtur Reipublicæ, quòd hostes in similibus casibus mortè plectantur, quàm quòd ne parcendo relabatur via facilior rebellandi, ac injustum bellum suscipiendi. Præterea innocentes sunt pars Reipublicæ merentis ratione belli injusti, aut crudelitatis in eo exercitæ pœnam mortis, ergo possunt particulariter illam pœnam.

Ex altera parte videtur, quòd non possint interfici, quandoquidem supponuntur innocentes, & propterea tales, qui non sunt meriti talem mortem, & quamvis sint partes Reipublicæ, tamen non ita connexi sunt cum aliis partibus nocentibus, ut peccatum eorum ipsis imputari deberet, quandoquidem non consenserunt. Communior itaque sententia videtur esse, quòd non possint innocentes perimi.

Mihi videtur res dicenda cum distinctione dicendo, quòd si illi, qui supponuntur innocentes spectent ad nocentes, ut si sint mulieres, filii, aut amici, quòd possint privari, & bonis, & vitâ, si præsertim hoc ad competentem vindictam requiritur, si verò non sint sic particulariter conjuncti cum nocentibus, non possint nec bonis nec vitâ privari. Ratio disparitatis est ex conjunctione illa, quia sine dubio, si constaret nocentibus deviendum esse hoc modo, non solum in ipsi, sed in uxores, filios, &c. magis retraherentur à promerenda vindictâ, sed quòd sic sævirent in alias personas non conjunctas particulariter, non multum ad eos removendos à culpa, ob quam vindicta esset sumenda, conduceret, unde propter hos non deberent puniri illi, qui non essent tam illis conjuncti, quam alii populi &c.

Ex his colligitur, quid dicendum sit de spoliis, & captivitate, neque enim dubium esse potest, quin nocentes possint vel bonorum privatione, vel captivitate puniri usque ad satisfactionem propositam damno, ob quam bellum juste posset suscipi, sicut possent interfici. Unde in justo bello bona mobilia fiunt ex jure Gentium occupantium *L. Si quid in bello ff. de Captivis.* debent autem gradi Duci exercitus ut singulis distribuat pro qualitate & meritis *Cap. Jus militare Dist. 1.* quod verum puto, nisi consuetudo aliter se habeat. Immobilia autem sunt Principis vel Reipublicæ bellum indicentis. *L. Decius ff. de jure Fisci.* Quæ ad istos casus eodem modo discurre, ut paulo ante de cæde & interfectione, eximuntur etiam tum Religiosi, tum agricolæ arantes agros ex jure Canonico. *Cap. Innovamus de Treguâ.*

DICO 2. *Quando in bello aliter victoria haberi non potest, nisi tradita Civitate hostili in prædam militum, licitè conceditur Urbis aut Arcis direptio.* Ita Fillucius ex Azorio. Et probatur: Quia necesse est aliquando milites excitari præmiis ad progrediendum, Et insuper Hostes aliter non possent debellari, aut Malefactores puniri. Quando tamen partâ victoriâ traditur Civitas diripienda, Dux belli debet militibus præcipere, ut abstineant à direptione Ecclesiarum, & cæde Innocentium, cujus pulchrum exemplum de Gothis Urbem Romanam expugnantibus refert S. Augustinus lib. 3. Civ. cap. 7. dicens: *Quidquid igitur vastationis, truculentiæ, depopulationis, concremationis, afflictionis, in ista recentissima Romana clade commissum est; fecit hoc consuetudo belli ista. Quod autem more novo factum est, quod insuetâ rerum facie immanitas barbara tam mitis apparuit, ut amplissimæ basilicæ implendæ populo cui parceretur, eligerentur & discernerentur, ubi nemo feriretur, unde nemo raperetur, quo liberandi multi à miserantibus hostibus ducerentur, unde captivandi nulli nec à crudelibus hostibus abducerentur: hoc Christi nomini, hoc Christiano tempori tribuendum, quisquis non videt, cæcus: quisquis videt, nec laudat, ingratus: quisquis laudanti reluctatur, insanus est.* Utinam legerent atque relegerent factum istud Barbarorum modernî Christiani, nunquam auderent præ rubore ita in Ecclesias & sanctuaria DEI desævire! ita quòd apud multos defectum verum sit carmen

Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur.

DICO 3. *Capti in justo bello, & servi fugitivi licitè ad suos confugiunt, Dominis autem insequentibus vi non possunt resistere.* Ita Soto lib. 4. de justitia q. 2. art. 2. Bannes, Covarruvias & alii apud Lessium lib. 2. c. 5. dubit 5. Probatur 1. pars Ex §. *Item ea, Instit. De Rer. Divis.* ubi de servis bello captis fit, dicitur: *Qui tamen si evaserint nostram potestatem, & ad suos reverti fuerint, pristinum statum recipiunt.* Quod insinuatur quoque *L. Nihil. 24. ff.* de Captivis & Postlim. reversis, ubi sic habetur: *Nihil interest, quomodo captivus reversus sit, utrum dimissus, an vi vel fallacia potestatem hostium evaserit, si tamen animo venerit, ut non amplius reverteretur.*

Probatur etiam ratione: Quia cùm vetus ista jure Gentium, & communi populorum consensu sit introducta, non debet magis onerari quam primi conscientes convenerint, & promiserint bellum

universaliter, quòd in bello capti fugere quærant, & abeant; meliori modo quo possunt, ergo licitum est absque omni scrupulo, nisi fortè fidem dedisset, tunc pactis stare debet, quæ est praxis moderna militum Christianorum.

Dixi tamen ad *suos posse fugere*, quia non licet ad alios divagari, quia jure & consuetudine id illis solum indultum est, ut in termino constituti libertatem recuperare valeant, quare si in via intercipiantur reduci possunt, nec se vi opponere valent, quia victores facti sunt Domini & habent jus detinendi, & intercipiendi quamdiu apud suos non fuerint. Opponitur huic conclusioni ex Navarro *Cap. Si quis ferrum 17. qu. 4.* ubi Concilium Gangrense sub anathemate prohibet, *Ne quis alieno servo suadeat ministerium Domini sui destituere*, quod etiam prohibetur in Concilio Romano sub Martino I. Et idem asserit *L. 1. C. de servis fugit*: dicens: *fugitivum servum furtum sui facere Domino*, ergo nec servis nec militibus captis, quia servi facti sunt, licitum est fugere. Respond. neg. consequ: Quia canones illi tantùm prohibent, nè quis prætextu religionis, seu libertatis Christianæ doceat servum posse contemnere Dominum suum & deserere ejus ministerium. Ad legem civilem dico, illam loqui indistinctè de servis, qui fugiunt ad Barbaros, hostes Romani Imperii, & tales desertores revera faciunt furtum Domino suo, quod nunc etiam contingit à perfidis quibusdam militibus gregariis. Sed his missis prouti certo dubio de pœna Irregularitatis sequentes facio Resolutiones &

DICO 4. *Illi omnes sunt irregulares, qui in causa sunt consilio, aut auxilio, ut bellum injustè suscipiatur, ex quo sequitur homicidium: aut qui ipsi in tali bello præliantur.* Probatur: Quia injustè cooperantur homicidio actuali: quod sine dubio magis meretur irregularitatis notam, quàm ferè sententiam justam, ex qua sequitur mors.

2 Irregulares sunt qui injustè bellum suscipiunt.

DICO 5. *Nemo nec secularis nec regularis est irregularis ex eo, quòd cooperetur quomodocunq; ad resistendum armis hosti damnum grave Reipublicæ illaturo; quando alia via impediri non possit, etiamsi ipsemet actu interficiat aliquos.* Probatur 1. Authoritate S. Augustini lib. 1. de Civit. cap. 21. dicentis: *Quædam verò exceptiones eadem ipsa divina fecit authoritas, ut liceat homicidium occidi. Sed his exceptis, quos DEUS occidi jubet, sive data lege, sive ad personam pro tempore expressa jussione, (non autem ipse occidit, qui ministerium debet jubenti: sicut adminiculum gladius est utenti. Et ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est, non occides; qui DEO authore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis secundùm ejus legem, hoc est, justissimam rationem, exercuerunt vindictam*

3 Irregularis non sit qui resistit injustè.

sunt. Et Abrahàm non solùm non est crudelitatis crimine, verum etiam laudatus est nomine pietatis, quòd voluit filium nequaquam scelerate, sed obedienter occidere. Et meritò quæritur, utrum pro jussu DEI sit habendum, quòd Jephte filiam, quæ patri occurrit, occidit, cùm se immolaturum DEO devoluisset, quod ei redeunti de prælio visum primitus occurrisset. Nec Sampson aliter excusatur, quòd seipsum cum hostibus ruina communi oppressit: nisi quia Spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.) His igitur exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ DEUS specialiter occidi jubet, quisquis hominem vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innoditur. Ex quo clarè deduco conclusionem, tunc milites homines excusantur ab homicidio, ergo etiam ab irregularitate. Probatur 2. Quia licet justè resistere invasoribus.

DICO 6. *Clerici habentes dominium temporale, ob quòd possint indicere bellum, nisi fuissent Clerici, non incurrunt irregularitatem indicendo bellum justè, ex quo sequeretur mors: nec ducendo exercitum in bello defensivo, si alius non adsit, qui æquè commodè id facere posset.* Probatur ex communi praxi, ex qua colligitur, quòd non sit mens Pontificis tales esse irregulares, quia alias deberent petere dispensationem, & Pontifex adhuc nos obligare deberet.

DICO 7. *Ecclesiastici non sunt irregulares, qui in bello justo reddunt milites alacriores ad pugnam, etiamsi ex hoc sequatur mors aliorum non secutura.* Probatur 1. pars: Quia non statuitur in ullo jure irregularitas pro hujusmodi cooperatione ad bellum justum, sed non est extendenda irregularitas orta ex lege positiva, nisi ad casus expressos, ergo. Idem tenendum de hortantibus milites ad occidendos milites in prælio justo propter eandem rationem. Item de quocunque Clerico, qui poterit licitè prælirare, ut quando defendit patriam, vel vitam, vel quando pugna ipsius est valde necessaria ad reddendam victoriam certam, quæ aliàs esset dubia, aut quando tuetur vitam innocentis, in his enim & similibus casibus non incurritur irregularitas. Ad hæc addo, quòd quamvis Clericus peccet pugnando in bello justo absque necessitate, non fit tamen irregularis, nisi occidat, aut mutilet, etiamsi feriat, & aliter perimat, quia talis irregularitas non est expressa, quod etiam à fortiori tenendum de laicis. Item tenendum est, irregularitatem ortam ex bello justo non posse tolli nisi à Papa, aut illis, quibus ab eo facultas concessa est, quales sunt omnes ii, qui potestatem habent dispensandi in omnibus irregularitatibus.

Que-

Quæstio V.

An Christianus Princeps bellum gerens in societatem belli vocare possit infideles, eorumque uti auxilio, ubi etiam de Technis bellicis, & pactis in bello servandis.

1 Sapiens & felix in bello quis sit.

AUgustus Imperator *sapiens* fuit dictus, qui post debellatum Marcum Antonium, noluit amplius nisi summa necessitate jubente stringere ferrum, sapientior adhuc ille, *qui*, ut ait Cicero lib. 1. Offic. c. 23. *Ita bellum suscipit, ut nihil aliud quàm pacem quærat.* Felix est, qui victori eam expedire victo necesse esse cognoscit, ut habet Seneca in Hera furios. Felicior, ut Livius putat, qui cum aliqua tolerabili conditione finire bellum novit, felicissimus, qui pacis nomine involutum bellum reformidat. Quando autem pax optimè componi possit Julius Cæsar 3. Bell. Civil. cap. 10. dicit, tunc esse, *ubi unum tempus est de pace agendi, dum sibi uterque confidit, & pares ambo videntur*, ita quod quilibet dicere possit illud Homeri:

Et mihi sunt teretes hastæ, clypeiq; rotundi,
Tum galeæ, tum thoraces splendore micantes.

Modernis autem sæculis belligerantes semper majores volunt videri, ut pacem pro arbitrio dictare possint; hinc malitia instruxit similes ad Turcas, Tartaros, & alios Christiani nominis hostes, ùt Mauros, recurrere, à quibus contra proprium fratrem suppetias quærunt, ut debiliorem rebus & possessionibus exuant, quod quia deplorandum est, examinabo, qua ratione id fieri possit, quod est primum in hac quæstione, pro quo

2 Christianus potest auxilium petere à Turca.

DICO 1. *Probabile tenent plures Juristæ, Christianum Principem ab alio Christiano inito bello pressum servatis tamen certis clausulis posse suppetias quærere ab Infidelibus, dummodo Religio Christi non patiatur nec blasphemetur DEI nomen.* Ita sentiunt plures famosi Juristæ, Oldradus Consul. 71. prout eum citat Zoësius ff. de Justit. & Jure n. 42. Reinking. de Regim. sæcul. lib. 2. Class. 3. cap. 3. Probatur 1. Quia Jure naturæ æquum, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure feciſſe æstimandus sit *L. ut vim 3. de Just. & Jur.* Nam ut dicit *L. 1. in fin. ff. de bon. eorum qui ante sent. sibi mort. consciv.* Ignoscendum est, qui qualitercunque sanguinem suum redimere satagit, ergò à fortiori pro defensione Reipublicæ licebit omni & meliori modo quærere auxilium ad conservandam illam: Quia necessitas nullam habet legem, hic autem supponitur gravissima necessitas. Secundò, Licet hostes insidiis & dolo arcere & propulsare, ut habetur *can. Dominus* mox infrà citandus, unde illud vulgare proverbium: *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* nam ut Plutarchus refert in vita Lysandri Lacedæmonii ejus exemplo multi milites, id quod Leonina non possunt efficere fortitudine, hoc efficere pella astuta vulpina contendunt, unde etiam versus *Agni pelle solet sæpe latere leo.* ergo magis licebit ad defensionem patriæ auxilium Infidelium quærere. Probatur 3. à Contrario: fideles possunt in justo bello adjuvare infideles, ut habetur *Can. Quid culpatur §. Ordo. 23. q. 1.* & D. Augustinus supra citatus, ergo etiam ipsi Infideles poterunt adjuvare fideles ipsos. Probatur 4. Ad finem licitum proportionata licet adhibere media, sed finis belli defensivi & justi est defensio patriæ propriæ, & propulsatio injuriæ, ergo licet adhibere media proportionata, atqui talis confœderatio est tale medium, nam ut quispiam olim dixit: si lupus invaderet gregem meum, possum illum ejicere per domesticos canes, aut etiam parum feroces leones & tygrides, ergo si me non valeo ab hoste liberare per Christianorum, & Catholicorum auxilium, potero subsidium implorare à quocunque alio etiam infideli, vel hæretico, &c.

Addidi tamen in conclusione *servatis certis clausulis*, nempe ut exercitus non commisceantur, nec communes fiant expeditiones, nam tunc infallibiliter pateretur Religio Christi, multi perverti possent, victoria Machometo adscriberetur, & plura alia inconvenientia subsequerentur; si tamen illa confœderatio fieret cum Turca de non se offendendo sine instigatione tyrannizandi in terris Christianorum, sed solùm propter tuendos fines, & ad merces aliaque vitæ necessaria de una patria in aliam transportandi, non posset simpliciter inculpari talis confœderatio, sed prôh dolor! quàm sæpe contrarium evenit.

3 Fœdus quæ-le initi possit cum Turcis.

4 Fœdus inire offensivum cum Turcis.

DICO 2. *Probabilius & sanctius est non licere ullum fœdus offensivum & læsivum alterius Principis, vel Provinciarum, aut Regnorum cum Turcis aut Mauris inire.* Hæc est Theologorum communior opinio.

Probatur 1. Ex scriptura Exodi 34. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: nè, cum fornicati fuerint cum diis suis, & adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam, ut comedas de immolatis.* Deut. 7. *Non initis cum eis fœdus* 2. Paralipom. 19. *Reversus est autem Josaphat Rex Juda in domum suam pacifice in Jerusalem, cui occurrit Jehu filius Hanani videns, & ait ad eum: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris.*

Probatur 2. Exemplis: Nam legimus populum Israëliticum semper infelices habuisse successus, quoties extraneis in ami-

amicitia & fœdere fuerunt conjuncti, ut patet de Ezechia, Joachim, &c. unde lamentatur Jeremias *Ægyptis dedimus manus & Assyriis.* Et quàm maximè de Machabæis, qui felices extiterunt, quoadusque in Domino suam spem collocârunt, postquam autem cum Romanis inierunt fœdus dissipati & extincti fuerunt.

Probatur 3. Ratione: Quia hæc fœdera Christianis sunt periculosa, & pernicioſa quantum ad animarum salutem, nam commixti inter Gentes facilè discunt eorum opera, quod DEUS ipsemet voluit producere, quia ut dicit scriptura 3. Reg. 11. *De gentibus super quibus dixit Dominus filiis Israël: non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum.* Peccatum est autem grave tanto periculo, & maximè dedecet Principem Christianum propter temporale bonum exponere periculo æternæ salutis animas subditorum, intelligenda tamen est conclusio secundùm limitationem præcedentis.

c Stratagemata in bello sunt licita.

DICO 3. *In bello justo licita sunt stratagemata militaria, non tamen illa, quæ fidem datam violarent.* Hæc est communis & in praxi usitatum & Probatur 1. Exemplis scripturisticis Judicum 20. ubi undecim tribus filiorum Israël pugnantes contra tribum Benjamin propter turpiter abusum Levitæ uxorem tertiò committentes jussu Domini prælium: *Posuerunt filii Israël insidias per circuitum urbis Gabaa - - - percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israël &c.* Ergo stratagemata similia & technæ sunt licitæ in bello, Domino consentiente & benedicente. Probatur 2. Ex *Can. Dominus 25. q. 2. L. Nec interest ff. de Captivit. & postlim. reversi.* ubi dicitur: nihil referre, an hostes insidiis vel dolo propulsentur. Probari posset hoc ipsum plurimis exemplis, nam de Thomyri Scytharum Regina, pugnatura contra Persarum Regem Cyrum, speciem metuentis finxit, & partem copiarum per insidias dispersuit, & hostem suum Cyrum fugit, quem cum suâ eo pellexisset fugâ, ab utraque parte fuit aggressa, & cum exercitu fudit, unde Xenophon pulchrè ait: *Simulatio, Trepidatio, & metus à nobis fictus, facile hostes ad Insidias, ad audendum quidpiam præter ipsorum vires inducit*, ergo licitum est hostis vires frangere quacunque arte, ut ars artem fallat.

Limitavi tamen conclusionem, stratagemata illa *non esse licita, quæ fidem violarent*, id est, tam *publicam*, quàm *privatam*, nam publica fides omnium Gentium usu & consensu est recepta, nè venenis & intoxicationibus milites utantur, ne sævitia militantium nimium augeatur, unde Valerius Maximus dixit: *Armis bella, non venenis geri debere.* Et Tacitus memorat, quod cum Cattorum Princeps Arminii mortem veneno promitteret, eam promissionem rejecerit Tiberius, ea se gloria priscis æquans Imperatoribus. Unde Joachimus Burgers Juris-Consultus *Cent. V. Observat. 60.* concludit, secundum regulas Juris militaris licitum est adversarium dolo superare, fallaciis ac astutiis adversus hostem machinari, non est prohibitum, est enim dolus bonus. Inimicum quacunque arte vel ingenio devincere permittitur, ars arte deluditur, non tamen licet corruptionibus uti, nam qui vincit adversariis corruptis, non videtur vincere, pro hac limitatione ulterius

d Pacta in bello debent observari.

DICO 4. *Pacta quæcunque à Principibus & Regibus in bello facta hosti sunt simpliciter servanda.* Hæc est contra diabolicam doctrinam Machiavelli, qui impudenter affirmare ausus fuit, quòd fidem datam Principi revocare, & fallere liceat, si utilitas ejus id exposcat, & vehementer in principe laudat eam prudentiam (melius perfidiam) qua Princeps omnia pacta ad suam interpretatur utilitatem, monens licere eidem sine ullo scrupulo, vel remorsu conscientiæ, aut honestatis respectu, si egregia amplificandi aut confirmandi in iis sese offerat occasio, fidem datam fallere, ac etiam ipsum jusjurandum violare. Verum hæc perversitas est directè contra scripturam sacram. Unde Probatur conclusio 1. Ezechielis 17. ubi de Sedecia qui à Nabuchodonosor constitutus fuerit Rex posito inter utrumque juramento fidelitatis, quod tamen Sedecias ruperat ad Ægyptiorum recurrendo auxilium dicitur: *Vivo ego dicit Dominus DEUS, quoniam in loco Regis, qui constituit eum regem, cujus fecit irritum juramentum, & solvit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur - - - - Propterea hæc dicit Dominus DEUS: Vivo ego, quoniam juramentum quod sprevit, & fœdus quod prævaricatus est, ponam in caput ejus.* Probatur 2. Authoritate Patrum Augustini lib. 1. Civ. cap. 15. ubi laudat Marcum Attilium Regulum, quod Captivus apud Carthaginenses & ad Romanos jurâtione prius constrictus, ad eosdē Carthaginenses rediit, à quibus crudeliter interfectus fuit: *Inclusum quippe angusto ligno, ubi stare cogeretur, clavisque acutissimis undique confixo, ut se in nullam ejus partem sine pœnis atrocissimis inclinaret, etiam vigilando peremerunt. Meritò certe laudant virtutem, tam magna infelicitate majorem. Et per deos ille juraverat, quorum pro cultu prohibito, hos generi humano clades isti opinantur infligi. Qui ergo propterea colebantur, ut istam vitam prosperam redderent, si verum juranti has irrogari pœnas seu voluêre, seu permisere, quid perjuro gravius irati facere potuerunt?* Bene igitur infert S. Doctor:

ctor: quanta supplicia pejeranti forent inferenda. D. Bernardus epist. 222. ad Joslonem Suessionensem Episcopum & Suggerium Abbatem Dionysii, quibus scribens monet, pacta Regis Galliæ cum Comite Theobaldo inita non esse propter suspiciones frangenda, dicens: *Rex adhuc aliud addit, quòd matrimoniis sibi moliatur conjungere, contra ejus fidelitatem, Comitem Flandrensem & Suessionem. Et de fidelitate quidem suspicio est, non certitudo. Porro inanes suspiciones certis pactionibus præjudicare, quale sit, vos videritis.*

Probatur 3. authoritate Gentilium Ciceronis lib. 3. Offic. dicentis: *Nullum vinculum ad astringendam fidem, & Religionem jurejurando majores arctius esse voluerunt.* Et Oratione pro L. Cornelio Balbo, ubi refert historiam sequentem: *Athenis cum quidam apud eos, qui sanctè gravitérque vixisset, & testimonium publice dixisset, & jurandi causa ad aras accederet, una voce omnes Judices, nè is juraret, exclamâsse, eo quòd nollent Religioni videri potius, quam veritate fidem adstrictam.* Hinc multis in locis & maximè in Germania vice juris jurandi repertum est, ut fidem datis dexteris (quæ erat olim apud Persas firmissimum fidei vinculum) aut alio aliquo signo quis obstringatur, ea vi, ut nisi impleatur promissio, promissor non minus detestabilis habeatur, quàm si ipse pejerâsset, unde præcipuè de Regibus, virisque Principibus dictum est usitatissimum *Fidem eorum pro jurejurando valere.* Tales enim esse debent, ut cum Augusto dicere possint: *Bonæ fidei sum.* Et cum Eumencio: *Vitam sepotius posituros quàm fidem.* Huc pertinet etiam illud Guntheri Ligurini

\- - - *Unde jus & reverentia verbo*
Regis ineſſe ſolet, quovis juramine major.

7 Alphonsi dictum sapiens. Sapientissimus Rex Alphonsus olim dixit: *Tantum valere debet ad fidem Principis verbum, quantum privatorum hominum jusjurandum,* & proinde symbolum fidei in codicillis Principum, cum magnum apponitur sigillum, inseruntur fila, quæ medio principis sigillo pendent è charta, ut doceatur Principem esse suis promissis ligatum & quidem ligatum in perpetuum. Unde & pulchrè Cicero 1. Offic. inquit: Fundamentum à justitia, est fides, id est, dictorum conventorúmque constantia & veritas, ex quo (quanquam hoc videtur fortasse cuipiam durius) tamen ut videamur imitari Stoicos, qui studiosè exquirunt, unde verba sint ducta, credamus, quod fiat, quod dictum est, appellatam fidem.

Probatur 4. Ratione: Tum quia talis Princeps mendacii & perfidiæ crimen committit: Tum, quia contra lumen naturæ honestum postponit utili, quid autem prodest homini, si mundum universum lucretur, &c. Tum, quia tali modo totam civilem conversationem, publicamque tranquillitatem pervertit, quæ omnia sunt abominabilia.

Probatur 5. Exemplis Principum, qui ob crimen patratum vindicem sensérunt Deum. Cleomenes pactus fuit cum Græcis septem dierum inducias, & tertia nocte eosdem ex fiducia induciarum dulci somno sopitos est aggressus, multósque eorum occidit, & alios captivos abduxit, asserens *se de diebus pactum esse, nec noctes juramento esse addictos,* quasi verò noctes non pertinerent ad septenarium dierum numerum, sed is paulò pòst furiosus factus semetipsum dilaniavit à talis incipiendo, & miserè expiravit. Accipe lector Christianum exemplum: Henricus III. Galliarum Rex, cum contra securitatis publicæ & hospitii jurejurando datas leges, Ducem Guisianum, & Cardinalem fratrem ejus confodi jussisset, à Monacho quodam (Jaques Clement) paulò post cultello transverberatus, obiit. Hæ sunt fidei malè servatæ pœnæ, hæ calamitates, quæ fallaciarum artifices plerumque à tergo sequuntur, inquit Joann. Hieronymus Im-Hoff in Ratione Status parte altera cap. 45. sub fin. sed

Opponitur Machiavellicum axioma: *Princeps non debet esse sclavus suorum verborum,* ergo potest pacta pro libitu frangere: Respond. 1. neg. antec. quia per observatum pactum non fit sclavus verborum, sed DEO & proximo obligatus & stabilitatem mentis, ac constantiam immobilem denotat, sicut de DEO Paulus dixit ad Hebræos 6. *In quo abundantius volens DEUS ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum.* Respond. 2. neg. consequ. Quia quod ante fuit libertatis, post pactum est factum necessitatis, unde etiam axioma negandum est, prout in prima responsione.

ARGUITUR 2. Prudentis Principis est uti occasione in augendo Regno, quæ non facilè est reditura juxta tritum proverbium *fronte capillatâ post est occasio calva,* ergo oblata tali commoditate potest priora pacta frangere. Respond. negat. consequ. quæ pessimè infertur, alioquin sequeretur, quòd etiam hac via possemus Ecclesias spoliare, bona aliena rapere, furari, quia hoc sæpe sæpius utile est, & occasio adest, quæ frequenter vel furem facit, vel ostendit: & omnia scelera committere, quia hoc utile est: & parentes occidere, cum acquirat hæreditatem.

ARGUITUR 3. Turcæ frequenter usi sunt hoc stratagemate & hac prudentiâ cum magna eorum utilitate, & tamen eorum imperium adhuc subsistit ergo licitum erit pacta frangere, & maximè in bello ubi leges & jura silent & cessant. Respond. neg. consequ. à Turcarum impietate Christiano non est licitum argumentum, & quamvis imperium stet, commitien-

mittentes tamen talia gravia subierunt incommoda, & nondum est finis, imò magis culti & prudentes id non fecerunt, sicut legitur de Solimanno, qui intelligens *Mercantinum Catinarium* cum civibus suis captivum detineri à suis contra datam fidem, statim jussit eos solvi, addens: Non esse hunc modum exteras Gentes sibi conciliandi. Ad rationem dico, Leges & jura scientificè in bello silere, in re, opere, & veritate tamen vigere, nam in bellis quoque sua servanda est Justitia.

Quæstio VI.
De Duello & Torneamento.

1. Duellum secundùm etymon quid

DUellum est bellum antiquis, idemq; significat quod conflictus, quando à duabus partibus de victoria certantibus dimicatur, non tantùm duorum, sed multorum, & Exercituum, hinc Plautus dixit, Duellum fuisse inter Thebanos, & Theleboas, sic etiam Horatius cecinit:

Græcia Barbariæ lento collisa duello

Similiter Livius lib. 6. Bell. Macedon. refert, quod Populus Romanus eo tempore duellum jussisset cum Rege Antiocho esse, nunc autem Duellum appropriatum

2. Monomachia describitur,

est conflictui inter duos, qui olim dicebatur *Monomachia* id est singulare certamen unius contra unum, quod fieri solet ad eruendam alicujus rei veritatem, vel ad influcendam purgationem alicujus criminis objecti, vel ad ostendendas suas vires corporales, sicut olim David fecit cum Goliath 1. Reg. 17. Item S. Wenceslaus pro salute suorum cum Radislao Duce Curimensi in nostra Bohemia. Et nunc etiam fit aliquando in bello ex consensu Ducum utriusque partis, factionis, & exercitûs

3. Duellum in re describitur.

NOTANDUM 2. Duellum in re bene definiri, quòd sit *pugna singularis deliberata ab utraq; parte sponte & ex condicto suscepta, statuto loco & tempore cum periculo occisionis, mutilationis, aut vulneris* Ita definit Fillucius duellum apud Bonacinnam. Ex qua definitione tanquam bona bene intellecta & considerata infertur quotidianos conflictus, qui ex motu iræ vel contentionis oriuntur, non esse duella, etiamsi alteruter diceret, extrahe gladium, quia non esset ex condicto; Nec duellum propriè committunt milites & alii, qui ob privatas inimicitias invitant se ad pugnandum, & actualiter pugnant, ac alter alterum occidit, quia non fuit assignatum tempus, consequenter nec hanc excommunicationem incurrunt. Hinc

4. Duellum aliud publicum, aliud privatum,

NOTANDUM 3. Duellum hujusmodi duplex esse *Publicum* & *Privatum*: *Publicum* est, quod modo descriptum est, cui pro solemnitate etiam addi solent sponsores qui *Patrini* vocantur à filiis hujus sæculi, qui spondent de securitate illius, qui alterum occiderit, quamvis proh dolor! ipsi Patrini post unius vel alterius occisionem, mutilationem, aut cruentationem semetipsos hinc inde provocent, & in se invicem ruant. *Privatum* est illud, quod fit sine illis solemnitatibus & vulgò dicitur Rixatio, Italicè Rincontro, sicut in pulchra parabola mulier Thecoitis dixit ad David Regem 2. Reg. 14. *Ancillæ tuæ erant duo filii: qui rixati sunt adversum se in agro, nullúsque erat qui eos prohibere posset: & percussit alter alterum, & interfecit eum.*

4. Causæ duellandi varias ab humana malitia excogitatas, ob quas aliqui duella licita olim putârunt: Prima est Manifestatio veritatis, dum scilicet aliqui confidunt ex victoria manifestatam iri veritatem, quòd sint innocentes, & solet dici purgatio vulgaris. Secunda est virium ostentatio, sic olim Golioath bellum indicebat Hebræis 1. Reg. 17. *Eligite ex vobis virum, qui descendat ad singulare certamen.* Tertia est evitatio ignominiæ, vel defensio honoris proprii, ut si nobilis vir aut strenuus miles provocatus ad duellum illud respuat, habebitur pro persona dejecti animi. Quartà est Terminatio litis, quando scilicet videtur litem facilè terminari non posse nisi assumpto duello. Quinta est Defensio vitæ propriæ, & suorum, cùm nimirum quis comminatur alteri mortem, aut direptionem bonorum, nisi duellum acceptet. Sexta est Evitatio majoris mali, quando scilicet publica authoritate indicitur bellum vindicativum aut defensivum suscipitur, ut parcatur multitudini resolvitur totum bellum, sicut legitur de S. Wenceslao Bohemiæ Duce factum. De his igitur causis quæritur, an ex omnibus & in quibus casibus sit licitum duellum, cum tamen tam Ecclesiastica quam Civilia Jura in divina lege radicata sub gravissimis pœnis & censuris omnia duella prohibeant sine ulla distinctione: Ex altera parte plurimi Authores sentiunt ad terminandam litem ob conservationem vitæ & bonorum temporalium licitè suscipi posse & offerri duellum, prout tenet Sanchez lib. 2. in præcepta cap. 59. Bannes 22. q. 64. art. 7. Coning. de Habitibus disp. 32. dub. 2. Navarrus lib. 2. de restitut. cap. 3. n. 289. Imo inter filios hujus sæculi est inveterata opinio posse etiam ob evitandam ignominiam & honoris defensionem licitè suscipi, quæque in praxi quotidie exercetur, dum postpositis legibus cunctis, nè viles, infames, & nullius animi generosi habeantur videamus duellare cum magno legum contemptu, & animarum periculis. Ego meam mentem breviter aperiam, & quid de singulis causis sentiam proponam, itaque

4. Causæ duellandi proponuntur.

DICO

Digitized by Google

mus contemptus sacratissimarum legum, oritúrque ex depravatis hominum moribus, qui tamen contra leges, tam sanctas DEI & hominum nullam introducere valent consuetudinem, sed merus est abusus, adeóque tollendus.

ARGUITUR 2. Provocans ad duellum in tali casu est invasor honoris provocati, sed invasorem mei, rerum, ac honoris possum repellere vi, si aliter non possum mihi, meisque consulere rebus, ergo licitè poterit à provocato duellum suscipi. Respond. neg. major. Quia licèt apud improbos & mundanos ita videatur, apud DEUM tamen & verè probos nec honor læditur, nec fama labefactatur, potéstque honori suo multis aliis modis melius consulere, ut dictum est supra, ergo.

INSTATUR. Fas est Invasorem occidere, ut honor tueatur, quando fuga est sibi ignominiosa, ut docent communiter Authores, sed major ignominia videtur esse oblatum duellum respuere, ergo. Respond. 1. Me nescire in quo fundetur illa præsumptio communis Doctorum fugam talem esse ignominiosam, nisi fortè in communi illa hominum improba æstimatione, cui enim non esset melius fugere, quàm invasorem contra legem DEI occidere, cùm certum sit illud multó magis DEO fore acceptum quàm istud. Respond. 2. neg. paritatem: Quia in casu argumenti verè vis infertur, non sic in casu conclusionis. Sed huic obstat, quod in casu etiam argumenti non inferatur vis nisi corporis, per accidens autem honori, videlicet ex malitia hominum, ergo cùm per fugam satis repellat vim corpori illatam, id potius debet facere, quàm alterum invadendo, ut honori consulat, occidere, cùm in re vis nulla inferatur nisi per accidens. Responderi potest 3. Instantiam quidem concludere, quòd talis non incurrat pœnam excomunicationis: Tum, quia lex humana & pœnalis est restringenda: Tum, quia in simili casu non foret duellum formale & ex condicto: non tamen infertur, aut concludit, quòd talis non peccet coram DEO, si invasus fugere potuit, & invasorem occidit.

INSTATUR 2. Si quis vellet alteri adimere vitam, vel bona, nec posset aliter ea tueri nisi acceptando duellũ, potest acceptare, ut si inimicus armatus reperiat inermem, & permittat sibi arma, potest eum occidere, si non potest aliter evadere, ergo idem dicendum in casu conclusionis. Respond. etiam in casu argumenti non licere acceptare duellum propriè dictum, quia duellum formale non est ordinatum ad defensionem vitæ, dico duellum propriè dictum & formale, quia quando aliquis esset ita provocatus, ut aliter non posset vitam tueri, nisi se defendendo & occidendo illum, tunc enim non esset duellum sed defensio licita, & sic in casu instantiæ potest quis excusari. Per hæc patet quid sit dicendum ad reliquos casus. Nihilominus claritatis gratiâ

DICO 4. *Illicitum quoque est duellum ad purgandum crimen aliquod in Judicio objectum & rem suam defendendam, quæ injustè tolleretur v. g. si cui opponeretur apud iniquum Judicem grave aliquod crimen, non potest absque mortali culpa intre duellum ad probandum, quòd non commiserit illud crimen, nisi quando aliàs propter crimen esset plectendus morte, aut privandus bonis, propter quorum conservationem posset se exponere morti.* Hæc est quoad primam partem Abulensis in 1. Reg. 17. qu. ult. Salom. 2. 2. q. 64. art. 5. Sylvestri verbo *Duellum* qui omnes negant, etiam propter quamcunque causam licitum esse duellum. Quoad alteram partem videtur inclinare noster Lyranus in cap. 17. Regum primi Libri, ubi utramque sententiam refert dicens: Dicunt aliqui quòd duellum omnino est illicitum, non solùm à parte appellantis & judicantis, sed etiam recipientis: ita quòd magis debet sustinere rerum suarum spoliationem: & suæ personæ suspensionem & mortem quàm duellum recipere: etiam dato quòd se sentiat innocentem. Cujus ratio est, quia intentio sic intrantis duellum est interficere adversarium suum: quòd nulli personæ privatæ licitum est, quia est contra præceptum divinum, Et ad hoc inducunt verbum Beati Augustini lib. de lib. arbit. dicentis sic: Quomodo possum arbitrare istos carere libidine: qui pro his rebus gladiantur quas possunt amittere inviti? & inter istas res secundum ipsum ponitur vita propria; ut ibidem præmittitur, ergo &c. sed ista sententia videtur aliis nimis dura, propter quod dicunt: quod si appellatus de duello nõ possit declinare: utpote quia denegantur sibi probationes aliæ: & si appellet, non defertur appellationi suæ: potest licitè se defendere duellando: & non solùm in causa criminali pro vita sua defendenda: sed etiam in causa civili. Quia sicut licitum est alicui bellare ad sui corporis defensionem: ita etiam ad rerum suarum conservationem. Nec valet ut videtur, quod alii arguunt: quod intendere alium occidere est contra dictamen naturæ. Dicendum quod hoc verum est si per se intendatur. Sed in hoc casu non intenditur nisi per accidens: si non possit aliter vitam suam, vel res suas servare ad quorum conservationem per se dirigitur intentio sua. Quod patet ex hoc quod declinat duellum quantum potest: & ad conservationem vitæ propriæ, & rerum suarum magis inclinat natura, propter quod argumentum quantum ad hoc videtur magis ad oppositum. Quod autem additur hoc esse contra præceptum divinum, Dicendum quod præceptum divinum quidem est: Non occides: intelligitur de occisione innocentis. Ap-

10 Lis termi- nari quo- modo pot- sit per duellum.

Digitized by Google

pellans autem in hoc casu non est innocens: nec per consequens iste se defendens de mandato & voluntate judicis non videtur peccare: maximè pro suæ vitæ tuitione.

Et Ratio prioris partis est: Quia non potest per duellum constare, an commiserit crimen, nec ne, ergo duellum non est medium purgandi criminis licitum: Probatur min. quia non constat ex ullo capite, quòd qui vinceret haberet justitiam ex sua parte, & sæpe DEUS permittit, ut injusti vincant & superent justos in hujusmodi rebus. Quòd si fidendum esset in hac re providentiæ, potius deberet probari veritas aliis modis. Probatur secunda pars: Quia injustè accusatus potest, ut evitet mortem, & bonorum amissionem, exponere se periculo mortis, minus enim malum est postponendum majori, sed exponere se morti per duellum non est tantum malum, quia hìc est mors incerta ibi certa, quòd si autem sequatur mors alterius, si vincatur, sibi imputetur, quia alius non aggressus fuisset ipsum, nisi timuisset mortem.

11 Injuria illata non excusat à duelli malitia.

DICO 5. *Illicitum est duellum ad vindicandam ullam injuriam, vel odium exercendum.* Probatur: Quia ex præcepto de diligendis inimicis tenemur non occidere illos, nec velle vindicare damna illata nobis, nisi per viam justitiæ, ergo multò magis tenemur nos non exponere periculo mortis per duellum. Confirmatur: Quia injuria facta consistit in infamia, vel facto aliquo dedecoroso, ut si quis alicui colaphum impingat, vel nequam vocet, sed hæc injuria non debet per duellum vindicari, nam quantum ad verba injuriosa non statim concipitur mala opinio de eo, qui sic appellatur, & sic non est opus duello, quòd si concipiatur, adhuc per duellum non reparatur damnum, nam etsi vinceret, vel vinceretur, non tolleretur illa opinio. Quantum autem ad facta ut verberationem vel colaphum malum illud non recuperatur per duellum, nec est tanti momenti, ut propterea quis debeat se exponere malo majori, hoc est periculo mortis. Confirmatur: Quia potius quis deberet interficere injuriam inferentem alio modo quàm duello, si id liceret ullo modo, quia sic se non interficeret vel exponeret morti.

12 Casu duellorum licitorum.

DICO 6. *Licitum est duellum primò cum hominibus ad mortem damnatis, ut ipsi sint ministri justitiæ in se invicem. Secundò, ad bellum terminandum cum minori subditorum jactura. Tertiò, ad reprimendas insultationes hostium, & animandos milites.* Hæc patet ex dictis hujus quæstionis & ulteriùs Probatur: Quia minus malum oriri potest ex duello, ergo. Præterea mors est certa, in duello incerta. Denique David cum Goliath duellum fecit ob rationes dictas. Videatur de hac re noster Lyranus citatus.

Jam aliquid addendum de pœnis inflictis per Canones & Ecclesiam contra duellatores, de quibus fusè quidem egi in quarto sententiarum & tractatu de Censuris, unde breviter eas refero: Primò, Ineuntes duellum sunt suspensi *c. 1. de Clericis pugnantibus.* Trident. Sess. 25. de reformatione c. 19. excommunicat duellatores quoscunque, eorumque patrinos, & eis infamiæ, & bonorum proscriptionis pœnam infligit; sed & excommunicat Reges & Principes duello locum assignantes, quos & istius loci dominio privat. Præterea excommunicat spectatores, hoc est, eos, qui ex condicto eunt ad videndum duellum, & propterea aliquo modo concurrunt, aut probant illud. Excommunicat præterea sed sine reservatione consulentes & persuadentes duellum. Deinde interdicit duellatoribus morientibus in duello Ecclesiasticam sepulturam, etiamsi ante mortem absolvantur ab excommunicatione & peccatis. Intelliguntur autem sic mortui, etiam qui moriuntur, dum è duelli loco deferuntur ad alium, aut paulò pòst ex vulnere accepto occumbunt. Ad hæc Pius IV. excommunicat provocantes se invicem ad duellum, & auxilium, consilium, vel favorem dantes, & etiam adstantes, & chartas scribentes. Clericos excommunicat, omni dignitate, beneficio, & officio Ecclesiastico privat, & inhabiles ad alia reddit, quæ excommunicatio ipso facto incurritur, & est reservata Pontifici. Et nè hæc pœna intelligeretur de duellis publicis tantùm, Gregorius XIII. extendit eam ad duellatores privatos etiam sine patrinis & cæremoniis, & dominos locorum permittentes, aut non impedientes duella, & fautores, ac præbentes equos, arma, & alia subsidia, quam tamen excommunicationem non reservat.

13 Pœnæ duellantium.

Torneamenta aliud non sunt quàm Hastiludia, apud Germanos Nobiliores aliquando valde communia, & maximè Aquisgrani frequenter solemnitèrq; concurrente ingenti multitudine hominum ad spectaculum celebrata, in quo Viri Equestres non ob delectamentum & exercitium aliquod recreativum, sed ob virium ostentationes, Hastis armati, & cataphractis muniti contra se invicem pugnabant, quantum poterant celeri equorum cursu sese impetentes, & ex ephipio equorum se hastis levantes, vel ictu ferientes ad terram prosternebant, frequenter cum oculorum perditione, membrorum mutilatione, vulneratione, & etiam ipsa subsequente aliquando morte, unde etiam in Jure Canonico mortuis ex Torneamentis Ecclesiastica denegatur sepultura, nam licèt Viaticum & aliorum Sacramentorum usum eis non deneget Ecclesia, sepeliri tamen eos vetat, eo quòd rei illicitæ præbeant operam; lusus enim

14 Torneamenta quid sint.

dici-

dicitur esse magis tragicus conflictus, quàm recreatorius, éstque ibi præsentissima necis occasio.

DICES: *Cui conceditur majus, & minus esse concessum intelligi debet*, atqui Torneamento ludentibus conceditur usus sacramentorum, ergo & sepultura negari non debet. Respond. Illud axioma intelligendum esse cum modificatione, nisi minus ex speciali causa sit interdictum, sicut ergo *can. Episcopus 88. dist.* Prælatis interdicitur, nè per se ipsos defensionem suscipiant pupillorum aut viduarum, nè per hoc personæ eorum vilescant, ita mater Ecclesia, quæ omnium salutem impensè quærit, Sacramenta admittit, Cæmiterium tamen prohibet, ut alios ab hastiludio deterreat. Clemens VIII. confirmat easdem pœnas.

Quæstio VII.

De Scandalo.

1. Scandalum quid & quotuplex.

PAx *multa diligentibus DEUM, & non est illis scandalum*, ait Psaltes, nam scandalum aliud non est, nisi offendiculum seu offensa alterius, idque in re ad salutem pertinente, qui ergo diligit proximum, neminem scandalizabit, neque ulli offensum, & cadendi ansam præbebit, est igitur scandalum peccatũ contra charitatem, unde pulchrè Augustinus dicit tract. 1. in Joannem: *Si tenueris charitatem, nec in Christo scandalum patieris, nec in Ecclesia: nec Christum relinques, nec Ecclesiam. Qui enim Ecclesiam relinquit, quomodo est in Christo, qui in membris Christi non est? Quomodo est in Christo, qui in corpore Christi non est? Illi ergo patiuntur scandalum, qui relinquunt aut Christum aut Ecclesiam.* Scandalum aliud est *Activum*, aliud *Passivum*. *Activum* est actio, quæ dat aliis occasionem peccandi, ut si quis peccando coram aliis, eos ad peccandum alliceret. *Passivum* est ipsum peccatum commissum ratione scandali activi. Ab activo dicitur quis scandalizare, à passivo verò scandalizari, satis tamen communiter dicitur quis scandalizare, qui dat aliis occasionem turbationis aut iræ, etiamsi non peccarent. Et scandalizari, qui sic comoventur. Etiam scandalizare dicuntur, qui dant occasionem concipiendi de se malam opinionem, sive peccârunt eam concipiendo, sive non. Sed hic agimus de scandalo, quo mediante datur occasio peccandi alius, sive actu peccent, sive non. Tribus autem modis cum communi Theologorum posse contingere docui supra: Primò, directè persuadendo illi peccatum, vel proponendo ipsi objectum alliciens ad peccatum. Secundò, peccando coram aliis, & hoc exemplo eos ad peccatum inducendo. Tertiò, peccando coram aliquibus, qui non acciperent quidem inde occasionem peccandi, sed propterea contemneret personam aliquam, aut statum, & ut propterea negligerent consilia, quæ aliàs amplecterentur, aut nollent talem statum assumere. His non incongruè addi potest etiam quartus modus, videlicet quando aliquis facit occasionem, quæ ex se non esset peccaminosa, sed ob aliquas circumstantias posset videri talis. Hæc omnia vocantur scandala data, quia qui sic scandalizat, dat verè occasionem peccandi aliis. Aliud assignatur scandalum, quando quis ex malitia sua sine justa occasione ob actionem aliquam alterius peccat, & hujusmodi vocatur scandalum acceptum.

2. Scandalum passivum multiplex.

Scandalum passivum dividitur in *Datum* & *Acceptum* seu ut alii volunt in *scandalum ex malitia, ignorantia, & infirmitate*. Primum est, quod & *Pharisaicum* vocatur, quando scilicet ex mera malitia ob actionem aliàs undequaque bonam alterius sumit occasionem malè judicandi de altero, aut alio modo peccandi. Secundum, quando concipitur ex ignorantia alicujus circumstantiæ, quæ reddit occasionem licitam, quam sic scandalizatus putat malam. Tertium est ex infirmitate, quando quis ob peccatum, quod verè scit tale esse, peccandi occasionem accipit. Ex his patet, scandalum ut sic esse dictum vel factum alterius ruinæ, seu peccato occasionem præbens, hæc enim descriptio omne scandalum ex jam explicatis comprehendit, & satis naturam explicat scandali secundùm conceptum communem, qui habetur de illo, sed quia de scandalo satis fusè egi in secundo tractatu de Peccatis disp. 5. qu. 5. ideo hîc breviter illud expediam afferendo præcisè quæ ad hanc materiam charitatis spectant.

3. Scandalum commune non est peccatum contra charitatem.

DICO 1. *Omne scandalum peccaminosum non est ex ratione sua particulari oppositum charitati, nisi eo modo, quo omne peccatum mortale est oppositum ipsi.* Probatur: Quia exemplo vel consilio invitans alium ad furandum ob commoditatem inde ortam peccaminosè scandalizat, & tamen peccatum illud ipsius non habet ullam oppositionem cum charitate, nisi qualem habet omne peccatum mortale, nam si haberet, vel hoc esset, quatenus opponeretur charitati, qua seipsum debet amare, vel qua proximum: non qua seipsum, quia ex illa tenetur vitare omne peccatum, sed non tenetur hoc peccatum magis quàm alia vitare, ergo; non etiam qua proximum, quia non tenetur proximum diligere ex charitate magis quàm se, ergo si ex charitate non tenetur vitare illud peccatũ ex ratione particulari ipsius, quatenus est malũ proprium, nec tenebitur ex illa vitare.

DICO 2. *Omne scandalum peccaminosum mortaliter, quod secundùm se est peccatum independenter ab alterius ruina, & propterea quia est peccatum alienum ex eo, quod sit causa alterius ruinæ, habet duas malitias, unam propriam, quatenus scilicet est peccatum independenter à ruina alterius, ut si fieret nemine alio sciente:*

Digitized by Google

sciente: alterum ex eo, quòd sit causa alterius ruinæ: quæ duæ malitiæ aliquando possunt esse ejusdem speciei, ut si peccatum alterius habet eandem speciem, quam habet scandalum secundùm se consideratum, & possunt esse diversæ speciei, ut si peccatum alterius sit diversæ speciei. Hæc patet ex terminis. Ex ea autem sequitur, quòd qui confitetur scandalum, debet specificare, ad quod peccatum induxerit, seu quale peccatum ex facto suo prævidebat, ac dubitabat secuturum.

4 Scandalum est peccatum contra charitatem.

DICO 3. *Quodcunque scandalum datum ad ruinam proximi ex proposito est directè contra charitatem, ita ut si per nullam aliam virtutem prohiberetur, ipsa charitas prohiberet ipsum.* Est communis Theologorum & clarè deducitur ex Doctore subtili in 3. d. 38. q. un. §. Secundo videndum. Ubi egregiam doctrinam præbet qualiter scandala sint vitanda dicens: *Universaliter secundùm legem Evangelicam vitanda sunt quæcunq; scandala pusillorum, secundùm illud Matth. Væ homini illi per quem scandalum venit. Scandala autem Pharisæorum non data sed accepta, non sunt vitanda juxta illud Matth. dicentibus discipulis: Scis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizati sunt? Respondit Christus: Sinite illos: cæci sunt & duces cæcorum. Sive igitur in factis indifferentibus ex se, quale est comedere carnes, de quo Apost. 1. Corinth. 8. Si frater meus scandalizatur, non manducabo carnes in æternum. Sive in factis quæ habent aliquam malitiam, puta venialem, tamen nata sunt scandalizare occasionaliter pusillos præsentes vitanda sunt propter scandalum.*

Nunc Probatur: Quia ex charitate tenemur non facere malum proximo, sed illa ruina esset malum ipsius, ergo tenemur ex charitate particulariter non procurare illam. Idem dicendum de omni occasione seu voluntate, qua quis directè videt aliquid, ex quo per se sequeretur ruina proximi, quamvis illa ruina ab ipso non intenderetur, sed aliud quidpiam, unde qui consulens furtum, cùm inde videt necessarium secuturum, ut furans non solùm offendat contra justitiam, sed privandus sit gratiâ, peccat specialiter contra charitatem, quia ex charitate tenetur non concurrere ad illud, ad quod per se necessariò sequitur damnum, spirituali proximi, etiamsi ille non vellet, quod sequeretur illud damnum, sicut qui tenetur non explodere sclopum ad interficiendum hominem, quando prævidet, inde interficiendum hominem, etiamsi non intenderet interfectionem hominis, sed avis.

Quæstio VIII.

De Schismate.

1 Schisma peccatum contra charitatem.

Cùm *origo & pertinacia Schismatis nulla sit alia nisi odium fraternum* ait S. Augustinus lib. 1. de baptismo contra Donatist. cap. 11. & alibi. Schismatici, si charitatem haberent, nunquam dilaniarent corpus Christi, quod est Ecclesia, est igitur schisma peccatum contra charitatem; quàm grave autem peccatum sit schisma describit lib. 2. contra eosdem cap. 6. dicens: *Afferamus divinam stateram de scripturis sanctis tanquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit gravius appendamus: imo non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Tempore illo, quo Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cavenda monstravit, & idolum fabricatum atque adoratum est, & propheticus liber ira regis contemptoris incensus & schisma tentatum: idolatria gladio punita est, exustio libri bellica cæde & peregrina captivitate: schisma hiatu terræ, sepultis authoribus vivis, & cæteris cœlesti igne consumptis. Quis jam dubitaverit hoc esse sceleratius commissum, quod est gravius vindicatum.* In hac igitur quæstione examinandum erit, quid sit schisma, atque an & quomodo ab hæresi differat? quoad primum resolutivè

DICO 1. *Schisma, Latinè scissura, apud Theologos aliud non est, quam segregatio ab unitate Ecclesiæ, quando membra ejus stante unitate fidei ab ipsius summi Pontificis obedientia separantur.* 2 Schisma definitur. Hanc deduco ex *Can. 3. dist. 21. Can. Quoniam vetusta can. 24. Et L. Inter claras. §. Nos reddentes C: de sum. Trinit. Conc. Chalced. in Epist. ad Leonem & Act. 1.* Deduco pariter ex D. Augustino lib. 2. contra Cresconium Grammat. cap. 4. ubi approbat illius definitionem: *Hæresis est diversa sequentium secta, Schisma verò eadem sequentium separatio.* Et per easdem definitiones convincit Cresconium esse hæreticum, unde cap. 7. concludit suamq; mentem declarat: *Proinde quamvis inter schisma & hæresim magis eam distinctionem approbem, quâ dicitur schisma esse recens congregationis ex aliqua sententiarum diversitate dissensio: (neque enim & schisma fieri potest nisi diversum aliquid sequantur qui faciunt) hæresis autem schisma inveteratum: tamen quid hinc opus est ad laborem, cùm me adjuvent definitiones tuæ, ut si mihi & per alios vestros concederetur, schismaticos vos libentius, quàm hæreticos dicerem.*

Probatur etiam definitio declarando. Dicitur *Segregatio* ex *Can. Schisma 24. q. 1.* Et ex D. Hieronymo super Epist. ad Gal. dicente: *Inter hæresim & schisma hoc esse arbitror, quod hæresis perversum dogma habet, schisma verò ab Ecclesia pariter separat.* Dicitur ab *unitate & unione Ecclesiæ* non quacunque unitate, sed dilectionis, nam membra Ecclesiæ duplici unione inter se copulantur, una est, quæ fit per charitatem per quam tanquam per fidelem connexionem membra inter se copulantur, ut inseparabiliter Christo suo Capiti ejus Vicario cohæreant, & ratione hujus unionis dicitur Ecclesia tota formosa sine macula sine ruga. Alia est unio per fidem, per quam omnes fideles sunt unus Grex sub eodem Pastore, & secundùm hanc unionem Ecclesia aliquando dicitur sagena in mare missa diver.os pisces bonos & malos con-

congregans, aliquando similis decem virginibus fatuis & prudentibus &c. Schisma igitur secundùm Alphonsum nostrum à Castro separat à prima unione, propter hoc sequitur altera particula *Stante unitate fidei*, hæc enim manere debet, ut paulò ante dixi, & iterum atteſtatur S. Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 3. dicens: *Schisma, nisi fallor, est eadem opinantem, & eodem ritu colentem quo cæteri, solo Congregationis delectari dissidio.* Dicitur *& ab ipsius Pontificis obedientia*, nam licèt aliquis se ab obedientia inferiorum Episcoporum separaret, non esset schismaticus, si summo obediret Pontifici, nec schismaticum propriè censeo cum Marchantio dicendum, qui, ut frequenter contigit, in dissensione Cardinalium, & electione diversorum subjectorũ, dubiraret, quisnam sit legitimè electus *Leo* an *Clemens?* & unum potius, quàm alterum sequeretur, usque dum legitima unius probaretur electio, sicut primum solemne schisma orditus est impius Photius ex laico arte & dolo intrusus in Patriarchatum Constantinopolitanum, detruso B. Ignatio, primus in oriente Primatum totiùs Ecclesiæ orientalis prætendit excussâ obedientiâ tam Nicolai, quàm Adriani Pontificum. De quibus fusè dixi in 3. tract. 3. disp. 3. qu. 2.

3 Schisma facit hæresim.

DICO 2. *Schisma obduratum facit etiam hæresim, & hæreticum hominem pertinaciter illi errori & segregationi adhærentem.* Hæc est conformis menti SS. Patrum Augustini lib. de hæres. hæresi 69. dicentis: *Donatistæ post causam dictam & finitam pertinaci dissensioni firmata in hæresim schisma mutârunt.* Cujus rei causam assignat lib. 2. contra Gaudent. cap. 9. agens: *Feciſti sacrilegium schisma, populos dividendo, & sacrilegam hæresim contra DEI manifesta promissa & impleta de Ecclesia toto orbe diffusa nefario Spiritu sentiendo.* Item eleganter lib. 2. contra Cresconium cap. 8. quem sic alloquitur: *Mutate & corrigite Donatianorum vel quodlibet aliud vocandi fitis, tamen hæreticorum sacrilegum errorem: nam & hæretici estis, vel quod in Schismate inveterato remansistis, vel ex tua definitione quòd de Ecclesia, quæ corpus est Christi, vel de iteratione Christiani baptismi diversum sequimini. Et sacrilegus error est non solum à Christiana unitate separatio, verum etiam sacramentorum, quæ secundùm tuam confessionem una atque eadem sunt violatio atque rescissio. Quod si corrigitis & mutatis, quomodo tales vos suscipimus quales eratis?*

Probatur etiam conclusio ex *can. Inter hæresim 24. qu. 3.* ubi dicitur nullum schisma esse, quod non aliquam hæresim confingat, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur, quod ab infelici patet experientia, nam postquam Photius anno 858. S. Ignatium dejecisset, & sibi Constantinopolitanam usurpasset sedem, ausus est in Pseudo-Synodo ab ipso congregata damnare Ecclesiam Latinam, tanquam hæreticam, *quòd Sabbatho jejunent, quòd hebdomadam à quadragesimæ jejunio rescindant, quòd Clerici occidentales barbam radant, quòd symbolum falsificent*, & plura alia, uti retuli in 3. citato. Hunc Photium secutus est Michaël Patriarcha item Constantinopolitanus, atque anno 1058. unitus cum Bulgarorum Archi-Episcopo acerbas litteras contra latinam scripsit Ecclesiam, eam damnando de punctis tam allatis, quàm pluribus aliis, Catholicos graviter in Gracia & Oriente persequendo, monasteria claudendo, Latinos rebaptizando, &c. quæ tamen sunt manifesti eorum errores, & imitantur alios antiquos hæreticos, nam Novatiani damnabant Ecclesiam, quòd lapsos ad pœnitentiam reciperet. Donatistæ damnabant Ecclesiam, quòd baptizatos ab hæreticis non rebaptizaret, & ideo teste S. Augustino lib. 2. contra Petil. cap. 51. Cathedram S. Petri Cathedram Pestilentiæ vocare audeant &c. similiter alii.

4 Pœnæ Schismaticorum.

Pro fine placet hic adjungere pœnas schismaticorum, quarum prima est privatio omnis jurisdictionis Ecclesiasticæ, cùm enim omnis illa Jurisdictio à summo Pontifice aliquo modo dependeat, & à Vicario Christi derivetur, quisquis ab illo, & à corpore totius Ecclesiæ se separat, nulla jurisdictione & authoritate in illud corpus gaudere valet aut debet. Secunda est Excommunicationis sententia, eò quòd se ab obedientia pertinaciter subtrahat. Tertia est inhabilitas ad omnia officia & beneficia ex *Cap. Quia diligentia de Elect.* unde earum collationes, & rerum Ecclesiasticarum alienationes ab ipsis factæ irritæ sunt *ex cap. 1. & cap. 2. Extra de Schismât.* Quarta: Ordinati à Schismaticis hoc ipso sunt suspensi ab executione ordinum. Videatur Navar. in manuali *cap. 27. can. De Liguribus 23. qu. 5.* Et hæc de schismate sufficiant. Et *Hæc dicuntur*, ut claudam cum S. Augustino tractat. 27. in Joannem, *ut amemus unitatem, & timeamus separationem, nihil enim sic formidare debet Christianus, quàm separari à corpore Christi*, qui sit in æternum benedictus! Amen.

Ad Aphorismum & Materiam præcedentem sit

Quæstio Ethica.

Quantum differant ista duo Ethicæ sacræ principia: Ama DEUM, & Time DEUM?

1 Timor & amor quomodo differant.

REspondeo: Multum, & Nihil. Quod probo: Multum quidem, nam timor servilis est initium, radix, & clavis pro introducenda charitate, & hic multum differt à charitate, nam hunc secundùm Joannem *charitas foras mittit*, in quem locum S. Augustinus tract. 9. ait: *Perfecta chari-*

Digitized by Google

charitas foras mittit timorem. Quando aliquid ſuitur, ſeta prius intrat; ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primò occupat mentem, non tamen ibi remanet; quia ibi intravit, ut induceret charitatem. Et paulò antè: *Initium ſapientiæ timor Domini*, inquit, *quia timor locum præparat charitati: cum autem charitas cœperit habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum, quantum enim illa creſcit, ille decreſcit: & quantum illa ſit interior, timor pellitur foras. Major charitas, minor timor: minor charitas, major timor. Si autem nullus timor, non eſt qua intret charitas.* Quod autem charitas & timor nihil differant, probatur, Quia perfectiſſimus timor DEI & amor DEI perfectus virtualiter & effectivè idem ſit, ita ut amor ſit timor, & timor filialis, amor, ſunt enim ejusdem habitus actus, Ethicóq; perinde fore ad æternam ſalutem conſequendam timere, & amare DEUM, Ratio eſt: Quia *timor DEI initium eſt dilectionis ejus*, inquit Eccleſiaſticus cap. 25. *fidei autem initium agglutinandum eſt ei.* Ubi Complutenſis, & Tigurina verſio ſic legunt: *Religio Domini amoris ipſius eſt initium, fides autem origo conjunctionis cum ipſo.* Syrus autem ſic habet: *Initium timoris Domini diligere eum, & initium fidei ire poſt ipſum.* A timore enim & cum timore incipit dilectio DEI, augetur, perficitur, & quantum timor filialis creſcit, tantum creſcit & amor, usq; dum uterq; ad ſuam attingat perfectionẽ, quod eleganti poteſt explicari paritate, nam vapor eſt cauſa pluviæ, & viciſſim pluvia eſt cauſa vaporis, ita amor DEI cauſat timorẽ eum offendendi, ac viciſſim timor & reverentia DEI cauſat ejusdem amorem, quem enim amamus offendere timemus, & viceverſa, unde Cajetanus 2. 2. q. 22. art. 2. aſſerit timorem filialem in ſe complecti amorem & reverentiam. Porro, ut ad hoc reſponſi punctum revertar, Timorem & amorem idem eſſe clarè convincitur. Quia Spiritus Sanctus in Eccleſiaſtico omnes operationes & affectus tribuit timori, quos amori, in ſententia autem Scoti ex hoc colligimus gratiam & charitatem eundem eſſe habitum, quia eosdem habet effectus, ergo & de timore & amore ſentiendum, quod autem easdem operationes & effectus tribuat, textus ejusdem allego, nam cap. 1. v. 18. *Plenitudo ſapientiæ eſt timere DEUM*, & v. 21. *Corona ſapientiæ, eſt timor Domini*, & Job 28. dicit: *Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia*, atqui ſapientia ſecundùm Scotum eſt idem quod Charitas, unde interpretans illud Proverb. in malevolam animam non introibit ſpiritus, de charitate, ait eſſe intelligendum, quia ſcientia intellectuali, & ſapientia naturali multi Ethnici fuerunt præditi, qui tamen gratiâ caruerunt. *v. 12.* dicit: *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium.* non ſolùm in hac vita, ſed magis in altera, unde ſtatim in verſu ſequenti alterum ſubjungit effectum: *Timenti Dominum bene erit in extremis*, id eſt, in agone; unde omnes quaſi ſancti etiam DEUM timentes lætantes ſunt defuncti, ſicut de noſtro legitur S. Petro Alcantarenſi, qui moriens Pſalmum: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi* oravit, proinde timor Domini in præfato ita recommendatur, ut ipſam & reliquas omnes ſecum adferat virtutes: *Timor Domini, ſcientiæ religioſitas - - - Timenti Dominum bene erit, & in diebus conſummationis illius benedicetur - - - Corona ſapientiæ timor Domini replens pacem, & ſalutis fructum - - - Timor Domini expellit peccatum.* qui etiam nonniſi charitatis ſunt effectus & operationes. Ethicus ergo, qui vult amare DEUM perfectè, tueat illum filialiter, unde pro incipientibus ponitur hic Aphoriſmus *Time DEUM.* pro viris verò jam proficientibus, atq; perfectis, *Ama Deum*; utrumque bonum, utrumque Ethicum & ſalutare, quare, *Fili accedens ad ſervitutem DEI, ſta in juſtitia, & timore, & prepara animam tuam ad tentationem.* ait Eccleſiaſticus & excellens Ethicus, Cap. 2.

2 Amor & timor filialis idem.

Quæſtio altera.

Inter quos, & qualis amicitia ſit colenda?

3 Modus cognoſcendi naturam alterius.

LOco præcepti de diligendo proximo Politici in ſuis Ethicæ principiis hoc ponunt *Fide cui vide*, hinc varia documenta præbent, quibus naturam eorum explorant, quos ſibi amicos conciliare intendunt: Primo per potum, jubendo & propinando hilariter, ut incaleſcat lætanter, tunc pandit imprudens ea, quæ corde fovet juxta vulgatum, *in vino veritas.* Secundò per luſum, à natura enim cunctis indita eſt cupiditas aliis ſupereminere, unde etiam in luſu, quamvis nullum appoſitum ſit bravium, pretium, vel lucrum, quilibet vult vincere, & ſi perdit, geſtibus, verbis, motibus liberè pandit, quod oſtio cordis obſeratum tenebat. Tertiò in afflictionibus proximo accidentibus, afflicti enim vix diſſimulare poſſunt maximè in rebus ſuum concernentibus commodum. Quartò per ſocios quibuſcum quis converſatur, nam *Noſcitur ex ſocio, qui non cognoſcitur ex ſe*, & pluribus aliis modis, ut laude, vituperio, commiſſione ſecretorum non magni momenti, & per alium tentando revelationem.

4 Amici tardè eligendi.

Fateor quidem in eligendis amicis cunctandum eſſe, uti antiqui etiam docuerunt Philoſophi, nam Seneca Epiſt. 3. *Poſt amicitiam credendum eſt, ante amicitiam judicandum.* Sidonius Apollinaris 5. 11. dixit: *Eſt conſuetudinis meæ, ut eligam antè, poſt diligam*; elegantiſſimè autem Bias Philoſophus Græcus in Olympia. ex Laertio refert Guevarra, quod interrogatus, quid

Digitized by Google

quid eſſet, in quo cunctatio hominibus laudi daretur? Una, inquit, ſolummodo in re licere hominibus tardos eſſe, nempe in electione amicorum: Tardiſſimè enim eligendum amicum, & nunquam omnino deſerendum. His præmiſſis

5 Amicitia generalis omnes ſic.

Reſpondeo: Generalem amicitiam debere ſe extendere ad multos; Particularem verò nonniſi inter paucos, & bonos. Ratio prioris partis eſt, quia omnes homines ſunt noſtri proximi, quos ex præcepto tenemur diligere, adeóque amicitia Generalis multos complectitur, unde bene dicit Ethicus noſter Eccleſiaſtici 6. *Multi pacifici ſint tibi, & conſiliarius ſit tibi unus de mille.* quem locum author de ſalutar. document. apud Auguſt. cap. 6. ſic interpretatur, & ſic legit: *Amici ſint tibi multi, ſed conſiliarius unus?* Et hæc amicitia dicitur affabilitas & benevolentia, unde Dicæarchus apud Plutarchum lib. 4. Sympoſ. ſic Ethicum inſtruxit: *Omnium benevolentiam tibi concilia, amicitiam autem cum bonis inito.*

6 Amicitia particularis ad paucos.

Alteram partem ſcilicet amicitiam inter paucos eſſe particularem habendam docet quoque Plutarchus lib. de multitud. amicorum, dicens: *Sicut fluvii in multos deducti rivos, leniorem habent curſum, ita vehemens amor in multos diſperſus haud dubiè marceſcit.* Sanctius autem author de amicitia apud D. Auguſtinum in appendice tom. 4. hæc docet: Cum amicus tui ſit conſors animi, cui ſpiritui tuum conjungas & applices, & ita miſceas, ut unum fieri velis ex duobus, cui tanquam alteri tibi committas, cui nihil occultes, à quo nihil timeas, hæc omnia pluribus & multis neutiquam communicari poſſunt, ergò. Et ratio Phyſica eſt. Quia potentiæ noſtræ intellectus & voluntatis ſunt valdè finitæ & limitatæ, adeóque non ſe poſſunt æqualiter in multos ac in paucos extendere, cum amicitia ſit quædam duorum unio. Deinde amicitia debet eſſe ſecura & tuta, in multitudine autem amicorum quis noſſe poterit an omnes tales ſint, ut ſe prædicant, unde oraculum Timeſiæ dixit: *Qui amicorum greges quærunt, incauti in examina inimicorum incidunt.* Denique ut Plutarchus citatus docuit: *Ad genuinam amicitiam tria requirantur potiſſimum: virtus ut pulchrum; conſuetudo ut jucundum; uſus ut neceſſarium, nam & cum judicio recipiendus eſt amicus, & conſuetudo læta eſſe debet, & uſus occaſione exigente prompto, quæ omnia multitudini amicorum adverſantur.* Et inferius probat idipſum ex dicto Pythagoræ: *Ne multis manum injicias, id eſt, ne multos facias amicos.*

7 Amicitia inter bonos eſſe debet.

Tertia pars, quod amicitia inter bonos eſſe debeat, propter finem honeſtum & ſanctum, atque adeo ex amore non ex quæſtu procedere docet Spiritus S. Eccleſiaſtici 6. *Eſt enim amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis. - - - Eſt autem amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis.* Unde vulgatum illud Carmen: *Tempore felici multi numerantur amici.* Et aliud in operibus D. Auguſtini:

Non eſt perſone ſed proſperitatis amicus,
Quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat.

Unde idem author præclarè oſtendit rationem & fundamentum veræ amicitiæ cap. 10. lib. cit. Primordia amicitiæ ſpiritalis primum intentionis habeant puritatem, rationis magiſterium, temperantiæ frænum: & ſic ſuaviſſimus accedens affectus, ita profectò ſentietur dulcis, ut eſſe nunquam deſinat ordinatus. Quid ſit vera amicitia, nondum novit, qui aliam vult eſſe mercedem quàm ipſam. Nam cùm magnas & multas utilitates pariat amicitia fida bonorum, non illam tamen ab iſtis, ſed ab illa iſtas procedere non ambigimus: cùm in bonis ſemper præcedat amicitia, ſequatur utilitas profectò non tam parta per amicum, quàm amici amor ipſe delectat. Nihil eſt negandum amico, omnia pro eo ſuſtinenda ſunt: & vita corporis ponenda eſt pro amico, ut ſuaviter divina authoritas. Fons & origo amicitiæ amor eſt, nam amor ſine amicitia eſſe poteſt, amicitia ſine amore nunquam. Amor verò ex natura, aut ex officio, vel ratione ſola, vel ſolo affectu, vel more, nonnunquam ex utroque ſimul procedit. Ex natura, ſicut mater diligit filium. Ex officio, quando ex ratione dati & accepti, quodam ſpeciali affectu conjunguntur. Ex ſola ratione, ſicut inimicos, non ex ſpontanea mentis inclinatione, ſed ex præcepti neceſſitate diligimus. Ex ſolo affectu, quando aliquis ob ea ſola, quæ corporis ſunt, v. g. pulchritudinem, fortitudinem, facundiam, ſibi quorundà inclinat affectum. Ex ratione ſimul & affectu, quando is, quem ob virtutis meritum ratio ſuadet amandum, morum ſuavitate, & vitæ laudandæ dulcedine in alterius influit animum: & ſic ratio jungitur affectui, ut amor ex ratione caſtus ſit, dulcis ex affectu. Plura eaque excellentia de amicitiæ bono enarrat Eccleſiaſticus cap. 6. *Amicus fidelis protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis: & qui metuunt Dominum, invenient illum.* In quæ loca videantur interpretes paſſim, & ipſimet Ethici antiquiores. ſic

ETHI-

ETHICÆ SACRÆ

APHORISMUS SEXTUS

Non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem,
Rom. 12. v. 3.

De Prudentia, in vita & actione.

SYMBOLUM.

Intelligite hæc qui Obliviſcimini Deum Pſal. 49

Temporibus ſi rite ſapis, ſervire memento
Omnibus, ut Tempus ſerviat omne tibi.
Nam ut Seneca - - - - - *Tempori aptari decet.*

Declaratio Aphoriſmi & Symboli.

1 Prudentia ſerpens eſſe fingitur.

SAlvator noſter Ethicam ſacram docturus diſcipulos, ait Matth. 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* Unde Valentiniani quidam, ut author eſt Irenæus tradiderunt ſophiam ſuam ſerpentem factam eſſe, atque illam eſſe, quæ in Geneſi dicitur ſapientior cunctis animantibus, & ſeſe Plaſmatori primorum Parentum oppoſuiſſe, Evæque ac Adamo ſcientiam infudiſſe. Et formulare hoc acceperunt ex antiquis Poëtis, qui affinxerunt Meduſæ ſapientiſſimæ fœminæ ſerpentinum caput, aut ſerpentibus veluti comis circumplexum. Verùm procul eſto profani. Sapientius delirarunt poſt Homerum Græci, qui Apollinis ſcientiam, quem ſapientiæ cunctarum artium & Muſarum Patrem autumabant, exprimere volentes, ad ejus ſtatuam affixerunt ingentem tricipitem ſerpentem, cujus unum caput caninum, alterum lupinum, tertium leoninum erat, eo quòd prudentis ſit juxta Hippocratis aphoriſmum proſpicere

Quæ ſunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Romani verò, ut habet Macrob. Satyr. lib. 1. cap. 7. Prudentiam per bicipitium Jani declarabant, ita ut barbata pars ſuper præterita reſpiciat tempora, imberbis verò recentia & futura præſtoletur, adeóque ſunt veluti fœmellæ curioſa præſtolantes, quod Symbolum Jacobus IV. Rex Scotiæ aſſumpſit cum lemmate: *Utrimque.* Quia pru-

Digitized by Google

prudentis officium eſt, Præterita reſpicere, & futura proſpicere.

2 Prudentiæ tempus triplex.

Bene quidem hæc Ethicam Philoſophicam expreſsêre, atque ideo ſimul junctа in Symbolo propoſui, quæ omnia Paulinus Chriſtianorũ aphoriſmus per triplex ſapere complectitur, & optimè ſacræ Ethicæ tempº triplex diſtinguit, quæ ſi quis obſervaret, perfectum Prudentiæ gradum attingeret: quæ in hoc conſiſtit *Præſentia ordinare: Præterita reſpicere: Futura providere, & memorem lethi vivere.* Nam *non plus ſapere* excludit quorundam ſciolorum arrogantiam, qui cùm vident ſeſe, vel ex natura garrulos, ex cerebro ad memoriam plurimorum diſpoſitos, & exiguo quodam ingenii lumine præditos, jamjam ſe prudentes aut ſapientes exiſtimant, aliisque ſe præferunt, nec putant aliquid rectè fieri, ſi non conformiter ad judicium ſuum fiat, & tales frequenter ut imprudentes errant, dum aliorum non acquieſcunt conſilio, prout Ethicus Siracides monet, Eccleſiaſtici 32. *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis.* Unde Raphaël Volateranus in inſtitutione Chriſtiana ad Pontificem Leonem plurima ſigna Prudentis viri adnotat, quæ ad præſentium rerum Statum pertinent, ex quibus decem afferre breviter volo: Primò tunc cognoſcitur eſſe prudens, cùm quis auſcultare mavult, quàm loqui, neq; omnibº, neque facilè credit. Secundò cùm quis promptior eſt ad ſua concedenda, ac danda, quàm ad petendum aliena. Tertiò cùm quis non facilè judiçat, aut ſi judicat, prius partium rationes examinat. Quartò cùm quis de aliis bene loquitur, & promior eſt ad laudandum, quàm vituperandum, atque abſentium famam contra detractores defendit. Quintò cùm quis nulli ſe præbet aſſentatorem, nec ulli plus æquo benignum exhibet. Sextò cùm quis neminem contemnit, quamvis minimum, & ſemper majorem colit. Septimò cùm quis gloriam rerum geſtarum mavult aliis, quam ſibi adſcribere. Octavò cùm quis ſemper conſervat amicos, & nihil indigni in eorum gratiam ſuſcipit. Nonò cùm quis gratificatur quantum poteſt etiam ignotis, nec obeſt alteri, ut proſit uni. Decimò cùm quis in rebus adverſis animo ſemper eſt alacri, & divino nixus auxilio ſuum facit officium. Breviter & acutè ſapientis officia deſcripſit Anglicus Poëta Owenus, his verſibus:

3 Prudentis hominis ſigna.

Nil facias temerè, timidè nil, omnia cautè,
Cuncta citò, ſero nil, ſubitóque nihil.

4 Præterita conſideranda.

Sed progrediamur ad conſideranda præterita, hæc proſpicienda eſſe admonet Doctor Gentium per particulam *quàm oportet ſapere*, nam niſi Ethicus attendat præterita non poterit ſapientia formare conſilia, dicit enim Nazianzenus: *Facilius eſt ex alienis, quàm ex propriis philoſophari*, unde vulgatum eſt proverbium: *Felix quem faciunt aliena pericula cautum, infelix quem propria;* hoc autem non diſcitur niſi ex ante actis & exemplis, hæc enim faciunt ſapere prout oportet ſapere; unde Reges, Principes, militúmque Duces, & quicunque Magiſtratus attendere debent ad præterita, quos, qualesve ſimilia facta habuerint exitus, nam ut ſapienter Philo. lib. de charit. dicit: *Non præcipitandum in iis judicium, quæ recte, vel ſecus adminiſtrata, pluribus felicitatem, aut calamitatem afferunt.* Errores enim Prædeceſſorum ſunt cautelæ & doctrinæ ſucceſſorum. Et optimarum rerum cognitiones facta priorum attulerunt temporum. Verùm ſinamus Politicos ſibi providere, Ethicus factatior attendere debet, quomodo tempus præteritum inſumpſerit, applicuerit, quidque in illo fructificaverit, nam ut Gentilis Philoſophus Bruxillus de quo mentionem facit Guevarra in ſuo horologio cap. 4. lib. 1. dixit: *Nullum in ſapiente gravius delictum, quàm ſi momentum temporis perdidiſſe videatur.* Unde Chriſtianiſſimè Fulgentius epiſt. 2. ait: *Non quantum, ſed qualiter quisque vixerit intuendum.* Patheticè proinde admonet S. Bernardus ſerm. 27. de diverſ. *Nemo veſtrum fratres parvi æſtimet tempus quod in verbis conſumitur ociosis. Siquidem tempus acceptabile eſt, & dies ſalutis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremeabile, nec advertit inſipiens quid amittat. Libet confabulari, ajunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora! ô donec pertranſtat tempº! Donec hora prætereat quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miſeratio conditoris indulget. Donec tranſeat tempus, quo divinam tibi repropitiare debueras pietatem; properare ad angelicam ſocietatem, ſuſpirare ad amiſſam hæreditatem; aſpirare ad promiſſam felicitatem; excitare remiſſam voluntatem; flere commiſſam iniquitatem.* O quàm rigoroſa ratio reddenda erit pro tempore malè impenſo, & quod ad ſalutem noſtram ordinatam fuit, ad damnationis augmentum impedimus. Peſſimi mortalium ſunt igitur, miſerrimi & inſaniſſimi, qui temporis jacturam præteriti non deplorant, & pœnitentiam ſuam ſemper procraſtinant contra ſapientiſſimi Ethici monitum Eccleſiaſtici 5. *Non tardes converti ad Dominum, & nè differas de die in diem, ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Plorabunt aliquando tales cum ſatyrico illo:

Damna fleo verum, ſed plus fleo damna dierum
Rex poterit rebus ſuccurrere nemo diebus.

Quot ſunt hiſtoriæ, quæ narrant morientes vel unam horam poſtulâſſe ad pœnitendum ſuperſtitem. Unde conſideratis præteriti temporis damnis ſequitur tertium providere futura.

5 Futura ſunt attendenda.

Ad hæc damna præcavenda approbatum antidotum eſt conſiderare futura, quod ſignificatur per *ſapere ad ſobrietatem*, qui enim ſic ſapit, non tanti emet pœnitore;

re; efficaciter proinde exhortatur ad hunc finem D. Paulus ad Ephes. 5. *Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*, adde contemplandi futuri, inevitabilis scilicet mors, Judicium extremum hominis; & similiter Ecclesiasticus cap. 51. *Operamini opus vestrum ante tempus, & dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.* Fortissimum enim frænum ad cohibendas passiones nostras, & motus sensuales comprimendos est jugis mortis certissimæ, mòxque futuræ consideratio, quare etiam Seneca epist. 61. dixit: *Ante senectutem cura ut bene vivas, in senectute ut bene mortaris.* Et Apulejus de Philosophia dicit: *Philosophia, & Ethica, est mortis affectus, & consuetudo moriendi.* Audentur quoq: Patres August. tract. 32. in Joan. *Nihil aliud in hac vita nostræ peregrinationis meditemur, nisi quia & hic non semper erimus, & ibi locum nobis bene vivendo præparabimus, unde nunquam migremus.* Et D. Bernardus epist. 105. Romano suo ita mortis memoriam inculcat: *Quid tardas ipsum, quem jamdudum conceperas spiritum parturire salutis? Nil mortalibus vel morte certius, vel incertius hora mortis. Siquidem tanquam fur in nocte ita veniet. Væ prægnantibus in illa die. Si supervenerit & prævenerit hunc tam salutiferum partum: heu perfodiet domum, sanctum germen extinguet. Cùm enim dixerint pax & securitas; tunc repentinus superveniet eis interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient. Volo te mortem etsi non effugere, certe vel non timere. Justus quippe mortem etsi non cavet, tamen non pavet. Denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Moritur quidem & justus, sed secùs: quippe cujus mors ut præsentis est exitus vitæ: ita introitus melioris.* Ac proinde ad horisinum meum concludo cùm lemmate subscripto Psalm 49. *Intelligite hæc qui obliviscimini DEUM: ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.* Sed eheu! quam pauci sunt, qui mortem & cuncta futura post mortem, judicium & infernum attendant, & considerentur, quod olim S. Bruno in carmine suo de vanitate mundi deploravit.

Sic vivunt homines tanquam mors nulla sequatur,
Et velut infernus fabula vana foret.

Ut ergo Ethicus sciat, quid sit Prudentia, quod ejus officium, quæque ejus partes, sive subjectivæ sive potentiales, incipit

TRACTATUS V.

De

Virtutibus Ethicis, seu Cardinalibus in particulari.

COmmunis & generalissima est virtutum divisio in Theologicas, & Ethicas seu Morales: Theologicæ vocantur, quæ versantur circa DEUM, seu circa aliquam perfectionem divinam, tanquam objectum formale, de quibus satis egi in tractatu præcedenti. Morales autem & Ethicæ sunt quæ ad debite hominum componendos mores conformiter ad rectam rationem ordinantur, inter quas sunt quatuor, quæ Cardinales tam à Patribus, quàm à Scholasticis vocantur, uti ex D. Augustino, Gregorio & Ambrosio demonstravi in tractatu primo, quia sunt principales & universales quædam rectitudines, quibus vita humana ad ultimum finem humano modo dirigitur, suntque *Prudentia, Justitia, Fortitudo, & Temperantia.* Colliguntur autem clarè ex Scriptura sacra Sapient. 8. *Et si justitiam quis diligit: labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem enim, & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Ubi nomine *sobrietatis* intelligitur Temperantia. Nomine *virtutis* fortitudo ut docet S. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 7. dicens: *His enim nominibus Latinus interpres quatuor illas virtutes, quæ maximè in ore Philosophorum esse adsolent, nominavit, sobrietatem appellans temperantiam: prudentiæ imponens nomen sapientiam: fortitudinem verò virtutis vocabulo enuntians, solam justitiam suo nomine interpretatus est.* Et ita quoque attestatur Lessius in Græca versione in illo sapientiæ loco quatuor Cardinales virtutes propriis suis nominibus reperiri. In hoc igitur tractatu de speciali earum natura, & vitiis oppositis breviter sum acturus, & primò quidem juxta præmissum Aphorismum sit

DISPUTATIO I.

De

Prudentia.

INcipiendum est à Prudentia, quæ licèt Ethica & virtus moralis proprie non sit, sed intellectualis, est tamen omnium virtutum Parens & directrix,

ctrix, currus & auriga, nam ut pulchrè S. Bernardus de prudentia loquens serm. 49. in Cantica dicit: *Est ergo discretio non tam virtus quàm quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis converteretur, exterminiumque naturæ.* Et Doctor subtilis noster 3. d. 36. q. un. art. 2. docet, impossibilem esse virtutem aliquam moralem in appetitu & voluntate sine prudentia in intellectu, nam omnis virtus moralis dependet à prudentia, veluti à sua regula, mensura, & suo constitutivo, unde tota Ethica Sacra ab ejus influxu, & directione dependet, de qua sit

Quæstio I.

Quid sit Prudentia?

1. Prudentiæ etymon & generalis acceptio.

PRudentia secundùm Etymologiam nominis teste D. Isidoro lib. 10. Etymol. cap. 15. derivatur à porrò videndo, at enim: *Prudentia porro videntia perspicax enim est, & incertorum videt casus.* Quam accepit ex D. Augustino in Ps. 73. ubi dicit: *Prudens enim dictus est, porro videns: si porro videns, fide videtur porro, oculis vix ante pedes videtur tota die.* Quantum ad rem autem pulchrè eam S. Magnus Doctor Aurelius Augustinus lib. 1. de lib. arbitr. cap. 13. describit: *Considera nunc utrum tibi videatur Prudentia appetendarum & vitandarum rerum scientia.* Et in Psal. 83. *Prudentia qua dignoscimus inter bonum & malum.* Et tandem lib. 83. qq. qu. 31. ait: *Prudentia est rerum bonarum & malarum & neutrarum scientia.* Sed hæc est generalissima acceptio, & sic comprehendit etiam fidem, & universam Theologiam, & sæpe in scriptura vocatur *Sapientia.* Secundò accipitur specialiter & propriè pro virtute intellectûs proximè morum directrice, & hoc modo est virtus Cardinalis, quam Aristoteles 6. Ethic. cap. 5. definit sic: *Prudentia est habitus cum ratione vera circa bona humana activus.* Ubi alii legunt: *Est habitus verus.* Et quidam ex Aristotele sic definiunt: *Prudentia est recta ratio agendorum.* Verum tamen

2. Prudentia propriè definitur.

DICO 1. *Prudentiæ definitio ab Aristotele tradita bona est.* Hanc tenet Doctor subtilis q. 4. Prologi, ubi dicit: Prudentia est habitus activus cum ratione vera: Hæc definitio prudentiæ debet intelligi de habitu activo proximo, qualis est habitus acquisitus ex actibus: unde sicut circa factibilia ars se habet ad habitum experti: ita circa agibilia se habet scientia moralis ad habitum prudentiæ; quia habitus artis, & scientiæ moralis quasi sunt remoti ad dirigendum, quia sunt universales; sed habitus prudentiæ, & experti, qui generati sunt ex actibus, sunt particulares, & propinqui ad dirigendum. Probatur explicatione: Dicitur *Habitus*, in quo convenit cum aliis virtutibus Cardinalibus. Dicitur *cum ratione* quod est idem ac dicere per rationem, nam judicium rationis est proprius actus prudentiæ, per quam moderatur actus aliarum virtutum, illas in suis actibus dirigendo, quia versatur circa actiones singulas, non est enim prudens, qui novit in genere, quid requiratur ad virtutem, si nesciat determinare in particularibus actionibus circumstantias necessarias ad honestatem v. g. locum, tempus, modum, &c. quod scire debet non tantùm in uno genere actionum sed in omni, alioquin non erit absolutè prudens, sed tantùm secundùm quid, & in determinata materia. Hoc autem *cum ratione* sic intelligendum esse, ut sit idem quod *per rationem* tanquam per proprium actum. Probatur, Quia alioquin Justitia, Fortitudo, Temperantia dicentur virtutes cum ratione activæ, utpote quæ non possunt agere sine judicio rationis, hoc tamen est contra mentem Aristotelis, qui per illam particulam vult alias virtutes excludere à virtute prudentiæ. Dicitur *Vera*, quia hæc ratio per quam agit prudens non debet esse per accidens vera, sicuti est opinio, sed per se & ex natura propter sufficientem considerationem. Additur tandem *circa bona humana*, id est, circa honestum & turpe, ut honestum agatur, & turpe fugiatur, quibus verbis explicatur objectum, effectus, & finis prudentiæ, agere enim honestè est objectum prudentiæ, sicut ædificare objectum artis, quod objectum prius quàm natura existat, consideratur à Prudentia per modum objecti, est etiam opus seu effectus prudentiæ, sicut ædificare est effectus artis, quatenus prudentia dirigit voluntatem in eligendo & potentias executrices in exequendo. Denique est etiam finis prudentiæ, quia prudentia non est ob cognitionem boni honesti, sed ob actionem.

ARGUITUR in contra 1. Prudentia non innititur principiis infallibilibus, ergo non est activa cum ratione vera. Probatur consequ. Quia non solùm falli potest, sed etiam frequenter fallitur, ergo. Probatur antec. Quia Jacob Gen. 29. accedens & Liam judicavit esse honestam ex vera ratione accedere ad hanc mulierem, cùm tamen non esset honestum, quoniam Lia non erat ejus uxor. Respond. distin. antec. Non innititur principiis infallibilibus metaphysicis, conc. antec. moralibus, neg. antec. & consequ. ad cujus probationem dico, Errorem Jacob fuisse materialem, non formalem, quod stante

diligentia & judicio practico acceſſit ad Liam exiſtimans hanc eſſe ſuam conjugem, & Rachaëlem, licèt enim ſubjectum fuerit aliud, intentio tamen actionis & electionis ferebatur in propriam uxorem.

ARGUITUR 2. Ex communi Philoſophorum axiomate: De ſingularibus non datur ſcientia, ſed prudentia verſatur circa mera ſingularia, quæ ob ſummam mutabilitatem incertitudini ſubjacent, ergo nec ſcientia conſequenter nec eſt habitus cum vera ratione activus. Reſpond. diſtin. major. De ſingularibus non datur ſcientia metaphyſica & immediata, transeat. Non datur ſcientia moralis & mediata, neg. maj. Itaque licèt prudentia verſetur circa ſingularia, tamen omne judicium ſuum regulativum actionum ſingularium deducit ex generalibus principiis dictantibus ad licitè & honeſtè operandum has & illas requiri conditiones, & circumſtantias, quas dum cognoſcit hîc & nunc adeſſe vel abeſſe, judicat actionem eſſe honeſtam vel inhoneſtam.

3 Prudentia eſt vera virtus practica.

DICO 2. *Prudentia eſt verè & propriè virtus intellectualis eáque practica.* Hæc eſt Doctoris ſubtilis ſupra. Et Probatur 1. Ex ſcriptura quæ ſæpe Prudentiam tanquam virtutem commendat, ut Deut. 32. *Gens absque conſilio eſt, & ſine prudentia, utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.* Pſalm. 48. *Os meum loquetur ſapientiam: & meditatio cordis mei Prudentiam.* Pſalm. 104. *Ut erudiret principes ejus ſicut ſemetipſum: & ſenes ejus prudentiam doceret.* Reperitur in Chriſto ut Lucæ 2. *Mirabantur omnes ſuper prudentia & reſponſis ejus.* Imo in ipſo DEO Hieremiæ 51. *Qui fecit terram in fortitudine, præparavit orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cœlos.*

Probatur 2. Authoritate S. Auguſtini lib. de moribus Eccleſiæ cap. 24. ubi loquens de virtutibus Cardinalibus de Prudentia ait: *Quæ norma vivendi, ut docuimus, utriuque Teſtamenti authoritate roboratur. Nec de Prudentia diutius differendum eſt, ad quam dignoſcentia pertinet appetendorum & vitandorum. Quæ ſi deſit nihil eorum, de quibus jam dictum eſt, effici poteſt*, ergo Prudentia eſt virtus eaque principalis, ſine qua cæteræ nihil ſunt. Confirmatur ex Ariſtotele 6. Ethic. cap. 4. ubi diſtinguens virtutes intellectûs circa omnia ſpeculabilia, agibilia, & factibilia in quinque ſpecies, inter eas enumerat Prudentiam dicens: *Erunt quibus animus proſpiciat aſſentiendo aut diſſentiendo, ſcilicet judicativè quinque numero Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, Intellectus*, ex quibus *Ars* reſpicit factibilia, *Prudentia* agibilia, & reliquæ tres reſpiciunt ſpeculabilia, ergo.

Probatur 3. Quia Prudentiæ conveniunt omnes definitiones virtutis ſuprà aſſignatæ, nam ex 2. Ethic. eſt *moderatrix paſſionum.* Ex 6. Phyſic. text. 17. *Diſpoſitio perfecti ad optimum*; & 2. Ethic. cap. 5. Prudentia *habentem perficit, ejusque opus bonum reddit*, ergo.

Probatur 4. Quia Prudentia inter dona & fructus Spiritus Sancti exprimitur. Nam Scotus in 3. d. 34. q. un. dicit: Exprimuntur ergo inter dona quatuor virtutes Cardinales; duæ quidem ut prudentia per conſilium, fortitudo proprio nomine ſuo. Et paulò infrà: Prudentia exprimitur per modeſtiam: modeſtus enim eſt, qui modum debitum tenet in agendo: & prudentiæ eſt invenire modum in actione, & præfigere & terminare.

Probatur etiam Prudentiam eſſe virtutem practicam, Tum ex Philoſopho 6. Ethic. cap. 3. & 7. ubi ponit prudentiam inter habitus practicos. Tum ex Scoto in 3. d. 33. q. un. §. ad ſecundum, ubi ad argumentum ex Philoſopho dicit: Quòd Prudentia quodammodo eſt regula aliarum virtutum, pro quanto ipſa vel actus ejus præcedit generatione habitum, & actum virtutis moralis. Et diſt. 34. q. un. ait: Prudentia eſt de omni agibili, & quantum ad omnem conditionem agibilis perfectiſſima notitia.

4 Prudentia eſt virtus generalis ſpecialis, i plures continens.

DICO 3. *Prudentia eſt virtus generica una & generalis inter omnes virtutes tam intellectivas quàm appetitivas, & formaliter multiplex ſecundùm ſpeciem, & multiplicationem earundem virtutum moralium.* Hæc eſt Doctoris in 3. d. 36. quæſt. un. §. *Quantum ergo ad iſtum* ubi ait: Prudentia una eſt virtualiter (unus habitus) omnium virtutum, extendendo nomen prudentiæ ad illum habitum, qui eſt intellectus primi principii practici. Et paulò pòſt ſubdit: Prudentiæ omnes diverſorum agibilium ſunt unus habitus, ſic intelligendo, quod unitas non ſit formalis ſed virtualis: habitus enim ille, qui eſt de primo objecto, eſt formaliter unus, & eſt virtualiter omnium, quæ continentur in illo primo objecto, ſed non eſt formaliter omnium illorum. Scotum ſequuntur Occamus, Gabriel, Rubion, Major, Baſſolius, Almainus, & Scotiſtæ communiter, ex Recentioribus Arriaga, Averſa & alii.

Probatur 1. Quia Prudentia eſt habitus regulativus ad honeſtè & rectè operandum in quacunque virtute intellectuali, & morali, ergo omnes illæ ſunt ſpecies, nam omnes artes & ſcientiæ liberales exprimuntur hoc diſticho

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus,
Angulus, Aſtra,
Rus, Nemus, Arma, Rates, Vulnera,
Lana, Faber.

Sed in his omnibus eſt neceſſariò prudenter agendum, ergo eſt unus genericus & objectivè habitus.

Probatur 2. Quòd formaliter ſit multiplex: ſicut ſe habet ars reſpectu factibilium, ſic habet ſe prudentia reſpectu agibilium, ſed ars reſpectu factibilium eſt habi-

habitus, unus genericè & objectivè, & multiplex formaliter & ſpecificè, ergo etiam prudentia ſic una, & taliter multiplex erit, maj. patet. min. declaratur. Quia alia eſt ars ſartoria, alia ſutoria, alia nautica, alia ædilis & fabricatoria &c. ita quod circa unam poſſit eſſe quis bene habituatus & facilis ad dirigendas operationes, & difficilis circa alias, ergo etiam à pari idè poteſt fieri & contingere in prudentia reſpectu temperantiæ, fortitudinis & prudentiæ. antec. patet. Nam artes omnes generaliter volunt, debéntque tractari ſecundum regulas, ſpecialiter tamen quælibet ſecundum proprias, & ſibi proportionatas, quas qui non noverit, nihil efficiet.

DICES: Diſparitatem eſſe, Quia prudentia in omnibus virtutibus moralibus habet eundem modum conſultandi de agibilibus in aſſignanda materia, mediis inveniendis & applicandis ad finem, ergo debet etiam eſſe eadem virtus. Reſpond. neg. conſequ. Quia hic unicus modus conſultandi & inveniendi media &c. non ſufficit ad inferendam unam eſſe formaliter prudentiam, quia alioquin etiam deberemus dicere unam eſſe artem, quia quælibet etiam ars convenit cum altera in modo conſultandi, ordinandi media ad ſuum finem. Item ſequitur hinc eandem quoque eſſe omnium ſcibilium ſcientiam, quia omnes conveniunt in modo definiendi objecta, demonſtrandi paſſiones, & deducendi concluſiones ſuas ſcientificas, & tamen propter objecta materialia & formalia diverſa, ſub quibus conſiderantur, ſcientiæ multiplicantur. Similiter denique virtutes morales una ſorent, quia quælibet eſt habitus electivus ſuorum mediorum ad finem objecti conducentium, & mediocritatem amant, & tamen plures ſunt, ergo ille modus conſultandi non facit illam eſſe unicam virtutem generaliter ad omnes alias influentem.

Probatur 3. Prudentia bene dividitur in Politicam publicam, & Magiſtralem, Oeconomicam, Militarem, & in Monaſticam, ſed certum eſt, quòd iſtæ omnes virtutes ſint ſpecie diſtinctæ, ergo etiam prudentia reſpectu virtutum moralium. Probatur conſequ. Quia Prudentia tam in Oeconomica, Politica ac Monaſtica nihil aliud præſtat, quàm cognoſcere mediocritatem & convenientiam mediorum cum fine, qua non obſtante ſunt plures ſpecies, ergo etiam monaſtica id eſt rectiva ſui ipſius, non obſtante modo eodem, & mediocritate erit multiplex.

Probatur 4. Ubicunque ſunt objecta diverſa materialia, & formalia arguuntur diverſi & ſpecie diſtincti habitus in illa tendentes, ut patet de ſcientiis & docet Ariſtoteles 3. de anima, ſed objecta prudentiarum tendentium & dirigentium virtutes morales, earúmque objecta ſunt ſpecie diſtincta, ergo etiam arguunt in intellectu & prudentia ſpecie diſtinctos habitus, tam bene ſicut inducunt ſpecie diſtinctos habitus in voluntate ipſæ virtutes morales. Major patet. Probatur minor: Quia materia fortitudinis erga terribilia, materia temperantiæ reſpectu cibi & potûs, & juſtitiæ reſpectu alienæ ſubſtantiæ, & ut alieni juris, diverſas exigunt conſiderationes tam reſpectu inveniendorum mediorum, mediocritatis, ac combinationis cum fine, ergo. Confirmatur: Quia una regula ſpecie non poteſt eſſe reſpectu plurium regulabilium ſpecie diſtinctorum: ſed prudentia vel ejus actus eſt regula eligibilium directiva, ergo cùm eligibilia, quorum ſunt morales virtutes, ſint ſpecie diſtincta, ſicut ipſæ virtutes morales, etiam prudentiæ actuales, & poſtmodum ab iis nati habitus ſpecie diſtinguuntur.

Probatur 5. Illi ſunt ſpecie diſtincti habitus, quorum unus acquiritur in aliquo, & non acquiritur alter nec quidem in gradu remiſſo, ſed poteſt habitus acquiri ex actibus prudentiæ ſeu rectis dictaminibus circa Juſtitiam in Titio, absque eo quòd acquiratur aliquis temperantiæ gradus, v.g. in ſpecie ejus, ut caſtitate, ergo etiam erunt ſpecie diſtincti habitus. maj. patet. Quia videtur inconcedibile, ſi eſſet unus ſpecie habitus, quòd ſi in Titio acquiratur prudentia Juſtitiæ quin etiam acquireretur temperantiæ & caſtitatis, min. eſt Doctoris ſubtilis ſupra citati ubi ait: Aliquis poteſt eſſe moraliter bene affectus circa aliqua agibilia, & malè circa alia: etiam in dictando poteſt eſſe habituatus ad rectè dictandum circa iſta, & non circa illa, cum nec circa illa habeat principia ad dictandum de illis, nec concluſiones ſequentes ex eis. Sed in contra

OPPONITUR 1. Authoritas Scripturæ ſacræ Sapient. 8. ubi de Sapientia dicitur: *Sobrietatem enim & prudentiam docet, & Juſtitiam, & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus*, id eſt, Sapientia & Prudentia tam dirigit ſobrietatem, quàm virtutem ſeu fortitudinem & Juſtitiam, ergo eſt ſpecialis & unica virtus reſpectu omnium moralium. Reſpond. neg. conſequ. Quia ibi Spiritus Sanctus tantùm docet, à ſapientia æterna proficiſci quatuor enumeratas virtutes Cardinales, quibus nihil melius eſſe poteſt homini, nec utilius ad finem ſuum ultimum conſequendum, non verò vult quòd una eademque virtus ſpecialis, ſeu unus & idem habitus prudentiæ regat & dirigat omnes virtutes morales; quod reliquit mundo ad diſputationem.

OPPONITUR 2. Authoritas Ariſtotelis 6. Ethic. cap. 13. ubi ait: *Etenim cùm prudentia, quæ eſt una, inexiſtit, ſimul inerunt omnes*, ſcilicet virtutes, ergo Prudentia non erit genericè una ſed ſpecificè, &

conſequenter una ſpecie ſpecialis virtus omnes virtutes **morales** dirigens. Reſpond. neg. conſequ. Nam Doctor ſubtilis, qui hanc ſibi authoritatem objicit, ad eam triplici via reſpondet, Primò, quòd Prudentia reſpiciens virtutes appetitivas, ſit una non formaliter ſed virtualiter. Secundò, ſi loquitur de una Prudentia formali, debet intelligi, quòd illi exiſtenti uni perfectè, non tantùm ſecundùm intenſionem, ſed etiam ſecundùm extenſionem omnes inerunt: nunquam autem eſt perfecta extenſivè, quantum poteſt eſſe, niſi ſit perfectè circa omnia illa, ad quæ poteſt ſe extendere; & illa ſunt omnia pertinentia ad quascunque virtutes morales. Tertiò poteſt exponi illa authoritas, non de unitate **formali, ſed de unitate generis.**

ARGUITUR 3. **Objectum Prudentiæ eſt verum, in quantum hoc eſt regulativum bonum hominis, & directivum ad finem ultimum,** ſed eadem eſt ratio veri in qualibet virtute morali, quàm dirigit prudentia, ergo etiam eſt eadem prudentia de hac & illa virtute. Probatur minor: Quia ratio veri conſiſtit in conformitate intellectûs cum re ſeu objecto, ſed hæc conformitas eſt eadem, ergo. Reſpond. diſtin. maj. Eſt verum ſub ratione generica veri formalis, neg. maj. ſub ratione veri objectivi & moralis hujus & illius rei, conc. maj. & ſimiliter diſtin. min. neg. conſequ. Quia omnes ſcientiæ tam ſpeculativæ quàm practicæ conſiderant ſua objecta ſub ratione veri, non tamen à veritate formali, ſed ab objectiva ſumunt ſuam ſpecificam diſtinctionem & differentiam, nam verum dicit Phyſicus, verum Medicus, verum Geometra, ſi igitur hæc veritas ſpecificaret, una ſola foret ſcientia. Itaque ſicut nec omnes ſcientiæ, ſic nec Prudentia à vero præcisè ſumit ſuam ſpecificationem, ſed ab objecto, ſed nec ab hoc ſolo, ſed etiam à modo, & à ratione ac motivo formali, ſub quo conſideratur & tractatur.

INSTATUR: In corpore humano ſicut diverſæ ſunt partes, diverſaque membra ſpecie diſtincta, ita etiam diverſi in illis ſunt morbi, & diſtincti curandi eos modi, nam calida frigidis, & frigida calidis ſunt applicanda, ſed non obſtante hac diverſitate materiali & objectiva, una ſcientia medica omnibus proſpicit, & medetur, ergo etiam una Prudentia ſufficiet ad dirigendas paſſiones voluntatis, quæ ſunt ægritudines appetitus ſenſitivi. Reſpond. 1. neg. min. Quia cenſeo etiam probabiliter plures partiales habitus eſſe medicæ ſcientiæ unum totalem integrantes, quæ habentem ſecundùm unam ſpeciem perficiunt, & non ſecundùm alteram, uti manifeſtâ apparet experientiâ Medicorum, quorum aliqui in uno excellunt, alteri in alio. Reſpond. 2. neg. conſequ. Diſparitas eſt, quia medicina reſpicit unicam & ſolam hominis ſanitatem, quæ conſiſtit in unica humorum proportionata diſpoſitione & debita temperie, ad quam proinde tuendam ſufficit unus Medicinæ habitus, quo habens ſit facilis ad removenda contraria intemperiem obortam in membris tollentia.

ARGUITUR 4. **In ſpeculabilibus unus idemque habitus tendit ad penetranda principia & ad inferendas concluſiones,** ergo etiam unus idem habitus ſufficiet ad dirigendas morales actiones. Probatur conſequ. Quia habitus conſiderans unum principium generale extendit ſe ad tot concluſiones, ad quot extendit ſe illud principium, ſed prudentia eſt habitus generalis, & generalis ratio omnium agibilium ordinando ea ſecundùm rectam rationem, ergo extendet ſe ad omnia agibilia, & ſic ſecundùm rectam rationem ordinabilia. Reſpond. 1. neg. antec. nam oppoſitum conſtat de ſcientiis, quia revera habitus principiorum & concluſionum ſunt diſtincti, primus enim dicitur intellectus, ſecundus ſcientia, unde licèt quandòque dicatur unus eſſe habitus, non erit unus unitate entitatis ſed unitate ordinis, & ſubordinationis, vel incluſi, & includentis. Hinc Reſpond. 2. neg. conſequ. cujus probationis maj. diſtin. Habitus conſiderans principia extendit ſe ad tot concluſiones eminenter & virtualiter, transeat maj: Formaliter, ita quòd ſit ipſe habitus concluſionis, neg. maj. Nam ut paulò antè dixi, habitus principiorum eſt & dicitur intellectus, & habitus concluſionis eſt ſcientia formaliter, ſic quoque diſcurrendum eſt de prudentia, quæ eſt ratio prima agibilium reſpiciens in genere omne agibile ſecundùm rectam rationem, quia tamen in particularibus ſpeciebus agendorum diverſas deprehendit difficultates, habitus ille non ſufficit ad omnes concluſiones morales inferendas, ſed requiritur prudentia ſpecialis pro qualibet ſuperanda, ſicut nec una virtus moralis ſufficit, licèt in genere reſpiciat bonum honeſtum ſecundùm rectam rationem, ſed plures ſpeciales ſunt conſtituendæ, ergo.

INSTATUR: In ſpeculabilibus nullus habitus habet veram ſcientiæ rationem, niſi comprehendat omnes difficultates & generalia principia, ideo Geometria errans in uno principio non erit perfecta, ergo neq; Prudentia erit vera, niſi omnes difficultates tam inveniendi, quàm judicandi, inferendi, & conſiliandi ſuperet, & conſequenter omnia alia principia includat, eaque dirigat & applicet. Reſpond. diſtin. antec. Non habet veram ſcientiæ rationem &c. ſecundùm eſſe totale perfectionis extenſivæ & intenſivæ, conc. antec.

tec. ſecundùm eſſe partiale, & intenſionis in uno genere, unde Geometra non eſt perfectus intenſivè & extenſivè, ſi in aliquo erret, poterit tamen eſſe in uno perfectus intenſivè, & in uno habere habitum inclinantem ad partialem ſcientiam inferendam, ſic eſt de Prudentia, hæc non eſt perfecta intenſivè & extenſivè, niſi inclinet & dirigat omnes virtutes morales, poteſt tamen eſſe perfecta prudentia reſpectu Juſtitiæ tribuentis unicuique quod ſuum eſt, absque eo quòd ſit facilis & habituata ad dirigendam temperantiam, nec una infert aliam, ſicut nec una deſtruit aliam.

5 Ethica & Prudentia diſtinguuntur.

DICO 4. *Prudentia eſt ab Ethica ſeu à ſcientia morali diſtincta virtus.* Hæc eſt conformis Scoto in 3. diſt. 36. §. Licet. Et eſt communior apud Tartaretum, Arriagam, &c. Probatur. Ubicunque reperitur difficultas diverſa, diverſus debet aſſignari habitus eandem tollens, ſed in Ethica & Prudentia diverſæ reperiuntur difficultates, ergo. maj. patet. min. Probatur: Quia Ethica tradit tantùm principia generalia, Prudentia verò infert concluſiones particulares, ſed in his particulares ſunt difficultates, nam licèt ſciam ex Ethica aliena eſſe reſtituenda, tamen difficultas eſt, an hic & nunc tempore neceſſitatis, vel aliis ex circumſtantiis ſit reſtituendum, porro in illatione hæc inferenda, quæ eſt actus Prudentiæ eſſe difficultatem patet experientiâ in viris doctiſſimis, qui optimè norunt generalia principia, in particularibus tamen caſibus conſiliandis & reſolvendis nonnunquam hærent, & multum deliberant, & doctiores ſæpe ſunt difficiliores indoctis.

DICES: Concluſiones Phyſicæ ad Phyſicam pertinent, & Logicæ ad Logicam, nam ex eo quòd Phyſica dicat, omne corpus eſſe mobile ſine ullo novo habitu, & absque ulla difficultate infert, ergo hoc corpus eſt mobile, ſimiliter, quia Logica docet, definitionem debere conſtare genere & differentia, bene & faciliter infert, ergo hæc definitio ut ſit bona, debet ſic conſtare, ergo etiam Ethica docens generalia principia, ſtatim absque novo & diſtincto habitu infert particulares ſuas concluſiones morales, adeóque Ethica & Prudentia eſt unus & idem habitus. Reſpond. neg. conſequ. Quia licèt quandóque ſcientiæ ſpeculativæ inferant ſine alio habitu concluſiones aliquas, ubi nulla in minori propoſitione ſyllogiſmi emergit nova difficultas, ſi quæ tamen oriatur, æq; alius ab habitu principiorum debet admitti habitus pro concluſione faciliter inferenda. In Prudentia verò ſemper deprehenditur alia difficultas ab Ethica, adeóq; ſemper alius erit habitus.

Quæſtio II.
De Actibus Prudentiæ.

ARiſtoteles 6. Ethic. cap. 7. generatim tria officia, munia, functiones Prudentiæ eſſe docet, ſeu tres potiſſimum habet actus, videlicet bene conſultare, bene judicare, & præcipere executionem, ſeu Conſilium, Judicium, & Præceptum, nam ad prudentiam pertinet bene conſiliari, quod ſpectat ad inventionem, conſiliando enim inquirunt homines vias, per quas pertingere poſſunt ad finem intentum, unde Philoſoph. 3. Ethic. cap. 6. ait: *Non conſiliamur de finibus, ſed de his quæ ſunt ad finem, neque enim medicus conſiliatur ſi ſanabit, nec rhetor ſi ſuadebit, nec politicus ſi pacem faciet, ſed ponentes finem aliquem qualiter & per quæ erit intendunt.* Et paulò infrà: *Qui conſiliatur, videtur quærere.* Secundum munus eſt de conſiliatis & inventis bene judicare, hoc autem fit, quando poſt diligentem inquiſitionem & conſiderationem concluditur, quid, quove loco, modo, tempore, quibusve aliis circumſtantiis ſit agendum, ut opus ſecundùm virtutem fiat. Tertium officium prudentis eſt conſiliata, inventa, & judicata applicare ad actionem, nam ille qui inveniret viam ad finem moralis virtutis & bene judicaret, non eſſet prudens, ſi non applicaret ad opus, hanc autem applicationem non poteſt facere intellectus per prudentiam, niſi motus à voluntate recta, ut applicatio eſt ipſius voluntatis ut moventis, & eſt ipſius rationis per prudentiam ut informantis intellectualiter præceptum de faciendo applicationem prædictam, & hic eſt actus principalis virtutis prudentiæ.

1 Officia Prudentiæ ſunt tria.

Verum tamen de primo officio Prudentiæ ab Ariſtotele aſſignato difficultas eſt, qua ratione pertineat ad prudentiam conſiliari, an ſolùm de mediis, an verò etiam de fine? de ſecundo non poteſt eſſe controverſia, ſed iterum eſt de tertio, cùm præcipere & ordinare pertineat ad voluntatem, hinc Thomiſtæ exiſtimant Prudentiam ex parte intellectûs conſiſtere in aliquo habitu imperativo. Scotiſtæ verò cum Doctore ſuo in 3. d. 36. q. un. negant omnino poſſe ex parte intellectûs admitti imperium aliquod, quod determinet voluntatem, nam hoc ipſo voluntati libertas adimeretur.

2 Conſiliari eſt actus Prudentiæ.

DICO 1. *Ad Prudentiam pertinet in agibilibus particularibus debitè & rectè conſiliari.* Ita Doctor noſter in 3. d. 34. q. un. ubi dicit: Prudentia eſt habitus conſiliati us, quia eſt habitus rectè ſyllogizandi practicè, & tale ſyllogizare eſt conſiliari: unde habitus quo quis eſt conſiliativus. eſt prudentia; & ideo prudentia enumeratur perdonum conſilii. Et patet ex Philoſopho mox relato, atque Probatur ulterius ex vulgato illo: *Nihil volitum quin præcognitum,*

tum, ergo ut actus aliquis virtutis moralis eliciatur, & bene & honeſtè fiat, debet præcognoſci in particulari & ſingulari, quia actus illi ſunt laude digni & meritorii tales autem non ſunt niſi ſingulariter eliciti, ergo ad prudentiam ſpectat qualiter ex principiis generalibus hic & nunc actus iſte ſingularis poſſit elici, nam licèt ſingularia pro hoc ſtatu non ſint rationes cognoſcendi, ſunt tamen cognitæ, id eſt, ſingulare non eſt ratio qua cognoſcendi, ſed quæ cognita, quæque movet in his & illis circumſtantiis.

DICES? *Prudentia* ſecundùm S. Auſtinum ſuprà, eſt *ſcientia rerum appetendarum & fugiendarum*, ſed ſcientia eſt univerſalium & non particularium ex Philoſopho, ergo prudentia eſt tantùm de univerſalibus judicativa, non de particularibus conſiliativa. Reſpond. diſtin. maj. Eſt univerſalium, tanquam ratio qua cognoſcendi, conc. maj. Tanquam ratio quæ cognita, neg. maj. nam Ariſtoteles, quando in 1. Phyſic. text. 49. dicit: Scientiam ſeu rationem eſſe univerſalium, ibi rationem tantùm diſtinguit à ſenſibus, qui nonniſi ſunt ſingularium, ratio verò univerſalium. Et licèt ſingularia videantur numero infinita, revera tamen non ſunt, quin ad certum ſpecierum numerum poſſint reduci, & ſic intellectus de illis poſſit judicare, unde certitudo, quam habemus de illis non eſt evidens & demonſtrativa, nam *incertæ ſunt providentiæ noſtræ* ait ſapiens cap. 9. eſt tamen certitudo moralis ſufficiens ad prudenter & honeſtè agendum ſine peccati formalis periculo.

2 Prudentia præſcribit finem & media.

DICO 2. *Ad Prudentiam quoque pertinet virtutibus moralibus præſcribere finem, & ad illum attingendum præparare convenientia media.* Ita Scotus citatùs ſupra, ubi ait: Prudentia non ſolùm eſt circa media ordinata ad conſequendum finem ultimum, ſed etiam dictando de ipſo fine ſaltem particulari, puta de caſtitate. Probatur 1. Ratione ejuſdem Doctoris: Quælibet virtus moralis ſemper ſequitur ordine naturæ prudentiam aliquam, ſed ex electione finis particularis v. g. caſtitatis generatur virtus moralis, ergo iſtam electionem præcedit aliqua prudentia, & conſequenter non eſt ita reſtringenda, ut tantùm ſit habitus circa media ordinata dicta ad conſequendum finem particularem electum.

Probatur 2. Omnis virtus moralis prius intendit finem quàm media, & ſecundò media ad finem ordinata & proportionata, ſed Prudentia ſecundùm D. Thomam eſt perfectior, quàm ſit virtus moralis, quod etiam in uno ſenſu concedit Doctor ſubtilis, ergo etiam primò intendit finem, alioquin non eſſet perfectior. Tertiò virtus moralis in ſuo conceptu formali includit prudentiam, ſeu judicium rectum, nam eſt habitus electivus prout ſapiens dictaverit, ſed virtus intendit finem, ergo etiam prudentia illum intendit, cùm regat & regulet virtutem, ſitque prior naturâ eadem virtute, & conſequenter ſi virtus intendit finem etiam prudentia diriget eum non ſolùm in generali ſed etiam in ſpeciali.

4 Sollicitudo eſt actus prudentiæ.

DICO 3. *Sollicitudo ad invenienda media juxta exigentiam finis honeſti & circa eorundem applicationem ut certò ſequatur, pertinet ad Prudentiam tanquam actus proprius.* Probatur 1. Ex Scriptura Deuteron. 4. *Cuſtodi temetipſum & animam tuam ſollicitè.* 2. ad Timoth. 2. *Sollicitè cura teipſum probabilem exhibere DEO, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis.* Et ad Epheſ. 4. *Solliciti ſervare unitatem Spiritûs in vinculo pacis*, id eſt, prudenter cuncta diſponite, unde ex illo 1. Petri 4. *Eſtote prudentes, & vigilate in orationibus*, colligit S. Thomas hanc vigilantiam & ſollicitudinem ad prudentiam pertinere, & mea opinione bene, quia vigilantia in orationibus ſollicitudo eſt intellectûs inquirentis media ſalutis æternæ. Confirmatur ex 7. Ethic. cap. 9. ubi Ariſtoteles dicit: *Oportet velociter conſiliata operari, & conſiliari tardè*, nam *ſollicitus* dicitur quaſi ſolertus, in quantum animus ex quadam ſolertia eſt promptus ad proſequendum agenda.

DICES S. Iſidorus lib. 10. Ethym. cap. 18. ait: quòd ſollicitus dicatur is, qui eſt inquietus, ſed inquietudo pertinet ad vim appetitivam, & non ad intellectivam, ſicut eſt Prudentia, ergo non erit actus prudentiæ. Reſpond. diſtin. min. Inquietudo pertinet ad appetitum rationalem imperativa, elective & appretiativa, tranſeat min. Inquietudo inquiſitiva, judicativa & regulativa, neg. min. & conſequ. Sed inſtabis: Sollicitudini opponitur certitudo veritatis, ſicut quies motui, ut patet ex illo 1. Reg. 9. *Et de aſinis, quas nudius tertius perdidiſti, nè ſollicitus ſis, quia inventæ ſunt.* Sed certitudo pertinet ad prudentiam & intellectum, ergo oppoſita ſollicitudo pertinebit ſimpliciter ad voluntatem. Reſpond. diſtin. min. Certitudo pertinet ad prudentiam de principiis generalibus & tunc omnimoda & abſoluta, conc. min. Certitudo circa ſingularia prout circa illa agit prudentia propriè, neg. min. & conſequ. Itaque objectum prudentiæ eſt unum generale, continens plura particularia, & quantum ad generalia principia habet certitudinem, non tamen eandem abſolutam, & omnimodam habet quoad concluſiones ſingulares inferendas, nam ut docet Scotus in 3. diſt. 14. q. 3. Entitas ſingularis, & ſingularia omnia pro hoc ſtatu pœnalitatis, non ſunt nata movere immediatè intellectum, ſed etiam dependenter à phantaſmate, conſequenter de ſingularibus non poteſt omnino haberi certitudo objectiva, ſed nec talis requiritur ad prudenter agendum,

nam

ham ſufficit moralis, quæ non excludit ſollicitudinem.

5 Præcipere qua ratione ſit principalis actus prudentiæ.

DICO 4. *Præcipere moraliter per modum regulæ eſt principalis actus prudentiæ.* Hæc deducitur ex Scoto in 3. diſtin. 33. cit. in quantum ſcilicet docet Prudentiam eſſe regulam, & menſuram virtutum moralium, & conſequenter priorem quocunq; actu virtuoſo, adeoque illa præcipit moraliter ad eliciendum actum. Antequam probem concluſionem notandum ex Doctore, Imperium poſſe dupliciter accipi, eſſéque duplex, Phyſicum, & Morale, primum exercetur per influxum phyſicum, ſecundum per moralem inductionem, primum competit voluntati, ſecundum intellectui. Probatur 1. Ex Authoritate Ariſtotelis 6. Ethic. cap. 8. ubi dicit, Prudentia activa eſt, erit utique hic veluti quædam cæteris præſidens atque dominans, ſed præſidentium & dominantium eſt imperare, ergo etiam prudentiæ, & cùm id non faciat phyſicè jubendo & eligendo, ſed tantùm inſinuando & oſtendendo tanquam prior cum quocunque actu virtutis moralis, ideò ſolùm prudentia dictat ſeu imperat moraliter, unde Scotus ſubjungit: Hæc prioritas apud Philoſophũ videtur concludere rationem regulæ, & menſuræ, & in hoc dignitatem: ſed non ſequitur, ergo ſimpliciter dignior.

Probatur 2. Ratione: Principalis actus cujuscunque regulæ activæ eſt præcipere, ut actus eligibilis ſibi conformetur, ſed prudentia eſt regula actuum moralium eligibilium, & agibilium, ergo præcipere eſt ejus principalis actus. Unde Prudentia primò accuratè conſiliatur de pluribus mediis poſſibilibus ad finem eligendum, deinde inquirit aptiora de conſiliatis inventis. Hinc ſollicitatur circa illa; quartò judicat aptiora eſſe eligenda, demum præceptivè dictat illarum electionẽ, ergo hoc imperium eſt præcipuus ejus actus, quia ſolùm hoc eſt perfectum & ultimò practicum, quia alii actus non videntur ita abſolutè eſſe practici. Sed in contra

OPPONITUR Authoritas Patrum, Anſelm. de Concept. Virg. cap. 4. ubi dicit, quòd voluntas moveat ſe contra judicium aliarum potentiarum. Et D. Auguſtinus 19. Civit. cap. 14. dicit: Quòd voluntas utitur omnibus aliis potentiis, unde Scotus 4. d. 49. q. 4. docet, voluntatem ſimpliciter eſſe cauſam imperativam actûs intellectûs, ergo præcipere & imperare, &c. atqui imperium non eſt actus intellectus, ergo. Reſpond. Explicando omnes illas authoritates eas videlicet intelligendas eſſe de imperio phyſico, non verò de morali, unde Doctor ibidem defendit contra S. Thomam voluntatem eſſe ſimpliciter perfectiorem intellectu, quia eſt phyſicè imperativa ejus veluti cauſa ſuperior motiva & applicativa illius ad operandum circa objectum proprium, intellectum verò in hoc genere eſſe cauſam miniſterialem ſeu ſubſervientem ad actum voluntatis proponendo objectum ſub his & illis circumſtantiis.

DICES: Ex hac doctrina ſequeretur, intellectum eſſe ſimpliciter perfectiorem voluntate, cùm habeat actum perfectiorem voluntate, ex quo Scotus colligit perfectionem potentiæ in eodem loc. citato, ſed hoc non ſubſiſtit in ſchola Scoti, ergo. Probatur ſequela. Imperium morale eſt perfectius phyſico, cùm ſit per modum regulæ dirigentis, ſed intellectus habet morale imperium, ergo. Reſpond. diſtin. ſequelam maj. Eſſe perfectiorem ſecundùm quid, ſcilicet in genere moris, conc. maj. in entitate phyſica & abſoluta perfectione reali, neg. maj. ſimiliter diſtin. probationis majo: eſt perfectius abſolutè, neg. ſecundùm quid, conc. quia eſt tantùm perſuaſivum, allectivum, & inclinativum juxta illud Pſal. 118. *Inclina cor meum DEUS in teſtimonia tua, & non in avaritiam.* Itaque intellectus in genere moris eſt directivus & regulativus voluntatis in ſuis actibus, & inſuper imperativus & præceptivus honeſtæ electionis. ac per hoc ſecundùm quid perfectior, ipſa tamen voluntas phyſicè imperat perfectius & intenſius intellectui, ut judicium rectum formet circa ſuum objectum, unde Ariſtoteles 6. Ethic. cap. 8. dicit, Temperantiam eſſe prudentiæ conſervatricem, conſervat enim hujusmodi judicium.

6 Prudentia præſcribit mediocritatem virtutibus.

DICO 5. *Prudentiæ quoque officium eſt præſcribere mediocritatem omnibus virtutibus moralibus, ut actus earum ſint honeſti.* Hæc patet ex dictis ſuprà, ubi docui Mediocritatem omnem conſiderandam eſſe ex parte rationis & actûs. Et Probatur: Quia omne creatum agibile ſub juſtitia, fortitudine & temperantia eſt ex ſe indifferens ad media, & ad extrema per exceſſum & defectum, ergo à ſola Prudentia & ratione petendum erit medium determinatum in quavis virtute morali, unde Scotus in 3. d. 26. q. 1. præclaram dat differentiam inter virtutes Theologicas & morales, quam operæ pretium fore judico in terminis adducere, ait enim: Virtus moralis habet exceſſum & defectum non tantùm ratione modi actus, ſed etiam ratione objecti in quod tendit actus: non ſic Theologica, quia objectum, in quod tendit, eſt infinitum. Sed in hoc poteſt tendere actu immoderato, aut in majus, aut in minus: virtus autem moderatur, ut medio modo tendat in illud. Et hoc modo poteſt concedi fides eſſe media inter levitatem, qua quis nimis firmiter aſſentit ei, quod non eſt credendum, juxta illud: *Qui citò credit, levis eſt corde.* Et inter pertinaciam, qua quis nimis reſiſtit credendis, nolens alicui aſſentire, niſi per rationem naturalem oſtendatur. Sic etiam nimio amore poteſt quis tendere in aliquod diligibile,

& nimis remiſsè licèt non in nimis bonum, neç in nimis verum poſſet aliquis amando, & credendo tendere in DEUM. Temperantia verò moralis requirit medium utroque modo, quia poteſt in objectum excedens, & deficiens, & tendere poteſt actu deficiente, & excedente; & ille ſecundus modus eſt communis virtuti morali, & Theologicæ, primus non.

7 Differentia Prudentiæ à Virtutibus moralibus.

QUÆRES: Quomodo Prudentia à virtutibus moralibus diſtinguatur? In rigore loquendo Prudentia non eſt virtus moralis, eſt tamen Cardinalis, & in quantum in qualibet virtute morali, veluti ratio conſtitutiva, includitur, etiam virtus moralis dici poteſt. In ſe autem multipliciter à virtutibus moralibus in voluntate exiſtentibus differt. Primò ex ratione principii, & ſubjecti, hæc enim ab intellectu proficiſcitur, Morales à voluntate, Prudentia eſt formaliter judicium & dictamen rationis, Virtutis Moralis actus ſunt volitio & nolitio. Secundò differunt; Quia Prudentia eſt regula & menſura, Virtus Moralis verò regulatum & menſuratum. Tertiò Prudentia reſpicit actiones honeſtas ſub ratione veri, Virtutes Morales ſub ratione boni honeſti ad finem ſuum rationalem conducibilis.

Quæſtio III.

De Partibus integralibus Prudentiæ.

1 Prudentiæ actus integrales tres ſunt.

PARTES ejus, ait D. Auguſtinus lib. 83. qq. q. 31. Prudentiæ ſcilicet ſunt *memoria, intelligentia, providentia. Memoria eſt, per quam animus repetit illa quæ fuerunt. Intelligentia, per quam ea perſpicit, quæ ſunt. Providentia, per quam futurum aliquid videtur antequam factum eſt.* Et hi actus dicuntur partes integrales, quia conſummatam perfectamque prudentiam, quæ etiam ſapientia dici poteſt, complent his tribus actibus in memoria præteritorum, præſentium intelligentia, & prævidentia futurorum. D. Thomas verò ſeptem enumerat partes integrantes, nempe *Memoriam* præteritorum. Secunda eſt *Intelligentia* præſentium. Tertia *Docilitas* qua quis redditur promptus ad acquieſcendum monitis prudentum. Quarta eſt *Solertia.* Quinta *Providentia*, qua quis diſponit futura ad finem. Sexta *Circumſpectio* circumſtantiarum. Septima denique *Cautio* qua declinantur impedimenta occurrentia, quas tamen ad duos actus nempe cognoſcitivum & præceptivum poſtmodum revocat, ſicut etiam unam ſolam prudentiam perficiunt, adeoque etiam ad unum referri poſſent.

NOTANDUM ulterius præter partes integrantes dari quoque alias partes duplices nempe *Subjectivas* & *Potentiales. Subjectivæ* dicuntur ſpecies. *Potentiales* vocantur quædam virtutes adjunctæ, quæ ordinantur aliquos ſecundarios actus vel materias, ita ut non habeant totam vim principalis virtutis, qualiter potentiæ animæ dicuntur partes animæ. De his in ſequentibus, nunc ſolum agam de partibus integralibus, unde

2 Memoria quid & quotuplex.

NOTANDUM 3. Magnam eſſe perfectionem in creatura rationali habere memoriam, quæ non eſt aliud quàm facultas intellectûs conſervandi ſpecies omnium ſpeculabilium & agibilium; quòd autem maneant ſpecies in memoria, & in intellectu etiam actu intelligendi non manente, probat Doctor ſubtilis eleganter in 1. diſt. 3. q. 6. §. ad Quæſt. Quia ut habetur tertio de anima. Intellectus in quantum intellectus poteſt eſſe ſapiens de ſe, ſed de ſe nullo modo eſſet ſapiens de aliquo objecto, niſi in quantum eſſet ſibi præſens in ratione cognoſcibilis: ſed hoc non contingit niſi per ſpeciem intelligibilem: ergo.

NOTANDUM 4. Quòd memoria ſeu intellectus ſub ratione memoriæ poteſt accipi tripliciter: Primo modo, ut eſt conſervativa præteritorum ut præterita ſunt, & de memoria in hoc ſenſu loquitur Philoſophus. Secundo modo capitur ut eſt conſervativa ſpecierum repræſentantium objecta in ſe, ſive ſint realiter, ſive non, & ſic capiendo neceſſariæ ſunt ſpecies in intellectu tum propter univerſalitatem, tum propter dignitatem, nam una ſpecies non eſt repræſentativa alterius, nec una omnium rerum, ut fuſè probavi in Primo & in ſecundo de ſpeciebus Angelorum agendo. Tertio modo accipitur memoria prout habet aliquod principium eliciendi aliquam notitiam actualem, quod tamen manet ſine actu ſecundo, unde Auguſtinus lib. 13. de Trinit. cap. 4. & lib. 15. cap. 3. inveſtigantis Trinitatem dicit: Impoſſibile eſt accipere imaginem Trinitatis ex anima noſtra vel mente, niſi per hoc quod aliquid ſit in memoria, ex quo exprimitur aliud. His prænotatis

3 Memoria eſt pars & comprincipium Prudentiæ.

DICO 1. *Memoriam præteritorum tam ut præterita ſunt, quàm etiam ſub ratione conſervativæ ſpecierum, eſſe partem prudentiæ; & non modò pars eſt, ſed etiam comprincipium eliciendi dictamen rectum.* Hæc colligitur ex Doctore ſupra & expreſſè in 4. diſtin. 45. q. 3. Et Probatur 1. ex illo Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimul peribitis*, ex quo ſic arguo: Pœnitentia eſt neceſſaria ad ſalutem, quicunq; prudenter vult agere, & tendere ad finem ultimum, ſed pœnitentia non poteſt fieri ſine recordatione præteritorum, ergo memoria eſt certiſſima pars prudentiæ & comprincipium dictaminis de facienda pœnitentia, unde D. Gregorius in Pſal. 88. Miſericordias in æternum cantabo, ait: *Quomodo in æternum miſericordiam DEI canet, qui miſeriæ præteritæ meminerit.* Rectè proinde Abraham

Digitized by Google

ham increpans Epulonem de mala acta vita, & fine pœnitentia, morte, dicit *recordare quia recepisti bona*, Luc. 16. Item ad finem ultimum prudenter assequendum est necessaria gratitudo, & gratiarum actio pro beneficiis collatis, & peccatis dimissis, unde Eccles. cap. 29. *Gratiam* fidejussoris ne obliviscaris: dedit enim pro te *animam suam*. Imo beneficia retrahunt à peccatis, ideo Moyses exhortatur populum Israëliticum Deuteron. 32. dicit: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum & annuntiabit tibi, majores tuos & dicent tibi.*

Probatur 2. Authoritate Philosophorum Tullii lib. 2. de inventione dicentis, Recordationem & memoriam præteritorum esse prudentiæ partem. Et Aristoteles 6. Ethic. cap. 9. docet: *Juvenes quidem Geometras & Mathematicos esse, & sapientes in hujusmodi, ac prudentes fieri non videntur*, hujus causam ait: *In singularibus prudentia est per experimentum nobis innotescens, juvenis autem non est expertus, longitudo temporis experimentum facit*, ergo certum est memoriam præteritorum esse partem prudentiæ, nam experimentum in memoria subsistit.

Probatur 3. Ratione: Prudentia habet pro objecto verum, in quantum pro hoc statu de singularibus haberi notitia & certitudo potest, sed in præterito plus est de veritate quàm de futuro, ergo etiam de præteritis plus judicare valet prudentia. Probatur min. ex Scoto in 4. cit. Quia veritas futurorum est contingens: præteritorum necessaria, juxta illud Philosoph. 6. Ethic. hoc solo privatur DEUS, ingenita facere quæ facta sunt. Sed possumus habere aliquam cognitionem futurorum ut futura sunt, ut experimur; alioquin non possemus nobis providere ad procurandum nobis commoda vel ad vitandum incommoda, ergo multo magis possumus habere aliquam cognitionem de præteritis ut præterita sunt, & ita recordationem. Sed in contra

OPPONITUR 'Authoritas Aristotelis lib. de memor. & reminisc. cap. 1. de sensu & sensato: Bestiæ habent memoriam, quia sunt disciplinabilia, quod non videtur sine memoria præteritorum contingere, sed bestiæ non habent prudentiam, ergo nec memoria est pars prudentiæ. Confirmatur: Memoria in nobis est in eodem subjecto, ac in bestiis, sed in bestiis est in sensu, ergo in nobis etiam inest: at prudentia non est in sensu, sed in ratione, ergo non est pars prudentiæ. Respond. neg. maj. cum sua ratione, Quod enim bestiæ sint disciplinabiles non arguit ullam memoriam præteritorum, sed hoc oritur juxta Doctorum subtilem ex frequenti sensatione delectabilis & tristabilis conjunctorum, impressum est isti animali phantasma delectabiliter. Et hoc modo quod quandocunq; movet unum, statim ex conjunctione movet aliud: ergo quando cibus præsens movet appetitum ad sumendum, statim phantasma virgæ percutientis simul movet: & per consequens ut tristabile ad fugiendum, & si ex magna frequentia imprimatur phantasma hujus, ut valde tristabilis, magis retrahit à delectabili, quam delectabile alliciat ad seipsum.

Ad confirmationem neg. maj. quia etiamsi ponatur inesse in brutis aliqua memoria, ea est materialis, non rationalis, quòd maxime patet ex ratione Scoti data, eò quòd memoria rationalis faciat distinctionem temporum, tempus iterum consideratur tanquam *numerus motus secundum prius & posterius* ex Aristotele 4. Physic. secundùm autem hanc rationem nulla bestia considerat. Deinde non considerat secundum universalia, sed secundùm particularia, unde formica circa grana, avis circa nidos suam exercet materialem motionem, nihil de præteritis se recolligendo, adde formicam hodie natam mox ut currere incipit, grana colligit, cur tamen id faciat, ignorat, quia nec hyemis inclementiam fuit experta, nec ab aliis hanc edocta fuerit. Et simpliciter doctrina Scoti valet, delectatio unius & tristitia alterius excitant materialia phantasmata non interrupta ad frequentandum eundem locum, quod manifestè patet in musca, quæ capiti infidens propter dulcem humorem, toties repetit eundem locum, quia phantasma est perseverans, eo evanescente definit ejus reditus. 4 Elegans doctrina de memoria rationali.

DICO 2. *Intellectus primorum principiorum, qui dici potest intelligentia præsentium est etiam comprincipium Prudentiæ & consequenter principalis & integrans pars.* Hæc deducitur ex Doctore in 3. d. 34. q. un. ubi distinguit in agibilibus intellectum, ut est habitus principiorum à scientia seu habitu conclusionum, & incredibilibus applicat utrumque fidei inter dona Spiritus Sancti cum distinctione solùm objectiva, ita quod intellectus sit circa articulos immediatè revelatos ex generali principio veracitatis divinæ & revelationis conjunctæ scientiam verò eandem dicit esse fidem, sed prout tendit ad credendos articulos ex prioribus evidenter deductos. Unde

Probatur conclusio ex illo Isaiæ 11. *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis.* Ex quo sic argumentor: In supernaturalibus ad debitè DEUM diligendum, & ad finem ultimum ac beatum pertingendum Intellectus est habitus prudenter hominem disponens ad omnia credenda à DEO revelata, qui intellectus idem est ac habitus fidei, ergo etiam in moralibus intellectus erit habitus in naturalibus rectè disponens ad honestè operandum. Probatur consequentia

quentia: Quia fides in supernaturalibus præstat hoc ipsum quod in naturalibus & moralibus præstat prudentia.

DICES: Intellectus est habitus dijudicativus universalium ex Aristole 3. de anima textu 38. Prudentia verò est singularium operabilium, ergo intellectus non est pars prudentiæ. Respond. neg. alteram partem antecedentis, videlicet prudentiam esse tantùm particularium, sed est etiam universalium, quia intrinsecè procedit per discursum syllogisticum ab intellectu primorum principiorum ad judicium ultimum de honestè & prudenter hic & nunc agendis, unde licèt sit habitus distinctus à Prudentia, ut includens & inclusum, integrant tamen unam completam & perfectam Prudentiam.

5 Providentia est pars Prudentiæ.

DICO 3. *Providentia est una ex principalibus partibus integrantibus perfectæ & adæquatæ Prudentiæ.* Hæc est communis in utraque schola, quamvis in accidentali explicatione differant. Probatur 1. ex Scriptura Deuteron. 32. *Gens absque consilio est & sine prudentia, utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent*, ubi clarè insinuat Moyses ad Prudentiam pertinere providere. Probatur 2. ex S. Augustino in Psalm. 48. dicente: *Esto prudens, imitare formicam, sicut dicit Scriptura, reconde æstate, nè esurias in hyeme. Hyems est dies novissimus, dies tribulationis, hyems est dies scandalorum & amaritudinis. Collige quod ibi tibi sit in posterum, si autem non facis, simul imprudens & insipiens peribis.* Probatur 3. ex ipsa nominis Etymologia, quia Providentia derivatur à Porro video, quod idem est ac ante video, à procul & à longè video, & sic coincidit cum præscientia futurorum, & habet rationem scientiæ speculativæ. Deinde Providentia derivatur quoque à verbo provideo, in quantum hoc significat præparo, ordino, ac de præparatis & ordinatis disponо, unde Oeconomi Religiosorum quorundam vocantur *provisores*; sic quoque de divina Providentia dicitur Sapientiæ 14. *Tua autem, Pater, providentia gubernat: quoniam dedisti & in mari viam, & inter fluctus semitem firmissimam, ostendens quoniam potens es ex omnibus salvare, etiam si sine arte aliquis adeat mare.* Probatur 4. Ratione Scoti: Prudentia habet generalia principia ex terminis nota, sicut est hoc principium prudentiæ politicæ, pacificè est in communitate vivendum, sed hoc principium non est prudenter intentum, nisi etiam provideat, disponat, & præparet media quibus ille finis intentus conservari possit, ergo ad providentiam completam & adæquatam spectat intrinsecè statuere leges rectas, & ministros, qui curam habeant, ut finis dictus pacificè vivendi in Republica conservetur, unde idem Doctor in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. docet in Principe esse necessariam prudentiam præceptivam finis boneſti, & ordinativam legum aptarum ad illum conservandum & consequendum, ergo providentia est principalis pars prudentiæ, nam sublata prudentia tollitur à priori providentia, sublata verò providentia à priori non tollitur prudentia, poteſt enim quis prudenter intendere finem, & nescire de mediis providere.

6 Providentiæ actus duo sunt.

Duo autem sunt actus adæquatæ Providentiæ, unus negativus, alter Positivus, scilicet unus tollens & auferens impedimenta, & alter adhærens media, unde Ecclesia de divina Providentia orat: *DEUS cujus providentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, ut noxia cuncta submoveas, & omnia profutura concedas*, ergo non est prudentia adæquata sine providentia dispositiva a mediorum.

DICES: Providentia in DEO non est intellectus divinus sed voluntas, ergo nec in creaturis rationalibus. Probatur antec. Quia Providentia DEI repartitur in *Generalem & Specialem. Generalis* est, qua dirigit omnia creata per media proportionata ad finem suum. *Specialis* est ordinatio seu prædestinatio omnium electorum, quæ est Decretum divinæ voluntatis. Respond. neg. consequ. Disparitas est, quia intellectus divinus non est directivus & rectificativus voluntatis divinæ, quæ est omnium ad extra creatorum infallibilis regula. In creaturis verò rationalibus intellectus est primò apprehensivus, deinde directivus & rectificativus. Opposita ergo est ratio utrobique, nam in divinis determinatio ad extra de rectè agendis pendet à Decreto DEI libero voluntatis, ante quod intellectus divinus nihil determinatè apprehendit ex possibilibus futurum, econtra verò intellectus in creatis dependet à rebus & est primò apprehensivus & judicativus de rectè agendis.

7 Cautio est propietas prudentiæ sicut & circumspectio.

DICO 4. *Cautela seu cautio & circumspectio sicut & solertia sunt quoque præclaræ partes Prudentiæ, vel saltem necessaria illius proprietates.* Probatur quoad cautionem Proverb. 23. *Præbe fili mi cor tuum mihi: & oculi tui vias meas custodiant. Fovea enim profunda est meretrix: & puteus angustus aliena. Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit, interficiet.* Ubi simul conjunguntur Cautio & Circumspectio, nam per oculos custodientes vias Domini insinuatur circumspectio, & postmodum subjungens meretricem decipere incautos, docet non cautos seu non circumspectos, ergo non est sufficienter prudens, qui non cautus est & circumspectus. Secundò idem Probatur 2. Ex D. Paulo ad Ephes 5. *Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes*, ubi expressè monet circumstantiam temporis per circumspectionem esse attendendam, quòd si quis non fecerit, erit imprudens, non enim

enim prudens est sed imprudens & stultus, qui non scit pericula præcavere inducentia ad peccatum, nam ut dicit Ecclesiasticus cap. 3. *Qui amat periculum peribit in illo.* Hæc itaque ex Scoto quæst. 2. Prologi est Cautio Prudentiæ Christianæ à periculosis præcavere, & in dubiis peccandi tutiorem partem eligere.

DICES: Ejusdem est virtutis mala præcavere, & bona providere, sicut ejusdem est scientiæ sanitatem inducere, & ægritudinem tollere, sed providere bona & media necessaria pertinet ad providentiam, ergo etiam ad eandem pertinebit mala præcavere. Respond. dist. maj. Ejusdem est virtutis completæ & adæquatæ, conc. ejusdem virtutis partialis, neg. Licèt enim providens satis non sit, qui non cavet pericula, sed solum præparat media, attamen non est idem actus providere, & præcavere.

Probatur conclusio quoq; de Circumspectione ex Ecclesiastico 14. ubi Prudentia & Sapientia nostra attenditur secundùm circumspectionem DEI, *Beatus vir qui in sapientia morabitur, & qui in Justitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem DEI*, ex quo sic argumentor: Qui vult prudenter judicare debet circumspectè considerare non solùm actionem propositam & finem honestum, sed etiam attendere ad circumstantias v. g. tempus opportunum, locum aptum, modum debitum, & auxilia necessaria, inquirendo singula juxta illud Ecclesiastici 20. *Homo sapiens tacebit usque ad tempus: lascivus autem & imprudens non servabunt tempus.*

DICES: Impossibile est omnia mala præcavere, sed nemo prudens obligatur ad impossibile, ergo. patet maj. Quia pericula sicut individua sunt infinita. Respond. distin. maj. perfectè, transeat. Imperfectè, neg. maj. Licèt enim pericula & individua sint infinita successivè seu syncathegorematicè, non sunt tamen cathegorematicè, unde prudens adhuc posse caveret tenetur, ex quo tantùm sequitur, quòd providentiæ nostræ respectu Providentiæ & Sapientiæ divinæ sint incertæ.

Solertia est quoque præcepta Prudentiæ.

Probatur denique de solertia, quæ aliud non est quam sagacitas ad inveniendam media in brevissimo tempore ex Aristot. lib. 2. de Anair. Quia in rebus humanis frequentissimè occurrunt multa adversa, arduа, & pericula, quæ prudenter declinanda sunt & evitanda, ergo in repentinis casibus prudenti viro necessaria est solertia ad sibi debitè consulendum. Unde prudentes dicuntur, qui ex & in arena capere sciunt consilium. Hujus rei exemplum habemus in Scriptura Judicum 12. ubi Jephte repentino bello invasus ab omnibus Ephraæis, quibus viribus non fidens, mirâ solertiâ usus est, & per viros suos Galaaditas occupavit vada Jordanis, per quæ Ephraæi transire volebant, fingentes se esse Galaaditas, jussit singulos solerter examinare, nam Galaaditæ singulatim interrogabantur, Dic ergo Sciboleth, quod interpretatus spica, qui respondebat Siboleth, eadem litterâ spicam exprimere non valens, statimque apprehensum jugulabant, in ipso Jordanis transitu, & ceciderunt illo tempore quadraginta duo millia de Ephraim.

Docilitas non est pars Prudentiæ.

DICO 5. *Docilitas non est pars Prudentiæ, sed potius effectus gratiæ divinæ disponentis hominem ad obediendum rebus fidei, vel in moralibus effectus prudentiæ ipsa potentia ad prudenter agendi in actu primo ad recipiendam prudentiam, in actu verò secundo est effectus Prudentiæ.* Probatur 1. pars: ex 3. Reg. 3. ubi Salomon orat DEUM: *Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum. Quis enim poterit judicare populum istum, populum tuum hunc multum?* Et Joann. 6. *Et erunt omnes docibiles DEI. Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*, id est, docti à DEO, prout Isaias, ex quo Christus illud citat, cap. 54. dicit: *Ponam universos filios tuos doctos à Domino*, sed à DEO discere est effectus gratiæ divinæ, ergo docilitas non est pars prudentiæ, sed vel effectus ejus, in quantum docendus acceptat libenter rationes dictatas à Prudentia, iisque persuadetur, docibilem enim esse videtur esse ac persuasibilem seu dirigibilem, unde docibilitas convenit discipulo respectu magistri, servo respectu Domini, subdito respectu sui superioris, unde D. Paulus 2. Timoth. 2. ait: *Servum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem. patientem.*

Probatur 2. pars: Quia Prudentia ut est generalium principiorum est à natura nobis congenita, ergo ipsa docilitas vel erit effectus gratiæ, vel ipsa Prudentia generalium principiorum. Probatur antec. ex Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.* Et ad Rom. 2. *Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*, scilicet naturalis, atqui lex naturalis continet principia naturaliter nota, ergo.

Probatur etiam Ratione: Noster intellectus est participatio quædam divini Luminis, sed intellectus divinus lumen per essentiam uniço actu intelligendi speculative & practicè omnes veritates necessarias in quovis genere ponit primo simul in esse intelligibili & intellecto, ergo intellectus creatus apprehensis rerum terminis in proprio genere suo absque alio habitu dispositus est, & docilis ad judicandum res illas esse practicè sive speculativè veras.

Quæstio IV.

De Partibus subjectivis Prudentiæ.

LOquor hic de Prudentia naturali, ejusque speciebus, supernaturalis enim est fides, quæ etiam nomine Prudentiæ & intellectus in Scriptura comprehenditur. Naturalis itaque Prudentiæ species subjectivæ communiter enumerantur quinque, videlicet *Monastica* seu *Solitaria*, & *Personalis* dicta *Oeconomica*, *Militaris*, *Regalis*, seu *Nomothetica* vel *Legislatrix* & *Civilis* seu *Politica*. *Monastica* est principalissima species, & est, qua quis se ipsum regit Spectans quid in singulis actionibus agere debeat, intendens in proprium bonum, solus enim prudens est Aristotele reste 6. Ethic. 8. *Qui sua præ cæteris omnibus curat.* Quatuor reliquæ sunt subspecies Prudentiæ, qua quis plures regit, & vocatur multitudinis. Et imprimis *Oeconomica* est, qua quis unam familiam gubernat, ejus spectans tantummodò bonum. *Militaris* est, qua militia rectè administratur. *Nomothetica* seu *Legislatrix* est, quæ in Regibus & Principibus residet, qua quis justas condit leges. *Civilis* & *Politica* qua quis administrat civitatem, legesque servandas curat, quæ respicit cives & subditos. Et hæ quatuor species non habent absolutè rationem prudentiæ, sed secundum quid, & cum addito nempe civilis, legalis, nomothetica & militaris.

1 Prudentiæ species subjectivæ sunt quinq.

De quibus omnibus quæritur an sint veræ species Prudentiæ, & qua ratione? pro quo

NOTANDUM 1. Principatum & authoritatem gubernandi esse duplicem: *Paternum* scilicet & *Politicum*. Paternus originatur ex lege naturæ, qua omnes filii tenentur parentibus obedire, nec ista est per legem aliquam Mosaicam vel Evangelicam revocata, sed magis confirmata. *Politicus* est authoritas gubernandi super extraneos sive in una persona residеat, sive in communitate, & ista authoritas potest esse justa ex consensu & electione ipsiusmet communitatis, vel pro tota stirpe, vel pro sola persona.

2 Principatus duplex Paternus & Politicus.

NOTANDUM 2. Principatum politicum ab antiquis Philosophis & ab Aristotele 3. Politicorum c. 5. in tres species dividi, quæ sunt *Democratia*, *Aristocratia*, *Monarchia*. Prima idem est ac principatus populi, seu imperium populare, qua populus regit & gubernat, quale fuit olim apud Athenienses, & nunc est apud Helvetos. *Aristocratia* est gubernium, seu principatus optimatum, qualis hodie est apud Venetos. *Monarchia* est principatus unius, quem Suetonius vocat *Arbitrium orbis terrarum*, & qui hunc principatum tenet, Monarcha dicitur, & talis fuit apud Imperatores Romanos &c. quibus tres vitiosi opponuntur regendi modi Monarchiæ Tyrannis: Aristocratiæ Oligarchia, id est, paucorum factio: & Democratiæ seditiones, in quas illam & frequenter degenerat.

NOTANDUM 3. In quolibet principatu ad bene regendum requiri Primò, prudenter leges ferre in communi omnes dirigentes subditos ad bonum publicum conservandum. Secundò, judicare de singulis subditorum factis facinorosis secundùm legem. Ex primo munere consurgit prima species Prudentiæ in Principe requisita, & vocatur ab Aristotele Magistralis, Legislativa, & Regia. Ex secundo officio oritur alia Species, quæ ob defectum vocabuli appellatur nomine generis, scilicet *Politica* & Civilis, quæ ordinatè judicat juxta vel præter, & contra leges juxta exigentiam boni publici.

NOTANDUM 4. Paternum principatum respicere primò filios, secundò servos, & hic vocatur *Oeconomicus*, cujus objectum est comune bonum domesticum pacificans conjunctim cohabitantes in eadem domo, & in eadem familia, & hanc prudenter regere est effectus divini auxilii juxta illud Psalm. 67. *DEUS qui inhabitare facit unius moris in domo.*

7 Domum & familiam qui condituant.

NOTANDUM 5. Ex Aristot. 8. Ethic. 8. Domum & familiam aliquam primò constare ex viro & uxore, deinde ex his & eorum natis. Tertiò ex his, servis & famulis, ita quòd multitudo hæc dependeat ab uno, qui Paterfamilias dicitur, & ordinatur ad unum finem honestum, qui resultat ex justa amicitia mutua primò viri & uxoris, filiorum horum inter se, ac quarto famulorum, atque etiam horum seu servorum inter se, & omnium ad dominos mutua condilectio; Ex fundamento quia Pater influit in filios esse, educationem, & disciplinam, in servos sustentationem & omnia pertinentia ad vitæ eorum conservationem, ideo justum est ab his rependendas gratiarum actiones pro beneficiis, & obsequia pro gratiis.

DICO 1. *Prudentiæ moralis primæ & principales partes subjectivæ seu species sunt Monastica & Nomothetica, seu solitaria & Regnativa.* Hæc est communis & Probatur 1. Ex Scriptura Ecclesiastici 10. *Judex sapiens judicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit. Secundum judicem populi sic & ministri ejus: & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea. Rex insipiens perdet populum suum: & civitates inhabitabuntur per sensum potentium.* Et Hieremiæ 23. *Regnabit Rex & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra.* Adde exemplum Salomonis 3. Reg. 3. qui ad regendum populum suum à DEO aliud non petit, quam sapientiam & prudentiam, ergo in Principibus ad debitè regendum sapientia requiritur.

8 Partes subjectivæ seu species principales sunt duæ.

Pro-

Probatur 2. De Regnativa ex Ariſtotele 1. Polit. cap. 1. Neceſſe eſt, inquit, principantem habere virtutem, ut rectè principetur, & principaliorem quàm in ſervo, ut rectè ſubjiciatur. Unde Scotus ibidem diſt. 34. ſubdit: *Pax quippe ſervatur in hoc, ſi præſidens rectè regit, & ſubditus rectè obedit*, ſupponens in utróque requiri Prudentiam.

Probatur 3. Ratione: Munus & officium regiæ poteſtatis ſive poſtmodum ſit Monarchica, Ariſtocratica, vel Democratica, ad differentiam tyranniçi gubernii eſt pacem in communitate & regno conſervare, rerum dominia diſtinguere, ſingulorum jura tueri, Jus & Juſtitiam omnibus adminiſtrare, leges ad pacificè convivendum aptas ferre, leges divinas & naturales firmiores & obſervantiores ſuis decretis reddere, publica delicta punire, virtutes præmiare, &c. ſed hæc omnia adminiſtrari & præſtari nequeunt ſine magna prudentia, ergo in Principibus eſt Prudentia regnativa quàm maximè neneceſſaria, unde Sapientia divina clamat Proverb. 8. *Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo, per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt: Per me principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam.*

Probatur 2. pars de Monaſtica ſeu Solitaria ex Epiſt. ad Epheſ. cap. 6. *Filii obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtum eſt. - - - Servi obedite dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto, non ad oculum ſervientes quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem DEI ex animo.* Idem monet S. Petrus Epiſt. 1. cap. 2. Inſuper Chriſtus Dominus dicit Matth. 24. *Quis putas eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore.* Ex quibus ſic argumentor: Subditus eſt obligatus ſuperioribus obedire in conſcientia, ita quòd obedientia ſit imputabilis ad laudem & præmium, ſicut inobedientia imputabilis ad pœnam, ſed omnis actus moraliter bonus & honeſtus laude & præmio dignus debet rectè dirigi & regulari à Prudentia, ergo hæc eſt in ſubdito ſimpliciter neceſſaria, & hæc quidem relativè accepta ad Principem.

Probatur eadem pars univerſaliter: Quilibet ſervus aut ſubditus in ſe ipſo eſt regulabilis ad ſeipſum in ordine ad temperantiam & fortitudinem, & etiam ad alios in ordine ad juſtitiam, ſed obedientia eſt Juſtitiæ ſpecies, ergo etiam requiritur prudentia in illis ad præſtandum principi quod ſuum eſt, & conſequenter debent habere prudentiam.

OPPONITUR Authoritas Ariſtotelis 3. Eth. cap. 6. ubi dicitur, quòd *Princeps eſt cuſtos Juſtitiæ*, ergo Regnativa magis pertinet ad Juſtitiam quàm ad Prudentiam. Reſpond. ex Doctore ſubtili in 4. d. 15. q. 3. negando conſequen: Quia in rege requiritur prudentia *directivè* per modum regulæ ad judicandum honeſtum, ſeu regimen rectum pro conſervando bono publico, Juſtitia verò requiritur *poteſtativè* ad obligandum ſubditos, ſeu *præceptivè* ad exequendum facilè, quæ prudenter judicantur neceſſaria, unde ibidem Doctor reſolvit, in Legislatore requiri Prudentiam & authoritatem. Prudentiam, ut ſecundum rectam rationem practicam dictet quid faciendum pro communitate: Auctoritatem, quia dicitur lex à ligando: ſed non quæcunque ſententia prudentis ligat communitatem, nec aliquem ſi nulli præſideat. Quomodo autem prudentia poterit haberi ad condendum leges juſtas ſatis patet.

DICO 2. *Oeconomica Prudentia eſt una vera ſpecies Prudentiæ in communi ad multitudinem gubernandam ob pacificum convictum domûs, ſeu unius familiæ.* Hanc ſupponit D. Paulus 1. ad Timoth. 3. *Oportet Epiſcopum - - - ſuæ domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ DEI diligentiam habebit?* & ad Coloſſ. 3. *Patres nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant.* Ex quibus ſic argumentor: Datur Oeconomica poteſtas in patre, naturali capite unius perfectæ domus, ergo datur Oeconomica prudentia illius poteſtatis directiva. Probatur conſequent. ubi eſt multitudo habitantium ſeu conviventium cum naturali ſubordinatione ad cohabitandum & convivendum cum dependentia ab uno illo, neceſſaria eſt in illo uno prudentia directiva illius multitudinis ad prædictum finem pacificæ cohabitationis, ſed domus & familia conſtat ex multitudine partium homogenearum & heterogenearum, ut conſtat ex Notabili 5. ergo neceſſaria eſt in illo capite primò prudentia præceptiva pacificæ cohabitationis, ſecundò conſiliativa mediorum ad illam attingendam.

5 Oeconomica Prudentia vera eſt ſpecies.

DICO 3. *Militaris non eſt vera ſpecies Prudentiæ ſed formaliſſimè ars, & Prudentia ſolùm æquivocè dici & vocari poteſt.* Hæc eſt contra D. Thomam 2. 2. q. 50. art. 4. ubi dicit, militarem eſſe ſimul artem & prudentiam videlicet quoad uſum exteriorem armorum, equorum, machinarum bellicarum eſſe artem, quoad finem tuendi totum commune bonum, vocat prudentiam. Sed contra ipſum Probatur concluſio 1. Ex Ariſtotele qui 6. Ethic. cap. 3. Prudentiam dividit contra artem tanquam duas ſpecies diſtinctas, ergo militaris non poteſt eſſe prudentia ſimul & ars eſſe. Et in 3. Ethic. cap. 18. dicit, quòd militaris ſit quædam ars in rebus bellicis, unde in communi hominum ſenſu militia inter artes liberales numeratur, ut patet ex carmine

6 Militaris non eſt vera Prudentia.

mine vulgari: *Rus, nemus, arma, rates*, &c. ſuprà, ſed idem habitus nequit eſſe ſimul actívus & factivus ex Ariſtotele cit. cap. 5. dicente: *Eſt autem aliud agere, aliud facere*, militaris eſt habitus cum ratione factivus, Prudentia eſt habitus cum ratione activus, ergo militaris non eſt prudentia.

Probatur 2. Militare negotium ſpectat ſic ad politicum gubernium ſicut mercatorum, artificum, & ſimilium, ſed hæc negotia in Republica non ſortiuntur particularem ſpeciem prudentiæ, ergo neque militaris. Hinc ad principem pertinet primò regnum vel provinciam, populúmque ſibi ſubjectum legibus regere, & munire. Secundò perturbatores & malefactores punire, quod eſt exterminare bella domeſtica: *Unde enim bella & lites in nobis, niſi ex concupiſcentiis.* Tertiò indicere bella exteris jura civium ſuorum invadentibus vel malè poſſidentibus. Quartò, judicare vires ſuas, an ſufficiant, juxta illud Lucæ 14. *Quis rex iturus committere bellum adverſus alium regem, non ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe?* Quintò incumbit principi diſtribuere officia militiæ ad componendum bellum. Et tandem ars militaris exequitur, & hoſtes debellat, ut populus pacificè cohibitare poſſit, nam *finis belli eſt pax*, unde bene Chriſtus dixit Lucæ 11. *Si autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet.*

DICES: Proverb. 24. dicitur: *Cum diſpoſitione initur bellum: & erit ſalus ubi multa conſilia ſunt*, ſed conſilium pertinet ad prudentiam tanquam actus ejus præclarus, ergo militaris eſt aliqua prudentiæ ſpecies. Reſpond. diſtin. min. Conſilium activum eſt actus prudentiæ, conced. min. factivum, neg. min. & conſequ. Militaris ergo non habet niſi factivum, unde etiam dirigere fortitudinem corporis ad uſum armorum eſt factiva artis.

Quæſtio V.

De Partibus Potentialibus Prudentiæ.

1. Prudentiæ partes potentiales tres.

EX communi plurium Theologorum mente Partes *Potentiales* Prudentiæ numerantur tres, nempe *Evbulia, Syneſis*, & *Gnome*. *Evbuliæ* eſt conſultare, id eſt, invenire bonum conſilium in rebus ambiguis. Ad *Syneſin* ſpectat rectè de conſultatis judicare ſecundùm leges communes. *Gnome* eſt judicare per naturales & per rectas rationes ubi deficiunt leges communes, quam S. Thomas 2. 2. q. 51. confert cum Epikeia; dicuntur autem partes potentiales, quia Prudentia his utitur ad ſuum finem veluti membris quibusdam, aut veluti anima utitur ſuis potentiis. Verùm hic oritur difficultas. An enumeratæ tres partes ſint veræ virtutes intellectuales, & habitus ab ipſa prudentia diſtincti, vel an ſit ipſamet Prudentia his actibus expreſſa, pro quo

NOTANDUM: Prudentia ad dictandam aliquam actionem eſſe eligendam vel fugiendam, primò directivè proponit actionem talem ob propriam honeſtatem eſſe amplectendam, aut ob turpitudinem fugiendam. Deinde inquirit ac diſcurſivè judicat de omnibus mediis generalibus & particularibus. Tertiò conſulit de aptioribus. Quartò proponit aptiora eſſe eligenda. Quintò intimat executionem, & ultimò imperat remotionem impedimentorum; ad hæc revocantur ſex illi actus à D. Thoma relati, & in quæſtione tertia explicati: Ratio, Intellectus, Circumſpectio, Providentia, Docilitas, Cautio ex Macrobio, lib. 18. Hos omnes actus ſeu proprietates, & partes integrales unius Prudentiæ Ariſtoteles 6. Ethic. à cap. 5. usque ad 15. complexus eſt tribus iſtis Græcis nominibus *Evbulia, Syneſi*, & *Gnomi*: Et *Evbuliæ* attribuit conſultare de inventione mediorum ad finem. *Syneſi* judicare de mediis aptis in communi. *Gnomi* judicare in particulari. Hoc prænotato

2. Actus Prudentiæ referuntur.

DICO 1. *Evbulia eſt virtus intellectualis rectè conſiliativa circa materiam determinatam agibilis honeſti veluti pars eſſentialis aut integralis Prudentiæ, & ſic non eſt habitus à Prudentia diſtinctus.* Hæc conformis eſt Scoto in 3. d. 34. ſub lit. G. Probatur 1. Ex Etymologia nominis, nam *Evbulia* derivatur ab εὖ quod ſignificat benè, & βουλὴ, quod denotat conſilium, unde Scotus citatus ait Prudentiam exprimi inter dona Spiritus Sancti per donum Conſilii, quia eſt habitus rectè conſiliativus: unde ſic argumentor: Evbulia eſt recta ratio bene conſiliativa & regulativa actuum humanorum ad aliquem finem honeſtum, ſed hoc idem munus eſt Prudentiæ, ergo Evbulia eſt idem quod Prudentia ipſa, vel pars ejus integralis, unde Proverb. 2. dicitur: *Conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſervabit te.* Hic conſilium pro Evbulia accipitur ad differentiam ſtulti conſilii. Item Eccleſ. 26. *Cor boni conſilii ſtatue tecum.* Hoc conſilium nomine Evbuliæ expreſſum donum eſt Spiritus Sancti ex Proverb. 8. *Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus.*

3. Evbulia non eſt virtus à Providentia diſtincta.

Probatur 2. Ex Ariſtotele 6. Ethic. cap. 10. ubi ait: *Videndum eſt, quid ſit bene conſulere aliquid*, ubi includit præter conſulere bene, ad differentiam malè conſulere, nam per conſulere malè & erroneè aſſequitur quidem homo, quod deſiderat, & habere oportet, ſed non aſſequitur, quomodo oportet; unde contingit, quod ad aſſequendum finem honeſtum, eligatur medium turpe, ut mendacium propter conſervandam famam, vel divitias, contra

Digitized by Google

tra contingit, quod consulatur medium honestum propter finem turpem, ut frequentare Ecclesias ad concupiscendum alienas uxores. Probatur 3. Ex 6. Ethic. 8. ubi dicit: *Prudentis maximè opus esse diximus bene consulere*, ubi ait, bene consulere esse actum elicitum, id est, proprium prudentiæ, sed & maximè, id est, principaliter specificativum esse, unde subdit: *Neque Prudentia est universalium solùm, verum etiam singularia oportet cognoscere, nam activa quidem est, actio autem in singulis versatur*, sed Evbulia est maximè ratio consiliativa, ergo Prudentia non solùm universalium sed & singularium.

Probatur 4. Ratione: Virtutes inter se distinctæ habent conceptum adæquatum formalem & objectivum distinctum, ut possit una in ratione sua propria specifica perfectæ virtutis concipi, si non separari, sine altera, sed prudentia non est virtus perfecta & simpliciter si non est consiliativa ex Aristotele supra cap. 10. ergo Evbulia non est virtus distincta à Prudentia completa, adæquata & perfecta, consequenter eadem virtus est cum illa & nullo modo ab illa distincta, nec virtus adjuncta. Confirmatur: Quia virtus secundaria alteri adjuncta veluti principali virtuti in sua specie saltem est perfecta & intensivè completa, ergo si Evbulia est talis virtus completa debet sub aliqua specie contineri ex illis quinque quas supra retuli: sed non sub alia quam sub Prudentia, ergo. Confirmatur 2. Quia experientia constat, Prudentiam non esse perfectam virtutem, si non fuerit consiliativa: Neque rectè potest agenda præcipere, nisi ante sciverit de illis debitè consulere, nec denique potest executioni mandare consulta, nisi judicaverit ea esse apta & proportionata media, adeoque Prudentia incipit à recto consilio, perficitur recto judicio, & consummatur recto præcepto sed

OPPONITUR Authoritas D. Augustini lib. 2. de lib. arbit. cap. 18. *Virtutibus nullus utitur malè*, sed Evbuliâ multi malè utuntur, excogitantes astuta consilia ad fines pravos, & viceversa multi ad fines honestos illicita applicant media, ergo Evbulia, non est virtus. Respond. distin. maj. Virtutibus nullus malè utitur ex ratione operis, in quantum virtus nunquam potest in substantia vitiari, transeat: Ex ratione operantis, negò. Similiter distin. min. & neg. consequ. ac suppositum. Quasi verò invenire astutos conceptus sit effectus Evbuliæ, sed sunt versutiæ & dolositates, adeóque vitia, unde nec nomen Evbuliæ merentur, est enim prudentia carnis, quæ spiritui se opponit & veritati.

ARGUITUR 2. Prudentia est præceptiva sed actus præcipiendi non convenit Evbuliæ, ergo Evbulia est alia virtus à prudentia. Respond. neg. consequ. Quia syllogismus laborat fallaciâ consequentis à divisione & distinctione partium inter se ad distinctionem à toto, unde quemadmodum non valet consequentia & syllogismus iste: Animali non convenit rationalitas, sed homo est animal, ergo non convenit ei rationalitas, licèt igitur non competat Evbuliæ actus præceptivus, competit tamen Evbulia Prudentiæ, quæ ut completa & integra sit, & Evbuliam, & Synesim, & Gnomen debet habere. Deinde posset retorqueri argumentum: Prudentia nequit esse rectè præceptiva nisi prius rectè consiliativa sit & judicativa, ergo convenit ipsi ratio Evbuliæ, quæ est consiliativa.

DICO 2. *Neque Synesis, neque Gnome sunt virtutes intellectuales à Prudentia distinctæ, sed sunt actus unius integræ perfectæque Prudentiæ.* Hæc patet & probatur 1. de Synesi: Rectè judicare de omnibus agendis sive in particulari sive in universali est Prudentiæ; sed Synesis non est aliud quàm virtus bene judicativa, ergo non est aliud quàm actus prudentiæ. maj. patet ex Aristotele 6. Ethic. cap. 6. ubi dicit: *Restat, ut Prudentia sit habitus verus cum ratione, quæ in bis agendis versatur, quæ sunt homini bona & mala*, id est, convenientia vel disconvenientia. Confirmatur ex enumeratis supra actibus Prudentiæ, inter quos principalis est bene judicare non modo in universali, sed etiam in particulari, unde Aristoteles mox citatus subdit: *Prudentes dicimus qui publicis privatisque rebus administrandis sunt apti.* 4 Synesis nō est nisi actus Prudentiæ.

Probatur de Gnomi: Quia Gnome non est aliud, quàm actus Prudentiæ præceptivæ per modum ultimæ sententiæ, ut sit ultimum judicium de rebus honestè agendis in particulari, unde Aristoteles 6. Eth. 12. dicit: Sentire rectè est judicare circa æquitatem, rectè autem circa verum. Vel est actus judicativus non secundùm leges universales ut facit synesis, sed præter illas ex alio ordine particulari alicujus rei agibilis secundùm exigentiam communis boni conservandi, sed quomodocunque accipiatur, non potest habere speciem aliquam virtutis intellectualis extra genus Prudentiæ; vel dicatur ad quod genus ex quinque ab Aristotele positis reducatur, ergo. 5 Gnome explicatur.

QUÆRES: Quid sit *Synteresis* seu *Synderesis*, & quomodo à Prudentia differat? Respond. Synderesim strictè & propriè acceptam non esse aliud quàm lumen & inclinationem naturalem inclinantem intellectum ad assentiendum naturaliter principiis practicis evidentibus dictantibus in universali quid agendum, unde à Prudentia differt quàm maximè, quòd hæc sit respectu particularium, synderesis verò respectu universalium.

Quæstio VI.

De Vitiis negativè Prudentiæ oppositis, ut sunt Imprudentia, Præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, & Negligentia.

1 Imprudentia est duplex.

SUnt quædam vitia virtutibus aperta discretione contraria, ait S. Augustinus Epist. 29. ad Hieronymum, ut *Imprudentia Prudentiæ*. Porro Doctor subtilis in 3. d. 36. Duplicem Imprudentiam opponi docet Prudentiæ, Privativam scilicet, & Contrariam. *Privative* sumitur pro privatione habitûs prudentiæ inclinantis ad consulendum rectè, judicandum, & præcipiendum de rectè agendis juxta exigentiam actionis honestæ, qui tamen inesse potest, & sæpe debet, nempe in necessariis ad salutem, & naturalibus ad honestè convivendum in civilibus & naturalibus. *Positiva* seu *Contraria* Imprudentia est habitus vitiosus inclinans ad eligenda media, licita, vel illicita ad pravum assequendum finem, quæ duæ differunt, quòd hæc *positivè*, altera negativè Prudentiæ opponatur, quæ inter se multum differunt, aliud enim est intellectum non posse, vel non velle applicare & rectè judicandum; Et aliud illum applicare ad quærendas varias inventiones, quibus avertatur à recto judicio & electione.

NOTANDUM 2. Omne peccatum esse contra prudentiam, seu contra dictamen rectum intellectûs, nam omne opus bonum est ex prudenti dictamine, ergo omne peccatum est contra illud, cum hac tantùm differentia, quòd non sit necessarium, ut malum sequatur ex judicio formaliter imprudenti, sed sufficit, quòd non se conformet voluntas prudenti dictamini, & sequatur dictamen indifferens, v. g. delectabile &c.

NOTANDUM 3. Imprudentiam negativam, seu prout consideratur secundùm naturalem hebetudinem intellectûs non posse esse peccatum, cum hoc debeat esse voluntarium, ita ut peccatum non sit ex D. Augustino lib. de vera Relig. c. 14. si voluntarium non fuerit, imprudentia autem illa præcedit omnem actum voluntatis, unde sicut ignorantia ita & imprudentia peccatum diminuit, & de se potest dici causa peccati juxta illud Ecclesiast. 20. *Est qui perdet animam suam præ confusione, & ab imprudenti persona perdet eam:* quod autem est causa peccandi, non est formaliter peccatum. Itaque

2 Imprudentia qua ratione sit peccatum.

DICO 1. *Imprudentia sive contrariè sive privativè vincibilis dummodo imperata sit à voluntate in rebus necessariis ad salutem est peccatum grave & mortiferum, in rebus autem utilibus tantùm non est nisi leve.* Probatur 1. ex Scriptura Matth. 25. *Accedens autem qui unum talentum acceperat, ait: Domine scio, quia homo durus es, metis, ubi non seminasti, & congregas, ubi non sparsisti - - - Respondens autem Dominus ejus, dixit ei: serve male & piger, sciebas quia meto ubi non semino, & congrego ubi non sparsi.* In quem locum St. Gregorius hom. 9. in Evang. ad propositum dicit: *Unius autem talenti nomine intellectus tantummodo designatur.* Hoc talentum abscondere est intellectum & ingenium ad spiritualia non applicare, vel non uti illo ad honestè agendum. Hinc Psalmista ait Psalm. 48. *Simul insipiens & stultus peribunt.* Baruch. 3. *Quoniam non habuerunt scientiam, interierunt propter insipientiam.* Et quamvis in præfatis locis ex doctrina Scoti nomine sapientiæ intelligatur habitus gratiæ & charitatis, qua DEUS sapit, & nomine Insipientiæ negatio ac privatio ejusdem, ob quam fit DEUS peccatori insipidus, tamen concomitanter denotatur habitus fidei, & privatio ejusdem, qua omittuntur sciri necessaria ad salutem & cognitionem veram, ut DEUS diligi possit.

Quod si autem quæras, quomodo voluntas possit intellectui præcipere & imperare Imprudentiam? Respond. dupliciter: *Privativè*, & *Positive* sicut etiam potest duplici hac via intellectum excæcare, *Privativè* quando avertit à consideratione recta; voluntas enim eligens oppositum alicujus rectè dictati, non permittit intellectum diu stare in illo recto dictamine, sed avertit ipsum ab illo, & convertit ad considerandum rationes pro opposito, si quæ possint esse sophisticæ, vel probabiles; saltem avertit ad considerandum aliud impertinens, nè stet illa actualis displicentia, quæ stat in remorsu illo, qui habetur in eligendo oppositum dictati.

Positivè verò, quando voluntas præstituit sibi finem malum, & præcipit intellectui invenire media necessaria ad delectabilia prosequenda, & tristia opposita fugienda, ex quo sicut in voluntate rectè præcipiente in intellectu generatur habitus prudentiæ, ita in voluntate eligente habitus acquisitus ex dictamine tali circa media hujusmodi ad malum finem generatus est error & habitus directè oppositus prudentiæ, & potest vocari ait Scotus suprà Imprudentia, vel stultitia; non tantùm privativè, sed positivè & contrariè. Quia sicut prudens habet habitum, quo rectè eligit ordinata ad finem debitum, ita imprudens vel stultus habet habitum, quo promptè eligit ordinata ad finem præstitutum à voluntate mala, & talis habitus generalis ex imperio voluntatis malè eligentis.

DICO

Præcipitatio est vitium prudentiæ oppositum.

DICO 2. *Præcipitatio est vitium intellectuale sub prudentia formalissimè contentum per modum partis integrantis, sive per modum speciei.* Ita communis Theologorum Lessii, Vulpes, &c. Probatur 1. ex Scriptura Job. 18. *Nonne lux impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis ejus? - - - Arctabuntur gressus virtutis ejus, & præcipitabit eum consilium suum.* Ubi præcipitatio viro insipienti subsecuta adscribitur consilio nimis cito amplexata, unde Proverb. 4. dicitur: *Via impiorum tenebrosa, nesciunt, ubi corruant.* Deinde Ecclesiastis 5. *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram DEO.* & 7. *Ne sis velox ad iracundum, quia ira in sinu stulti requiescit.* Sed præcipitatio est quædam velocitas in exequendis non antè debitè consultis, ergo est species imprudentiæ & stultitiæ. Tertiò, S. Jacobus in canonica sua epist. cap. 1. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.*

Probatur 2. Quia præcipitatio propriè ponit judicium de agendis in particulari sine discursu deducto ab exigentia finis, seu operis honesti, absque consilio, sine examine mediorum convenientium vel proportionatorum, sed hoc est directè prudentiæ oppositum, nam ait Aristoteles 6. Ethic. cap. 8. *Bene consulere autem, consulere est, qui verò consulit, quærit, & ratione discurrit.* Unde paulò infrà: *Oportet bene consulta velociter exequi, consiliari autem tarde.* Ubi differentiam ponit inter *consulere*, & *bene consulere*: ut bene consulere sit tardè, scilicet cum ratione seu discursu examinante media convenientia, videndo aptiora &c. Pravè autem consulere ponit non considerare, vel inquirere media convenientia, nec perpendere proportionem mediorum ad finem, ergo Præcipitatio est vitium Prudentiæ oppositum.

Confirmatur ex Cap. penultimo c. 2. qu. 1. ubi dicitur: *Præcipitanter ne quidquam agas, sed ante diligenter inquiras audita.* Hinc proverbium vulgare: *Præcipitantia mater erroris.* Et in communi dicimus eum *Præcipitare consilium*, qui media ad finem proponit sine ratione, sive licita sint, sive illicita, sive convenientia, vel disconvenientia.

DICES. Præcipitatio pertinet ad temeritatem, sed hæc est superbiæ filia, ergo non est vitium Prudentiæ oppositum in intellectu. Respond. distin. maj. Pertinet ad temeritatem in voluntate passionata, transeat: elicitivè & subjectivè in intellectu dictante voluntati rationes præposteras, neg. maj. Unde Temeritas est causa præcipitationis imperativa, sive ex impetu passionis, sive ex contemptu rationis & regulæ rectæ.

DICES 2. *Festinè* & *tardè* sunt duo extrema vitiosa in agibilibus debitè consideranda, sed tardè consiliari non est vitium, ergo neque festinè. Respond. distin. maj. si utrumque excludat opportunitatem temporis, conc. maj. si utrumque includat ejusdem temporis opportunitatem, neg. maj. Itaque si *festinè* excludat rationem vel moram temporis requisitam ad discursum & usum rationis, ideo sibi opponitur tardè consiliari cum illa mora juxta operis exigentiam, Econtra tardè consiliari est vitiosum si opportunitatem temporis omiserit, & si tempus attendatur festinè consiliari est virtuosum, unde Christus monet operandum quamdiu lux est, *Venit nox quando nemo potest operari.* Joann. 9. sicut & Poëta canit, *Fronte capillata post est occasio calva.* Ad prudenter agendum utrumque est necessarium, sed pro diversitate operum & temporum, juxta illud Symbolum; Testudinis alatæ depictæ, cum subscriptione Gnomæ hujus, *Festina lentè*, & tu in gravibus, *ne sis præceps.*

Inconsideratio est vitium prudentiæ oppositum.

DICO 3. *Inconsideratio agendorum sicut etiam Inconstantia ad rectè judicandum sunt vitia Prudentiæ opposita, non sunt tamen peccata mortalia, nisi in rebus graviter præceptis, & ratione periculi, & in quantum à voluntate imperantur.* Probatur 1. pars de Inconsideratione: Quia hæc potest contingere vel ex semiplena apprehensione objecti cum suis circumstantiis absolutis vel relativis, vel ex defectu examinis & judicii agibilium, vel ex defectu debitæ executionis, sed quomodocunque consideretur opponitur Prudentiæ ejusque actibus, ergo. Probatur etiam de Inconstantia, quia instabilitatem in judicando, undecunque oriatur, sive ex inevidentia objecti, sive ex prava affectione voluntatis semper esse vitium declarat Psalmista, Psalm. 106. *Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescat. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius: & omnis sapientia eorum devorata est.* Ubi ad litteram fit sermo de infirmis hominibus in virtute ascendentibus usque ad cœlos per sanctas cogitationes & pia desideria, & mox descendunt iterum usque ad abyssos per morosas cogitationes carnalium delectationum. Hi ex S. Gregorio hom. 18. in Evangel. sunt, qui libenter verba DEI suscipiunt, ita ut etiam ad lacrymas compungantur, & sic cœlos ascendunt, sed post lacrymarum tempus iterum ad iniquitatem redeunt, & sic descendunt usque ad abyssos, unde anima eorum tabescit ex inconstantia judicii mutabilis mox ex recto in obliquum juxta illud Ecclesiast. 27. *Stultus ut luna mutatur*, stultitia hæc est imprudentia.

Probatur 2. pars, videlicet non esse peccata mortalia, nisi &c. ut ibi: Quia pravitas seu iniquitas, & peccatum imprudentiæ æstimandum est ex opere quod sequitur, ergo nisi opus sit alioquin præceptum aut prohibitum, vel peccandi periculum, incon-

inconsideratio & inconstantia mortalis non erit. Probatur antec. In actibus prudentiæ non æstimatur virtus vel bonitas aut honestas illius nisi propter opus quod ab illis dirigendum est, ergo nec in actibus imprudentiæ culpa imputanda est nisi propter opus, à quo deficiunt. consequ. patet: Quia regulæ rectitudo non quæritur propter ipsam regulam, sed propter opus quod est regulandum per regulam. Dixi *nisi in rebus gravibus &c.* Nam si quis voto, vel gravi præcepto adstrictus est, aut etiam peccandi periculo exponit, aut proximum scandalo, tenetur in sententia persistere etiam sub peccato. Sed

OPPONITUR contra conclusionem, de Inconstantia, Authoritas D. Jacobi c. 3. *Ubi enim zelus & contentio: ibi inconstantia, & omne opus pravum.* Atqui zelus ad invidiam pertinet, ergo etiam inconstantia potius ad invidiam reduci debet quàm ad Imprudentiam. Deinde Inconstantia significat negationẽ persistentiæ in aliquo virtuoso opere & arduo, quæ persistentia ad fortitudinem pertinet, ergo inconstantia est vitium fortitudini magis oppositũ quàm prudentiæ. Respond. ad primum distin. consequens tanquam ad causam & principium, conc. tanquam ad speciem subalternantem, vel rationem superiorem, nego consequ. Itaque Inconstantia non est species invidiæ, sed invidia & zelus sunt causæ illius. Ad secundam quoque distin. consequens: Inconstantia Judicii est vitium fortitudini oppositum, neg. consequ. Inconstantia voluntatis & appetitus rationalis, concedo; & dico Inconstantiam esse communem affectum intellectûs & voluntatis, & has potentias sibi invicem in his defectibus adminiculare, unam imperativè & physicè, alteram moraliter & directivè, unde pulchrè dicit sapiens cap. 4. *Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia*, id est, sensum immunem à culpa, quod est idem ac dicere Inconstantia appetitus rationalis immutat imperativè intellectum, ejusque judicium obscurat, & ad alia consideranda divertit.

5 Negligentia truffatica est peccatum mortale.

DICO 4. *Negligentia considerandi, quæ ex præcepto divino sunt necessaria ad salutem, est peccatum omissionis mortale, in quantum à voluntate imperatur, in aliis autem, quæ ad virtuosè vivendum & honestè operandum conducunt non est nisi veniale.* Ita Authores communiter. Probatur 1. Ex Scriptura Proverb. cap. 1. *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit.* In quo loco contemptus & neglectus ex parte voluntatis insinuatur, volentis positivè, vel non volentis negativè considerare necessaria ad salutem, sed ubi in scriptura interitus minatur peccatum mortale denotatur, ergo. Item Jeremiæ 48. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.* Ubi S. Hieronymus vertit *Negligenter*, atqui Scriptura nunquam maledictionem contra homines fulminat nisi propter peccatum mortale, ergo est peccatum mortale, & hanc negligentiam Scotus vocat truffaticam, crassam, & supinam. Tandem Ecclesiastici 26. *Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt, difficile exuitur negotians à negligentia: & non justificabitur caupo à peccatis labiorum.*

Probatur autem esse peccatum omissionis, quia negligentia distinguitur à contemptu, atqui contemptus est commissionis, ergo negligentia est omissionis tam ex parte intellectûs negligentis scire necessaria ad salutem, quæ homo potest scire per se, vel per alium, & tenetur scire, quàm ex parte voluntatis sive non applicantis intellectum ad sciendum, sive non eligentis & exequentis scita ad salutem necessaria. Per contemptum verò non solùm omittit homo scire necessaria, sed etiam ponit actum positivum nolendo considerare illa, vel *odiendo* eorum considerationem, sicut contra præceptum dilectionis non solùm peccatur non diligendo DEUM, sed etiam non velle illum amare, aut velle odisse eum. Per quæ patet tertia pars scilicet, negligentiam, ut sit peccatum mortale, debere esse imperatam à voluntate.

Probatur 4. pars scilicet in aliis non graviter præceptis negligentiam non esse mortalem ex illo Eccles. 7. *De negligentia tua purga te cum paucis*, in quem locum ait glossa ordinaria: *Quamvis oblatio parva sit multorum delictorum purgat negligentias*, atqui hoc non posset dicere si in omnibus negligentia esset mortalis. Item ex D. Gregorio lib. 9. Moralium cap. 22. super illud Job. *Verebar omnia opera mea*, dicit: *Illam negligentiam minor amor DEI exaggerat.* Sed ubicunque est peccatum mortale, amor DEI tollitur totaliter, ergo non in omnibus casibus negligentia est peccatum mortale. Confirmatur ex illo Eccles. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidit*, ergo negligentia de se non est lethalis.

6 Negligentia est vitiũ oppositum Prudentiæ.

DICO 5. *Negligentia formaliter & elicitivè est vitium oppositum Prudentiæ, imperativè verò virtuti studiositatis, quæ est species vel temperantiæ, vel Justitiæ.* Ita Vulpes. Probatur 1. pars. Negligentia opponitur directè sollicitudini, sed hæc est actus vel habitus prudentiæ, qua intellectus inclinatur seu fit virtualiter sollicitus ad promptius consiliandum, judicandum, & præcipiendum ad honestè vivendum, ergo negligentia quæ hæc omnia tollit est imprudentiæ species. Item cautio est species Prudentiæ, ergo etiam Incautio, Quia sicut cautus considerat omnia diligenter, ita incautus omnia negligenter. Incautus enim est, qui de rebus agendis nec plenè consultat, nec circumstantias judicat.

Ne-

Digitized by Google

Negligens, qui antequam operetur, finem, aliasque operis circumstantias nec considerat, unde imprudenter se habet, non utens ratione & regula sui operis. Probatur 2. pars: Tum ex illo Ecclesiastici 20. *Homo sapiens tacebit usque ad tempus: lascivus autem & imprudens non servabunt tempus*, ubi manifestè opponitur sapiens & imprudens hac tamen cum differentia, quòd cum imprudenti lascivus copuletur, sed lascivia est vitium temperantiæ oppositum & imperativum negligentiæ, ergo negligentia imperativa temperantiæ opponitur, & ab illa, seu à voluntate lasciviente imperatur. Tum, quia omnis actus intellectus ut sit peccatum à voluntate debet imperari, ergo.

Ad prædicta vitia reducuntur alia, quæ non tam directè sunt contra prudentiam, ut *oblivionitas*, *indocilitas*, & *defectus ratiocinandi*, quæ ad Præcipitationem referuntur. *Defectus intelligentiæ*, *cautelæ*, & *circumspectionis* ad Inconsiderationem, sed hæc sunt res parvi momenti.

Quæstio VII.

De Vitiis positivè oppositis Prudentiæ, ut sunt Prudentia carnis, Astutia, Dolus, sollicitudo temporalium, & sollicitudo futurorum.

1 Prudentia carnis generat astutiam.

PRudentia carnis mors est, *prudentia autem spiritus vita & pax*, ait D. Paulus ad Rom. 8. Indubitatum ergo esse debet, Prudentiam carnis esse oppositam virtuti Cardinali, quæ secundum spiritum & veritatem est regula morum, & virtutum gubernatrix, & sicut ab ista omnes actiones honestæ mensurantur, ita à Prudentia carnis vitia positiva originantur, nam *Astutia* est ejus quasi species, qui enim norunt varios fallendi modos, & vias acquirendi temporalia, maximè prudentes secundum carnem dicuntur. Astutiæ effectus sunt *Dolus* & *Fraus* ille per verba, hæc per facta exequitur Astutiam. Sed hîc oritur difficultas, quomodo Prudentia carnis, cùm sit Prudentia, vitium esse possit oppositum Prudentiæ, sicut sunt Imprudentia, Stultitia, Insipientia, maximè cùm Prudentia carnis ab ipso naturali lumine procedat, tendens ad propriam naturæ conservationem, natura autem bona est, non mala, ab Authore bono, non ficto Manichæorum malo producta. Pro quo

NOTANDUM: Prudentiam carnis in solo homine oriri ex appetitu sensitivo ad bonum materiale conservativum sui, qui appetitus primò communis est ad omnes delectationes sensibiles per carnem, & postmodum specialis secundùm singulos sensus, qui appetitus alliciunt voluntatem superiorem ad condelectandum circa propria objecta pro conservatione totius, ac proinde intellectum movent per efficax phantasma sui excellentis sensibilis, ut ad consecutionem illius media inquirat, judicet, & præcipiat; quibus si voluntas excitata ad condelectandum allecta non reluctatur, nec renititur, sequitur non modò aversio ab ejus imperio physico à suo naturali lumine consiliandi, judicandi, & præcipiendi de honestate actionis, sed conversio ad consiliandum, judicandum, & præcipiendum per sophisticas rationes, voluptuosè & carnaliter, esse vivendum, atque in delitiis, & in rebus hujusmodi, totum hominis bonum constituendum, sicut dixerunt impii Sapientiæ 2. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter. - - - Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.*

NOTANDUM 2. Sicut in voluntate humana datur duplex affectio *Commodi* scilicet, & *Justitiæ*. *Commodi* dicitur, quæ versatur circa bonum delectabile sibi conveniens appetendum propter propriam conservationem. *Affectio Justitiæ* est circa bonum honestum & maximè circa ultimum finem naturalem & supernaturalem amandum; Ita in intellectu est duplex prudentia una spiritûs, quæ regulis divinæ legis conformatur, & judicat non secundùm affectionem commodi sed Justitiæ. Altera carnis, quæ respondet affectui commodi, & hæc est Prudentia falsa, seu verius ironica, symbolizat tamen multum cum Prudentia vera & virtuosa, nam ad omnes actiones suas consulit, quærit media, aptiora discernit, & judicata exequi præcipit. His præmissis.

2 Prudentia carnis non est peccatum de se.

DICO 1. *Prudentia carnis non est vitium & peccatum simpliciter secundùm se, sed bene ratione effectûs pravi, qui subest, unde regulabilis est rectè à Prudentia spiritûs.* Ita Lessius, Vulpes, &c. Probatur 1. pars ex Epist ad Ephes. 5. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam*, ergo potest quis suam carnem amare, ejusque quærere conservationem, sed quærendo prudenter media licita ad finem commodum licitum, non est peccatum, ergo nec prudentia carnis erit peccatum. Tum, quia prudentia carnis dictat ex lumine naturali media ordinata ad conservationem totius, sed sic dictare ex lumine naturali non est peccatum, ergo. Probatur 2. pars ex eodem S. Paulo ad Rom. 8. *Quoniam sapientia carnis inimica est DEO: legi enim DEI non est subjecta: nec enim potest. Qui autem in carne sunt, DEO placere non possunt.* Ergo Prudentia carnis immoderatè quærens delectationes peccaminosa est, & quidem mortaliter,

taliter, quando est contra legem divinam, aut etiam quando quis ponit in illis ultimum finem, ut faciebant insipientes citati. Probatur consequ. ex eodem Doctore Gentium 1. Corinth. 6. *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum DEI possidebunt.* Sed ubicunque Scriptura propter aliquod opus excludit à regno cœlorum, illud est mortale, ergo Prudentia carnis immoderatè & contra legem divinam quærens media ad carnis delectationem est mortalis.

Probatur 2. Ex D. Augustino lib. 83. qq. q. 66. ubi hæc habet: *Prudentia carnis dicitur, cùm anima pro magnis bonis temporalia bona concupiscit. Quandiu enim talis appetitus inest animæ, legi DEI subjecta esse non potest: id est, non potest implere quæ lex jubet. Sed cùm spiritualia bona desiderare cœperit, & temporalia contemnere, desinet esse carnis prudentia, & spiritui non resistet. Eadem namque anima cùm inferiora appetit, prudentiam carnis habere dicitur: cùm superiora, prudentiam spiritus: non quia prudentia carnis substantia est, qua induitur animavel exuitur, sed ipsius animæ affectio est, quæ omnino esse desinet, cùm se totam ad superna converterit. Qui autem in carne sunt, inquit, DEO placere non possunt, id est, qui voluptatibus carnis acquiescunt.* Ex hac authoritate

Probatur conclusio quoad utramque partem: Omne judicium Prudentiæ sive veræ sive falsæ pendet ab affectu voluntatis, ergo si affectus voluntatis non est pravus erit immunis à peccato, si depravatus erit peccaminosus. Probatur antec. ex Aristotele: *Qualis enim unusquisque est, ita judicat*, id est, unusquisque judicat convenienter suis affectibus.

Probatur 3. pars: Nempe Prudentiam carnis esse regulabilem per Prudentiam Primò ex D. Augustino Serm. 6. de verbis Domini, cap. 11. *Vis nosse quid est sapere secundùm carnem? mors est. Sed ille ipse unus homo, cui major natura à Domino DEO vero & bono condita, beri sapiebat secundùm carnem, hodie sapit secundùm spiritum, expulsum est vitium, sanata est natura. Nam quamdiu esset prudentia illa carnis, omnino legi DEI subjecta esse non posset. Quandiu enim inest per vitium claudicatio, nullo modo potest esse recta ambulatio. Sanato autem vitio, reparata est natura.* Secundò Ratione: Quando concurrunt duæ regulæ in eodem subjecto, quarum una sit inferior, & altera superior, una prima, altera secunda, una per se bona & absoluta, altera secundùm quid tantùm, inferior, secunda & secundùm quid bona est regulabilis per primam absolutè bonam & superiorem, sed prudentia carnis est inferior &c. ergo. Probatur min. Appetitus sensitivus est inferior, ergo etiam prudentia carnis attendens & regens tantum appetitum sensitivum, hinc Genes. 4. dicitur: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Et D. Paulus ad Rom. 8. *Si secundùm carnem vixeritis*, id est absolutè fine ordine ad regulam rationis, *moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaveritis* per conformationem & moderationem ad regulam rationis, *vivetis.* Unde ibidem Prudentia carnis dicitur inimica Deo, scilicet non moderata à regula spiritus.

DICO 2. *Astutia intellectûs ad tegendam pravam intentionem sub rebus honestis, vel ad tegendam falsitatem sub rationibus apparenter veris à voluntate imperatæ est peccatum oppositum restitudini prudentiæ, mortale vel venniale pro ratione affectûs, qui subest, aut nocumento quod proximo subsequitur.* Ita Vulpes, Lessius &c. Probatur 1. ex Scriptura Isai. 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* 2. ad Corinth. 4. *Sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum DEI, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram DEO.* Atqui non dicitur væ in scriptura nisi propter peccatum, neque aliquid prohibet graviter nisi sit peccaminosum, ergo. Hujus vitii author est diabolus, nam Genesis 3. dicitur: *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus DEUS.*

Astutia vitium est.

Probatur 2. Ex Patribus Augustino Epist. 29. ubi ait: *Sunt autem quædam quia tantum vitia sunt, ideo contraria, quadam tamen specie fallaci similia, ut eidem prudentiæ, non imprudentia, sed astutia. Nunc enim eam dico astutiam, quæ ujitatium in malitiosis intelligi & vocari solet.* Ergo astutia est prudentiæ opposita, & malitiosa est. Hinc graviter eam reprehendit ulterius S. Gregorius lib. 10. Moral. cap. 16. in cap. 2. Job dicens: *Deridetur justi simplicitas. Hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ vera sunt falsa demonstrare, quæ falsa sunt, vera ostendere, &c.* atque subjungit: *Hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas urbanitas vocatur.*

Astutia est peccatum oppositum Prudentiæ.

Probatur 3. Ex Philosopho 6. Eth. c. 10. ubi docet: Ad rectitudinem consilii ex prudentia duo requiri Primò finis honestatem. Secundò mediorum utilium proportionem, ait enim: Neque enim hoc est bene consulere, per quod assequitur, quod oportet, sed non per quod oportebat, sed astutia eligit media, quæ non oportet, dum ad tegendum finem pravum adhibet media licita, aut ad tegendam falsitatem utitur rationibus apparenter veris, ergo astutia est vitium Prudentiæ oppositum.

Habet tamen similitudinem & speciem quandam Prudentiæ fallacem, ut loquitur S. Augustinus, quia convenit cum Prudentia,

Digitized by Google

dentia, quòd ſic conſiliativa, judicativa, præceptiva, differt autem per rationem formalem virtutis & vitii. Prudentia procedit ex ſolo lumine rectæ rationis, aſtutia abutitur natura dono rationis ex malitia voluntatis conſentientis appetitui ſenſitivo. Prudentia præſcribit virtutibus medium: Aſtutia nullum curat mediocritatem, unde falſa eſt, & prudentia carnis dici poteſt.

OPPONITUR Authoritas Scripturæ, nam Salomon in Proverbiis cap. 1. dicit ſe ea ſcripſiſſe: *Ut detur parvulis aſtutia, adoleſcenti ſcientia & intellectus*, ergo aſtutia non eſt peccatum ſecundùm ſe. Reſpond. cum S. Auguſtino lib. 4. contra Julianum cap. 3. Abuſivè in præfato loco aſtutiam accipi in bono pro vera prudentia, ſicut ibidem abuſivè in malum aſtutia dicitur ſapientia, ſcilicet ſimilitudinaria in eo ſenſu, quo Chriſtus Dominus Lucæ 16. dicit: *Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet: quia filii hujus ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.*

Inſtabis Proverb. 13. dicitur: *Aſtutus omnia agit cum conſilio, qui autem fatuus eſt, aperit ſtultitiam*, ſed prudens agit omnia cum conſilio, ergo aſtutia erit prudentia non vitium oppoſitum. Reſpond. negando conſequent. Quia etiam hic abuſivè accipitur, ut patet ex contextu.

4 Dolus eſt peccatum intellectus, à voluntate imperatum.

DICO 3. *Dolus eſt peccatum ab aſtutia generatum, conſiſtens in judicio & actu præceptivo intellectûs, præcedente voluntatis imperio antecedentis dolum per actus exteriores exequendum.* Probatur 1. conſiſtere in intellectu ex Pſalm. 37. *Dolos tota die meditabantur.* Deinde in voluntate ex Eccleſiaſt. 19. *Et eſt qui emittit verbum certum enarrans veritatem. Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora ejus plena ſunt dolo.* Tertiò in actibus exterioribus, ut Pſalm. 49. *Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.* Et Pſalm. 51. *Tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua: ſicut novacula acuta feciſti dolum.* Verùm non modò in lingua ſed etiam in aliis actibus Pſalm. 104. *Ut dolos facerent in ſervos tuos.* Confirmatur ulterius ex Actibus Apoſtolorum cap. 13. *O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns ſolem usque ad tempus.* Ubi ſupponitur primò dolus in actibus exterioribus imperatus ab intellectu & voluntate, peccaminoſus etiam, utpote conſtituens filium diaboli, quòd autem ab intellectu originetur, ſatis inſinuatur ex pœna non videndi ſolem, ad intellectum enim pertinet veritatem inſtar ſolis videre, judicare, & dictare.

Probatur 2. ex D. Auguſtino tract. 7. in Joann. ubi dicit: *Omnis qui verba Latina intelligit, ſcit quia dolus eſt, cùm aliud agitur, & aliud fingitur.* Et paulò poſt ſubjungit: *Dolus fraus eſt, ſimulatio eſt. Quando aliquis aliquid in corde tegit, & aliud loquitur: dolus eſt, & tanquam duo corda habet. Unum quaſi ſinum cordis habet, ubi videt veritatem: & alterum ſinum, ubi concipit mendacium. Et ut noveritis hunc eſſe dolum, dictum eſt in Pſalmis: Labia dolosa. Quid eſt, labia dolosa? ſequitur: In corde & corde locuti ſunt mala. Quid eſt in corde & corde; niſi duplici corde?*

5 Fraus eſt peccatum ab aſtutia ortum.

DICO 4. *Fraus in actibus exterioribus humanis ſive in dictis, ſive in factis, præcipuè in contractibus eſt peccatum ex aſtutia ortum directè contra juſtitiam.* Ita Vulpes. Probatur 1. Ex Scriptura Exodi 22. *Si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos, & jurabit, quòd non extenderit manum in rem proximi ſui, ad perpetrandam fraudem, tam in bove, quàm in aſino, & ove ac veſtimento, & quidquid damnum inferre poteſt.* Ubi clarè revocatur ad furtum. Et Levitici 6. *Convicta delicti reddet omnia quæ per fraudem voluit obtinere, integra, & quintum inſuper partem Domino, cui damnum intulerat.* Ex genere eſt peccatum mortale contra præceptum non furtum facies. Unde apud D. Marcum expreſsè recenſetur in propria ſpecie inter præcepta Decalogi cap. 10. *Præcepta noſti: Ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falſum teſtimonium dixeris, ne fraudem feceris.* Itaque fraus à voluntate imperatur directè contra juſtitiam directè ex aſtutia intellectûs illam excogitantis, ſaltem ex malitia voluntatis, adeòque ex genere ſuo eſt mortalis contra legem DEI graviter obligantem, cum magna deliberatione in actum exteriorem deducta.

6 Sollicitudo immoderata temporalium eſt vitioſa.

DICO 5. *Sollicitudo rerum temporalium eſt formaliter actus intellectus excitata ab appetitu ſenſitivo, quæ ſi ad neceſſaria tantùm ſe extendat non eſt mala aut turpis, bene ſi inordinata fuerit, tunc plus vel minus erit peccaminoſa.* Probatur 1. pars: Quia ſollicitudo non eſt deſiderium, cupiditas, concupiſcentia, ſed eſt ſtudium, inquiſitio, inventio, & mentis occupatio acquirendi res temporales ſive neceſſarias ad conſervationem ſui, ſive ad delectationes, ſive ob luxum, aut ob faſtum, ergo ſollicitudo eſt formaliter actus intellectûs. Probatur 2. pars. Scilicet moderatam non eſſe peccaminoſam ex Proverb. 6. *Vade ad formicam 6 piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam, quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.* Et Proverb. 10. *Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt, qui autem ſtertit æſtate filius confuſionis.*

Probatur Ratione ſcripturiſtica 1. Quia omnia temporalia homini ſubjecta ſunt ad uſum licitum pro ſua ſuſtentatione, & aliorum ſublevamine, unde Geneſ. 2. dicitur: *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli*, & Pſalmiſtica Pſal. 8. ait: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi.*

Probatur hoc ipſum Ratione 2. Quia

DEUS

Digitized by Google

DEUS non vult, ut homini omnia neceſſaria ad vitam ſponte & ſine ulla ipſius cura obveniant, nam hoc eſſet fovere otium, malorum omnium originem, *Multam enim malitiam docuit otioſitas* teſte Eccleſiaſtico cap. 33. unde communiter dicitur, *Pulvinar diaboli*. Imò DEUS vult pro ſtatu naturæ lapſæ, ut homo in ſudore vultus ſui manducet panem ſuum.

Probatur 3. pars ex Matth. 6. *Nolite ergo ſolliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Et 1. Timoth. 6. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Ergo immoderata ſollicitudo acquirendi bona temporalia eſt illicita & peccaminoſa. Et Ratio eſt, quia impedit hominem ab amore DEI, inducit illum in multas curas, & pericula peccatorum, nam ut ibidem Paulus dicit: *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.*

7 Sollicitudo de futuris ſpiritualibus eſt homini neceſſaria.

DICO 6. *Sollicitudo de rebus futuris ſpiritualibus ad ſalutem neceſſariis homini cuilibet eſt neceſſaria, de rebus autem temporalibus nonniſi in quantum hic & nunc oportet.* Probatur 1. pars ex Michææ cap. 6. *Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: Utique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum DEO tuo.* Marci 13. *Videte, vigilate, & orate: neſcitis enim* quando tempus ſit. Lucæ 21. *Vigilate* itaque omni tempore orantes, ut *digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis.* In quibus omnibus locis ſatis infinuatur hommi eſſe neceſſariam ſollicitudinem de rebus ſpiritualibus ſibi obventuris & futuris, unde de inſipientibus & negligentibus conqueritur Moyſes: *Utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent.* Deuter. 32. Probatur 2. pars: Quia ſollicitudo de rebus futuris temporalibus cum debitis circumſtantiis temporis, loci, neceſſitatis, & finis eſt rationabilis ac conformis legi naturæ, habétque finem honeſtum, ergo etiam de rebus ſpiritualibus futuris cum diſcretione ſollicitum eſſe, non eſt vitium. Probatur antec. Quia eſt actus providentiæ, ergo eſt honeſtus, nec alicubi in ſcriptura abſolutè damnatur, bene tamen immoderata, & nè propter iſta DEO præcisè *ſerviatur, & ob inopiæ timorem juſtitia deſeratur*, ait Beda lib. 4. c. 54.

Ad Aphoriſmum, & Materiam præcedentem ſit

Quæſtio Ethica.

Quæ ſint Regulæ Prudentiæ?

1 Prudentiæ Regulæ.

DIverſas diverſimodè proponunt, præcipuè D. Bernardus & S. Bonaventura particulariter pro Religioſis, verùm univerſales pro omnibus ſequentes eſſe poſſunt: Prima eſt, Scire quærere prudentiam & Sapientiam à DEO, quam habet D. Jacobus cap. 1. in Epiſt. Cathol. *Si quis autem veſtrûm indiget ſapientiâ, poſtulet à DEO, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei.* Secundò. In agibilibus non proprio fidere ingenio, ſed alieno uti conſilio, quia plures oculi plura vident, & nemo in ſua cauſa poteſt eſſe Judex. *Fili ſine conſilio nihil facies, & poſt factum non pœnitebit*, inquit Eccleſiaſt. Tertiò. Studere in ejus moderandis affectibus: Reſpice rei finem nullo affectuum reſpectu. Pueri externam tantum ſpeciem intuentur, & judicant de ſenſu ſine ratione. Non omne, quod ſplendet, aurum eſt. Si rectè vis judicare, amor cognatorum, amor favorum, amor munerum ſeponendus eſt. Quartò. Studere animi demiſſioni, Humilitas plurimum valet acquirendam prudentiam, periculoſum eſt vitium, ſi ſperat ſe quis prudentem fore, aut putat ſe prudentem eſſe, quando exiguo quodam lumine præditus ſe aliis prætert. Quintò. Cum omnibus agendum candidè & ſincerè etiam cum non ſinceris, ſic enim ſi ſinceri ſincerè conſilium petunt, ſecurè juvantur: ſi verò non ſint ſinceri, non ſincere tecum agant, ſuo vitio decipiuntur, quia credunt eodem modo ſecum agi, quo modo illi agunt. Incidunt ergo in foveam, quam parabant conſulenti, unde D. Bonaventura in manu ſua Religioſa: *Omne quodcunque facitis fideliter ex animo, hominibus & Domino, non ſervientes oculis.* Sexto. Qui vult alios corrigere vel docere, debet huic rei bis ſtudere, ſemel pro ſe, & iterum pro alio, prius permandere cibum, quàm ſtomacho tradat digerendum. Septimò. Religioſus qui in quiete vult vivere, nunquam interroget, quid alii de ipſo ſentiant, quamdiu aliorum ſenſus nos latent, tamdiu ex amore naturali quodam ſupponimus, omnes de nobis rectè ſentire, & ita vitamus infinitos disguſtus, & innumeras amaritudines: & viciſſim ſecundùm S. Bonaventuram de aliis quoq; non judicare: *Defectus vides, quid ad te? qui ſtas, cura non cadere, attende tibi, noſce te, mitémque JESU M ſequere.* Octava eſt maximè pro Religioſis, ſi quando accidat, ut ſuperior correctionem adhibeat, ſis nocens, ſis innocens, nè verbo tamen te purga, hanc ante tradidit quoque S. Bonaventura citatus: *Si cupis eſſe amabilis, fatere culpam jugiter, peccator es, humiliter dic ſervum ſum inutilis:* quia excuſationibus nihil aliud efficitur, quàm ut delicti memoria refricetur, cujus ſuperior plerumque poſt datam monitionem oblivificitur.

Quæſtio

Quæſtio altera.

Quænam ſint ſigna Imprudentiæ.

TYmpius in ſpeculo Magiſtratûs ponit hæc: Primò Pertinaciam. Secundò Superbiam. Tertiò, Garrulitatem, conſilium enim dicitur à Silendo, & ſecretum eſt conſilii anima, unde conſiliarius obſignare debet ſilentio conſilia. Hinc Martini IV. Pontificis Legato reſpondit Petrus Arragoniæ Rex: *Ego interiorem tunicam lacerarem, ſi cogitationum mearum conſcium te ſcirem.* Quartò, Paſſiones. Fridericus III. Imperator convocatis aliquando Senatoribus dixit: Utinam mei conſiliarii duas res in palatium non afferrent ſimulationem & diſſimulationem. Malè enim conſultatur, ſi privatæ affectus conſilium comitatur. Quintò Præcipitationem. Carolus V. dicebat: Saturnus ſupremus Planetarum tardiſſimè circumagitur, huic ſimiles debent eſſe Principes, & in agendo non eſſe præcipitantes, nimirum *ſat cito, ſi ſat bene. Et nullus conſiliarius melior tempore*, inquit Gregorius Nazianz. & *Scelera impetu; conſilia morâ valeſcunt*, inquit Tacitus d. 1.

ETHICÆ SACRÆ

APHORISMUS SEPTIMUS.

Nolite inebriari vino. ad Epheſios 5. v. 18.

De

Vita temperatè agenda.

SYMBOLUM.

De torrente in via bibent, propterea exaltabunt Pſal. 109

GNOMA

Non eſt regnum DEI eſca & potus, ſed juſtitia, ad Rom. 14. v. 17.

Declaratio Aphoriſmi & Symboli.

1. Intemperantiæ mala.

DOſtquam Doctor Gentium Epheſios ſuos cohortatus fuiſſet ad perſeverandum in gratia DEI, & doctrina acceptadicens: *Nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas DEI*, ſtatim verſu ſequenti ſubjungit: *Nolite inebriari vino*, oſtendens hunc eſſe neceſſarium Ethicæ ſacræ Aphoriſmum, & ratio eſt manifeſta, nam Excellentiſſimus antiquæ legis Ethicus Eccleſiaſtici 19. dixit: *Operarius ebrioſus non locupletabitur*, prout quotidiana teſtatur experientia, quod etiam antè Salomon prænonuerat Proverb. 23. *Vacantes potibus & dantes ſymbola conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio.* Nec hic ſubſiſtit, quin etiam *vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.* Ubi probabiliter alluditad Prophetiam Oſeæ cap. 4. *Fornicatio, & vinum,*

vinum, & ebrietas auferunt cor, ut non intelligat vias Domini, & perseveret in ejus mandatis, quare paulatim decidunt de fide, spe, charitate, omnibus virtutibus, & tandem ab ipso deviant DEO, nam ut præclarè advertit S. Hieronymus, non fruſtra conjunxit *vinum & fœminas* in lib. contra Jovinian. quia *Ventri vicina sunt genitalia, & venter vino æſtuat, deſumat in libidines.* Verum S. Ambroſius utrumque disjungit in lib. de Elia & jejunio cap. 18. interrogans: *Si vinum & mulieres diſcedere faciant à DEO, quòd vel ebrietas vel libido prævaricationis illecebræ ſint, ſi ſingula & ſeparata hæc faciunt, quid facient unita?* nam teſte ſapiente cap. 26. ſola *mulier ebrioſa, ira magna, & turpitudinem ſuam non celabit.* Proinde Spiritus S. quosquos ſibi elegit ab ebrietate deterruit, nam Judicum 13. *Quidquid ex vinea naſcitur, non comedat: vinum & ſiceram non bibat.* Et hæc erat univerſalis Nazaræorum obſervantia. Similiter Recchabitæ Jeremiæ 35. *Non biberunt vinum: quia Jonadab filius Rechab pater noſter præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filii veſtri usque in ſempiternum.* De Joanne Baptiſta quoque dixit Angelus Lucæ 1. *Erit enim magnus coram Domino: & vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu S. replebitur adhuc ex utero matris.*

Tam apud Hagiographos, quàm profanos ſcriptores Temperantiæ ſymbolum ſemper extitit Aqua, unde *Nilus*, Hebræis *Geon*, qui terram Æthiopiæ perfluit, atque nigredinem peccatorum repræſentat, & Ægyptum, quæ delitiarum & voluptatum typus eſt, alluit, pro temperantia apud ipſos poſitus fuit, quem Iſraëlitæ tranſire jubentur, ut ab Æthiopiæ vitiis mundentur, & agnum Paſchalẽ feſtinanter manducent, nec ſe rurſus inquinamẽtis Ægyptiis maculent, ſicut agnus enim caſtitatis & puritatis figura eſt, ita Nilus & aqua temperantiæ ſymbolum jure merito cenſetur, quamobrem animarum ſanctarum depuratarum & virginum ſponſus Agno comparatur, prout eum vidit Joannes Apocalypſ. 14. *Et vidi, & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis.* Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt; Idem quoque pro externa confirmatione veritatis æternæ vidit St. Clemens Pontifex, & glorioſus Chriſti Vicarius, *ſupra montem Agnum ſtantem, ſub cujus pede fons vivus emanat*, non alia profectò ratione, niſi ut caſtæ & temperantes animæ illo ſalutari recrearentur fluvio, & omnem libidinis excluderent æſtum, ideóque non potuì melius pro temperantiæ ponere ſchemate, quàm Nilum hunc cœleſtem, de cujus torrente innocentes genii bibant, qui aliquando exaltaturi ſunt caput ſuum in gloria, quando temperantiæ meritis & virtutibus ab ea o-

Idem quoque fecit Amicus ſponſi, qui pœnitentiam agens eâmque prædicans ad Jordanis fluenta habitabat, & mel ſylveſtre ac locuſtas manducabat, teſtante ſacra pagina, per locuſtam autem, quæ aliter ſtas, dicitur ſtellio, Ægyptii modeſtiam, temperantiam intelligebant, ut habet Pierius, ut ſe igitur Joannes demonſtraret Angelum eſſe in carne non ſolùm aquam de torrente bibit, ſed & locuſtas edit, fuiſſe porrò veras locuſtas expreſè docent interpretes, ſufficiat unus Adamantius, qui hom. 11. in Lucam dicit: *Non habuit domeſticum mel, & humanâ diligentiâ percolatum, ſed ſylveſtre, minus quippe jucundi ſaporis: utpote qui eo ad vitæ tantùm uſum & neceſſitatem, non ad delitias uteretur, ex alitibus non grande, pinguéve ullum, quo ſe liberius invitare poſſet, non aërivolam, quæ cibum præberet delicatiorem, ſed exiguum admodum volucre, quod vix à terra ſurgeret, ſalitarétque potius quàm volaret*, id eſt, locuſtam. Accommodè proinde cenſeo Temperantiæ ſymbolum in quinque ſenſuum exteriorum Geniis, locuſtis & aqua contentis expreſſiſſe *Initium enim vitæ hominis aqua & panis* ait Ethicus noſter Eccleſ. 29. *Vinum verò in jucunditatem creatum eſt, & non ad ebrietatem ab initio.* Idem cap. 31. Et ideo etiam olim erat vita longævior, ſanitas conſtantior, & rarior infirmitas, nunc autem ab epularum diverſitate, vinorum ingurgitatione, lacrymæ iſtæ ſequuntur, morbi, miſeriæ, & ipſa præcox mors, nam ut Seneca Epiſt. 58. dicit: *Poteſt frugalitas producere ſenectutem.* Et Epiſt. 108. *Bonæ valetudini contraria ſunt varia alimenta, & noſtris aliena corporibus* quod confirmat Ariſtoteles Problem. 1. 15. *Variorum ciborum turbulenta, neque æqualis concoctio eſt.* Et Plutarchus 4. Synop. 1. *Multiplici victu ſimplex, & paratu, & concoctu facilior.* Verum exceſſus in eſu non ſolum corporibus nocet, ſenſus hebetat, ſed etiam ab omni exercitio impedit virtutum, nam S. Leone teſte Serm. 4. in jeſun. Pent. *Non enim ſenſum, intellectum, ſapientiam, prudentiam &c. poteſt fatietas generare, quem parcitas.* Turpe autem eſt, ut notat Tertull. ad Mart. *Carnem ſagino, & ſpiritum eſurire. Vinum* enim ait Arnobius lib. 2. *nervos debilitat omnium virtutum, nec ab homine non ſobrio*, Cicer. 2. Philipp. *poſtulanda eſt prudentia.*

Ob has cauſas etiam Ethnicos Intemperantiæ vitia graviter horruiſſe apparet, & quid mirum, nam & beſtiæ ipſæ vitium horrent, ut Pierius ſcribit ex Plutarcho in Syrio, cùm Elephas quidam educaretur, magiſter accepta hordei menſura, dimidium ſingulis diebus intervertebat, cumq; aliquando præſente Domino totam illi menſuram appoſuiſſet, ſimulatque animadvertit Elephantus duplicatam eſſe pabuli portionem, hordeum id in partes duas promuſcide disgregavit, tam æquas, ac

3 Joannes Baptiſta manducavit locuſtas.

a Nilus Temperantiæ Symbolum

4 Elephas eſt temperans.

Digitized by Google

ac si vel modio quis dimensus esset, unaq; magistro portione derelicta, consuetam sibi partem absumpsit. In semetipso quoque reprehendit Seneca in Epistola quadam sic scribens: *Scito mi Lucilli, vehementer me indignari & queri non de amico vel inimico, sed de meipso, idque hanc ob causam, quòd me annis senem video, & in vitiis juvenem sentio, ita quidem ut exiguum admodum sit, quod deos oculi, & longè minus quo hominibus profui.* Et porrò ait: *Qui senem se esse gloriatur, & senis honorem expetit, in victu temperans, in vestitu honestus, in potu sobrius, in sermone verax, in consiliis prudens, in doloribus denique quibus oppugnatur tolerans, & à vitiis quibus tentatur, purissimus sit oportet.* Ego cùm Fabiano Quintiliano Declamat. 15. optarem: *O si quis posset* non solum intemperantiæ, *sed odium omnium bibere vitiorum*, nam convenit fugare, ac modis omnibus resecare morbum à corpore, insciciam ab animo, luxuriam à ventre, seditionem à civitate, discordiam à familia, in summa ab omni negotio intemperantiam, ait Neander apud Guevarram, & viceversa opto utinam de torrente mortificationis possem haurire ad ebrietatem, amorem temperantiæ, & omnium aliarum virtutum! ut autem natura temperantiæ cognoscatur, sit:

DISPUTATIO II.

De

Temperantia.

AB imperfectioribus incipio, ut in perfectissima, quæ est Justitia, finiam, quamvis S. Gregorio Nazianzeno in Orat. de Paupert. teste, nequaquam inventu facile sit, quænam inter virtutes excellat, ut ei palma victoriæ tribuatur, quemadmodum nec in prato odorifero, ac variis floribus distincto, flosculum discernere & fragrantissimum, cùm alius aliter aspectum & odoratum ad se rapiat, atque ut decerpatur, persuadeat, nihilominus communis Theologorum opinio tenet Temperantiam infimum locum obtinere: Tum ex ratione objecti & effectûs: Tum ratione modi operandi, quare etiam post examen intellectualis virtutis scilicet Prudentiæ, inter appetitiva ab imperfectiori incipio, ut gradatim procedendo in perfectissima finiam Justitia, in reliquo explicandi modum servabo eundem sicut in priori disputatione, sit igitur

Quæstio I.

Quid sit Temperantia?

1 Temperantiæ diversæ acceptiones.

TEmperantia secundùm Scotum in 3. d. 34. quæst. un. sub litt. K. est priè *habitus* perfectivus appetitûs *concupiscibilis*. Quo alioquin solet in delectabilia carnis ferri, quem proinde Temperantia refrænat.

NOTANDUM 1. Temperantiam tripliciter accipi posse, ut ex Richardo notat noster Aretinus Primò generaliter secundùm latitudinem significationis quid nominis pro virtute aliqua, quæ temperiem in suis actibus & affectibus potentiæ servat: Temperare enim idem est ac modum rei imponere, unde in hac amplitudine significat habitum temperantem seu moderantem actum appetitûs juxta regulam rationis, hæc enim actionibus humanis modum imponit, & mediocritatem quasi temperiem præscribit, sed in hac acceptione non est specialis virtus, sed sicut prudentia in omnibus virtutibus ingreditur, ita etiam hæc temperantia in qualibet virtute morali includitur tanquam mediocritas & temperies ejus, nam Justitia retrahit affectum & temperat affectum & desiderium acquirendi temporalia, ne fiat per iniquos contractus &c. Secundò & propriè accipitur pro habitu moderante appetitum circa delectabilia corporalia & concupiscibilia caduca, & sic est specialis virtus, moralis, & cardinalis appellata, de qua hic agendum est. Pro

2 Concupiscibilia sunt duo.

NOTANDUM 2. Concupiscibilia prima sunt duo ex Doctore in 3. d. 34. scilicet Honor, & voluptas, vel delectatio strictè sumpta. Aliter ponitur quòd primò bonum est conveniens, & hoc vel honestum vel delectabile, sive utile etiam; sed utile non potest esse primò motivum ad concupiscendum, quia non concupiscitur, nisi in ordine ad aliud. Idem concludit illud 1. Joann. 2. *Omne quod est in mundo &c.* Nam concupiscentia oculorum, quæ scilicet respicit divitias, non potest esse prima, loquendo de divitiis, in quantum sunt bonum utile, & non delectabile. Quod si loquamur de divitiis in quantum sunt pulchræ, hoc est in quantum sunt bonum delectabile; sic possunt primò concupisci, sicut aliud pulchrum visibile, ita quod prima concupiscibilia, ut dictum est, à natura rationali sunt honor, & delectatio strictè sumpta.

Digitized by Google

NOTANDUM 3. Temperantiam utrumque quidem moderari concupiſcibile, & refrænare appetitum tam circa honorem, quàm circa delectationem, tamen principalius verſari circa delectationes corporales, quæ oriuntur ex guſtu & tactu, ita quòd primariò incumbat in moderandis delectationibus, quæ oriuntur ex cibo & potu, atque venereorum uſu, hæc enim cùm turpiſſima ſint, & beſtiis communia, adeóque neceſſaria eſt virtus, quæ ſimiles delectationes refrænet, & ordinet, ut juxta rationis præſcriptum fiant, & hæc eſt Temperantia, quàm dum definio

3 Temperantia deſcribitur,

DICO 1. *Temperantia eſt virtus moralis moderativa paſſionum appetitûs concupiſcibilis circa ea quæ verſantur circa delectabilia corporis ſecundùm ſenſum tactûs in uſu cibi & potûs, & venereorum.* Ita tradit Ariſtoteles 3. Ethic. 10. D. Auguſtinus eam ſic definit lib. 1. de lib. arbitr. cap. 13. *Temperantia eſt affectio coërcens & cohibens appetitum abſtis rebus, quæ turpiter appetuntur.* Et lib. 83. qq. q. 31. *Temperantia eſt rationis in libidinem atque alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio.* Unde virtutis hujus materia ſunt delectationes corporales ſecundùm ipſum, non omnes, ſed quæ percipiuntur tactu ex eſculentis, poculentis, & venereis. Dixi *corporales*, quia ut docet Ariſtoteles ſuprà: Delectationes quædam ſunt ſpirituales, quædam corporales: *Spirituales* ſunt quæ ſequuntur operationem mentis, ut ſunt omnes, quæ ex contemplatione divinorum, vel naturalium, vel cujuscunque veritatis naſcuntur, item ex honoribus, garritionibus, circa quæ non eſt propriè temperantia, non dicitur enim quis propriè temperans, vel intemperans, quòd hujusmodi delectationes moderatè, vel præter modùm quærat, ſed vel curioſus, vel ambitioſus, vel alio nomine, impropriè tamen poſſunt dici intemperantes, qui in rebus ſpiritualibus ſenſibilem quandam ſuavitatem nimiùm ſectantur, quaſi hæc ſit præcipuus ejus fructus, non quòd talis delectatio ſit mala vel prohibita, ſed quia pluris, quàm oportet æſtimatur, & ſolidæ virtuti præponitur. *Corporales* ſunt, quæ capiuntur per ſenſus externos, ſed neq; circa has omnes verſatur hæc virtus, quia nemo judicatur temperans aut intemperans, quòd aſpectu cælorum aut figurarum, aut cantu & odoribus moderatè vel immoderatè delectetur, niſi quatenus hæc incitant ad delectationes guſtûs & tactûs. Primario igitur verſatur Temperantia in voluptatibus guſtûs & tactûs moderandis. Secundariò circa oblectationes aliorum ſenſuum, nimirum quatenus horum objecta ad voluptates guſtûs & tactûs mediante imaginatione incitant, ejusdem enim virtutis eſt moderari finem & ea quæ ſunt ad finem. Obſervat tamen Ariſtoteles 3. Ethic. 10. quòd delectatio guſtûs, ſi per ſe & ſolitariè ſpectetur, non eſt ſufficiens materia temperantiæ: Tum, quia hæc non magni æſtimatur, nec magnam difficultatem affert, ut patet in iis, qui vina probandi gratiâ deguſtant, aut obſonia condiunt: Tum, quia non dicitur quis intemperans, quòd in deliciis ciborum & ſaporum oblectamentis excedat, ſi in aliis modum ſervet, ſed dicitur delicatus: Tum, quia præcipua delectatio cibi & potûs non eſt in guſtando, ſed in fruendo, quæ fruitio fit per contactum maximè dum trajiciuntur per Oſephagum, unde fuit quidam Paraſitus Philoxenus nomine, qui collum gruis ſibi optabat, quo diutius cibi potûsque delectatione frueretur. De hoc Philoxeno tradit Plutarchus, quod conviviis adhibitus ſe in pultaria ſoleret emungere, ut reliquis rei fœditate abhorrentibus ſolus epulis frueretur. Idem etiam traditur de Gnathone quodam Siculo.

4 Temperantia verſatur ſecundario ad moderandum appetitum honorum.

DICO 2. *Temperantia verſatur ſecundariò ad moderandum appetitum concupiſcibilem, in ordine ad moderate affectandos honores & dignitates.* Hæc eſt Doctoris in 3. diſt. 34. qu. unic. §. His intellectis, ubi ait: Duas ſpecies temperantiæ enumerat Salvator inter beatitudines, ſcilicet humilitatem; quæ moderatur, circa primum delectabile ſcilicet honorem & hanc exprimit ibi: *Beati pauperes ſpiritu.* Ubi ſecundùm Auguſtinum recti intelliguntur pauperes ſpiritu recti, ac timentes DEUM, non habentes inflantem ſpiritum. Aliam ſpeciem moderantem voluptates in communi, exprimit illud, *beati mundo corde* &c. Munditia enim cordis eſt immunitas voluntatis ab omni inordinata affectione vel delectatione, tam rationis ſui, quàm rationis appetituum ſenſitivorum, quibus conjungitur. Probatur ulterius ex S. Auguſtino lib. 1. de Moribus Manichæ. cap. 21. ubi dicit: *Gloria verò popularis ſic in Novo Teſtamento abjicitur atque contemnitur. Si hominibus, inquit Apoſtolus, placere vellem, Chriſti ſervus non eſſem: Eſt item aliud quod de corporibus per imagines quasdam concipit anima, & eam vocat rerum ſcientiam. Quamobrem rectè etiam curioſi eſſe prohibemur, quod magnum temperantiæ munus eſt.* Et tandem poſt multa concludit: *Habet igitur temperans vir in hujuſcemodi rebus mortalibus & fluentibus, vitæ regulam utroque Teſtamento firmatam: ut eorum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet, ſed ad vitæ hujus atque officiorum neceſſitatem quantum ſatis eſt, aſurpet, utentis modeſtia, non amantis affectu.*

5 Temperantia eſt virtus Cardinalis ab aliis diſtincta.

DICO 3. *Temperantia eſt virtus Cardinalis ſpecificè ab aliis diſtincta.* Hæc eſt Doctoris ſuprà, Aretini, & communis Theologorum. Probatur 1. Quia contingit quosdam immoderatè delectari in delectationibus corporeis ciborum & potuum, ac venereorum, poteſt enim aliquis man-

manducare & bibere plus quam oportet, & viceversa potest aliquis deficere in nutriendo corpore quantum ad submini-ſtrationem cibi & potûs, non tantum edendo vel bibendo quantum requiritur, ut corpus ſit habile & aptum inſtrumentum ad functiones animæ debitè exercendas, ſed ubicunque dabilis eſt talis exceſſus vel defectus, neceſſaria eſt virtus diſtincta & habitus inclinans ad moderandas has paſſiones, ad quas alii habitus non ſunt nati inclinare, ergo. Probatur maj. ex D. Dionyſio cap. 4. de divinis nominibus: *Bonum hominis eſt eſſe ſecundùm rationem, & difficile eſt eſſe ſecundùm rationem,* ergo neceſſarius eſt habitus facilitatem præbens, quæ eſt temperantia in caſu præſenti, ut docet Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 9. ubi docet temperatum per temperantiam medio modo ſe habere ad delectationes per comparationem ad rectum judicium rationis. Concluſio tamen hæc intelligenda non eſt, quaſi temperantia virtus ſit ſpecies ſpecialiſſima ab aliis diſtincta, non habens ſub ſe alias ſpecies, ſed quòd ſit ſpecies diſtincta ab aliis virtutibus Cardinalibus & Theologicis, ſicut de Prudentia ſuperiùs dixi, eſt proinde etiam una unitate generis, non vero infimæ ſpeciei.

Quæstio II.

De Munere & Regulis Temperantiæ.

1 Temperantiæ materia eſt triplex.

BReviter hanc quæſtionem expediam pro ejus reſolutione: Notandum Temperantiæ materiam eſſe triplicem ſcilicet Proximam, Remotiorem & Remotiſſimam; Remotiſſima ſunt ipſa objecta delectabilia, vinum, Eſculenta, & Corpora pulchra. Remotior, eſt ipſe externus illorum uſus: Proxima verò eſt Appetitio, & delectatio ex cibo, potu, & venereis proveniens, quibus affectibus temperantia modum imponit, eos frænando & coercendo, nè in uſu objectorum delectabilium excedant, nec enim uſus ſimpliciter prohibitus eſt ſed immoderatus, ſed ſint tales, quæ mentem non obfuſcent, ſed ſui compotem perfectè relinquant. Hoc prænotato ad quæſtionem

2 Temperantiæ munus & officium.

DICO 1. *Munus & officium Temperantiæ eſt moderatè ſe habere circa delectabilia guſtûs & tactûs non ſolùm in uſu & actu externo, ſed etiam in affectibus internis, nimirum interius appetendo tantum, quantum, ubi, quando, & quomodo oportet, & etiam hac modificatione exteriùs utendo.* Hæc eſt Arctini noſtri & communis Theologorum. Probatur 1. Ex Patribus Auguſtino lib. 1. de moribus Manichæ. cap. 19. de temperantia loquens dicit: *Munus enim ejus eſt in coërcendis ſedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea quæ nos avertunt à legibus DEI, & à fructu bonitatis ejus, quod eſt (ut brevi explicem) beata vita.* D. Bernardo tract. de ordine vitæ c. 5. cap. 7. ubi ſic eam deſcribit: *Temperantia ſemper amplectenda eſt. Eſt enim modus vitæ in omni verbo vel opere. Hæc autem ſobrietatis & verecundiæ comes eſt, quæ alio nomine vocatur modeſtia. Humilitatis regulam cuſtodit, tranquillitatem animi ſervat, continentiam & caſtitatem diligit, fovet decus & honeſtatem, reſtringit ratione appetitum: iram contemnit, nec rependit contumeliam.* Adde S. Hieronymum, qui in cap. 44. Ezechiel: *Et dices ad exaſperantem* hæc de temperantia habet: *Caro ſimiliter circumciditur, ut nequaquam faciamus terrena opera, quæ pro neceſſitate corporis facere compellimur cibum capere & potum & ſomnum, & uti veſtibus, quæ tunc circumcidimus, ſi non ad delicias & ad luxuriam & ad inertiam, ſed ad neceſſitatem naturæ & corporis iſtius ſuſtentaculum cuncta facimus, qui bibit vinum propter ſtomachum, & frequentes infirmitates, & odit ebrietatem, circumcidit carnem ſuam.*

Probatur etiam Ratione: Quia omnis virtutis decor & ornatus ab intus eſt, ergo non ſolùm in actibus externis, ſed etiam in affectibus cohibendis officium temperantiæ verſabitur, quòd clarè patet à pari de fortitudine, hujus enim munus eſt non ſolùm ad extra agere, ſed etiam intra in affectibus, nam ſicut fortitudo frænat appetitum iraſcibilem in maximè delectabilibus edomat, ut non plus velit vel utatur, quam ratio vel neceſſitas expoſcit.

3 Regula duplex pro temperantia prima in cibo & potu.

DICO 2. *Ut Temperantia munus ſuum debitè peragat, alia eſt neceſſaria regula adhibendo in cibo & potu moderando, & alia in uſu, & rebus venereis.* Hæc de ſe patet: Quia Temperantia debet actus ſuos regulare proportionato modo ad finem, ſed alius eſt finis in cibo & potu moderando, alius in rebus venereis, ergo etiam alia & alia debet eſſe regula. Probatur minor: Quia in cibo & potu moderando finis eſt vitæ ſuſtentandæ neceſſitas, ſervandæ valetudinis ratio, officiorum agendorum utilitas &c. alius autem eſt finis in venereis, ergo. Probatur antec. ex D. Auguſtino lib. 1. de morib. Manich. cap. 21. pro ſecunda concluſ. in priori quæſt. cit. ubi dicit: Temperatum virum nihil appetere alio fine, *quàm ad vitæ hujus atque officiorum neceſſitatem*, ubi per neceſſitatem non intelligendum eſt ſolum illud ſine quo homo vivere non poteſt, aut ſua officia agere non valet, ſed etiam ſine quo non poſſumus commodè & convenienter proportionatè ad cujuslibet ſtatum, conditionem locorum & perſonarum quibus convivitur vitam civiliter agere, ergo in cibo & potu attendenda eſt corporis valetudo, & officiorum neceſſitas atque utilitas.

Confirmatur ex illo Sapientiæ 9. *Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Ex quo ſic argumentor: Corpus aggravat animam ex natura ſua ut deprimat

primat intellectum ſtudioſum, ergo ut illum conſervet ad functiones mentis debitè peragendas, nec ab extrinſeco magis aggravari debet crapula & potu, ut admonet Chriſtus Lucæ 21. *Attendite autem vobis, nè fortè graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus ſæculi: & ſuperveniat in vos dies illa repentina.* Nec etiam viceverſa minùs debet negari corpori de cibo & potu, nè inhabile fiat ad actus virtutis exercendos charitatis in DEUM & proximum prædicatione verbi DEI, & Sacramentorum adminiſtratione, quia per calorem naturalem vires corporis abſumuntur, quæ per cibum & potum ſunt reſarciendæ, qui in hunc finem ab ipſo Conditore ordinatæ exiſtunt.

Hinc ſicut non eſſet temperans, qui ſe vino ingurgitaret, ut officia divina non poſſet debitè peragere, ita nec ille, qui ſe ita inediâ debilitaret, ut non poſſet concionari, ſi ad hoc ex officio obligaretur. Item non eſſet temperans, qui ob ſolam voluptatem cibis & potibus indulgeret, quia nulla voluptas poteſt eſſe ratio formalis & motiva virtutis, ita nec eſſet temperans, qui ea ſumeret aut cibos inſipidos redderet modis talibus, quibus naturam deſtrueret, ergo intemperantia ſicut & in aliis virtutibus nec quid nimis, nec quid minus eſt ſumendum.

4 Regula temperantiæ in venereis.

Probatur nunc concluſio Aliam eſſe regulam Temperantiæ in venereis, quia in venereis extra conjugium ſimpliciter & abſolutè eſt abſtinendum, in conjugatis autem is adhibendus eſt uſus, qui procreationi prolium ex fine & intentione deſerviat, non qui libidinis causâ exerceatur, præclarè hoc docet S. Auguſtinus lib. de bono conjugal. cap. 6. ubi ait: *Sunt item viri usque adeò incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant, quicquid ergo inter ſe conjugati immodeſtum, inverecundum, ſordidúmve gerunt, vitium eſt hominum, non culpa nuptiarum.* Et paulò infrà: *Conjugalis enim concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiſcentiæ verò ſatiendæ ſed tamen cum conjuge propter fidem thori venialem habet culpam: adulterium verò ſive fornicatio lethalem habet culpam: ac per hoc melior eſt quidem ab omni concubitu continentia, quàm vel ipſe matrimonialis concubitus, qui ſit cauſa gignendi.*

Quæſtio III.

De Partibus integrantibus Temperantiæ.

1 Temperantiæ partes integrantes dum.

DUæ tantùm ſunt partes integrantes Temperantiæ, *Verecundia*, & *Honeſtas*: nam integrum officium Temperantiæ duabus partibus conſtat, fuga turpitudinis intemperantiæ, & amore decoris temperantiæ, ad fugam turpitudinis juvat verecundia, ad amorem decoris honeſtas. De *Verecundia*, prout hic de ea agitur, quæritur an ſit virtus vel paſſio quædam, quæ latè tamen poteſt appellari virtus, quatenus eſt laudabile fugere turpia & probro digna, quod facit hæc paſſio. *Honeſtas*, ut hic ſumitur, eſt virtus per quam temperans amat temperantiæ pulchritudinem. Unde obſervandum eſt, quòd honeſtum dupliciter in moralibus accipitur, Primò generatim, & ſic convenit omni operi virtutis, nàm ratio honeſti moralis conſiſtit in conformitate cum judicio rectæ rationis. Secundò capitur honeſtum ſtrictè pro eo in quo peculiariter elucet decor temperantiæ, hiç autem decor elucet Primò in operibus temperantiæ. Secundò in ipſo habitu virtutis, quatenus ad opera temperantiæ inclinat. Tertiò in quadam inclinatione ſpeciali, quam quidam habent ad caſtitatem & ad alia opera temperantiæ.

2 Verecundia qua ratione ſit virtus.

DICO 1. *Verecundia licèt ex ſe ſit paſſio, tamen ut per prudentiam regulatur, & ex amore pudicitiæ exercetur, virtus eſt moralis ad Temperantiam pertinens.* Hæc probatur ex Patribus: Quia S. Auguſtinus Epiſt. 52. dicit: *Nihil eſt verecundia, niſi quidam diſticendi metus*, & ingenuitatis cujusdam ac modeſtiæ nota; ut aſſerit Donatus, atque adeo in laude ponitur, differt autem à pudore naturali, quod hic ſit animi malè ſibi conſcii ob patratũ ſcelus, indicium; atqui metus talis ſi debitè reguletur virtuoſus eſſe poteſt, ergo. D. Bernardus ex S. Ambroſio lib. 1. Officiorum cap. 17. & 18. eleganter deſcribit verecundiam in ſuo tractatu de ordine vitæ & morum Inſtitut. cap. 2. hoc modo: Quam pulchra virtus verecundia, & ſuavis gratia, quæ non ſolùm in factis, ſed etiam in ipſis ſpectatur ſermonibus, ne modum progrediaris loquendo, ne quid indecorum ſermo reſonet tuus. Speculum enim mentis plerumque in verbis refulget. Ipſum ſonum vocis libret modeſtia, ne cujusquam offendat aurem vox incompoſita. Denique in ipſo canendi genere prima diſciplina verecundia eſt: imò etiam in omni uſu loquendi, ut ſenſim quis aut pſallere, aut legere, aut poſtremò loqui incipiat, ut verecunda principia commendent proceſſum. Eſt enim in oculis verecundia, qua prohibetur boni adoleſcentis pudica anima intueri, & alloqui fœminas, non ut execretur ſexum, ſed ut fugiat vitium.

3 Verecundiæ exempla.

Melliſluus Doctor in eodem tract. & cap. cit. plura adducit verecundiæ exempla in quibus verecundia inſignis fuit virtus, dicens: Amatores autem verecundiæ ſumant exemplum de Matre Domini, quæ quamvis eſſet mitiſſima, tamen præ verecundia ſalutantem ſe Angelum non reſalutavit. In ipſa verò oratione noſtra multum verecundia placet, multúmque conciliat gratiæ apud Dominum noſtrum. Nonne hæc prætulit Publicanum & commendavit

Digitized by Google

mendavit eum, qui nec oculos suos audebat ad cœlum levare? Ideo justificatur Domini judicio plus quàm ille Pharisæus, quem deformavit præsumptio. Oremus & nos in quantum possumus in incorruptione quieti & modesti Spiritus, qui est ante DEUM locuples. Paulus quoque cum orationem deferri præcipit cum verecundia & sobrietate, primam hanc & quasi præviam vult esse orationis futuræ, ut non glorietur peccatoris oratio, sed quasi colore pudoris obducta, quo plus defert verecundia de recordatione delicti, eo uberiorem mereatur gratiam. Hæc ille.

4 Honestas prosequitur temperantiæ bonum.

DICO 2. *Sicut verecundia juvat Temperantiam, ita Honestas ad prosequendam Temperantiæ pulchritudinem.* Hæc fundatur in illo Aphorismo sacro: *Declina à malo, & fac bonum*; per verecundiam declinatur à malo, per honestatem amatur bonum, unde D. Augustinus dicit Serm. 3. de Diversis apud hominem *Christianum, prima honestatis debet esse militia*, seu labor, & conatus. Imò idem S. Doctor lib. 1. de Civit. DEI cap. 30. explicat quid sit honestè converſari dicens: *Neque enim propterea cupitis habere pacem, & omni genere copiarum abundare, ut his bonis honestè utamini, hoc est, modestè, sobriè, temperanter, piè: sed ut infinita varietas voluptatum insanis effusionibus exquiratur: secundisque rebus ea mala oriantur in moribus, quæ sævientibus pejora sint hostibus.*

Quæstio IV.

De Partibus subjectivis Temperantiæ, quod ad delectabilia in cibo & potu quæ sunt Abstinentia seu Jejunium & Sobrietas.

1 Temperantiæ quatuor species.

SPecies temperantiæ ordinariè quatuor enumerantur, videlicet: *Abstinentia, Sobrietas, Castitas, & Pudicitia.* Totenim species sub hac Cardinali virtute sunt ponendæ, quot diversa objecta delectabilia quòtque materiæ & appetitus gustûs & tactûs, modique tendendi & excedendi sunt diversi, atqui delectabilia & appetitiones sunt diversæ quadrupliciter, nam in gustu potest excedi in sumendo alimento, & hunc moderatur *Abstinentia*, ut non plus sumatur, quam valetudini & officiis conveniat, de qua loquitur S. Augustinus lib. 10. Confess. c. 31. dicens: *Reficimus enim quotidianas ruinas corporis edendo & bibendo, prius quàm esca & ventrem destruas, cum occideris indigentiam meam satietate mirifica, & corruptibile hoc indueris incorruptione sempiterna. Nunc autem suavis est mihi necessitas, & adversus illam suavitatem pugno ne capiar, & quotidianum bellum gero in jejuniis sæpiùm in servitutem redigens corpus meum, & dolores mei voluptate pelluntur. Nam fames & sitis quidam dolores sunt.* Quoad potum *Sobrietas* moderatur affectum & appetitum bibendi, ne plus sumat de potu inebriare valente, quæ est propria materia hujus virtutis, nam si inebriare nequeat, non pertinebit ad hanc virtutem, quæ solummodo attendit serenitati mentis & judicii, ut eam nullo modo lædat, & functiones mentis impediat, quod est proprium hujus virtutis officium. *Castitas* autem & *Pudicitia* pertinent ad delectabilia in venereis moderandis, & hæ Delectationes pertinent ad vim generativam, quarum alia est principalis ex ipso actu conjunctionis, & circa hanc versatur Castitas; aliæ secundariæ ex osculis, tactibus, amplexibus, & circa has est Pudicitia. Castitas propriè significat puritatem quandam à venereis, tactibusque carnalibus, in quibus est quædam peculiaris turpitudo & impuritas, quæ moderatur affectum in venereis, ne plus alio tempore, modo, loco, illis utatur, quàm secundùm rectam rationem pro præsenti statu congruit. De his igitur Temperantiæ speciebus hic est agendum, & nè quæstio excrescat deduabus primis gustum concernentibus, in ista, de aliis in sequenti tractabo.

2 Abstinentia definitur.

DICO 1. *Abstinentia est virtus inordinatos affectus & delectationes in esculentis refrenans, servánsque in eorundem usu necessario debitam moderationem.* Ita Leſſius &c. Patet. Dicitur *virtus* tum ex Scriptura ad Rom. 14. *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.* Tum ex supra dictis: Tum, quia est bona qualitas mentis seu habitus inclinans ad honestam actionem: Tum, quia versatur circa difficile & arduum. Dicitur *Inordinatos affectus* &c. Quia moderatur appetitum, ut nec ad cibos illicitas feratur secundùm locum & tempus, & in licitis, ne nimis homo sit pronus & proclivis ad illos. Dicitur denique *Servans in eorum usu* &c. Quia non denegat omnem usum ciborum, quia hoc esset famem pati, sed concedit talem, qui & valetudini congruat, & ad officia subeunda sufficiat, quare D. Augustinus in Regula Monacharum dicit: *Carnem vestram domate jejuniis & abstinentia escæ & potûs quantum valetudo permittit.* Nemo enim sic abstinere debet, ut non valeat opera charitatis erga proximum exercere, aut contemplationi divinæ vacare, attamen his præcisis potest quis rigidiorem servare abstinentiam, v. g. ob satisfactionem, pœnitentiamque, ubiquoque Notandum, quòd in casu quo quis majorem abstinentiam servaret, quàm Temperantia requirit, tunc illam non fieri ex affectu hujus virtutis præcisè, sed vel ex amore pœnitentiæ ob peccata commissa, vel ex dilectione DEI, aut ad domandam febem

rebellionem carnis, & tunc etiam erit actus charitatis, pœnitentiæ, vel caſtitatis, prout fuerit diverſum motivum virtutis.

3 Jejunium perfectior abſtinentia tria acquirit.

DICO 2. *Perfectiſſimus abſtinentiæ actus eſt jejunium, quod multipliciter fieri poteſt, ſi autem fiat modo illo, quem Eccleſia præſcribit, tunc ad ritè jejunandum duo requiruntur ſcilicet abſtinentia ciborum certi generis, Refectionum plurium, & certa refectionis hora.* Ita Bellarminus tom. 4. Controv. 3. lib. 2. Probatur quoad ſingulas partes. Primò poſſe jejunium fieri multipliciter patet ex Legendis Eremitarum, & etiam ex ipſa jejunii varietate, aliud enim eſt ſpirituale de quo dixit Iſaias 58. *Nonne hoc eſt magis jejunium, quòd elegi? diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes; dimitte eos qui confracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe.* Et D. Baſilius hom. de jejunio: *Verum jejunium eſt ab omnibus vitiis abſtinere.* Aliud eſt *Naturale*, & aliud *Eccleſiaſticum*. Unde Scotus utrumque explicat in 4. d. 8. q. 3. ubi ait: Diſtinguo ergo de jejunio naturæ, & Eccleſiæ. Jejunium Eccleſiæ non ſolvitur, niſi per aliquam refectionem extraordinariam præter morem Eccleſiæ. Unde per ſpeciem ſumptionem, vel medicinalium, vel per potum ſaltem poſt prandium, non ſolvitur jejunium Eccleſiæ. Sed jejunium naturæ eſt carentia cibi ſuſcepti in ſtomacho, vel in via ad ſtomachum, ita quod intret ſtomachum in illa die à principio, ſcilicet hujus diei, à quo dicitur aliquis jejunus. Aſt ad jejunium Eccleſiæ requiri abſtinentiam ciborum certi generis pro certo tenendum contra Valentinianum, Jovinianum, & modernos hæreticos, quorum dux fuit Eraſmus, qui in Epiſtola ad Epiſcopum Baſilienſem dicit: *Paulatim irrepſit conſuetudo, quæ diem veneris piſculentam nobis reddidit, deinde ubi hoc ſucceſſit, adjuncta eſt & Sabbathi dies. Nunc etiam mercurii periclitatur, ob idque genus obſervationculas videmus homines affligi, & denique mori, ſibique Chriſtianos videri, cùm ſint Judei.* Contra hos inquam

4 Ciborum delectus neceſſarius ad jejunium.

Probatur ad jejunium requiri certorum ciborum abſtinentiam ex Daniel. 10. *Panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, ſed neque unguento unctus ſum: donec complerentur trium hebdomadarum dies.* Ubi clarè atteſtatur Prophera ſe carnem non manducâſſe, nec vinum bibiſſe per longum tempus, quia penes qualitatem & delectum ciborum etiam diuturnitas temporis requiritur Tobiæ 1. *Cùm omnes ederent ex cibis gentilium, iſte cuſtodivit animam ſuam, & nunquam contaminatus eſt in eſcis eorum.* 2. Machabæ. 6. *Igitur Eleazarus unus de primoribus ſcribarum, vir ætate profectus, & vultu decorus, aperto ore hians compellabatur carnem porcinam manducare.* Matth. 3. *Ipſe autem Joannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem ejus erat locuſtæ, & mel ſylveſtre.* Præclarum exemplum de delectu ciborum, nec Propheta ſanctus carnibus aut lacticiniis uſus eſt, ſed locuſtis & melle ſylveſtri. Denique Chriſtus jejunans nihil manducavit Matth. 4. *Et cùm jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.*

Probatur hoc ipſum 1. ex Patribus Gregorio Magno & habetur cap. 7. *Denique de Conſecra.* diſt. 4. dicente: *Par eſt, ut nos, ut qui bis diebus à carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementivam trahunt originem carnes, jejunemus à lacte videlicet caſeo & ovis.* Quem rigorem tamen temperat conſuetudo, quæ maxima eſt authoritatis ſecundum D. Auguſtinum 36. ubi ſcribens Caſulano Presbytero de jejunio Sabbathi ac reliquorum dierum adverſus Urbicum quendam, qui ſtultiſſimè de hac re ſcripſerat, dicit: *In his enim rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura divina, mos populi DEI, veſtitutaque majorum prolege tenenda ſunt.* Sicut in Germania & Belgio uſus obtinuit manducandi lacticinia; Porrò in eadem Epiſtola S. Doctor expreſſe docet, jejunandi præceptum in Novo Teſtamento reperiri, ait enim: *Ego in Evangelicis & Apoſtolicis literis, totoque inſtrumento quod appellatur Teſtamentum novum, animo id revolvens, video præceptum eſſe jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apoſtolorum non invenio definitum.* Et tandem idem Sanctus Serm. 62. de Tempore dicit: *Admoneo ut in iſto legitimo ac ſacratiſſimo tempore, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præſumat, niſi fortè ille, quem jejunare infirmitas non permittit: quia aliis diebus jejunare remedium eſt, aut præmium: in Quadrageſima non jejunare peccatum eſt. Alio tempore qui jejunat, accipiet indulgentiam: in Quadrageſima qui non jejunat, ſentiet pœnam.* Qua authoritate quoque

Probatur illud quod 2. requiritur ad jejunium ſcilicet abſtinentia à pluribus refectionibus, & ex regula Monachorum, ubi ait: *Quando autem aliqua non poteſt jejunare, non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum ſumat, niſi cùm ægrotat.* Item S. Bernardus Serm. 3. de Quadrageſ. ubi dicit: *Hactenus usque ad nonam jejunavimus ſoli: nunc usque ad veſperam jejunabunt nobiſcumpariter univerſi reges & principes, clerus & populus, nobiles & ignobiles, ſimul in unum dives & pauper.* Et quamvis alioquin in nullo jure ſit expreſſa unica refectio, uſus tamen perpetuus obtinuit, ut nonniſi ſemel & unicavice reſiciantur jejunantes, alioquin ſi plures refectiones admitterentur, corpus non ſufficienter caſtigaretur, & ſpiritu non ſubjiceretur, & ſi una non admitteretur, corpus redderetur inhabile ad alias functiones magis neceſſarias perficiendas.

Aliqui

5 Hora determinata jejunii poſitivè non requiritur.

Aliqui requirunt tertiam conditionem quoque ad jejunium, nempe ut ſervetur certa & determinata refectionis hora, quæ olim erat hora nona, ſeu noſtra tertia pomeridiana, & deducunt *ex Cap. ſolent. de Conſecrat. diſt. 1.* idque ſufficienter inſinuant Patres citati. Verùm hoc non eſt niſi accidentale jejunio, neque requiritur *poſitivè* ut ſtatuta hora ſervetur, quia poſſet quis tota die nihil manducare & veſperi refectionem ſumere, uti nos facimus die veneris ſancto, & communis apud vulgum & devotiores uſus eſt in vigilia Nativitatis veſpertino tempore primò refici, ſolum ergo requiritur hora ſtatuta *negativè*, id eſt, nè ante horam ordinariam ſumatur refectio, quæ tamen ex rationabili & honeſta cauſa etiam anticipari poteſt v. g. ob iter conficiendum, aut ob hoſpites dimittendos, nec erit unquam mortale, ſed ad ſummum veniale peccatum. Sed in contra

OPPONITUR 1. Authoritas Scripturæ Matth. 15. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem.* Lucæ 10. *In quamcunque civitatem intraveritis, & ſuſceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.* 1. Corinth. 10. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.* Et ad Coloſſ. 2. *Ne tetigeritis, neque guſtaveritis, neque contrectaveritis, quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu, ſecundùm præcepta & doctrinas hominum.* Ubi Paulus loquitur de abrogatione diſcriminis legalis in cibis, jubens ut in manducando Leviticum ciborum delectum non ſequantur, eò quòd talis abrogata lege ſit ſecundùm doctrinam & traditionem humanam, ergo. Reſpond. neg. conſequ. & ad primum locum dico, Chriſtum ibi ſolùm reprehendere Judæos volentes non lotis manibus manducare, eſſe peccatum, aut exiſtimantes, quosdam cibos fuiſſe prohibitos, quod immundi eſſent ex natura ſua, hos igitur redarguit ibi Chriſtus, alioquin nec crapula & ebrietas coinquinaret hominem, quæ tamen graviſſimum eſt peccatum, nec Adamo & poſteris nocuiſſet eſus pomi vetiti. Manichæi quoque ſomniabant carnes creatas eſſe à malo DEO, adeóque non comedendas, contra quos acriter agit D. Auguſtinus lib. 1. de moribus Eccleſ. cap. 33. docens, noſtrates jejunia gravia obſervare, non quod carnes immundæ ſint, ſed propter edomandum corpus, ait enim: *Omnia munda mundis: &, non quod intrat in os veſtrum vos coinquinat, ſed quod exit. Itaque non rejiciendis generibus ciborum quaſi pollutis, ſed concupiſcentiæ perdomandæ; & dilectioni fratrum retinendæ invigilat omnis induſtria.*

6 Chriſtus non præcipit nobis venenum manducare

Ad 2. locum Reſpond. Chriſtum ibi concedere libertatem edendi cibos appoſitos, nè delicatiores quærant, ſed ordinariis contenti exiſtant, dummodo utiles forent ad vitæ ſuſtentationem, neque enim voluit, ut venenum appoſitum ederent, aut carnem ſuillam, eo tempore quo lex Moyſis adhuc vigebat, vorarent, non tamen in citato loco conceſſit diſcipulis & nobis libertatem transgrediendi leges Eccleſiæ, quam audiri alibi graviter præcipit.

Ad 3. Textum Repono alium textum D. Pauli ad Rom. 14. *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur;* ſi ergo Doctor Gentium docet, carnes non eſſe manducandas, nè frater ſcandalizaretur, multò magis ſentiret non eſſe manducandas, ut præceptum Eccleſiæ ſervaretur. Itaque D. Paulus voluit in objecto loco liberare à ſollicitudine inquirendi, utrum eſſent vel non eſſent idolis immolatæ carnes, ac conſequenter permiſit, ut carnes in macello venditas edere poſſint, non credo tamen D. Paulum voluiſſe, ut ſanguinem, vel ſuffocata, vel carnes quas immolatas ſciret, manducarent, nam hoc erat prohibitum in Concilio Apoſtolorum Act. 15. *Viſum & Spiritui Sancto, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione; à quibus cuſtodientes vos, bene agetis. Valete.*

Reſpond. ad quartum Locum: Hic Paulus ſimpliciter loqui de legalibus ceremoniis, non verò de legibus Eccleſiæ, ut patet ex contextu, nam ibidem ad Coloſ. 2. præmiſit: *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt umbra futurorum: corpus autem Chriſti.* Unde ſenſus eſt. Ne tetigeritis, neq; contrectaveritis cadaver mortui hominis, *nec guſtaveritis* referendum eſt ad carnem ſuillam, leporinam, & alias prohibitas. D. Auguſtinus Epiſt. 59. hunc locum interpretatur de ſuperſtitioſo cultu quorundam de ſecta Angelorum, ita enim in reſolut. quæſt. 7. dicit: *Quod enim ſcriptum eſt, ne tetigeritis, ne guſtaveritis, ne attaminaveritis; tanquam præceptum putatur Apoſtoli, neſcio quid tangere, guſtare, attaminare prohibentis. Contra eſt autem, ſi tamen in tanta obſcuritate iſta non fallor. Per irriſionem quippe verba poſuit eorum, à quibus eos nolebat decipi atque ſeduci, qui diſcernentes cibos ſecundùm culturam Angelorum, atque ita de hoc mundo decernentes dicunt: Ne tetigeritis.*

7 Jejunium authoritate Eccleſiæ eſt introductum.

DICO 2. *Jejunium Eccleſiaſticum quodcunque mediante Apoſtolorum traditione authoritate Eccleſiæ eſt introductum, ſub peccato mortali eſt obligatorium ſi absque juſta ratione vel diſpenſatione violetur.* Eſt communis conſenſus omnium Theologorum. Probatur 1. pars Authoritate Patrum Hieronymi Epiſt. 56. ad Marcellam, ubi habet: *Nos unam quadrageſimam ſecundùm traditionem Apoſtolorum toto anno tempore congruo celebramus.* Leonis Serm. 6. de Quadrageſima: *Quod ergo dilectiſſimi in omni tempore unumquemque convenit facere Chriſtianum,*

num, id nunc sollicitiùs est, & devotiùs exequendum, ut Apostolica institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur. Et Serm. 9. *A sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus Sancti majora sunt instituta jejunia, ut per commune consortium crucis Christi, etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gessit, ageremus.* Probatur 2. Tum ex tanta diversitate jejuniorum quoad tempus, modum, cibos, ætatem, & exemptionem à jejunio, quæ ex consuetudine populorum fuit introducta, contra divinam verò institutionem nulla valet consuetudo, ergo. Tum, quia si Christus instituisset hoc feciſſet exemplo, quo ipse quadraginta diebus jejunavit, atqui hoc non fecit, nam illius jejunium differt plurimum à nostro, ut de se patet, nec virium nostrarum est ad tam sublimem pertingere abstinentiam, quare Ecclesia ordinavit, ut pro modulo fragilitatis humanæ per 40. dies ad Passionis & Redemptionis mysterium dignè celebrandum disponeremur.

DICES: S. Augustinus in Ps. 110. dicit: *Quadragenario numero, quo & Moyses, & Helias, & ipse Dominus jejunaverunt. Præcipitur enim nobis & ex lege & ex prophetis, & ex ipso Evangelio, quod testimonium habet à lege & prophetis (unde etiam in monte & inter utramque personam medius Salvator effulsit) ut ab omnibus mundi illecebris, quibus captivi homines obliviscuntur DEUM, aviditatem nostram tanquam jejunio temperantiæ refrenemus.* Quibus similia habet Ambrosius, Leo, &c. Respond. neg. consequ. Quia S. Augustinus ideo dicit, præcipi nobis à lege, quia ad imitationem Moysis, Eliæ, & Christi præcipitur: Tum, quia fundamentum præcipiendi habemus ex Scriptura tam veteris quàm novi Testamenti, nec enim nos jejunamus illam quadragesimam, quam Dominus jejunavit, nam teste Seraphico Patre Francisco in Regula sua cap. 3. *Sanctam verò Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit, quia voluntariè eam jejunant, benedicti sint à Domino: & qui nolunt non sint adstricti.* Adeóque facto suo non instituit, aut tempus suum determinavit, alioquin non liceret nobis immutare illud.

Probatur 2. pars. Ex Canone 68. dicitur: Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor sacram quadragesimam Paschæ, aut quartam feriam, aut Parasceven non jejunaverit, deponitur, præterquam si impeditur imbecillitate corporis, si laicus sit, communione privatur. Idem habetur in Synodo VI. in Trullo, ubi Clerici violantes jejunium debent deponi, & laici excommunicari, atqui hujusmodi pœnæ non infliguntur, nisi propter mortale peccatum. Confirmatur: Tum, quia in Conciliis antiquis ut Gangrensi, can. 19. Toletano VIII. & aliis gravissimum fuit semper judicatum peccatum vesci carnibus in Quadragesima: Tum ex gravitate præcepti, materiæ, & finis, quem Ecclesia intendit, quam qui non audierit tanquam Ethnicus, & Publicanus habendus est.

DICO 3. *Frangens jejunium Ecclesiasticum in refectione secunda solummodo peccat mortaliter, semper autem quoties manducat carnes.* Hanc tenent Durandus, Navarus, Cajetanus, Lessius, &c. Probatur 1. Quia plures refectiones in cibis licitis quadragesimæ, & jejunalibus non prohibentur, nisi quatenus earum abstinentia pertinet ad carnis mortificationem, sed sola secunda refectio potest ad hunc finem aliquid valere, non verò tertia vel quarta, ergo. Probatur min. Quia homines extra jejunium quoque non solent ultra bis manducare, & vix tertia vice aliquid notabile edere valent, aut conducibile ad carnis mortificationem, ergo. Confirmatur: Tum à praxi, quia violantes jejunium non solent se in confessione accusare, quam de violatione jejunii, nec à confessariis examinantur, an sæpius ederint, vel non, supponunt ergo nonnisi secundam refectionem peccatum esse: Tum à pari, quia si cuipiam præscriberentur commorandi & ambulandi limites, ut fecit Salomon Semei 3. Reg. 2. *Quæcunque autem die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum, sanguis tuus erit super caput tuum.* Non plus peccavit, quòd iverit Semei in Geth, quàm si iviſſet in Bethlehem, sed limites jejunii sunt non progredi extra unam refectionem, ergo si progrediatur ad tertiam vel quartam non plus peccabit, quàm per solam secundam saltem in ratione violati jejunii, quia potest ex alio capite quis per tertiam & quartam refectionem peccare, videlicet ratione nocumenti in sanitate, indispositione ad sua peragenda munia, &c. Tum: Qui ratione ætatis vel infirmitatis excusatur à jejunio, ita ut possit manducare, is potest etiam ter & quater edere, ergo præceptum jejunii non nisi secundam refectionem prohibet. Intelliges tamen de refectione completa. Probatur 2. pars: Quia esus carnium in die jejunii semper plus debito fovet carnem, & earum abstinentia pertinet ad corporis mortificationem, ergo toties quoties manducantur peccabitur mortaliter.

1 Refectione secunda in jejunio tantum peccatur.

DICO 4. *Omnes Christiani cujuscunque sint conditionis, & dignitatis ad jejunia Ecclesiastica observanda tenentur, nisi aliqui justâ causâ excusentur.* Ita Catholica fides contra Begardos, & Beguinos, qui existimabant, posse homines ad tantam ascendere perfectionem, ut impeccabiles in hac vita reddantur, in quo casu asserebant similem hominem non obligari ad jejunium, sed error iste damnatus est in Concilio Viennensi à Clemente V. Probatur 1. Ex S. Leone Serm. 11. de Quadragesima dicente: *Adest maximum sacratissimum jejunium, quod*

2 Christiani omnes ad jejunium obliganur.

Digitized by Google

quod observantiam sui universis fidelibus sine exceptione denuntiat, quia nemo tam sanctus est, ut non sanctior, nemo tam devotus est, ut non debeat esse devotior. Item ex Cartone 56. Apost. & Synodo VI. quæ est Trullana supra.

Probatur 2. Ratione: Quia causa & finis præcepti de jejunando omnibus communis est, omnes enim egent castigatione corporis, ut spiritui caro maneat subjecta, omnes egent satisfactione pro peccatis, & recuperatione vel conservatione gratiæ divinæ, ad quæ maximè conducit jejunium, unde S. Leo Serm. 4. de Quadragesi. dicit: *Magna divinæ institutionis fabricatæ provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & jejunia casta decoquerent.*

Probatur 3. pars, videlicet justam causam excusare à jejunio: Quia præcepta humana cùm non sint circa necessaria ad salutem, sed tantùm circa utilia, multi possunt occurrere casus, ob quos eorum cessat obligatio, cùm etiam in divinis quandoque admittatur benigna interpretatio, ut patet ex libris Machabæorum, qui in sabbato pugnârunt, si ab hostibus aggrederentur, ergo etiam in jejunio rationabiles occurrere possunt causæ, quæ ab ejus obligatione excusent, ubi tamen notandum est, quòd excusati à jejunio seu dispensati ad secundam refectionem licitè fiendam per hoc non relaxentur ad esum carnium, cùm hoc sit longè aliud præceptum.

10 Impotentes excusantur à Jejunio.

Causæ autem hujusmodi ad tria potissimum reducuntur capita, quæ sunt: *Impotentia, Labor & Pietas.* Ex Impotentia excusantur 1. Infirmi, convalescentes, debiles, & quicunque absque notabili nocumento jejunare non possunt, maximè si accedat Medicorum consilium. 2. Prægnantes & lactantes, quia pro se & fœtu suo copiosiore egent alimento. 3. Pauperes, qui justam refectionem habere non possunt, nec habent, non enim est mens Ecclesiæ, quòd velit cum gravi dolore similes adstringere miseros. 4. Adolescentes usque ad 21. annum completum, cum enim usque ad illud tempus natura multum distendatur, & corpus augeatur, sæpius comedere debent, ne natura patiatur, quamvis valde consultum sit, etiam adolescentes jejunare, cùm tunc natura jam lascivire incipiat. 5. Excusantur senes sicut infirmi, cùm senectus ipsa sit morbus, & quidem irreparabilis, oportet proinde valetudinem frequentiore & parciore curare cibo, & reficere. Quis autem dicendus sit senex diversimodè sentiunt Doctores, ego ajo cum vulgato axiomate: *Ille senex est, qui sentit onera senectutis*, ordinarie autem existimo à quinquagesimo vel sexagesimo anno pro diversitate complexionis incipere senectutem excusantem à jejunio, ab his enim annis deficere incipiunt vires, calor naturalis est debilior, & humidum radicale diminuitur, adjuvari ergo debent cibo & potu, ut natura conservetur.

11 Mechanici laborantes graviter, excusantur à jejunio.

Sub titulo *Laborum* excusantur, quotquot labore manuum suarum victitant, in sudore vultûs sui manducantes panem, ut sunt agricolæ, & ferè Mechanici omnes laborantes in operibus honoris uti vocant, sive pauperes sint, sive divites, dummodo actu laborent, & ita declaravit Eugenius IV. teste Sylvestro & Rosella, prout illos citat Lessius. Dixi autem *in operibus honoris*, qualia sunt cunctæ fabrilia sive in ferro, ære, vel ligno, metallo vel lapide. Item Pannifices, Pistores, & quicunque magnum corporis motum requirunt, proinde Pictores, Sartores, Barbitonsores, & alii hujusmodi non excusantur. Secundò etiam excusantur Peregrinantes ad notabilem distantiam, non tamen qui curiositatis gratiâ spatiantur, ut damnat Alexander VII. *Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.* Tertiò excusantur titulo Laborum omnes, quia officia sua rectè administrare non valent cum jejunio, etiamsi esset tantùm labor ingenii, ut sunt studentes, Cancellarii, Consiliarii, qui omni septimana quater ad sessiones vocantur & relationes causarum deponunt.

Ex titulo pietatis excusantur, qui operibus præstantioribus vel majoris momenti incumbunt, quæ ipsi cum jejunio perficere non possent, qualia sunt opera misericordiæ spiritualia & corporalia, ut concionari, in magno concursu peregrinorum diu confessiones audire, servire infirmis in Nosocomiis, administrare sacramenta, peregrinari ad loca sacra, dummodo hoc non fiat in fraudem jejunii. Item huic titulo pietatis adde titulum Justitiæ, nempe uxorem non teneri ad jejunium, si teneatur ad reddendum marito debitum, & per hoc multum debiliteur, aut si maritus eam jejunare non permittat propter ejus debilitatem, vel valetudinis periculum. Hoc tamen approbare non possum, quòd viri ob solum opus conjugale exercendum dispensationes extorqueant ad concedendum esum carnium, in quo est quorundam Libertinorum abusus. Qui plura desiderat de jejunio videat Moralistas. Accedo nunc ad alteram speciem temperantiæ quoad gustum, quæ est sobrietas.

12 Sobrietas definitur.

DICO 5. *Sobrietas propriè dicta, ut est species Temperantiæ, bene describitur, quòd sit virtus, quæ affectum & usum potionis inebriare valentis debitè moderatur.* Hæc de se patet, & claritatis gratia magis explicatur. Dicitur ergo 1. *Virtus quæ moderatur affectum,*

Digitized by Google

tum, quia cùm sit virtus, maximè passionum debet esse moderativa, plus enim concupiscentia nocuit, quàm substantia, & cupiditates inordinatæ sunt causæ cunctorum malorum. Additur quoque *Usum*, quia materia virtutis moralis in opere externo perficitur, ideo enim passiones refrænantur, nè utendis abutantur. Dicitur *Potùs inebriare valentis.* Hæc enim est propria materia, licèt remota hujus virtutis, unde si non fuerit potus inebriativus, excessus in tali potu non erit contrà sobrietatem, sed contra abstinentiam v. g. si quis excederet in potione aquæ ob ejus dulcedinem, ut sunt Lemonadæ, & aliæ saccaratæ, vel ob delectationem, quam ex ejus frigiditate percipere. Dicitur denique *Moderatur*, ut autem hæc moderatio debitè fiat, debet congruere serenitati mentis, ut fumositate vini non obfuscetur ratio & judicium.

DICES: Abstinentia etiam moderatur affectum & usum in cibo & potu, ergo sobrietas non est virtus distincta. Respond. distin. consequens: in largiori acceptione, conc. consequ. Propriè accipiendo sobrietatem, neg. consequ. Quia sobrietas primò accipitur genericè pro tota virtute Temperantiæ, ut Proverb. 8. *Sobrietatem & prudentiam docet*: Secundò accipitur paulò strictius pro temperantia & moderatione tam in cibo quàm in potu, & hæc est vulgaris satis acceptio, ex qua illi qui parcè bibunt & comedunt sobrii dicuntur. Propriè autem capitur prout totum moderatur affectum & usum potûs inebriativi, in quem natura est proclivior, excessus facilior, effectus periculosior, nam ut dicitur Proverb. 23. *Ne intueatis vinum quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Hinc particularis requiritur virtus, quæ moderetur affectum ad vinum, & quemcunque potum inebriativum. Unde Cicero lib. Offic. dicit: *Intelligamus quàm sit turpe diffluere luxuriâ, & delicatè ac molliter vivere: quàmque honestum parcè, continenter, severè, sobriè.* Sed quid opus est à Philosophis emendicare testimonia, ipsa Scriptura sacra quoties sobrietatem nobis inculcat, in quantum significat abstinentiam, & à vino temperantiam Christus Lucæ 21. *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate.* Supra quæ verba D. Bonaventura Ecclesiæ Doctor dicit: *In hujusmodi semper fuge crapulam fugere & ebrietatem, & sobrietatem elige, quia sapiens dicit: Multi per crapulam perierunt, qui abstinens est, adjicies sibi vitam.* Unde Eccles. 31. dicitur: *Sanitas est animæ & corporis sobrius potus.*

Quæstio V.

De speciebus Temperantiæ quoad delectabilia in tactu, quæ sunt Pudicitia & Castitas.

1 Pudicitia est virtus animi.

ROmani antiquitus *Pudicitiam* Deam colebant Romæ, ut testatur Plinius, est nunc communiter capitur etiam pro Castitate corporali, de qua olim Epist. 5. Ovidius dixit: *Lis est cum forma magna Pudicitiæ.* Magis tamen propriè pro religiosa munditia, & virtuosa puritate, adeoque inter bona animi numeratur, & virtus dicitur, de qua eleganter ait D. Augustinus libr. 1. de Civit. DEI cap. 18. *Cùm pudicitia sit virtus animi, comitémque habeat fortitudinem, qua potius quelibet mala tolerare, quàm malo consentire decernat: nullus autem magnanimus & pudicus in potestate habeat, quid de sua carne fiat, sed tantùm quid animat mante, vel remat: quis tandem sana mente putaverit se perdere pudicitiam si fortè in apprehensa & oppressa carne suâ exerceatur & expleatur libido non sua? Si enim hoc modo pudicitia perit, profectò pudicitia virtus animi non erit: nec pertinebit ad ea bona, quibus benè vivitur. sed in bonis corporis numerabitur: qualia sunt viris, pulchritudo, sana integráque valetudo.* Et in hac acceptione convenit quoque Pudicitia cum Castitate.

2 Pudicitia propriissimè accepta

Denique Propriissimè sumitur, prout versatur ad moderandum usum & appetitum circa prævios actus conjunctioni sexuum inter se, ut sunt, aspectus, oscula, tactus, de qua S. Augustinus in sua Regula loquitur, cùm dicit: *Oculi vestri etsi jaciuntur in aliquam fœminarum, figantur in nullam. Neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini: sed appetere, aut ab ipsis appeti velle, crimino sum est. Nec solo tactu & affectu sed aspectu quoque appetitur & appetit concupiscentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius.*

3 Pudicitia corporalis non violatur nisi per consensum.

Verùm, quia actus prævii, & actus principalis ad eandem virtutem pertinet sicut oppositi ad idem vitium, ideo nunc in communi Theologorum sensu Pudicitia & Castitas pro eadem virtute accipiuntur. Castitatem autem definit S. Augustinus lib. de mendac. cap. 20. sic: *Est animi castitas amor ordinatus non subdens majora minoribus.* Unde paulò post subdit excellentem doctrinam de violenter oppressa castitate & pudicitia eam non violari nisi animo consentiente dicens: *Corporalis ergo pudicitia corrumpi nisi in animo non potest: quo non consentiente, neque permittente, nullo modo rectè dicitur violari pudicitia corporalis. quicquid in corpore fuerit aliena libidine perpetratum. Unde colligitur multò magis*

magis animi castitatem servandam esse in animo, in quo tutela est pudicitiæ corporalis. Quamobrem quod in nobis est, utrumque sanctis moribus & conversatione muniendum est atque sepiendum, ne aliunde violetur. Cùm autem utrumque non possit, quid pro quo sit contemnendum quis non videat, cùm videat quid cui sit præponendum, animus corpori, an corpus animo: animi castitas pudicitiæ corporis, an pudicitia corporis castitati animi? Et quid magis in peccatis cavendum, permissio facti alieni, an commissio facti tui? Et quamvis data definitio S. Augustini bene possit defendi, et explicari etiam prout ad propositum valeret, nihilominus prioribus inhærendo

4 Castitas describitur.

DICO 1. *Castitas, ut sic bene describitur, est virtus moralis, quæ affectum & usum in venereis secundum locum, tempus, modum, & statum moderatur.* Hæc patet ex supra dictis, solummodo explicandæ sunt illæ particulæ *secundum locum, tempus, modum, & statum*, quæ additæ sunt propter diversas castitatis species, de quibus mox dicam, nam virgo & libera persona volens examore puritatis abstinere ab omnibus delectabilibus tactûs cum proposito nubendi, si habuerit occasionem, casta est, sed ad tempus, de quibus Paulus 1. Corinth. 7. dicit: *Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quàm uri.* Similiter uxor volens propter orationem abstinere à maritali consortio ad tempus, de qua idem Doctor Gentium; *Nolite fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram*, si autem conjunctione viri utatur sola, eaque moderate cum amore puritatis, nec affectu nec opere conjungitur alteri, casta est secundùm suum statum & modum, sic quoque vidua, & quæcunque corrupta cum proposito abstinendi ab omni licita vel illicita delectatione tactûs, casta est secundùm suum statum, & conditionem.

5 Castitas triplex est.

DICO 2. *Castitas triplex est Virginalis, Vidualis, & Matrimonialis, inter quas supremum obtinet gradum Virginalis, medium Vidualis, & infimum Conjugalis.* Ita omnes Theologi, & Probatur ex SS. Patribus Augustino lib. 15. de Civit. DEI cap. 27. ubi in illud Genes. 6. *Cænacula & triftega in ea facies*, id est, trium contignationum, dicit: *Tricameratam vero &c. Possunt hic intelligi & illa tria, quæ commendat Apostolus: fides, spes, charitas. Possunt etiam multo convenientius tres illæ ubertates Evangelicæ, tricenà, sexagenà, centenà: ut in imo habitet pudicitia conjugalis, supra vidualis, atque hæc superior virginalis: & si quid melius secundum fidem civitatis hujus intelligi & dici potest.* Et D. Bonavent. lib. de gradib. virtut. cap. 4. ubi hæc habet: *Primus gradus est Castitas conjugalis: secundus Castitas vidualis: tertius virginalis.* Primus gradus altus . . eo nunc cupatur, secundus altior, tertius altissimus.

6 Virginitas describitur.

Antequam autem probem virginitatem obtinere supremum & altissimum gradum: Notandum Virginitatem cum qua nascimur, prout est quædam integritas carnis, non esse virtutem, sed quid naturale, quam inviti perdere possumus teste S. Augustino, vel per infirmitatem, & ut S. Doctor exemplificat suprà, si ab obstetrice virgo fœmina lustretur, & tactu clausturam referat, vel per aliam violentiam; Virginitas itaque ut est virtus, includit propositum firmum & stabile servare corpus suum immune ab omni delectatione carnali & venerea, ita quòd si perfecta sit debeat propositum illud voluntatis perpetuum includere; nam si quæ virgo velit se continere tantùm, usque dum nubat, imperfecta est, quia simul includit propositum nubendi; itaque virginitatem propriam dictam definit S. Augustinus lib. de sanct. Virginit. cap. 13. *Virginalis integritas angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio.* Ubi primò ponit eius elogium, secundò appellat eam *meditationem* ad propositum seu curam & sollicitudinem non quamcunque, sed *incorruptionis perpetuæ* non temporaneæ, itaque virginitas supponit duo, primò quòd subjectum nunquam admiserit voluntariè carnis corruptionem aut ullam delectationem, quod est *materiale* virginitatis: secundò, quòd subjectum habeat seriam voluntatem perpetuò custodiendi illam, non volendo unquam admittere illam corruptionem, quæ est magna virtus, quia valde honestum est non velle propter DEUM ullas admittere delectationes corporales nec licitas, nec illicitas, per quod homo magis recedit à similitudine brutorum, & appropinquat ad similitudinem Angelorum. Et hinc virginitatem esse castitate matrimoniali excellentiorem:

7 Virginitas est præstantior matrimonio.

Probatur 1. Ex scriptura Matth. 19. ubi postquam discipuli dixissent, *si ita causa est hominis cum uxore non expedit nubere.* Dominus subjungit dicens: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim Eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt. & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus. & sunt Eunuchi, qui seipsos castrâverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat.* Ubi Christus primò approbat discipulorum dictum, non expedire nubere, verumtamen hoc opus magnum non capere omnes, cujus rationem reddit: Quia donum DEI est, nemo enim potest esse continens nisi DEUS dederit, & tandem dicit virginitatem eligendam esse & præferendam propter regnum cælorum, id est beatam vitam, quod falsè interpretantur de prædicatione Evangelii Calvinus & hæretici, nam D. Augustinus lib. 3. de S. Virginitate cap. 23. dicit: *Quid vera-*

Digitized by Google

veracius, quid lucidius dici potuit? Chriſtus dicit, veritas dicit, virtus & ſapientia DEI dicit, eos qui pio propoſito ab uxore ducenda ſe continuerint, caſtrare ſeipſos propter regnum cœlorum: & contrà humana vanitas impia temeritate contendit, eos, qui hoc faciunt, præſentem tantummodo neceſſitatem moleſtiarum conjugalium devitare, in regno cœlorum amplius quicquam cæteris non habere. Notent bene hæretici illud *impia temeritate &c.*

Hoc idem clarè docet S. Apoſtol. 1. ad Corinth. 7. ubi per totum illud caput diſcurrit Doctor Gentium de excellentia virginitatis. Denique hanc prærogativam & præeminentiam virginitatis præ matrimonio manifeſtè probant illa verba Apocalipſ. 14. *Nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnum quocunque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ DEO & agno.*

Probatur 2. ex Patribus S. Auguſtino lib. de S. Virginit. cap. 13. ubi dicit: *Habeant conjugia bonum ſuum, non quia filios procreant, ſed quia honeſtè, quia licitè, quia pudicè, quia ſocialiter procreant, & procreatos pariter, ſalubriter, inſtanter educant, quia thori fidem invicem ſervant, quia ſacramentum connubii non violant. Hæc tamen omnia humani officii ſunt munera, virginalis autem integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas angelica portio eſt, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis.* Bernardo Serm. 2. de Virgine Deipara: *Quid ni ſalutet civem ſanctorum, & domeſticam DEI? Angelica planè vita virginitas: & qui non nubent, neque nubentur, erunt ſicut Angeli DEI.* Ettract. de Paſſione ſeu vitæ myſtica cap. 29. *Virgines enim Chriſti etiam adhuc in terra viventes, Angelorum ducunt vitam, cùm tales ſint, quales dixit Dominus homines futuros poſt reſurrectionem, quia tunc neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſimiles Angelis DEI in cœlo. Non expectant autem virgines Chriſti ſolummodo incorruptionem reſurrectionis, ſed in præſenti etiam vivunt incorrupti, vitam ſine dubio angelicam æmulantes.*

Probatur 3. Ratione: Tum, quia matrimonium non eſt bonum virtutis per ſe, ſed naturæ & indifferens nec laude dignum, unde D. Paulus docet, *quòd ſi nupſerit virgo, non peccavit.* Non tamen dicit bene facit, ut pulchrè advertit S. Hieronymus. Tum, quia uſus matrimonii eſt præciſè ſecundum portionem inferiorem, in quo homines cum brutis conveniunt, & non ſpectat aliud quàm delectationem, ſobolem, & poſteritatem, quæ omnia ſunt naturalia: Tum, quia actus ille habet turpitudinem magnam annexam, unde quilibet fugit in abſconditum, dum concubitu utitur, quòd præclarè advertit S. Auguſtinus lib. 14. de Civit. cap. 18. ubi dicit: *Quid concubitus conjugalis, qui ſecundum matrimonialium præſcripta tabularum, procreandorum ſit cauſa liberorum? Nonne & ipſe quamquam ſit licitus & honeſtus, remotum ab arbitris cubile conquirit? Nonne omnes famulos, atque ipſos etiam paranymphos, & quoscunque ingredi quælibet neceſſitudo permiſerat, ante mittit foras, quam vel blandiri conjux conjugi incipiat: Et quoniam ſicut ait quidam Romani maximus autor eloquii, omnia rectè facta in luce ſe collocari volunt, id eſt appetunt ſciri: hoc rectè factum ſic appetit ſciri, ut tamen erubeſcat videri.* Tum, quia uſus matrimonialis maximè hebetat mentem, pluribus implicat ſollicitudinibus, & diuturna illa copula, & continuum obſequium in membris obſcœnis grave tandem generat faſtidium, niſi gratia DEI, & magna animorum conſenſio mitiget tandem incommoda, à quibus omnibus immunis eſt ſancta virginitas, ergo hæc ſine comparatione eſt conjugio nobilior atque excellentior. Sed in contra

OPPONITUR Authoritas Scripturæ Gen. 1. *Creſcite & multiplicamini & replete terram.* Ubi DEUS dat præceptum conjugii, & conſequenter vetat virginitatem. Deinde D. Paulus 1. Timoth. 5. expreſsè jubet; *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres filias eſſe nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratia.* Reſpond. neg. conſequ. quia in primo loco non eſt præceptum pro ſingulis, ſed pro tota natura, quæ multiplicanda ad DEI cultum erat, unde ſatis impletur, ſi aliqui conjugio incumbant, & generatione vacent. Imo ille textus ſignificat DEI benedictionem & collationem fœcunditatis, dicendo enim & nominando ea confert, quæ profert, & ita docet S. Auguſtinus lib. 14. Civit. c. 21. *Illa verò benedictio nuptiarum, ut conjugati creſcerent & multiplicarentur & implerent terram, quamvis & in delinquentibus manſerit: tamen antequam delinquerent, data eſt, ut cognoſceretur procreationem filiorum ad gloriam connubii, non ad pœnam pertinere peccati.*

Ad 2. locum Reſpondet S. Auguſtinus lib. 6. de bono viduitatis cap. 8. viduis junioribus concedi facultatem non præceptum, dicens: *Nuptiarum bonum Apoſtolica ſobrietate & authoritate commendat, non procreandi officium etiam eis, quæ continentiæ bonum capiunt, tanquam ad obſequelam legis imponit. Denique cur hoc dixerit, pandit, cùm adjungit & dicit: nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratia. Jam enim quædam converſæ ſunt retrò poſt ſatanam: ut his verbis ejus intelligamus, eas quas nubere voluit, melius poſſe continere quàm nubere, ſed melius nubere quàm retrò poſt ſatanam ire: id eſt, ab illo excellenti virginalis & vidualis caſtitatis propoſito, in poſteriora, reſpiciendo, cadere & interire.*

OPPONITUR 2. Sapientiæ 8. *Scivi, quòd aliter non poſſem eſſe continens, niſi DEUS det,* ſed hoc donum non omnibus datur, quia

quia Chriſtus Matthæi 19. fatetur: *Non omnes capiunt verbum hoc*, ergo nemo debet tale propoſitum, vel votum facere, niſi cognoſcat ſe habere tale donum alioquin ſtultè ageret. Reſpond. 1. cum Doctore ſubtili & Eſtio, quòd ſenſus hujus loci eſt: *Ut ſcivi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens*, id eſt, cùm ſcirem me non alia ratione poſſe ſapientiæ compotem fieri: de ea enim ſola, in antecedentibus & ſubſequentibus eſt ſermo, & nihil ſpeciatim de virtute caſtitatis. Accommodatur tamen non malè etiam ad virtutem illam ſcilicet quatenus ſapientia, de qua hic ſermo eſt, continet ſimul fidem, ſpem, & charitatem, ac proinde omnem virtutem. Reſpond. 2. Dato; quòd Salomon loqueretur de continentia virginitatis & caſtitatis cujuscunque, diſtin. min. Non omnibus datur in actu ſecundo, & eam gratiam non petentibus, tranſeat: Non omnibus datur in actu primo & ſincerè illam petentibus, neg. min. & conſequ. nam ut pulchrè loquitur S. Auguſtinus lib. 6. Confeſſ. cap. 11. *Expertus non eram, & propriarum virium credebam eſſe continentiam, quarum mihi non eram conſcius, cùm tam ſtultus eſſem ut neſcirem, ſicut ſcriptum eſt: Neminem poſſe eſſe continentem niſi tu dederis. Utique dares, ſi gemitu interno pulſarem aures tuas, & fide ſolida in te jactarem curam meam.*

3 Virginitas pluribus modis amittitur.

DICO 3. *Virginitas ut eſt virtus omnibus illis modis amittitur, quibus caſtitas, videlicet: per copulam, pollutionem, turpes libidinoſos tactus, & quamcunque veneream voluntariam delectationem.* Patet de Copula maximè ſi ſit illicita, quando licita eſt eodem modo tollitur virginitas, licèt non violetur matrimonialis caſtitas, quæ ſolùm prohibet affectum, & uſum alieni thori, non proprii ſi honeſtè & moderatè fiat. De Pollutione quoque certum eſt, quia in illa conſiſtit tota carnalis voluptas, & ad hanc tam turpes tactus quàm ipſa ordinatur copula. Ubi nota: Quamcunque pollutionem, dummodo in ſe vel in cauſa fuerit voluntaria tollere virginitatem, unde non requiritur ad illam opus aliquod externum, nam ſi quis manducaret tales cibos, & hauriret inebriativum potum eo fine, ut de nocte ſequatur pollutio, jam perderet virginitatem, ſimiliter ſi quis imaginatione hanc fœditatem in ſe procuraret, jam virginitatem amitteret, nam licèt non eſſet cum mulieribus coinquinatus turpitudine tamen majore eſſet maculatus. Et idem eſt de turpibus tactibus, & venerea delectatione mentali, quia propoſitum mentis eſt violatum, & animus turpi amore fœdatus, atque adeò virginitas mentis violata, quamvis corpus foret incorruptum adhuc, nam iſta omnia in ſana natura ſunt apta nata cauſare pollutionem, & corporis corruptionem, licèt fortè in ſene vel infirmo non ſequatur, quia hoc eſt per accidens. Hæc eſt tamen differentia, quòd ſi puella tactu ſimplici, vel alio modo fuerit violata ſine carnis corruptione, adhuc poſſit velari, velo conſecrationis quod ab Epiſco illis anno 25. datur, non tamen ſi carnè fuerit voluntariè corrupta, non poterit conſecrari, maximè ſi fuerit res manifeſta.

9 Virginitas non amittitur per violentam oppreſſionem.

DICO 4. *Virginitas non amittitur per violentam oppreſſionem quamcunque, dummodo ipſa non ſit voluntaria.* Hæc eſt expreſſa S. Auguſtini quem Doctores communiter ſequuntur & Probatur ex illius Epiſt. 180. ad Honoratum ubi dicit: *Violentiâ non violatur pudicitia, ſi mente ſervatur, quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis ſua turpiter carne non utitur, ſed ſine conſenſione tolerat, quod alius operatur.* Et Epiſt. 122. *Quidquid in ea*, virgine, *nec commiſit, nec permiſit libido patientis, ſolius erit culpa facientis, omnisq; illa violentia non pro corruptionis turpitudine, ſed pro paſſionis vulnere deputabitur. Tantum enim in mente valet integritas caſtitatis, ut illa inviolata, nec in corpore poſſit pudicitia violari, cujus membra potuerunt ſuperari.* Quibus adde textum ſupra n. 2. citatum ex lib. 1. Civit. DEI cap. 18. Et talem virginem cenſeo omnino conſecrari poſſe poſt D. Thomam, ſi ſciat ſe omnino non conſenſiſſe, quia talis carnis corruptio perinde ſe habet ſicut quodcunque aliud vulnus in manu vel in capite inflictum.

Quæſtio VI.

De ſpeciebus Temperantiæ, quoad delectabilia Honorum & Dignitatum, quæ eſt Humilitas.

8 Virginitatis cuſtos eſt Humilitas.

QUia *perpetua continentia, maximáque virginitas*, ait S. Auguſtinus lib. de Virginitate cap. 33. *magnum bonum eſt in Sanctis DEI, vigilantiſſimè curandum eſt, nè ſuperbia corrumpatur.* Ideò virginitati ſubnecto examen humilitatis, nam ſicut virginitas & caſtitas moderatur concupiſcentiam carnis & oculorum, ita humilitas temperat appetitum honorum & dignitatum, & quæ eſt quædam ſuperbia vitæ, ex quibus omnia originantur mala, unde Humilitatis & ſuperbiæ perpetua eſt pugna, nam ut dicit Alexander Alenſis 2. par. qu. 137. Quòd licèt ſuperbia cum charitate aliqua ratione, nempe finis, opponatur, tamen per ſe & formaliter humilitati opponitur, & adducit ad hoc probandum Chryſoſtomum aſſerentem, quòd nihil ita evertit ſuperbiam ſicut humilitas, de qua

2 Humilitas eſt virtus moralis.

DICO 1. *Humilitas eſt vera virtus moralis & Temperantiæ ſpecies.* Hæc eſt Doctoris ſubtilis in 3. d. 34. q. un. §. His poſitis, ubi hæc habet: Humilitas quæ eſt una ex primis ſpeciebus temperantiæ moderantibus circa

circa concupiſcibilia, moderatur circa honores. - - - Humilitatem enumerat Salvator inter beatitudines, quæ ſcilicet moderatur circa primum delectabile, nempe honorem; & hanc exprimit Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu.* Ubi ſecundùm Auguſtinum, rectè intelliguntur pauperes ſpiritu, recti, ac timentes Deum, non habentes inflantem ſpiritum. - - Humilitas eſt idem omninò, quod timor Domini, qui eſt ſpecies temperantiæ, licèt alio nomine nominetur: frequenter enim nominantur non nominibus propriis; & ideo ſcriptura frequenter commendat timorem: Unde illud Proverb. 1. *Initium Sapientiæ timor Domini*, nihil aliud eſt, niſi humilitas, quæ eſt principium virtutum. Sed in contra

ARGUITUR: Omnis virtus moralis debet habere pro objecto aliquod honeſtum & appetibile, ſed humilitas nihil tale habet, ergo. Probatur min. Quia humilitas petit vilipenſionem ſui ſubjecti in quo eſt, ſed hoc non eſt honeſtum, ſed potius probroſum, cùm viles vilia deceant, adeóque talibus de ſe congruunt, ergo. Reſpond. neg. min. cujus probationis min. diſtin. Vilipenſio ſui non eſt honeſta ſecundùm ſe conſiderata, tranſ. min. Quòd enim vilis homo vilia tractet, & eligat, eſt ejus naturalis defectus & propenſio. Vilipenſio non eſt honeſta conſiderata & aſſumpta ad teſtificandum noſtrum nihilum ſecundùm eſſe, habere, poſſe, &c. ſed omnem noſtram ſufficientiam ex DEO eſſe, non eſt honeſta. neg. min. & conſequ. Itaque ſi vilipenſio aſſumatur tanquam medium quo profitemur omnia nos à DEO habere, honeſtiſſima eſt, & valde laudabilis, quia veritatem profitemur, DEUMq; per hoc glorificamus.

3 Humilitas deſcribitur

DICO 2. *Humilitas eſt virtus inclinans intellectum ad ſui cognitionem & refrænans affectum ſeu appetitum hominis, ne immoderatè præter rationem, & ſuæ conditionis cognitionem majora affectet, ſed aliis viliorem ſe reputet.* Ita S. Bernardus de gradibus humilitatis tract. cap. 1. ubi ſic eam definit: *Humilitas eſt virtus, qua homo veriſſima ſui agnitione ſibi ipſi vileſcit.* Unde idem melliſluus Doctor diſtinguit duplicem humilitatem, unam judicii, alteram affectûs Serm. 42. in Cantica dicens: *Eſt nardus humilis herba, quam & calidæ ferunt eſſe naturæ, bi qui herbarum vires curioſius explorarunt: & ideo per hanc videor mihi non inconvenienter hoc loco virtutem humilitatis accipere, ſed quæ ſancti amoris vaporibus flagret. Quod propterea ſanè dico, quoniam eſt humilitas quam nobis veritas parit, & non habet calorem: & eſt humilitas quam charitas formatat & inflammat. Atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione conſiſtit. Etenim tu ſi temetipſum intus ad lumen veritatis & ſine diſſimulatione inſpicias, & ſine palpatione dijudices; non dubito quin humilieris, & tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamvis necdum fortaſſe id eſſe paſtaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, ſed de opere interim veritatis, & minimè adhuc de amoris infuſione.* Ubi duplicem humilitatem vocat duplicem ejus operationem, nempe ut primò inclinet intellectum ad cognoſcendam ſui vilitatem, & ſecundò ob talem cognitionem non prætendat altiora ſe, unde cùm Eccleſiaſticus dixiſſet cap. 3. *Quoniam magna potentia DEI ſolius, & ab hominibus honoratur.* Statim ſubjungit: *Altiorate ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* Et D. Paulus ad Rom. 12. monet eos: *Non altum ſapientes, ſed humilibus conſentientes.* Ad declarandam authoritatem D. Bernardi notandum eſt ex Plinio lib. 12. naturalis hiſtoriæ cap. 12. quòd nardus ſit arbuſcula craſſa radice, inſuper exigua, fragili, nigra, & amara, ſed odorifera, parvis foliis, ſed denſis, in cacumine ſpicas proferens, ex quibus fragrantiſſimum conficitur unguentum, quod ſpicatum dicitur. Itaque duo habet nardus, & quòd ſit parva humilisque, & quòd ſit valde odorifera, unde S. Bernardus congruenter docet humilitatem illâ deſignari, quæ licèt videatur abjecta, tamen odore ſuo ad cœlum aſcendit, nam Eccleſ. 35. dicitur: *Oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit: & donec propinquet non conſolabitur: & non diſcedet donec Altiſſimus aſpiciat.*

Probatur etiam Ratione: Quia fundamentalis & intrinſeca ratio humilitatis eſt cognitio ſui, ergo ad illam debet primò inclinare. Probatur antec. ex D. Auguſt. tract. 25. in Joannem dicente: *Tota humilitas tua eſt, ut cognoſcas te.*

Probatur etiam 2. pars, ſcilicet Humilitatem refrænare affectum & appetitum hominis, nè altiora ſe quærat & prætendat, quia Humilitas eſt quædam menſura regulans ſeu menſurans cujuslibet capacitatem, adeóque ad eam pertinet refrænare, nè altiora ſe quæſierit. Unde Eccleſ. 7. dicitur: *Noli quærere à Domino ducatum, neque à rege cathedram honoris*, ſcilicet ſi cognoſcas vires tuas ad id ſe non extendere.

ARGUITUR 1. Magnanimitatis officium eſt, ut cohibeat affectum, nè feratur ſupra conditionem hominis, & proportionem ſuæ naturæ, ergo ſi humilitas hoc idem præſtat, non differunt humilitas & magnanimitas. Reſpond. diſtin. antec. Magnanimitas officium eſt, &c. ex principali ſua functione, officio, & munere, neg. antec. ſecundariò, tranſeat, & neg. conſequ. Quia munus principale magnanimitatis eſt, ſtimulare hominem ad ardua & ſublimia, quibus ipſe dignus eſt, & pro tali judicatur, ſecundariò verò eſt coercere ab iis, quæ conditionem ſuam ſuperant. Humilitatis verò principale officium eſt, refrænare affectum volentem

tende-

tendere inordinatè ad majora, quàm ſibi & ſuo talento congruat. Undeiſtæ duæ virtutes oppoſito procedunt modo, nam Magnanimitas impellit ad alta, quæ alioquin propter difficultatem abſterrerent, & humilitas retrahit à magnis, quæ alioquin affectum & appetitum alliciunt ad ſui proſecutionem.

ARGUITUR 2. Si Humilitatis officium eſt refrænare affectum, ne feratur in aliquid ſupra rationem & proportionem ſuæ naturæ, ſequitur hominem nihil unquam poſſe magni conari, velle, & operari, atqui hoc eſt inconveniens, ergo. Probatur ſequel. Quia omne bonum ſuperat proportionem naturæ maximè in iis, quæ ſunt ad DEUM. Reſpond. neg. ſequel. cujus probationem diſtin. Omne bonum ſupernaturale ſuperat naturam, conc. naturale, nego antec. ſimiliter diſtin. conſequ. ergo nihil poterit ex ſe & ex ratione naturæ præcisè, & ſicut oportet, conc. conſequ. Adjuvante divina gratia, neg. conſequ. unde D. Paulus dixit: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*, quamvis antecedenter diciſſet: *Non quòd ſimus ſufficientes cogitare ex nobis tanquam ex nobis.*

4 Humilitas non eſt excellentior Theologicis.

DICO 3. *Humilitas non eſt perfectior virtutibus Theologicis, neque Juſtitia legali aut Religione, inter virtutes tamen alias morales Temperantiæ & Fortitudinis eſt excellentior.* Hæc eſt D. Thomæ 2. 2. q. 161. art. 5. Item Scoti in 2. diſt. 6. q. 2. §. Oppoſitum. ubi dicit: Superbia non eſt maximum peccatum, quod patet per ejus oppoſitum, quod non eſt maximum bonum, tum quia humilitas poteſt eſſe informis, charitas autem non, ergo eſt humilitas minus bona. Tum quia loquendo de virtutibus moralibus, humilitas eſt quædam temperantia. Omnis autem temperantia eſt minus perfecta virtus, quàm amicitia, quæ eſt perfectiſſima virtus ſub juſtitia. Ex quo patet charitatem eſſe multo perfectiorem humilitate, & eadem ratio militat de aliis virtutibus Theologicis, quia hæ conjungunt nos proximè DEO, non ſic humilitas. Similiter præſtantius eſt colere DEUM, venerari, & adorare, quàm viliorem ſe aliis agnoſcere, aut etiam moderatè honores amplecti, aut quærere. Denique juſtitia legalis includit obedientiam, obedientia autem melior eſt quàm victimæ, conſequenter etiam melior quàm humilitas.

5 Humilitas inter morales excellit.

Probatur 2. pars Ex S. Bernardo Epiſt. 87. *Humilitas ad quam utique ducit humiliatio eſt totius ſpiritualis fabricæ fundamentum* & lib. 5. Conſid. cap. 14. *Virtutum ſiquidem bonum quoddam ac ſtabile fundamentum humilitas. Nempe ſi nutet, illa virtutum aggregatio non niſi ruina eſt.* Et Serm. 4. in vigil. Nativit. ubi ait: *Quid enim humilitate ditius, quid pretioſius invenitur, qua animirum regnum cœlorum emitur, & divina gratia acquiritur? ſicut ſcriptum eſt: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Et apud Apoſtolum: DEUS ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Habes à DEO commendatam humilitatem in Nativitate. In hac enim examinavit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, & habitu inventus ut homo.*

Probatur hoc ipſum Ratione: Tum, quia humilitas ſe perfectiſſimè ſubjicit DEO, & univerſaliter, non verò in hac vel illa ſolummodo materia: Tum, quia omnia noſtra non nobis attribuit, ſed Deo tanquam omnium bonorum largitori juxta monitum S. Pauli, *Qui gloriatur in Domino glorietur.* Tum denique, quia humilitas implicitè continet virtutem Religionis, cùm enim nos vilipendimus, & DEO cuncta adſcribimus, DEUM implicitè veneramur & colimus.

6 Humilitatis privilegium.

DICO 4. *Humilitas particulare hoc habet privilegium præ cæteris, quod quantò magis ſe deprimit, tantò amplius DEUS eam exaltet.* Eſt de fide & Probatur Eccleſ. 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram DEO invenies gratiam.* 2. Reg. 6. *Et ludam, & vilior fiam plus quam factus ſum: & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis, de quibus locuta es, glorioſior apparebo.* Iſaiæ 66. *Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Lucæ 14. *Quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.* In quem locum D. Auguſtinus Serm. 213. allegat cauſam: *Humilitatis quippe paſſibus ad cœli culmina conſcenditur, quia DEUS excelſus non ſuperbia, ſed humilitate attingitur; de quo dictum eſt, DEUS ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: unde & in Pſalmis dicitur, excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit. Alta poſuit pro ſuperbis. Humilia verò reſpicit, ut attollat: alta, id eſt, ſuperba cognoſcit, ut dejiciat. Diſcamus humilitatem, per quam DEO propinquare poterimus: ſicut ipſe in Evangelio ait: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Per ſuperbiam mirabilis Angelorum creatura cecidit de cœlo, per humilitatem DEI fragilitas naturæ humanæ aſcendit in cœlum. Honeſta eſt enim inter homines humilitatis conſuetudo, ſicut Salomon ait: Ubi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia; ubi autem Humilitas, ibi & Sapientia.* D. Auguſtino adde S. Bernardum Serm. 2. de Aſcenſione Domini ubi ſic docet: *Propterea, dilectiſſimi, perſeverate in diſciplina, quam ſuſcepiſtis, ut per humilitatem ad ſublimitatem aſcendatis, quia hæc eſt via, & non eſt alia præter ipſam. Qui aliter vadit, cadit potius, quàm aſcendit quia ſola eſt humilitas, quæ exaltat, ſola quæ ducit ad vitam. Chriſtus enim cùm per naturam divinitatis non haberet quò creſceret vel aſcenderet, qui ultra Deum nihil eſt, per deſcenſum quomodo creſceret invenit, veniens incarnari, pati, mori ne moreremur in æternum: propter quod DEUS exaltavit illum, quia reſurrexit, aſcendit, ſed & ad dexteram DEI. Vade, & tu fac ſimiliter.*

7 Humilitatis gradus.

Actus humilitatis sunt sequentes, Vilipensio sui, per quam quoad ea, quæ ex se habet nihil æstimat. Secundò: Reputare se omnibus DEI donis indignum. Tertiò: non cupere ab aliis magni æstimari, honorari, vel laudari. Unde S. Augustinus in exposit. Psal. 33. dicit: *Quid est esse humilem? Nolle in se laudari. Qui in se vult laudari, superbus est. Qui superbus non est, humilis est. Non vis ergo esse superbus, ut possis esse humilis, die quod dictum est: In Domino laudabitur anima mea.* Quartò: Cupere ab aliis contemni, quantum in se est, unde S. Bernardus in Cant. Serm. 16. dicit: *Appetere autem de humilitate laudem, humilitatis est non virtus sed subversio. Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari. Gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus, quòd laudes contemnit.* Quintò: Dolere, quando ab aliis honoratur, vel laudatur. Sextò: In comparatione aliorum se viliorem & inhabiliorem judicare. Septimò: Subjicere se veluti minimum mancipium DEO juxta ejus absolutum beneplacitum quoad omnia, unde D. Petrus 1. Epist. cap. 5. ait: *Humiliamini sub potenti manu DEI, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Octavò: Subjicere se etiam hominibus propter DEUM tanquam ministris ejus, unde idem Apostolus 1. c. 7. dicit: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter DEum, sive Regi, sive Præcellenti &c.* Nonò: In omnibus externis rebus amplecti semper viliora sive quoad vestes, cibum, potum, locum, &c. Unde S. Bernardus Serm. 37. in Cantica de doctrina Christi: *Propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum fortem inter novissimos eligere locum nos voluit: sed recumbe, inquit, in novissimo loco: ut solus videlicet omnium novissimus sedeas, teque nemini non dico præponas, sed nec comparare præsumas.* Idem Mellifluus Doctor in tract. de Gradibus Humilitatis cap. 9. docet: per eosdem gradus humiliando nos debere ascendere, per quos superbiendo descendimus: *Ita ut qui duodecimus superbiæ fuit descendenti, primus humilitatis fit ascendenti. Undecimus, inveniatur secundus. Decimus, tertius. Nonus, quartus. Octavus, quintus. Septimus, sextus. Sextus, septimus. Quintus, octavus. Quartus, nonus. Tertius, decimus. Secundus, undecimus. Primus, duodecimus. Quibus superbiæ gradibus in te inventis, imò recognitis, jam non laboras in quærendo viam humilitatis.*

8 Gradus Humilitatis.

Itaque primus gradus Humilitatis erit, *Timor DEI continuus*, quia duodecimus gradus superbiæ est peccandi consuetudo. Secundus gradus Humilitatis est, *Non delectari voluntatem propriam implere.* Tertius gradus *ut quis pro amore DEI omni obedientiæ se subdat majori.* Quartus: *Pro obedientia in duris patientiam amplecti.* Quintus est ingenua & candida detectio sui, seu confessio peccatorum. Sextus: Ad omnia se inutilem & indignum confiteri. Septimus: Reputare se omnibus inferiorem. Octavus: Tenere quod habet communis regula monastica. Nonus: Taciturnitas usque ad interrogationem. Decimus: Non esse facilem aut promptum ad risum. Undecimus: Pauca & rationabilia loqui, leni non clamorosa voce. Duodecimus: Cordè ac corpore modestiam ostendere, præsertim custodia oculorum, quia primus superbiæ gradus descendendi fuit curiositas, quod idem sanctus probat exemplo Dinæ & Evæ: Et hanc posteriorem cap. 10. sic alloquitur: *Tu quoque ô Eva in paradiso posita es, ut cum viro tuo operaris & custodias illum. - - - Quid tuam mortem tam intente inquiris? Quid illo tam crebro vagantia lumina jacis? Quid spectare libet, quod manducare non licet? Oculos, inquis, tendo: non manum. Non est interdictum ne videam, sed ne comedam. An non licet oculos quo volo levare, quos DEUS posuit in mea potestate? Ad quod Apostolus: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Et si culpa non est, culpæ tamen indicium est. Nisi enim mens minus se curiosè servaret, tua curiositas tempus vacuum non haberet. Et si culpa non est, culpæ tamen occasio est, & indicium committe, & causa est committendæ.*

Quæstio VII.

De Partibus Potentialibus Temperantiæ quæ sunt Continentia, Clementia, Mansuetudo & Modestia.

HÆc quæstio & materia non continet particulares difficultates, unde breviter expediam eam. Notandum 1. Ex D. Augustino lib. 83. qq. q. 31. Partes potentiales Temperantiæ sunt: *Continentia, Clementia, Modestia.* Continentia est, per quam cupiditas consilii gubernatione regitur. Ita ipse pro quo

1 Continentia dupliciter accipitur.

NOTANDUM 2. Hoc nomen Continentiæ dupliciter accipi: Primò, ut significat virtutem quandam, qua quis ab omni delectatione venerea se cohibet, ut passim in scriptura accipitur, nec differt à castitate, & sic tres sunt ejus species nempe *Virginalis, Vidualis,* & *Conjugalis* de quibus suprà & sic continentia non est pars potentialis, sed magis subjectiva: Secundo ut significet firmitatem animi contra impetum passionum, & hoc modo est pars potentialis, quæ nihil aliud est quam firmum propositum, quo quis se continet in bono rationis contra impulsus concupiscentiæ, quibus ad voluptates tactûs, & præsertim ad res venereas impellitur. Explicatur per partes: Dicitur *propositum*, quia omnis virtus, & dispositio bona voluntatis consistit in proposito seu in affectu

Digitized by Google

tus honesti, atque continentia est virtus, vel saltem dispositio aliqua ad virtutem. nam Aristoteles 2. Ethic. cap. ult. ait: *Continentiam non esse virtutem, sed quilibam habere virtutis admixtum.* Nam pugnat quidem contra appetitum sensitivum, sed nondum habet eum subjectum, seu devictum, quare respectu Temperantiæ perfecta fe habet, licut inchoatio domandi seu eicurandi bestias, Temperantia verò sicut perfecta domatio bestiarum, seu appetitus sensitivi. Dicitur *Firmum*, si enim firmum non fuerit, nihil virtutis habebit, nam etiam incontinentes habent frequentia proposita, sed infirma, ideo etiam sæpius cupiditatibus cedunt. Dicitur *Quo quis se convincit in bono rationis.* Quatenus vult inhærere ei, quod ratio dictat, nec permittere se ab impulsu concupiscentiæ abripi. Virtum huic continentiæ *Impolitum* est *Incontinentia*, seu pallio rationem vincentem rationem tollens, eo quod nimis celeriter hominem obruat antequam ratione debite uratur, ut fit in cholericis: vel ex eo, quòd voluntas remiter rationi inhæreat, unde advenientepassione facile rationem deserit, & passioni adhæret; prout contingit in fœminis ob sexus debilitatem, & in phlegmaticis. Sed missa continentia, quæ aliqua ratione etiam aliis virtutibus applicari potest.

4 Mansuetudo est virtus moralis.

3. DICO 1. *Mansuetudo est virtus moralis irarum, & indignationum moderatrix.* Hæc est Doctoris in 3. distinctione 34. q. unica 5. His positis ubi dicit: *Mansuetus est, qui se æquo animo injuriis sine murmure.* Probatur 1. Hanc virtutem ex Scriptura Eccles. 3. *Filium mansuetudine opera tua perfice, & super hominem gloriam diligenti.* Psal. 36. *Mansuetiautem hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Jacobi 1. *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Mansuetudo enim facit, ne homo contradicat doctrinæ sacræ.

Probatur 2. authoritate Patrum D. Augustini hb. de Serm. Domini in monte 18. *Mitis & submissus animum videntur. Sed hoc datur ei, qui à mitis, & quo superiori tradatum est, qui pietate non contradicit divinis sententiis, quæ in sua peccata proferuntur, neque illis DEI terroribus quos nondum intelligit, sed nullam beneficiumque ejus et, qui non contradicit, aut resistit. Misericordi autem ita non resistit, ut propter ejus consortionem id faciat, quæ vel deterat vel quod peiorem.* D. Bernardi Serm. 5. de vigil. Nativit. ubi dicit: *Sanè ut perfecta sit mansuetudo, etiam mansuetudinem & socialis vitæ gratiam à fallo simulatione discernere oportet. Sicut ipse ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Quod enim hujusmodi bonitatem dicere prohibet dolosis affluentem, qui sub Christi & mitis & misericordis omnibus omnia fallunt est, & universos perfruunt oleo quodammansuetudinis & suavitatis, quasi ei infusum est, & perfusum etiam & superfusum, ut hilare videatur undique.*

4 Clementia dicitur mansuetudo.

DICO 2. *Clementia est virtus moralis vindictæ & ultionis in pœnis infligendis moderatrix.* Hæc est D. Augustini lib. 83. qq. q. 31. ubi dicit. Clementia est per quam animi temerè in odium alicujus illecti, concitatique comitate retinentur. Quam definitionem ex Cicerone lib. 2. de Clem. cap. 3. ubi eam definit, quòd sit Temperantia animi in potestate ulciscendi, vel lenitas superioris ad inferiorem in constituendis pœnis. Et infra: Clementia est moderatio animi aliquid ex meritis & debita pœna remittens. Unde S. Augustinus Epist. 250. scribens Marcellino tribuno rogat, quatenus Donatistas deprehensos & confessos gravia perpetrasse facinora puniat citra condignam clementer pœnam meritam mitigando his verbis: *Simple Christianæ fidei pia mansuetudine, & pacificæ impulsus, et consulere humanitati meminerit. Nec in peccatorum atrocitatibus severiores ultricesdi debitudinem, sed peccatorum vulneribus curandis adhibere voluntatem.* Et paulo infra: *Non ut ergo exasperet vindicandi voracitas, cui lenitatem non exercuisse examinandi necesse est. Noli facinore invento quærere perversorum, in quo invenienda noluisti adhibere torturem.*

4 Clementia & mansuetudo non differunt.

Eodem modo literatus Thum Eugenium S. Bernardus lib. 2. de consid. c. 11. ubi de zelo & clementia discurrit: *Iuimicos odi, non naturas virtutes, sed vitia fugit. Nam ex se indifferentes esse noscuntur. Tunc vitium abutendo & confundendo facere vitia: sub bene ordinatoque utendo, virtutes. Solent discretionis oculo caligante alterutrum sibi præcipere locaque terminos occupare. Porro caliginis hæc sunt caudæ, ira & mollitudo affectus judicii confundamenta sunt, illa præcipitat. Quomodo enim ab alieno non periclitatur, aut pietas clementiæ, aut celsitudo? Turbatus ira oculus, clementer nil intuetur: suffusum fuxa quædam & mulcens mollitie animum vitiam non videt. Non erit innocens, si quæ nocens erat, ei forte parcendum esset, aut parcat ei, qui fuerat parcendus.* Hinc D. Thomas & omnes Etasi docent, ex ira nimis vehementi, & ex defectu judicii, deliberationis, & debitæ consultationis Principes, Judices, & Superiores in gravioremruere vindictam nonem.

Est autem Clementia latis manuetudinis affinis, differunt tamen in objecto formali, & materia proxima, nam Mansuetudo versatur circa iram, Clementia circa vindictam externam: Mansuetudinis est ira imponere modum, & conformationem ad rectam rationem, quia ut S. Bernardus dixit: Ira & zelus indifferens sunt ad bonum & malum, Clementia verò est diminuere & mitigare pœnam externam. Mansuetudo pertinet tam ad superiores quam ad subditos, Clementia verò est tantum superiorum, & maximè Principibus conveniens virtus, unde ea

etiam ordinariè elargitur titulus Clementissimi.

DICES: Ejusdem est virtutis moderari affectum internum, & opus externum, ad quod affectus inclinat v. g. Eadem temperantia refrænans concupiscentē affectum ad res venereas, refrænat quoq; usum externum earundem voluptatum, ergo etiam eadem est virtus mansuetudo & clementia. Respond. neg. conseq. Quia mansuetudo & clementia habent diversa objecta formalia, nam mansuetudini competit moderari vindictam, nè obediat appetitui irascibili volenti vindicare delictum, quia id est consentaneum rationi. Clementia verò temperat vindictam & iram vindicativam, quia hoc est consentaneum & valde decorum Principi & homini dominatum tenenti; nihil enim communius est, quàm delectari in ostentatione potestatis dominativæ, & in aliorum subjugatione atque depressione, hinc clementia hunc affectum moderatur, quia honestum est, & Principi conveniens in pœnis infligendis non tota uti potestate, sed de pœna merita, ut Seneca ait, aliquid remittere, sicut dicimus de DEO, quod illi tam condignum puniat damnatos, & ultra condignum præmiet beatos.

Modestia describitur.

DICO 3. *Modestia est virtus moralis, motus & gestus, cultumque corporis & rerum externarum juxta rationem rectam seu juxta limites status & conditionis suæ moderans.* Hæc est Doctoris subtilis in 3. d. 34. qu. unic. §. De fructibus. ubi dicit: *Modestus est, qui modum debitum tenet in agendo.* Nam ut docet S. Augustinus lib. de beata vita circa finem: *Modestia utique dicta est à modo, & à temperie temperantia. Ubi autem modus est atque temperies, nec plus est quicquam nec minus.* Unde postmodum ex Cicerone lib. 83. qq. q. 31. sic eam definit: *Modestia per quam pudor honestus clarum & stabilem comparat authoritatem. Atque hæc omnia propter se solum, ut nihil adjungatur emolumenti, petenda sunt.* Si ergo propter se solum appetenda est, ergo virtus est. Quod ulterius Probatur ex Scriptura, nam Prov. 22. *Finis modestiæ timor Domini, divitiæ, & gloria & vita.* Atqui si modestia habet pro fine & objecto timorem Domini & vitam æternam, virtus est, unde D. Paulus suos Philippenses rogat: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Et in Epist. ad Galatas 5. cap. enumerat inter fructus Spiritûs: *Mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex.* Sed fructus Spiritûs Sancti sunt idem habitus cum virtutibus, ut Doctor noster citatus pulchrè docet, est ergo virtus. Ratio etiam est: Quia omnes motus & gestus externi corporis, item cultus ejus & totius domûs ordinatio sunt actus liberè à voluntate imperati, sed quodcunq; liberè à voluntate ordinatur à ratione debet regulari, ut rectè fiat, quis enim illi & omnes actus possint malè fieri, requiritur virtus, quæ appetitum refrænet, & moderetur, nè in motibus & gestibus, aut voce insolescat, nec in cultu corporis lasciviat.

Eleganter ex D. Ambrosio lib. 1. Officior. cap. 17. & 18. S. Bernardus, vel quisquis author est, officia & functiones modestiæ sub nomine verecundiæ describit in tractatu de ordine vitæ & morum Instit. cap. 2. Est in ipso etiam motu, gestu, incessu tenenda verecundia. Habitus enim mentis, in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior, aut econtra gravior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaque vox quædam animi est corporis motus. Sæpe enim per incessum proditur qualis sit animus. Lucet quippe in quorundam incessu imago levitatis, species quædam scurrarum percursantium. Sunt enim qui sensim ambulando imitantur histrionicos gestus, & quasi quædam fercula pomparum, & statuarum motus nutantium: ut quotiescunque gradum transferunt, modulos quosdam servare videantur. Nec cursim ambulare honestum arbitror, nisi cum causa exigit alicujus periculi, vel justæ necessitatis. Nam plerumque festinantes anhelos videmus torquere ora: quibus si desit causa festinationis necessariæ, sit nævus justæ offensionis. Sed non de his dico, quibus rara properatio ex causa nascitur: sed quibus jugis & continua in naturam vertitur. Nec in illis ergo tanquam simulacrorum effigies probo, nec in istis tanquam excursorum ruinas. Est enim gressus probabilis, in quo est species auctoritatis, gravitatis pondus, tranquillitatisque vestigium: ita tamen si studium desit atque affectatio, sed motus sit purus & simplex. Nihil enim fucatum placet. Motum autem natura informet. Si quid sanè in natura vitii est, industria emendet: ut ubi ars deest, non desit correctio. Quòd si etiam ista spectent itineri, quanto magis cavendum est, ne quid turpe exeat de ore? hoc enim graviter coinquinat hominem. Non enim cibus coinquinat, sed injusta obtrectatio, sed verborum obscænitas. Hæc etiam vulgo pudori sunt. Hæc ille.

5 Modestiæ functiones & actus.

Quæstio VIII.

De vitiis oppositis Temperantiæ quoad Cibum & Potum, quæ sunt Gula & Ebrietas.

1 Manducare est necessitatis.

R*Escimus quotidianas*, loquor cum D. Augustino lib. 10. Confess. cap. 31. *ruinas corporis edendo & bibendo, prius quam egas & ventrem destruas, cum occideris indigentiam mem satietate, mirifica, & corruptibile hoc induerit incorruptionem sempiternam.*

Nunc

Nunc autem suavis est mihi necessitas, & adversus istam suavitatem pugno, ne capiar, & quotidianum bellum gero in jejuniis, sæpius in servitutem redigens corpus meum, & dolores mei voluptate pelluntur. Nam fames & sitis quidam dolores sunt. Sanè sic est, dum cibum ex necessitate sumimus, frequenter in gulam labimur. Manducare enim vitium non est, nam DEUS immediatè, ut hominem creavit, de alimento necessario providit, fructus & poma innumera producendo, facultatemque ei impertiendo Genes. 2. Dicens: *Ex omne ligno paradisi comede.* Et post diluvium videns hominem à prima virtute defecisse, & solidiori alimento indigere, dedit licentiam comedendi ampliorem cap. 9. *Et omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Non est ergo malum comedere, sed abuti comessione, & illud quod ordinatum est ad necessitatem assumere ad voluptatem, & hoc est vitiosum; vitium verò istud recensetur inter peccata capitalia, quia multa alia ex illo originantur, ubi Notandum: Gulam secundùm propriam nominis impositionem significare fistulam colli interiorem constantem carne & nervo, per quam cibus & potus in ventriculum defluit, in collo enim hominis duplex est talis fistula, una anterior quæ appellatur arteria ad pulmonem pertingens, quæ in actuali esu & potu cooperitur, ne si aliquid in alienum tramitem defluereat, hominem torqueat. Interior autem vocatur gula, per quam cibus & potus in stomachum trajicitur, hinc per translationem accipitur pro voracitate & nimio delicatorum ciborum appetitu, atque sic in hac metaphorica acceptione gulam definio, &

1 Gula definitur.

DICO 1. *Gula est inordinatus appetitus vel usus sumendi cibum, rationem subvertens & à DEO avertens.* Hæc est D. Bonavent. in opusc. in lib. Speculo animæ cap. 3. quam desumpsit ex suo aliquando Professore Alensi 2. p. q. 142. memb. 1. qui eam sic definit: *Inmoderatus amor edendi.* Utraque bona est: Dicitur *Amor & appetitus*: Quia ad vitium gulæ non requiritur quod fiat actu excessus in cibo, sed sufficit, ut sit aliquis gulosus, quòd excessivum habeat apperitum, quod patet ex illo Numeror. 11. *Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio, sedens & flens, junctis sibi pariter filiis Israël, & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* Dicitur *inordinatus* quia populus non peccasset affectando & manducando carnes, sed cum tanto desiderio & fœtu eas postulare vitiosum fuit, unde etiam locus ubi Hebræi propter hoc desiderium occisi fuerunt appellatus *sepulchrum Concupiscentiæ.*

3 Gula est capitale peccatum sed non semper mortale.

DICO 2. *Gula est peccatum capitale. sed ex genere suo non mortale, frequenter tamen potest fieri tale.* Prima pars est D. Gregorii in lib. Moral. SS. Patrum communior. Secunda pars est Marchantii in suo Tribunali Sacramentali tract. 7. tit. 2. quæst. 1. Probatur 1. pars: Tum ex D. Gregorio lib. 31. Moral. cap. 17. ubi inter septem Capitalia refert etiam *Gulam*: Tum quia multas filias generat, seu plura alia peccata ex illa oriuntur, ut sunt ineptæ lætitiæ, multiloquium, scurrilitas, & immunditia, quando quis usque ad vomitum vescitur, quæ omnia non sunt nisi venialia ex se, nisi vel in materia excedant, vel malum finem habeant, ut est in detractione, infamatione, aut de nocte pollutionem habeat, vel scandalum generent, de quibus D. Paulus 1. ad Corinth. 8. dicit: *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Aut corpori notabile damnum adferat, quod sæpe voracitas causat: *Nam*, ut dicit author tractatûs de interiori domo inter opera D. Bernardi cap. 17. *Unde Gula delectatur, inde venter inflatur, corpus infirmatur, & sæpe mors sequitur. Per gulæ delectationem corrui in ventris ingluviem: & unde debui mihi parare salutem, inde contraxi nimium comedendo perniciem.* Ex quo patet gulam non semper esse peccatum mortale.

4 Gula quando est peccatum mortale.

Probatur etiam 3. pars: Posse & sæpe fieri mortale, primò si quis in voracitate totam suam beatitudinem ponat, de quibus D. Paulus ad Philippens. 3. dicit: *Quorum finis interitus: quorum DEUS venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Nam tales plus diligunt ventrem quam DEUM, quia majorem curam adhibent in placendo ventri quàm DEO, cùm multoties, ut ventri satisfaciant, DEUM offendant: *Hoc enim* ait S. Augustinus *ab homine colitur, quod prævaleris diligitur.* Deinde si ex nimis delicatorum sumptione ciborum venerem provocet, & motus impuros causet, atque ob illos comedat, peccatum mortale est. Similiter si comessationibus ita deserviat, ut salutis suæ curam negligat, aut etiam notabiliter corpus lædat, ut paulò suprà dixi, in his enim casibus semper erit peccatum mortale, de his dicit D. Paulus ad Rom. 13. & ad Galatas 5. *Manifesta sunt opera carnis, ut fornicatio &c. invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum DEI non consequentur.* Ubi comessationes inter peccata mortalia numerat, asserens, quòd tales regnum DEI non possidebunt. Et D. Petrus inter Gentilium peccata quoque recenset comessationes Epist. 1. cap. 4. *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, iis qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, ebrietatibus, comessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus.* Optimè proinde hortatur Salomon Proverbiorum 23. *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum: qui carnes ad vescendum conjunx*

runt: quia vacantes potibus, & dantes symbola consumuntur, & vestietur pannis dormitatio.

Valde egregiè S. Innocentius Papa in lib. de vilitate conditionis humanæ invehitur in gulosos his verbis: Initium vitæ hominis panis & aqua, gulosis autem non sufficiunt fructus arborum, non grana leguminum, non radices herbarum, non pisces maris, non bestiæ terræ, non aves cœli, sed quæruntur pigmenta, parantur aromata, quæ studiosissimè coquuntur, & lautè parantur officio ministrorum: Alius contundit & colat, & alius confundit & conficit, substantiam convertit in accidens, naturam mutat in artem, ut saturitas transeat in esuriem, revocet appetitum ad irritandam gulam non ad sustentandam naturam, non ad necessitatem suppendam, sed ad cupiditatem explendam. Hæc ille

Vitia quinque modi. D. Bernardus in tract. de ordine vitæ cap. 10. Quinque modos Gulæ enumerat dicens: *Per septem Gentes, quæ ex illa terra expulsæ sunt, intellige septem capitalia vitia, quorum duo carnalia sunt, scilicet gastrimargia & fornicatio, reliqua spiritualia, quæ in membris suis taliter distinguuntur. Gulæ concupiscentia in quinque modos dividitur. Primò si ante tempus cibos quis appetat. Secundò si lautiores escas quærat. Tertiò si diligentius quosque communes cibos quis procuret. Quartò si viles escas nimium quis sumat. Quintò si quisque ex desiderio quodcunque sumat.* Quæ desumpta sunt ex D. Gregorio lib. 30. Mor. cap. 27. quæ hoc versiculo continentur:

Præpropere, lautè, nimis, ardenter, sinliosè.

Ebrietas describitur. DICO 3. *Ebrietas est voluntarius & immoderatus amor aut usus potûs inebriantis volentis causa assumpti, pertingens usque ad gravem rationis perturbationem.* Patet ex declaratur. Dicitur *Amor & usus*, quia amor significat habitum, usus actum, nam ebrietas, quæ subsequitur, quia ratio perturbatur, est effectus usus seu voluntariæ compotationis. Dicitur *Immoderatus amor*, quia licet edere non est peccatum, tamen libere, sed excedere voluntarie vitiosum est, unde ebrietas secundum D. Thomam dicitur quasi *extra briam*, quod debitam mensuram excedat. Excessus iste quoque debet esse voluntarius, quia quod involuntarium non est, nec peccatum est. Additur *Volupiatis causâ*, Quia si assumeretur sub ratione medicinæ ex præscripto Medicorum v.g. ad pellendum aliquod venenum frigidum, & causandum vomitum, vel si biberetur major vini quantitas ad pellendum terrorem, quem quis ex morbo contagioso infirmi contraxisset, non esset ebrietas, licèt pertingeret usque ad perturbationem rationis, similiter non esset ebrietas, si quis potentiam vini non advertisset, aut si per accidens hæc perturbatio contigisset, quæ fuit ultima particula definitionis, & tunc censetur gravis rationis perturbatio, quando quis ita bibit, ut se in suis actionibus rationabiliter dirigere nequeat, neque enim est necesse, ut rationem totaliter tollat. Hinc censeo eum ebrium dici posse, qui alioquin bonæ memoriæ, non recordatur, quid heri egerit, quomodo cubitum iverit, a quo deductus, vel adjutus fuerit, qui enim recogitat actiones suas, & non recordatur earum, cum alioquin soleat bene meminisse, videtur rationis usum perdidisse. Similiter ebrietatem satis indicant actiones insuetæ & insolitæ sibi, ut si catus alias, turpia loquatur, si ex natura sua pacificus, familiam turbavit, cum sociis rixatus fit, tunc enim censetur vinum sapiviisse rationem & prudentiam; Econtra non est ebrius dicendus, qui bene discernere potest inter bonum & malum, qui novit vitare mala & eligere bona, qui officia sua bene adhuc peragere potest, licèt alioquin lingua balbutiat, aut pedibus titubet, hæc enim non possunt fieri ab eo, qui rationis non est compos. Ebrietas signa.

Ebrietas est peccatum mortale. DICO 4. *Inebriatio est peccatum mortale.* Ita D. Thomas 2. 2. q. 150. Probatur 1. Ex Scriptura Isaiæ 5. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. - - - Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Proverbior. *Cui væ? cujus patri væ: cui rixæ? cui foveæ sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Ubi autem væ scriptura comminatur magnum malum in moribus, & peccatum denotat, unde hortatur postmodum, ne dulcedini vini quis credat, atque commemorat, quæ mala ebrietas causare soleat: *Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perversa.* Ubi Salomon tria addit, ob quæ vinum non est nimis appetendum: Primò, quòd ingrediatur blande & insinuans, quòd non eadem blandicie & suavitate egrediatur, nam vinum usque temperantia sumptum solet gravare stomachum, causare vomitum, & debilitare caput, quod non fit absque labore & dolore; unde de vino plus potato potest dici, quod Iobde pane impii dixit c. 20. *Panis eius in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus, divitias quas devoravit, evomet.* Idem de vino in ebrioso dici potest, vinum ejus vertetur in fel aspidum intrinsecus, nam aspidem hoc malum generat, si enim ebrius in platea dormire incipiat, dormit cum fascit, & sic sine gravatus moritur. Hic vinum vertitur in fel aspidis, in somnium, in [illegible] in febrim, ex quo [illegible] quòd divitias ciborum evomat, & aliquando [illegible]

Secun-

Secundò dicit Salomon ebrium esse veluti dormientem in mari, & quasi sopitum gubernatorem, unde sicut certissimum est naufragium, vel periculum exurgente tempestate, si gubernator navis sopitus clavum amittat, ita etiam ebrius certissimæ ruinæ spiritualis in anima est expositus, adeòque inebrians se voluntarie peccat, quia periculo se exponit, quanta autem scelera causaverit ebrietas, toti mundo est in propatulo, unde Seneca Epist. 12. Non est animus in sua potestate, devictus ebrietate, & paulò infrà dicit: Quòd *ebrietas sit voluntaria insania.*

9 Ebrietas est voluntaria insania.

Tertium, quod Salomon in loco allegato affert ad detestandam ebrietatem est: *Oculi tui videbunt extraneas &c.* quod noster Lyranus de meretricibus, & aliis mulieribus non suis interpretatur, quas homo ebrius ad concupiscendum intuetur, à vino, quod luxuriam fovet, provocatus, unde Eccles. 19. dicitur: *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos.* Et Oseæ 4. *Fornicatio, vinum & ebrietas auferunt cor.* Ubi fornicationem cum vino sociat, nam *sine Cerere & Baccho*, ut vulgare habet proverbium, *friget Venus.* Omitto plures scripturæ authoritates.

Probatur conclusio 2. authoritate Patrum D. Augustini Serm. 231. ubi dicit: *Frequenter charitatem vestram, fratres charissimi, paterna pietate admonui, ut ebrietatis malum, tanquam infernì foveam, vitare vel fugere deberetis.* Et paulò post: *Qui ergo credit ebrietatem esse parvum peccatum, si se non emendaverit, & pro ipsa ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris & homicidis æterna sine remedio illum cruciabit pœna, secundùm illud quod ipsi bene nostis beatum Apostolum prædicâsse, neque, inquit, fornicarii, neque idolis servientes, neque molles, neque masculorum concubitores, neque avari, neque adulteri, neque ebriosi regnum DEI possidebunt. Videte ebriosos cum fornicatoribus & idolis servientibus, & masculorum concubitoribus, & adulteris junxit.* D. Bernardus lib. de modo bene vivendi ad Sororem cap. 25. ubi dicit: *Ebrietas mortale crimen est. Ebrietas grave peccatum est. Ebrietas inter homicidia & adulteria & fornicationes reputatur. Ebrietas ejicit hominem à regno DEI. Ebrietas expellit hominem à paradiso. Ebrietas demergit hominem in infernum. Noè bibit vinum, & virilia quæ per sexcentos annos celaverat, nudavit. Etiam Loth inebriatum dormivit cum filiabus suis, nec tamen peccatum sensit, quia alienatus à semetipso fuit. Cogita ergo soror dilecta, quantum sit detestanda & fugienda ebrietas ab omnibus servis DEI.* Videatur S. Basilius, Chrysostomus & Hieronymus, qui omnes ebrietatem perstringunt tanquam grave peccatum.

Probatur 3. Ratione: Quia ebrius privat se violentè non solùm usu rationis, sed etiam potestate propinqua utendi, atqui hoc est grave peccatum, ergo etiam ebrietas. maj. pater. Probatur min. Quia si quis alteri etiam ad breve tempus usum rationis eriperet, graviter peccaret, ergo etiam si sibimet ipsi hoc causet. Nec refert, quòd per somnum, aut per odores fortes, ut sunt tabaci, lupuli etiam privetur usu rationis, & quasi obstupescat; Quia licet ista privent usu rationis, non tamen tollunt potestatem proximam utendi. Deinde somnus est in naturæ bonum institutus, unde statim, ut quis ab eo excitatur, habilis ad suas ordinatas functiones exercendas est. De odoribus autem, si qui sint ita potentes, ut caput obscurare possint, nullus ramen, qui inebriare valeret, unde tales semper adhuc habent potestatem proximam utendi.

Probatur 4. Conclusio ex multis malis, quæ ebrietas affert Serm. 231. *Frequenter etiam usque ad vomitum ingurgitare se non erubescunt, & ad mensuras sine mensura bibere. Majora enim pocula providentur, certa bibendi lege contenditur, qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine. Inde lites & rixæ nascuntur: inde diversis & horrendis saltationibus membra torquentur: inde adulteria, & nonnunquam homicidia perpetrantur. Et quoties nimium potum accipiunt, tanquam in paralysin resoluti, dum suis pedibus ambulare non possunt, fœdissimâ latere à aliorum manibus portantur ad lectum. Est in illis oculorum caligo, vertigo, fatigatio & dolor capitis, suffusio vultûs, membrorum omnium tremor, animæ ac mentis stupor.*

DICO 5. *Non est licitum propinationibus & poculis excessivis provocare ad hausfum ea præcisa intentione, ut alter inebrietur, sed est peccatum majus, vel minus juxta mensuram in ebriationis intentæ.* Licitus putat esse peccatum mortiferum. Probatur 1. Authoritate Patrum D. Augustini Serm. 231. ubi ait: *Qui enim alterum cogit, ut se plus quàm opus est bibendo inebriet, minus malum el erat, si carnem ejus vulnerare ret gladio, quam animam ejus per ebrietatem necaret.* Et paulò infrà: *Ergo fratres charissimi, dum hæc suggero, me absolvo apud DEUM. Quicunque me audire contempserit, & ad bibendum pronus fuerit, vel in convivio suo alios adjurare vel cogere voluerit, & pro se & pro illis in die judicii reus erit. Et quia, quod pejus est, etiam aliqui clerici, qui hoc deberent prohibere, ipsi cogunt bibere aliquos plus quàm expedit, amodò incipiant & seipsos corrigere, & alios castigare, ut cùm ante tribunal Christi venerint, nec de sua, nec de aliorum ebrietate incurrant supplicium.* D. Ambrosius de Elia & jejunio c. 13. graviter invehitur contra illos, qui alios inebriare cogunt, aut qui coacti ab aliis se inebriant, & cap. 14. rejicit eorum excusationem dicens: *Nec vos excusamini, qui vocati ut amici, & emittitis ut inimicos, quanto melius in terram tua vina fudisses? Quid te delectant damna sine gratia? Rogas ad jucunditatem, cogis ad mortem: invitas ad prandium*

10 Propinationibus non est licitum provocare ad hausfum.

Digitized by Google

dium, efferre vis ad ſepulchrum: cibos præmittis, tormenta irrogas, vina prætendis, venena ſuffundis. Eleganter quidem & acutè, ſed Auguſtinus nerveſe magis ſic excuſationem inebriatorum refutat Serm. 232. dicens: *Solent ebrioſi ita ſe excuſare, ut dicant, perſona potens me coëgit, ut amplius bibam, & in convivio regis non potui aliud facere. Ad excuſandas excuſationes in peccatis iſta prætendimus: & quod implere nolumus, non potuiſſe nos dicimus. Nolle in culpa eſt noſtra, & non poſſe prætenditur. Etiamſi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, Aut bibas aut morieris: melius erat, ut caro tua ſobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.*

Probatur concluſio 2. Ratione: Inebriatio voluntaria & directè intenta in ſe ipſo eſt peccatum grave, ergo etiam inebriare alterum erit tale. Probatur conſequ. Quod ſemel & in uno ſubjecto non poteſt fieri licitè, aut quod in uno eſt peccatum & contra legem divinam, in quocunque erit contra illam, quia à lege æterna nemo abſolvitur, aut eximitur, ergo.

QUÆRES: An ad impediendum grave damnum Reipublicæ impendens poſſit quis machinantem illud malum inebriare? v.g. Commendans fortalitii Cæſarei intendit tradere hoſtibus tali & tali hora caſtellum, an poſſim illum inebriare, ne ſibi compos ſit, & caſtellum ſervetur in fidelitate cæſis interim hoſtibus aggredientibus, aut ſi quis à latronibus captus eos poſſit inebriare, ut fuga vitam ſuam ſalvet? Reſpond. In ſimilibus caſibus videri mihi licitum alterum potu, etiam provocato, ſopire traditorem perduellem, & latrones vitæ meæ inſidiantes. Ratio eſt, quia licitum eſt ſuadere & inducere ad minus malum, ut majus malum impediatur, quod clarè patet ex illo Geneſ. 37. ubi Judas ſuaſit fratribus ne Joſephum occiderent, ſed illum in ciſternam veterem projicerent fame necando, ubi non minus ſed æquale ſuaſit peccatum, ut licet fratres in voluntate interficiendo perſiſterent, ipſe tamen effectum impediret.

Quæſtio IX.

De vitiis Temperantiæ oppoſitis quoad venerea quæ ſunt Aſpectus, Tactus, Oſcula, Amplexus & Concubitus.

1 Quinque modis peccatur in rebus venereis.

QUinque modis in rebus venereis contra Temperantiam peccari poſſe indubitatum eſt, qui memoriæ gratiâ hoc verſu exprimuntur:

Viſus, & alloquium, contactus, & oſcula factum.

Impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius, ait S. Auguſtinus in Regula ſua ad fratres, *Et cum ſe invicem ſibimet, etiam tacente lingua, conſpectu mutuo, corda nuntiant impudica, & ſecundùm concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immundæ violatione corporibus fugit caſtitas ipſa de moribus.* Ubi plura alia addit de oculorum petulantia, Aſpectus ergo impudicus vitium eſt Caſtitati oppoſitum. Pro quo

NOTANDUM: Aſpectum tripliciter conſiderari poſſe, primò ſecundùm naturalem ſuam operationem, qua potentia tendit in lucidum & coloratum, & ſub hac ratione non eſt peccaminoſus, ſi ſit objecti naturalis, aut etiam partium honeſtarum cujuscunque corporis, dummodo omnis alia prava abſit intentio, aut periculum ob diuturnitatem v.g. Secundò eſt *Aſpectus curioſus*, quando ſit ex levitate & curioſitate videndi picturas, figuras nudas, aut partes inhoneſtas ſine ulla neceſſitate. Tertiò *libidinoſus* qui ſit ex intentione prava alterius ſexûs, & inhoneſtarum partium, & de his

2 Aſpectus curioſus eſt venialis & etiam quandoque mortale peccatum.

DICO 1. *Aſpectus curioſus partium inhoneſtarum etiam brevis & per tranſennam nunquam poteſt excuſari à veniali peccato, qui ſi diuturnior fuerit, erit etiam peccatum mortale, libidinoſus autem nunquam à peccato mortali excuſabitur.* Hæc eſt D. Antonini, Cajetani, quam deduco ex Leſſio. Probatur 1. pars ex ſcriptura Job. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nè cogitarem de virgine.* Pſalm. 118. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Ubi David deprecatur DEUM, nè curioſo oculo labi ſe permittat, expertus enim fuerat, quam infeliciter Berſabeam aſpexerit, ſi enim oculus à talibus objectis non ſtatim avertatur, in peccatum mortale inducit, unde D. Auguſtinus lib. de honeſtate mulierum cap. 5. dicit: *Quomodo enim, ſi aliquis carbones ignis apprehendat, ſi eos citò projecerit, nihil nocebunt: ſi verò diutius tenere voluerit, ſine vulnere eos jactare non poterit: ita & ille, qui ad concupiſcendum oculos defixerit, & libidinis malum in corde ſuſcipiens moras in ſuis cogitationibus habere permiſerit, excutere eas à ſe ſine animæ occiſione vel plaga non poterit. Et ideo cum Propheta jugiter clamemus, Oculi mei ſemper ad Dominum quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.*

Probatur etiam Ratione hæc eadem pars: Quia licèt curioſus aſpectus habeat non tantam vim, neque directè moveat concupiſcentiam ſicut contactus, tamen plerumque naturam excitat, & delectationem carnalem cauſat, quæ nulla ratione intendi poteſt, phantaſia enim has ſpecies retinens generat imaginationem fortem, ex qua in ſanguine & ſpiritibus ſequitur commotio, & in membris delectatio; unde graviter peccant, qui mulieres coram ſe in mamillis & aliis partibus denudari faciunt, imò etiam illi, qui turpes imagines diutius contemplantur. Quòd ſi tamen tales aſpectus fierent ex neceſſitate, ut in chirur-

chirurgis, in obſtetricibus, quando eis demandantur inſpectiones virginum, & ob aliam aliquam cauſam utilem, non erit peccatum, dummodo nulla voluptas intendatur, licèt præter intentionem ſequeretur. *Probatur* 2. pars Thren. 3. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* Matt. 5. *Ego autem dico vobis: Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Propter quem locum D. Auguſtinus lib. de Honeſtate mulierum cap. 4. hortatur omnes ad cuſtodiam oculorum: *Unde iterum atque iterum rogo, ut diligentius conſideremus, & quantum poſſumus, timeamus, quod Dominus in Evangelio dicit: Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo, pro qua re, ſicut jam dictum eſt, non ſolùm ab extraneis mulieribus, ſed etiam ab ancillis propriis refrænanda eſt & ſecreta familiaritas, & oculorum incauta fragilitas, ne impleatur illud in nobis, quod Propheta terribiliter clamat, intravit mors per feneſtras veſtras. Per quas enim feneſtras mors ad animas noſtras ingreditur, niſi per viſum oculorum, & auditum aurium?* Ratio etiam eſt, quia omne peccatum à voluntate originatur, ſi ergo aliquis aſpicit mulierem, eamque in corde concupiſcat, atque delectetur, jam reus eſt peccati.

3 Oſculum amicitiæ eſt licitum.

Secundum vitium contra caſtitatem eſt oſculum, & hoc eſt triplex: Primò, in ſignum reverentiæ & pietatis de quo Lucæ 7. *Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intravit, non ceſſavit oſculari pedes meos.* Sub hoc etiam comprehenditur ſignum amicitiæ, ſicut Jacob oſculatus fuit Rachaelem Gen. 29. *Et adæquato grege oſculatus eſt eam: & elevata voce flevit*; in quem locum D. Auguſtinus lib. 1. qq. ſuper Geneſin q. 87. dicit: *Conſuetudinis quidem fuit, maximè in illa ſimplicitate antiquorum, ut propinqui propinquos oſcularentur, & hoc hodie fit in multis locis.* Sicut de facto iſte uſus durat in Galliis, & partibus Belgicis, & inter fœminas quaſi ubique & hoc eſt licitum, quia nihil eſt aliud quàm teſtatio benevolentiæ mutuæ, cujus ſignum & ſymbolum eſt oſculum, unde etiam *Paulus* 1. ad Theſſal. 5. *Salutate fratres omnes in oſculo ſancto.* Cavendum tamen hoc eſt religioſis, & quibuscunque aliis ubi ſcandalum oriri poſſet. Imò etiam illi quibus uſus concedit oſculum, caveant, ne illa faciant eſſe moroſa & repetita, quamvis enim levia non reprehendantur, tamen moroſa ſunt vitioſa & peccaminoſa, quia periculoſa.

Secundò eſt oſculum, quod alteri infigitur cauſa delectationis, quæ ex oſculo naturaliter ſubſequi ſolet; & Tertiò quod fit causâ delectationis, amplexûs, ſeu concubitûs, de quibus dicitur Proverb. 7. *Apprehenſúmque deoſculatur juvenem, & procaci vultu blanditur.* Et ſecundùm hanc triplicem rationem poteſt etiam attactus triplicitèr conſiderari, Primò ob cauſam honeſtam v.g. medicationis. Secundò ob delectationem tactûs, in quantum hæc connaturaliter ſequitur, & Tertiò ob delectationem concubitûs. Itaque de oſculis

DICO 2. *Oſculum ob delectationem concubitûs habitum, vel etiam ob delectationem quæ ex oſculo connaturaliter ſequitur eſt peccatum mortale* Eſt communior Theologorum contra Martinum de Magiſtris, cui etiam Navarrus ſubſcribit. Sed *Probatur* Concluſio 1. Ex damnatione ſententiæ oppoſitæ ab Alexandro VII. in Decreto ſuo edito Anno 1665. die 24. Septembris, ubi damnat ſequentem opinionem: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.* Et quidem in hac damnatione agitur ſolùm de delectatione, quæ connaturaliter oſculum ſolet ſequi, ſupponens tanquam certum oſculum concubitûs eſſe mortiferum, quæ eſt prima pars concluſionis, atque ulterius etiam

4 Oſculum ob delectationem quamcunque eſt mortale.

Probatur: Quia ſive utatur quis oſculo tanquam diſpoſitione ad concubitum, nimirum cum animo per illas blanditias ad concubitum compartem excitando; ſive tanquam ſigno repræſentativo concubitûs, ut voluptate concubitûs in ſigno fruatur, ſemper eſt peccatum mortale, quia in primo caſu ordinatur ad finem mortiferum, in ſecundo, quia exhibet voluptatem illiciti tanquam præſentis movendo corpus, & ad ſeminationem excitans, & conſequenter eſt peccatum mortale, & quidem talis ſpeciei, qualem concubitum ſibi phantaſia repræſentaverit

Probatur 2. pars in ſenſu ſententiæ damnatæ: Oſculum, quod fit amicitiæ gratiâ, eſt ſignum conjunctionis animorum, ergo oſculum, quod fit ob delectationem naturalem præciſè, qui ſequitur connaturaliter, eſt ſignum conjunctionis corporum, ſubſumo: ſed uti hoc ſigno cum delectatione eſt mortiferum, quia indicat interiorem affectum, ita quod conſenſum ad copulam denotet, adhibetur enim ſignum illius voluptatis, quæ poſtmodum opere eſt complenda, ergo.

DICES: Qui oſculatur fœminam ob teneritudinem ſolam carnis in facie, non intendit voluptatem concubitûs, aut ſeminationis, ergo non eſt peccatum mortale. Probatur conſequ. Quia hoc ſolummodo remotè diſponit, ſicut aſpectus, aut ſicut alia quæ remotè diſponunt ad furtum, ad ebrietatem, quæ non ſunt mortalia, ergo nec oſculum erit mortale. Reſpond. neg. conſequ. cum ſua probatione: Quia oſculum non remotè diſponit ſed ſatis propinquè, nam habet magnam vim movendi naturam, & excitandi ſpiritus, ac carnis motus, unde natura indidit quibusdam animantibus, ut hujusmodi ſigna blandientia præmittant ſuis concubitibus,

adeóque videtur oſculum à natura eſſe ordinatum ad concubitum, quare oſcula hujusmodi ſigna ſunt appetitus, affectûs, & impliciti conſensûs.

5 Tactus impudicus eſt peccatum mortale.

DICO 3. *Omnis tactus impudicus eſt peccatum mortale, licet abſit ulterior in actum alium conſentiendi intentio, niſi rationabilis cauſa, vel materiæ levitas, aut inadvertentia excuſet.* Hæc eſt D. Thomæ, Cajetani, Navarri, & communis Theologorum. Probatur 1. ex ſcripturis ad Galat. 5. *Manifeſta ſunt autem opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*, ubi impudicitia inter peccata numeratur, quæ excludunt a regno cœlorum, ſed impudicitia propriè conſiſtit in turpibus contactibus, ergo. Similiter ad Epheſ. 5. *Fornicatio autem & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos.* In quo loco pro impudicitia ponitur imunditia, & idem ſignificat, ergo turpis tactus & impudicus eſt peccatum mortale.

Probatur 2. Authoritate Patrum Auguſtini Serm. 249. dicentis: *Ubi immunditia eſt corporis, ibi habitatio diabolici ſpiritûs, qui maxime gaudet in inquinatione carnis noſtræ. Omnes immunditiæ DEO diſplicent, & maximè quæ non ſunt naturales. Admonet itaque nos Scriptura ſacra, dicens: Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere. Si præſtas animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis venire.* Item D. Baſilius lib. de vera virginitate ait: *Tactum verò, ut ſenſuum omnium perniciоſiſſimum, & ſæviſſime blandientem, ſenſúsque reliquos in ſuas illecebras pellicientem immaculatum quam maxima poterit cura ſervabit.*

Probatur 3. Ratione: Tum, quia hujusmodi tactus per ſe & proximè diſponunt ad ſeminationem vel concubitum, ergo ſpectant ad illud peccatum, ad quod diſponunt. Tum, quia hujusmodi tactus non ſolent fieri niſi propter voluptatem ſeminativam, ſed intendere hujusmodi delectationem extra matrimonium eſt peccatum mortale, ergo. Dixi in Concluſione, omnem tactum impudicum eſſe peccatum mortale intelligendo per illum tam materialiter, quàm formaliter impudicum. Materialiter impudicus eſt, qui fit in partibus verecundis & obſcœnis viri vel mulieris. Formaliter verò impudicus dicitur, qui ex affectu talis eſt, licèt tangantur partes honeſtæ, v. g. manus, pedes, facies &c. licèt enim hæ partes honeſtæ ſint, ſi tamen adhibeantur tanquam inſtrumenta provocandi libidinem & delectationem eorum, contactus eſt mortalis, nam hi ab affectu totam malitiam ſortiuntur. Ob id etiam addidi in concluſione *Niſi rationabilis cauſa excuſet*, quales ſunt neceſſitas & utilitas notabilis, nam tactus ſunt indifferentes ut boni ſint & mali, & totam ſuam malitiam participant ab affectu, ſed ex neceſſitate aut utilitate partes hujusmodi etiam verecundas tangere eſt affectus honeſtus, ergo non eſt peccatum, unde Medicus mederi poteſt fœminam in verendis ægrotantem, phreneticam pilis pubertatis trahere, delapſam in foveam pedibus extrahere, circa collum amplecti, &c. dummodo abſit intentio prava, conſensus inordinatus, licèt per accidens ſubſequantur motus ſenſuales.

6 Turpiloquium quando eſt mortale.

Quod dixi de tactibus pari ratione dicendum eſt de Amplexibus. Aliqui hic addunt de Turpiloquio, & delectationibus venereis mentalibus, ſed quia tota malitia cujuslibet impudicitiæ potiſſimùm pendet ab interno affectu, & conſenſu, hic quamlibet impudicitiæ ſpeciem formaliter ingreditur; ob quod Turpiloquium de ſe non eſt mortale, niſi loquens intendat per illud inducere mulierem, vel quemcunque audientem ad delectationem carnalem: Aut niſi audiens ſcandalizaretur ex Turpiloquio, aut ex debilitate ſciatur ad libidinem provocandus.

Quæſtio X.

De Impudicitia in opere completo, ſeu de Luxuria, & primo de Fornicatione.

ASpectus, oſcula, tactus, & amplexus ſunt præliminares diſpoſitiones ſpectantes ad illam ſpeciem ad quam diſponunt: Ipſa autem completa Impudicitia, quæ Luxuria dicitur, conſiſtit in concubitu, & coitu duarum perſonarum in ordine ad ſeminationem, & delectationem inde ſubſequentem, in quo tota Luxuriæ ſubſtantia conſiſtit, quæ de ſe absque ullo dubio eſt peccatum mortale. Cujus ſeptem ſpecies ordinariè à Theologis aſſignantur: Primò *Fornicatio ſimplex, Adulterium, Stuprum, Raptus, Inceſtus, Sacrilegium, Peccatum contra naturam*, quæ omnia comprehenduntur in illo præcepto *Neque mœchaberis.* Deut. 5. uti ſentit tota Eccleſia, & præclarè docet S. Auguſtinus lib. 2. qq. ſuper Exodum q. 71. dicens: *Quæri ſolet, utrum mœchiæ nomine etiam fornicatio teneatur. Hoc enim Græcum verbum eſt, qua jam ſcriptura utitur pro Latino. Mœchos tamen Græci nonniſi adulteros dicunt.* Et paulò infrà poſt multa diſputata reſolvit quæſtionem his verbis: *Sed ſi furti nomine bene intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ: non enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit, ſed utique à parte totum intelligi voluit, quicquid illicite rerum proximi aufertur: profectò & nomine Mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus prohibitus debet intelligi.* lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 12. ait: *Quapropter nomine mœchantium, qui hoc capitulo commemorantur, omnem carnalem & libidinoſam concupiſcentiam oportet intelligi.* De omnibus

1 Luxuriæ ſeptem ſpecies.

Digitized by Google

bus hisspeciebus in hac quæstione erit agendum, & primò

Fornicatio definitur. Fornicatio derivatur à fornicibus, quæ erant loca quædam concamerata ad modum arcus, in quibus meretrices prostare antiquitus consueverunt. Quantum ad eam est simplex concubitus inordinatus, seu naturalis conjunctio libidinosa, qua masculus solutus cum soluta fœmina in vasis generativis commiscentur. Dicitur *Concubitus inordinatus*, eò quòd fiat contra præceptum divinum: Dicitur *Simplex* ad excludendum adulterium, nam ut dicit S. Augustinus lib. 21. de Civ. *Omnis machia etiam fornicatio in scripturis dicitur*, sed est Concubitus duplicis ter injustus, nempe contra temperantiam, & contra justitiam. Dicitur *naturalis conjunctio*, ut excludantur illi excessus, qui in quouterin hojusmodi concubitu admittuntur, & qui contra naturam sunt. Circa hæc autem quæritur, an Fornicatio simplex in peccatum mortale? nam Gentiles, antiqui olim hæretici, ut Nicolaitæ, Borboritæ, teste Epiphanio hæresi 26. Gazei Cathismatici, fornicationem licitam putarunt, sed temporis nostri Anabaptistæ insuper quemcunque promiscuum concubitum approbant; imò etiam nonnulli Authores hanc sententiam defendunt, quam tamen damnatam esse per Innocentium XI. in Decreto suo edito Anno 1679. die 2. Martii reprobando hanc sequentem propositionem, quæ est numero 42. *Laicus credidit, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solùm esse malum, quia interdicta, at contrarium animadvertiens dixit non videri sic.*

DICO 1. *De fide tenendum est, fornicationem simplicem esse peccatum mortale semper in confessione exprimendum.* Hæc ait contra Martinum de Magistris, & Durandum, & desentientes in Clementina *Nostrum de Magistris* Patrum & omnium Theologorum. Probatur 1. ex Scriptura Deuteron. 22. *Quid si verum est, quod objicis, & non est in puella inventa virginitas, educent eam extra fores domûs patris sui, & lapidibus obruent viri civitatis illius, & morietur: quoniam fecit nefas in Israël, ut fornicaretur in domo patris sui. & auferes malum de medio tui.* Ubi manifestè adjudicat puellæ fornicatæ, qui filiæ erat mortis: in Scriptura autem ille fere semper peccatum mortale supponit, ut ad Corinth. 6. *Nunc autem scripsi vobis non commisceri, si is qui frater nominatur, aut fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere.* Ad Galat. 5. *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus.* Et post enumerata opera carnis subdit: *Quæ talia agunt, regnum Dei non consequentur*, à regno autem Dei non excludit nisi peccatum mortale, ergo.

Fornicatio simplex est peccatum mortale.

Probatur 1. Ex Patribus D. Augustinus qui in illud Deuter. 23. *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filiis Israël*, dicit: *Ecce ubi manifestè prohibuit fornicari & viros & fœminas aliàs cum non alterius conjugibus peccatum esse demonstrat: nisi enim non conjugibus fiat, quando & meretrices esse, & ad meretrices accedere prohibet, quarum publicè venalis est turpitudo.* Et lib. de duobus chordis capite 6. ostendit fornicationem esse contra jus naturale & divinum. Et Serm. 10 de verbis Apostoli sic admonet: *Non ergo fiant fornicationes, templum DEI estis, & Spiritus DEI habitat in vobis: si quis templum DEI corruperit, corrumpet illum DEUS.* Idem Author de modo bene viventi C. 21. ait: *Inter cetera, septem illis fœdissimis maximum scelus est, quia per eam immunditiam templum DEI violat, & tollit membrum Christi, facit membrum meretricis. Igitur si bonæ vitæ, si verum est, quòd in te DEUS habitet, noli fieri te fornicatio. Dixit Antichristus est DEO & paternæ benedictionis atque salutis interitus perditio.* Fornicatio non solùm macular corpus, sed & conscientiam. *Quia scriptum quamvis videamur omnem, tamen mortuum est. Fornicatores & adulteros judicabit DEUS, id est, damnabit eos.* Quod autem semper & specificè in confessione debeat exprimi, patet ex Alexandri VII. Decreto damnantis sequentem propositionem: *Quicubavit copulam cum soluta facta fuit confessio sub præcepto detecta nonnisi cum soluta gravis peccati contra castitatem, non explicando copulam.*

Probatur 3. Rationibus 1) ex monitis quam Patres supra allegarunt, quia corpora nostra sunt templa Spiritus Sancti, ut dicit Apostolus 1. Corinth. 6. *Nescitis quoniam membra vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à DEO, & non estis vestri?* Secundò ex naturali: Quia vagus ille concubitus est contra bonum prolis educationem, ergo hoc est grave peccatum, & contra naturam, ergo. Probatur antec. Quia utentes illo concubitu seu fornicarii non curant similes filios, frequenter eos exponunt cum periculo corporis & animæ; parentes fere negant, & familia non sufficunt, ergo hoc est contra bonam educationem. Probatur etiam confeq. Omnis transgressio gravis voluntaria finis ordinati à DEO & naturæ est grave peccatum, sed DEUS hic instituit matrimonium, conjunctionem maris & fœminæ ad prolem debitè educandam, sicut instituit organa & vasa proportionata ad prolem generandam, ergo fornicatio gravitèr vitabere & transgredi est peccatum contra naturam, in etiam alterum.

Confirmatur: Quia videmus in animalibus & avibus olim imaginè lasciviæ & fœminarum fœdè invitare feras,

non solùm, ut prolem generent, sed etiam ut educent, cùm mater sola non sufficiat, sed quod natura animantia docuit, est de jure naturæ, ergo. Sed in contra

OPPONITUR Authoritas Scripturæ Oseæ 1. ubi Dominus illi præcipit: *Vade, sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum.* Item Juris in L. penult. ff. de Concubinis. In quem Bartholus & alii Juris periti dicunt: Concubinatum esse *Coitum legitimum*, ergo non est peccatum. Respond. neg. consequ. Quia ex illa Scriptura sequitur solùm per dispensationem divinam fuisse Oseæ licitum. Secundò & melius Respondeo cum Sancto Augustino contra Faustum Lib. 22. cap. 80. *Quid adversum clementiæ veritatis, quid inimicum fidei Christianæ, si meretrix relicta fornicatione, in castum conjugium commutetur? Et quid tam incongruum & alienum à fide Prophetæ, quàm si non crederet omnia peccata impudicæ dimissa esse in melius commutatæ? Itaque cùm meretricem Prophetæ fecit uxorem, & ad vitam corrigendam mulieri consultum est, & figuræ sacramentum, de quo mox loquemur, expressum.* Ad Jus Civile Respond. distin. antec. Concubinatus est coitus legitimus, id est lege permissus, transeat, id est immunis à culpa, neg. antec. & consequ. Legem autem illam aliud non velle, quàm permissionem civilem & politicam propter majora mala, patet ex eademmet lege, in qua additur: *Quia concubinatus per leges nomen assumpsit, extra pœnam legis est*, scilicet permissus est.

ARGUITUR 2. Fornicatio simplex non meretur mortem æternam secundùm legem naturalem, quia lex naturalis nihil dicit, nec nominat aliquid de morte æterna, ergo quòd fornicatio sit peccatum mortale, hoc procedit ex Jure divino pluribus locis expresso. Ita Durandus 4. distin. 33. qu. 2. n. 10. sed Respond. neg. consequ. Nam licèt lex naturalis nihil dicat de pœna æterna, sed solùm positiva divina, hinc non sequitur, fornicationem non esse contra legem naturæ, & peccatum mortale, alias sequeretur, nec adulterium, sodomiam & homicidium non esse peccata mortalia, quia lex naturalis nihil dicit de pœna & morte æterna, non enim est necessarium, ut lex naturalis de pœna æternâ faciat mentionem, sufficit enim, quòd ipsa dictet, esse grave peccatum, & omne grave peccatum contrarium rationali creaturæ graviter displicere, adeoque proportionatam mereri pœnam. Si autem quæras contra quod præceptum naturale sit. Respond. esse contra dilectionem proximi, & sui ipsius. Vide S. Augustinum lib. de decem chordis cap. 10.

INSTATUR: Malum prolis debitè educandæ potest impediri & prævenire per ordinationem sufficientis provisionis. Imò potest contingere fornicantes utrimque esse steriles, quodque idipsum sciant, ergo malum illud abest, consequenter in similibus occasionibus fornicatio non erit peccaminosa, ad minus non erit contra legem naturalem. Respond. neg. consequ. Utrumque in antecedenti assumptum est mere per accidens: Nam licèt ex parte operantium proli in casibus non noceatur, opus tamen ipsum, & actus fornicationis est contra rectum ordinem, quem natura requirit, sive postea proles sequatur, sive non. Ex primo autem sequeretur ulterius, qui posset prolibus pluribus educandis melius providere, tanto amplius posse fornicationibus indulgere, quod esset absurdum, cùm in natura omnes sint pares, & sicut æqualis omnium est ortus, ita æqualis obligatio ad servandam substantiam generandæ prolis & educandæ.

Quæstio XI.
De
Adulterio.

ADulter componitur secundùm Calepinum ex *Ad*, & *Alter*, vel *Altera*, quod ille ad alteram, & ipsa ad alterum se conferat, unde Adulterium secundùm Etymologiam est quasi ius ad alterum vel alienum thorum: metaphoricè transfertur aliquando ad alia, ut adulteria naturæ, adulteria mercis pro fraude, adulteria arborum, cum diversis insitionibus furculorum aut ramusculorum. Secundùm rem est Concubitus illicitus personæ conjugatæ cum aliena, & altera persona. Potest autem hic concubitus triplici modo committi: Primò si conjugatus libidinosè concumbat cum soluta: Secundò si conjugata commisceatur cum soluto: & Tertiò si utrimque sint conjugati, quomodocunque autem fiat Adulterium quid sit.

DICO 1. *Adulterium est peccatum mortale, multò gravius fornicatione, quocunque eorum quæ ex tribus modis fiat, gravissimum autem est in tertio.* Hæc est inter Christianos indubitata. Et Probatur 1. authoritate Scripturæ Exodi 20. *Non mœchaberis.* Levit. 20. *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte morientur, ipse mœchus & adultera.* Proverb. 6. *Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam: turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.* Hebr. 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros judicabit DEUS.*

Probatur 1. ex Patribus D. Augustino lib. 1. de lib. arbit. c. 3. ubi hæc habet: *Dic ergo prius, cur adulterium malè fieri putes: an quia id facere lex vetat? Non sanè ideo malum est, quia vetatur lege, sed ideo vetatur lege, quia malum est.* Et paulò pòst: *Nam & ego tecum credo, & inconcussè credo, omnibúsque populis atque gentibus credendum esse clamo, malum esse adulterium: sed unde molimur id, quod in fidem recipimus, etiam intelligendo scire ac tenere firmissimum.* Tandem post multa disputata concludit: *Ergo libido in adulterio malum est, clarum est enim jam nihil aliud quàm libidinem in toto maleficiendi genere dominari.* Omitto alios, quia res est clara.

Probatur 2. pars Ratione: Quia adulterium non significat solum naturalem actum coëundi, ut facit etiam fornicatio, sed insuper habet deformitatem illam, quòd sit cum aliena contra fidem matrimonii, reverentiam Sacramenti, bonum prolis, & totius familiæ, ergo est multò gravius peccatum fornicatione simplici, cum & hujus malitiam contineat, & plures aliàs superaddat. Probatur ergo primò esse contra fidem matrimonii ex 1. Corinth. 7. *Igitur vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri: ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* In quo loco duo demandantur seu declarantur, primò quòd debeat conjux conjugi petenti debitum reddere, & pro secundo ab aliena abstinere, per utrumque facit conjugi injuriam, per primum quòd deneget ei usum rei suæ, per secundum, quod tribuat alteri, quod est conjugis quoad usum, adeoque peccat contra justitiam.

Peccat etiam contra reverentiam Sacramenti, unde D. Paulus ad Ephesios 5. hortatur conjuges, ut seipsos diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam, totum sic concludens: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Verumtamen & vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.* Et D. Augustinus omnia tria hæc conjugii bona simul refert lib. de Nupt. & Concupisc. cap. 10. dicens: *Quoniam sanè non tantùm fœcunditas, cujus fructus in prole est; nec tantum pudicitia cujus vinculum est fides; verùm etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis, unde dicit Apostolus: Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Quod autem adulterium sit contra bonum prolis & familiæ, de se patet, propter alimenta, sustentationem, hæreditatem per quæ alias proles uxor adultera defraudat.

Probatur 3. pars: Nam adulterium tertio modo factum duplicem continet injuriam, quia duorum conjugum jura violantur, & omnia mala superius allegata duplicantur, unde teneo firmiter in confessione hoc particulariter esse explicandum, licèt enim injuriæ sint ejusdem speciei, est tamen circumstantia multum aggravans, & plures numericas malitias continet, unde sicut, si quis uno ictu plures occideret, id exprimere teneretur, ita etiam quando conjugatus cum conjugata adulteratur.

DICO 2. *Adulterium quoque committit, qui consentiente marito, cum conjugata copulatur.* Hæc certa est, & patet ex oppositâ damnata opinione ab Innocentio XI. Anno 1679. 2. Martii, quæ sic sonat: *Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium; adeóque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Probatur ulterius ex D. Augustino lib. 1. de lib. arbitr. cap. 3. ubi cum Evodio sic dialogizat: *Considera itaque quantum potes, & renuncia mihi, quanam ratione adulterium malum esse cognoveris. Hoc scio malum esse, quòd hoc ipse in uxore mea pati nollem. Quisquis autem alteri facit, quod sibi fieri non vult, male utique facit. Quid si cuipiam libido ea sit, ut uxorem suam præbeat alteri, libenterque ab eo corrumpi patiatur, in cujus uxorem vicissim parem cupit habere licentiam, nihil ne mali tibi facere videtur? Imo plurimum. At non iste regula tua peccat. Non enim id facit quod pati nolit.* Ubi implicitè refutat illam regulam Juris n. 27. *Scienti & consentienti non fit injuria.* Hinc

2 Adulterium est etiamsi maritus id concubitum uxoris consentiat alienum.

Probatur conclusio etiam ratione: Peccat mortaliter, qui hominem volentem & consentientem occidit, ergo etiam qui volente & consentiente marito conjugatæ copulatur. Probatur consequ. Ideo peccat occidens hominem consentientem, quia violat legem æternam, & facit injuriam ipsi naturæ, sed qui copulatur conjugatæ volente marito violat legem æternam, & facit injuriam Sacramento & statui matrimoniali, sicut si Clericus cederet juri exemptionis, & permitteret se trahi ad judicium sæculare, faceret injuriam statui Clericali & ordini Ecclesiastico, atque peccaret, ergo à paritate dicendum de Matrimonio. Proh dolor! hic abusus apud quosdam Galanteria vocatur.

DICO 3. *Conjuges in usu matrimonii alienas personas appetentes adulterantur formaliter & aliàs modum honestatis transcendentes peccant pro qualitate abusûs.* Hæc est D. Augustini & Ambrosii ab illo citati quoad utramque partem lib. 2. contra Julianum Pelagianum cap. 7. *Audi ergo de nuptiis Ambrosii sententiam in Apologia S. David - - - - Audi & alteram in libro de Philosophia: Bona,* inquit, *continentia quædam velut crepido pietatis. Namque in præcipitiis vitæ hujus labentium, statuit vestigia speculatrix sedula, ne quid obrepat illicitum. Mater autem vitiorum omnium incontinentia,*

3 Conjuges alterum personis appetentes adulterantur,

quæ etiam licita verti in vitium: Ideoque Apostolum non solum à fornicatione nos retrahit, verum etiam in ipsis conjugiis modum, quem sanctum docet, & tempora præscribit orandi. Intemperanter enim in conjugio, quid aliud nisi quidam adulter uxoris est? Cernis quemadmodum velit etiam inter se ipsa vera & honesta esse conjugia? Videt quemadmodum dicat, incontinentiam etiam licita vertere in vitium, ubi Licitum demonstrat esse continuum, & in ipso non vult incontinentia fodari quod licitum est? Atque postmodum causa cluditur: Quid ergo de Ambrosio judicabis, qui intemperantem in conjugio, adulterum quodammodo appellat uxoris.

Modum autem honestatis transeundum conjuges, quando præcise voluptatis causa coeunt, quod culpa venialis non caret, ut docet D. Augustinus lib. 1. de Nupt. & Concupisc. cap. 15. ubi dicit: *Aliud est non concumbere, nisi sola voluntate generandi, quod non habet culpam, aliud carnis concupiscendo appetere voluptatem, sed non præter conjugem, quod venialem habet culpam.* Et oppositum damnatum est per Innocentium XI. propositione 9. *Quicumque conjugii ob solam voluptatem exercitus omni penitus caret culpâ ac defectu veniali.* Secundò, quando sedendo, secundum naturæ rectitudinem accedendo, seu usum mutando, ut fœcundæ incubans agat, servato in reliquo naturali vasis fœcognoscunt. Hæc quidem venialis culpa non carent, & mortali proxima sunt. Tertiò: Modus honestatis exceditur, quando ad fœturandam libidinem in enormibus actibus & offensis delectatur, v. g. in genitalibus se lambendo, fugendo, ad extra polluendo, in concubitu naturali se abstrahendo, & semen in terram projiciendo, ne fœtus sequatur, quod fecit Onan & Her de quo Genes. 38. dicitur: *Et displicuit coram Domino, quod rem detestabilem faceret.* *Illicite namque*, dicit Augustinus lib. de adulterinis conjugiis ad Pollentium cap. 12. & *turpiter etiam cum legitima uxore concumbitur, ubi proles concipi devitatur.* *Quod facibat Onan filius Jude & occidit illum propter hoc DEUS. Propagatio itaque filiorum, ipse est primus, naturalis & legitima causa nuptiarum: & per hoc qui propter incontinentiam conjunguntur, non sic debent temperare malum usu bonum extirmicet nuptiarum, id est, propagationem filiorum.* Ob hanc causam pro Quarto modus ille honestatis quoque excolitur, si femina statim post consummatum se erigit, comprimit, ungit, convellit, saltat, ut semen expellat. Et tandem turpissimum conjugium vitium est, si fœdomitica concumbunt, nam ut dicit *Cap. Nemo 32. quæst. 2. ex S. Ambrosio: Nec hæ solum est adulterium peccare cum alterâ conjuge, sed omne quod non habet potestatem conjugii.* Seu ad quod potestas conjugium non extenditur.

DICO 4. *Adulter vel adultera conjugata cognita crimine per jus petendi debitum.* Hæc est ex fere communi Theologorum. Unde Scotus in 4. dist. 32. quæst. 3. §. secundo dicit: Adultera habet potestatem alterius conjugis, quia per matrimonium fuit sibi data, & indefectibiliter: tamen non habet nec habere potest usum corporis illius, propter peccatum suum; ergo peccanti potest perpetuò prohiberi usum, stante potestate data in matrimonio. Et habetur clare in *Canon. Si quis uxorem 32. qu. 1.* ubi clarè docetur virum non obligari ad reddendum debitum uxori, maximè si perseverat in adulterio. A quo Canone tamen multi excipiuntur casus per alios Canones:

Primò, si vir quoque commiserit adulterium, ut habetur *Cap. significasti de Divort.* nam in tali casu per pœna crimina fit compensatio, quod etiam imperatores gentiles decreverunt, nam D. Augustinus hanc materiam tractans lib. 1. de adulterinis connubiis ad Pollentium cap. 8. dicit: Legant, quid imperator Antoninus, non utique Christianus, de hac re constituerit, ubi maximus ille error de adulterii crimine accusare non finitur, cum mutuis suis culpabilis non præbeat exemplum, ita utrumque damnetur, & ambo pariter impudicos confitentes ipse coercuerit. Nam supra dicti imperatoris hæc verba sunt, quæ apud Gregorianum leguntur: Sæpe, inquit, mihi literæ à multa parte cautæ prædicabantur. Neque enim pœnæ culpa fuit ut rubinorum lenocinium vereatur, & secundum legem Julian. de pœna uxor rea puberet, propter hoc recipitum meum adulterii damnata crimini, nisi constet esse commissum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere, an cum tu pudicè vivere, illi quoque bonos mores colendi auctor fuisti. Parum quam enim mihi videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet, quæ res procul & citatis damnare, non ob compensationem mutui crimini interveniunt, compensare, vel caudam facti tollere. Secundus casus: Quando potest prohiberi adulterium à maritis, vel quando ipsemet proprium conjugem prostituit ex cap. *De scriptores*. 32. qu. 2. *qui cognovit conjugi, excom.* Tertiò: Quando vir leges exercet in adulteram, & illi sponte capitalem uxoris crimen, tunc resultat purgatum *Ex Capite Dicit Dominus 32. q. 1.* Quartò: Quando uxor violentum passa est & approbata, materiale commissi adulterium, vel excedendo maximum esse jam mortuum virum alterum, vel credendo esse suum maritum, cum quo de nocte commiscuit, quæ licut non sunt peccata nisi materialia, ita etiam nullam pœnam merentur. *Ex cap. Cum per ballenam 20. q. 2.* Et cap. Fraternitati 2. q. 1. Denique Authores non

& Adulteræ possit jus petendi debitum.

Casus excipiuntur ex quibus adulteræ non.

Maritus excitatur reddere debitum uxori adulteræ quando casus.

nulli addunt quintum caſum, quando vir nolens uxori reddere debitum, & potens, dedit occaſionem uxori adulterandi, ſi poſtmodum contingat, vir tenetur reddere debitum ex *Cap. Secundum verba* 33. q. 5. Omitto hic plures alias adulterorum referre pœnas, pro Theologo hæc ſufficiant.

3 Adultera tenetur laborare ut hæreditas maneat pueris legitimum filium.

DICO 5. *Adultera generans ex adultero marito filium ſpurium, debet adlaborare quantum in ſe eſt, ut hæreditas & ſubſtantia vero reddatur & relinquatur hæredi.* Hæc eſt Doctoris in 4. *diſt.* 15. *q.* 2. *§. Ad illud de Adultera*, ubi elegantem tradit doctrinam & modum quomodo adultera debeat vel poſſit reſtituere hæredi legitimo abſq; ſua diffamatione. Dicit autem Doctor, adulteram teneri quantum in ſe eſt, quia non debet ſe diffamationi exponere: ſed ex aliis cauſis honeſtis filium ſpurium quantū poteſt inducere, ut dimittat hæreditatem. Unus modus honeſtus eſt ut intret religionem: alius ut ſit Clericus, & recipiat beneficia Eccleſiaſtica, & his quaſi ſufficientibus contentus, hæreditatem dimittat alteri fratri laico remanenti. Sed ſi per nullam honeſtam perſuaſionem poteſt mater flectere cor filii ſpurii, ut dimittat hæreditatem, non videtur, quod debeat ſe prodere illi ſpurio: quia non eſt certa, quod talis imperſuaſibilis ab ipſa in aliis honeſtis, propter hoc flecteretur: imò fortè tenacius teneret concipiens diffamationem ſui, quia per illam dimiſſionem notaretur ſpurius, & talem notam multum cavent male nati, & tunc debet mulier laborare aliunde reſtitutionem fieri vero hæredi, quantum poteſt, & ſecundùm correſpondentiam Juſtitiæ: quia non dico, quòd teneatur ad reſtituendum æquivalens toti hæreditati: nam multum differt inter habere, & prope eſſe: iſte autem nunquam habuit hæreditatem, licèt fuerit prope ſecundùm juſtitiam: & ideo minus, quàm æquivalens hæreditati, ſufficit ſibi pro reſtitutione: & illud minus determinetur ſecundùm arbitrium boni viri. Videtur tamen ad minus, quod debeat ſibi providere de victu honeſto, & veſtitu, ſi fuit hæreditas pinguis, ut poſſit ſufficere hæredi ad duplum, vel ad triplum iſtius; quod ſi hoc non poſſit, faciat quod dicitur in illo cap. Odoardus. Hæc Scotus, quem fuſius adducere volui, quia Authores, quos legi, ut Toletus, Leſſius, Marchantius, Cordubenſis plura quidem de hac materia referunt, tota tamen tantorum verborum ſubſtantia in hoc brevi compendio ſubſiſtit.

9 Adultera tenetur ſpurio ſuo revelare crimen in caſu.

Nota hic Doctorem ſubtiliter inſinuare, quòd ſi adultera ſciat ſpurium filium ſibi adhibiturum fidem, & dimiſſurum hæreditatem legitimo hæredi, quòd teneatur manifeſtare crimen, ſecus non. Et huic poſteriori favet quoque *Cap. Officii de Pœnitent. & Remiſſ.* ubi Papa decernit non eſſe negandam pœnitentiam adulteræ, aut illi, quæ falſum partum ſuppoſuit, ſed illi fore ſatisfactionem congruam tanti criminis injungendam, etiamſi non proponat nec velit proprium crimen revelare. Hæc ibi. Et hoc omnino verum judico, ſi hæreditas ſit minoris valoris quàm poſſit eſſe fama v. g. ſi ſit adultera fœmina illuſtri ſanguine orta, magnæ æſtimationis, bonæ famæ. Imò etiamſi hæreditas ſit æqualis vel major, quâ filius defraudatur, dummodo legitimus hæres ſit etiam filius ſuus, nam hic proprius filius non poteſt eſſe rationabiliter invitus, quia pro matris & familiæ illuſtris honore res temporales poſtponere tenetur. Et ita docent Innocent. Panormitan. Cajetanus, Sylveſter, Medina de Caſtro, Navarrus, &c. Quod de adultera dixi, de adultero proportionatè eſt ſentiendum. Et hæc pro nunc ſufficiant, qui plura deſiderat, legat Authores citatos, qui ex profeſſo fuſius hanc materiam tractant, & apud me amplius redibit ſermo, cùm de Reſtitutione egero. Nunc

10 Maledictio adulterorum.

Pro fine hujus materiæ audiant & horreant adulteri gravem maledictionem, quam eis Spiritus Sanctus comminatur Eccleſiaſtici 23. *Omnis homo qui transgreditur lectum ſuum, contemnens in animam ſuam. - - - Hic in plateis civitatis vindicabitur, & quaſi pullus equinus fugabitur: & ubi non ſperavit, apprehendetur. Et erit dedecus omnibus, eo quòd non intellexerit timorem Domini. Sic & mulier omnis relinquens virum ſuum, & ſtatuens hæreditatem ex alieno matrimonio: primò enim in lege Altiſſimi incredibilis fuit: ſecundò in virum ſuum deliquit: tertiò in adulterio fornicata eſt, & ex alio viro filios ſtatuit ſibi. Hæc in Eccleſiam adducetur, & in filios ejus reſpicietur. Non tradent filii ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum. Derelinquet in maledictum memoriam ejus, & dedecus illius non delebitur.* O utinam adulteri & adulteræ hæc intelligerent ac noviſſima providerent, Gloria enim magna eſt ſequi Dominum.

Quæſtio XII.
De
Stupro & Raptu.

1 Stuprum quid nominis.

AFfinia ſibi ſunt iſta delicta, ideo ea cenſeo eſſe combinanda, & breviter expedienda, cùm de impedimento Raptûs fuſius in Quarto egerim. Stuprum itaque quantum Etymologiam nominis generaliter ſecundùm Plautum & Ciceronem ac alios idem ſignificat quod concubitum Lege prohibitum, ſive fiat cum nupta quod adulterium dicitur: ſive cum ſanguine junctis quod inceſtus dicitur: aut ſacris virginibus; nunc eſt ſacrilegium: ſive cum alia muliere ſoluta libera

Digitized by Google

bera vel ancilla: sive etiam cum puero, quod Sodomiam vel præposteram libidinem vocamus, unde de peccato Sodomorum D. Augustinus lib. 16. de Civit. c. 30. loquens dicit: *Veniente igneo imbre de cœlo, tota illa regio impiæ civitatis in cinerem versa est, ubi stupra in masculos in tantam consuetudinem convaluerant, quantam leges solent aliorum factorum præbere licentiam.* Verùm propriè loquendo de Stupro strictè prout huc pertinet

2 Stuprum quid rei.

DICO 1. *Stuprum est concubitus violenter deflorativus virginis contra ejus voluntatem liberam.* Hæc patet ex Gelasio Papa in Decret. Can 36. qu. 1. ubi definit Stuprum: *Quod sit virginis illicita defloratio.* Et declaratur Ly *Concubitus* quod habet rationem generis. *Deflorativus virginis* est differentia, si enim corrupta opprimatur non stuprum sed oppressio dicitur, in stupro autem consideratur, quòd flos pudicitiæ vi sit puellæ ablatus, & claustrum virginale violatum. Additur *contra liberam ejus voluntatem*, si enim illa consentiente liberè fiat, non erit stuprum, quia hoc tale dicitur, & specialem luxuriæ speciem constituit ratione injuriæ, & injustitiæ factæ illi personæ cui innocenti, & nolenti donum illud claustri virginalis ablatum est: proinde si consentiat, non erit necessaria circumstantia in confessione exprimenda.

Nota autem, ad stuprum non requiri absolutè ut vi virgo opprimatur, in hoc enim casu puram patitur virgo violentiam, sed sufficit etiam si puella per metum gravem in cadentem puellam constantem inducatur: Aut quòd fraudibus & dolis sub spe matrimonii sit inducta, aut magnis importunitatibus, quæ involuntarium causare possunt, sit allecta; in omnibus his Stuprum committit, qui virginem ad violationem sic induxerit.

3 Defloratur virginis tenetur eam ducere.

DICO 2. *Qui virginem constupravit sub promissione matrimonii, tenetur eam in conscientia ducere, vel sufficienter dotare.* Ita communis Theologorum & Probatur 1. ex Scriptura Exodi 22. *Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea: dotabit eam, & habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.* Deuteron. 22. *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa & res ad judicium venerit: dabit qui dormivit cum ea patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ;* ubi particulariter sunt notanda verba illa *seduxerit: apprehendens concubuerit.* Quæ non solùm violentiam sed etiam importunitates & fraudes denotant.

Probatur 2. ex Jure Canonico *Cap. Si deduxerit Extra V. de adulteriis.* Et *Cap. Pervenit*, quod est secundum: *Disponimus, ut quam stupraverit uxorem habeat; ac si renuendum putaverit, corporaliter castigatus, & excommunicatus retrudatur in monasterium.* Ubi determinatur talem debere corruptam à se violenter ducere in uxorem, etiamsi non promisisset illi matrimonium, & multo magis si promisit.

Probatur 3. Ratione: Quia promissio matrimonii fuit facta per modum contractùs, sed puella virgo ex parte sua illam adimplevit, ergo etiam ipse stuprator tenetur, quòd si non obligaretur, omnia commercia humana infinitis fraudibus exponerentur. Confirmatur: Quia constuprator puellæ damnum injuriosè intulit nolenti, ergo debet illud resarcire, quod fieri non potest nisi per matrimonium, vel aliam satisfactionem juxta damni existimationem.

Ex hoc infero: quòd si minis, fraudibus, & magnis importunitatibus ad stuprum puellam induxerit ad idem teneri. Imò ad idem obligatur, qui matrimonium fictè puellæ promisit, interius nullo modo illud sed contrarium intendendo, quia adhuc manet injuria, illatúmque est ei damnum.

Dixi autem in conclusione *Vel sufficienter dotare*, quia non semper tenetur stuprator puellam à se corruptam ducere: Primò si ille sit longè nobilior & ditior ex familia magnæ authoritatis, quod puella probè novit, tunc enim non tenetur eam ducere, quia puella pauper & ignobilis debuit & potuit suspicari, quòd talis solummodo simulatè illi promiserit. Secundò: Non tenebitur, si puella ex suis verbis facilè potuit colligere, ipsum simulatè omnia agere, nec seriam habere voluntatem. Tertiò: Ad nihil tenetur constuprator, si puella postea cum alio fuerit fornicata, quia in promissione sponsalium semper tacitè hæc conditio subintelligitur, si amodò mihi fidem servaverit. Quartò: Ad nihil similiter tenetur, si puella dixit se virginem, & ob hoc motivum constuprator promisit matrimonium, ut ea potiretur, deprehendat tamen illam fuisse corruptam. Nam sicut ille decepit puellam, ita ille deceptus fuit à puella, adeóque facta fuit compensatio injuriæ. Quintò: Ad nihil tenetur, si pater puellæ non velit constupratori petenti eam dare in uxorem. Et hoc verum est, licèt fictè tantùm promisisset. Nam sicut in aliis contractibus si per fictionem facio alicui injuriam, teneor stare contractui, si verò pars altera non velit acceptare, ad nihil aliàs teneor. Sextò: Constuprator non tenetur ad ducendam corruptam, si legitimum impedimentum interveniat v. g. si fiat affinis, si aliud matrimonium de præsenti sequatur, si gravia damna, ut inimicitiæ, odia, vel scandala ex matri-

4 Defloratot non semper tenetur puellam ducere.

matrimonio subsequantur, attamen tunc tenetur eam dotare & damnum resarcire. Et ita docet Corduba noster lib. 1. qu. 13. Lopez, Lessius lib. 2. cap. 10. dubit. 3. Marchant. & alii.

7 Raptus multiplex.

Raptus nomen variè quoque accipitur: Primò pro extasi sancta, de qua dixit D. Paulus 2. Corinth. 12. *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, DEUS scit) raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum.* An autem talem raptum possit diabolus facere, vel homo seipsum disponere per consuetudinem? tractat. Scotus 2. d. 11. q. un. videatur ibi, quia hic non est ad propositum.

Raptus de quo hîc secundùm Calepinum refertur ad struprum, sicut *Rapina ad rem*, & *Raptio ad personam*, ob quod raptum aliqui cum stupro confundunt, sed perperam, quia stuprum significat defloorationem, raptus autem potest contingere sine illa, sub intentione & spe habendi matrimonium, potestque fieri tam cum virgine, quàm corrupta, & conjugata. Itaque

6 Raptus proprius describitur.

DICO 3. *Raptus est violenta abductio fœminæ de loco ad locum causâ libidinis explendæ, vel contrahendi matrimonium ipsâ invitâ, vel invitis parentibus ejus, aut illorum sub quorum cura est.* Hæc colligitur ex *Cap. Lex illa 36. q. 1.*

Ex hac definitione colligitur, plures ad Raptum requiri conditiones: Primò enim debet esse violentus, seu cum violentia illata renitenti, sive illa sit physica, manus injiciendo, apprehendendo: sive moralis, minis, metuque gravi terrendo, non verò sufficit, si solùm blanditiis, promissis, donis, dolis aut fallaciis abducatur, & hæc conditio constat ex *l. 3. v. Non solùm. ff. de incendio, ruina*, ubi dicitur: *Aliud autem esse rapi, aliud amoveri, palam est, siquidem amoveri aliquid etiam sine vi potest, rapi autem sine vi non potest.* Si enim mulier sub nullius potestate constituta sponte consentiret, nullus esset raptus, nam scienti, volenti & petenti non fit injuria nec dolus. *L. Nemo videtur. ff. de reg. juris.* Econtra verò raptus omnino esset, si puella primò reniteretur essetque invita, postmodum tamen spontè in copulam consentiret, quia considerandum est initium, in quo violentia fuit. *L. Divus 14. ff. ad Legem Juliam de sicariis. In maleficiis voluntas spectatur, non exitus.*

Secundò: Raptus debet esse factus causâ libidinis. Ratio est, quia raptus est luxuriæ species, hunc finem præfixum habere debet, licèt actu non sequatur. sed quòd raptor non valuerit, seu quòd pœnitentiâ ductus non voluerit copulam consummare, sufficit attentatio copulæ & violenta abductio, sicut si quis aggrederetur conjugatam, ubi rationem adulterii habebit, licèt copula non sequatur, sed in hoc casu extraordinariâ pœnâ, non ordinariâ foret plectendus: si verò rapiat aliquam personam non causâ luxuriæ, sed v. g. servitutis, aut alterius hujusmodi, talis quidem injustitiam raptûs non committet, sed alterius speciei.

Tertiò: Raptus propriè dictus huc spectans debet esse de loco uno in alium abductio, ut habetur *Cap. Lex illa. 36. q. 1.* & est Galasii Papæ, qui *Raptum dixit commissum esse, ubi puella, de cujus nuptiis antea nihil actum fuerat, videatur abducta.* Nam si tantùm in propria domo vel loco fœmina opprimatur violenter, erit quidem raptus in specie luxuriæ, in genere secundùm primum notabile; Nec sufficit, ut abducatur quomodocunque v. g. ad locum privatum & obscurum à publico, ab agro ad sylvam, ab una camera ad aliam, ut commodius libidini vacare possint, sed requiritur, ut abductio sit vera & realis de loco in locum, ad habendam raptam in sua potestate.

Quartò: Debet esse raptus mulieris honestæ vitæ, ut decidit *L. unica. in principio. C. de Raptu virginum.* his verbis: *Raptores virginum honestarum, vel quarumlibet viduarum.* Ubi Glossa *V. virginum*, dicit particulam *honestarum* determinare etiam sequentiam, ut verum sit de quacunque muliere honesta, sive virgo sive vidua, sive soluta sive sit nupta, dummodo sit honesta, sed hæc conditio est intelligenda de jure civili, aut etiam quantum ad pœnarum inflictionem, quæ non infliguntur propter abductionem meretricum, quia præsumitur tales non invitas abductas fuisse, sed sponte in abductionem consensisse, nisi constet eas jam pœnitentiâ actâ honestam agere aut egisse vitam.

8 Raptorum variæ pœnæ.

Dico 4. *Raptoribus jure antiquo civili & canonico variæ erant constitutæ pœnæ, hodie tamen solæ illæ sunt in vigore, quas Concilium illis infligit.* Probatur: Quia jure Civili *L unica. C. de Raptu virginum* statuta est Raptoribus honestæ mulieris pœna capitis, & bonorum omissio, quæ statim ad dominium raptæ transeunt, sicut etiam illorum, qui raptori auxilium & opem fuerunt: jure verò canonico raptores & faventes excommunicantur, uti habetur *Cap. Si quis virginem. 36. q. 2.* quod est Gregorii II. in Synodo Romana, ubi dicitur: *Si quis virginem, vel viduam (nisi desponsaverit) rapuerit, cum sibi faventibus anathema sit.* Quam excommunicationem plures Doctores existimant esse latæ sententiæ. Novissimo

mo autem jure Tridentini Raptores pluribus plectuntur pœnis, nam primò ipsi & eis faventes excommunicantur, deinde redduntur infames, dignitatum incapaces, Clerici gradibus suis privantur, & Raptor tenetur raptam competenter arbitrio judicis dotare, sive eam duxerit, sive non, & ita habetur *Sess. 24. de Matrimon. cap. 6.* in his terminis: *Raptor ipse ac omnes illi consilium vel favorem præbentes, sint ipso facto excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, Clerici verò de proprio gradu decidant. Teneatur præterea Raptor mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.* Quare multi Doctores dicunt, excommunicationis pœnam ipso facto incurri, reliquas verò non, nisi post sententiam judicis. Qui alia plura de raptu desiderat, & quam maximè quatenus est impedimentum matrimonii, videat meum Tomum quartum sententiarum tract. 9. disp. 3. q. 7.

Quæstio XIII.

De Incestu & Sacrilegio in Luxuria.

1 Incestus describitur.

INcestum aliqui derivant à Cesto Veneris cingulo, quo amor maritalis in legitimis nuptiis conciliari putabatur à Gentilibus, ita ut incestus dicatur illegitimus concubitus, cui cingulum illud, nuptiarum justarum insigne non adhibetur, sed nimis remotè. Alii derivant à *Non casto*, seu *Incasto* a mutato in e, sed hoc etiam generale quid est, undecunque derivetur nomen. Incestus quoad rem *Est concubitus illicitus cum persona sanguine, vel affinitate juncta usque ad quartum gradum utrinsque.* Ita describunt communiter Theologi incestum. Dicitur *Concubitus*, quia incestus est luxuriæ species contra honorem & reverentiam sanguinis, cùm enim consanguinei in eadem domo conversari debeant, adeoque omnes debitum majoribus exhibere respectum, juxta regulam prudentiæ politicæ, non sine magna rerum & personarum confusione, omnia agerentur, si parentes filiis & filiæ ac filii sibi invicem copularentur. Dicitur autem *Illicitus*, quia si dispensarentur, possent consanguinei legitimè sibi copulari, potest enim Ecclesia in tribus posterioribus gradibus lateralibus dispensare, in primo autem gradu nunquam dispensavit, & etiam probabiliter non potest, quia juris est divini, in quo solus DEUS dispensavit in primis Protoplastorum filiis, quia hoc ad generis humani multiplicationem absolutè erat necessarium. In linea autem recta omnes gradus sunt jure divino prohibiti. Hoc præmisso

2 Incestus est gravissimum peccatum.

DICO 1. *Incestus est gravissimum mortale peccatum præcedentibus omnibus longè gravius.* Probatur 1. ex scriptura Levit. 18. *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet*, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. *Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies: turpitudo enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis.* Atque postquam plures similes turpitudines prohibuisset concludit: *Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus his quidpiam, peribit de medio populi sui* quandoquidem igitur DEUS pœnam mortis incestuosis non minùs, quàm peccatis contra naturam commissis comminatur, evidens est signum, incestum esse gravissimum peccatum. Unde D. Paulus 1. Corinth. 5. incestuosum illum excommunicavit, ut ibi legitur: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est - - - - tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri JESU CHRISTI.*

Probatur 2. ex Patribus Augustino lib. de Adulterinis conjugiis & refertur Cap. Adulterii 32. qu. 7. *Adulterii malum vincit fornicationem: vincitur autem ab incestu. Pejus enim est cum matre quam cum aliena uxore concumbere.* D. Gregorio in Epist. ad Felicem Episcopum dicente: *Nec eam quam aliquis ex propria consanguinitate conjugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculavit, in conjugem ducere ulli profectò licet Christianorum, aut licebit, quia incestuosus est talis coitus, & abominabilis DEO, & cunctis hominibus.*

Probatur 3. Ratione: Tum propter reverentiam sanguinis, nam ut dicit S. Augustinus lib. 15. de Civit. cap. 16. *Inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile: ut cui debet causa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam conjugalem.* Unde particulariter hoc peccatum in scriptura vocatur abominatio, quam reverentiam cautissimè exhibuerunt filii Noë Sem & Japhet, ita ut nec virilia patris videre voluerint, & Cham tunc turpitudinem revelans perstringitur maledicto, quanto magis esset supponenda maledictioni, si quæ fœmina cum Patre vel fratre coiret,

Digitized by Google

ret, unde D. Bernardus gravissimè incestum filiarum Loth detestatur cum sola pietatis & intentionis piæ excusatione, Tract. de Præcept. & Dispens. cap. 7. dicens: *Nihil deinceps incestius obscœniusve, quàm illas filias Loth paternum usurpâsse concubitum: & tamen quis non videat quantum evacuaverit aut attenuaverit turpis nefandique reatum flagitii, pietas intentionis, & intentio pietatis.* Tum, quia hoc etiam in bestiis aliquibus natura abhorret, nam ut refert Aristoteles lib. 9. Historiæ animalium cap. 47. Camelos nec vi adigi posse, ut matribus copulentur. Idem narrat de equo quodam generosissimo Regis Scytarum, Guilielmus Parisiensis. Tum denique per concubitum fiunt duo caro una, unde natura quærit eos conjunctos, inter quos non erat ante conjunctio carnalis, vel sanguinis, & refugit, horretque concubitum eorum, ubi ante jam erat talis conjunctio, atqui inter consanguineos est, ergo. Tum denique, quia natura ad multiplicationem generis humani requirit duo principia scilicet maris & fœminæ, sed inter consanguineos non sunt duo principia, quia frater & soror sunt veluti unum principium non secus ac duo fratres & duæ sorores, ergo. Sed

2 Cõsanguinitas & affinitas in lege non sic obligabat.

DICES: In lege naturæ & legè scripta non erat tanta prohibitio consanguinitatis & affinitatis, ergo neque modò debet esse tanta obligatio. Probatur antec. Nam Abraham duxit in uxorem Sarai filiam fratris sui Aran, sororem Loth: Isaac Rebeccam: Jacob duas sorores Liam & Rachaëlem Genes. 29. In lege scripta præcepit Moyses, nè ullus duceret uxorem nisi ex familia sua. Item Deuteron. 25. Ordinatur, quòd si aliquis ex filiis Israël moreretur absque liberis, ut frater ejus uxorem defuncti duceret in uxorem, ergo. Respond. negando consequ. Ratio disparitatis est, quia cùm totum genus ab uno descendat homine, in principio erat necessarium, ut fratres & sorores invicem copularentur ad necessariam multiplicationem, adeóque tunc conjunctiones similes ex hoc motivo erant licitæ, necessitate cogente, cessante necessitate pariter illud cessare debuit, ut præclarè D. Augustinus lib. 15. de Civit. cap. 16. docet dicens: *Cum génus humanum post primam copulam viri facti ex pulvere & conjugis ejus ex viri latere, martum fœminarumq; conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur: nec essent ulli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri sorores suas conjuges acceperunt: quod profectò quantò est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius, religione prohibente.* Et paulò pòst subdit: *Unde jam plenò hominibus orbe terrarum non quidem sorores ex patre vel matre, vel ex ambobus suis parentibus natas, sed tamen amabant de suo genere ducere uxores. Verumtamen quis dubitet honestius hoc tempore etiam consobrinarum prohibita esse conjugia.*

In lege autem Mosaica id licitum erat, quia Synagoga inter strictos limites continebatur, & ideò nè cum infidelibus & paganis contrahere cogerentur, permissum est illis, quòd inter cognatos & consanguineos nuptias facerent, quæ ratio de facto in Ecclesia cessat, quæ longè lateque per totum terrarum orbem est diffusa.

4 Incestum committens non potest petere debitum.

DICO 2. *Qui scienter committit incestum cum consanguineis uxoris suæ usque ad secundum gradum inclusivè sub mortali peccato non potest petere debitum à sua uxore, quæ per incestum, facta est illi affinis.* Ita habetur expressè in *Cap. Transmissæ.* & *Cap. Discretionem.* & in aliis X. de eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ. Et 27. q. 2. *qui dormierit.* Et 32. q. 7. & 35. q. 3. *cap. de Incestis* & alibi sæpe. Est & alia pœna in jure, quòd mortua uxore non possit sub mortali contrahere matrimonium cum alia fœmina honesta. Dixi autem in conclusione *scienter*, quia si quis ex ignorantia facti incestum committit cum consanguinea vel sorore uxoris suæ, nesciens esse talem, non incurrit hanc pœnam, benè tamen contrahit affinitatem. De ignorantia Juris idem sentiunt aliqui, & alii oppositum tenent, utrumque probabile. Dixi etiam *usque ad secundum gradum*, quia in tertio vel quarto gradu non impedit petitionem debiti, nam Concilium Tridentin. Sess. 24. cap. Ex illicita affinitate dirimit matrimonium tantùm usque ad illum gradum, consequenter non impedit petitionem debiti, quia, cui conceditur illud, quod majus est, conceditur & quod minus est in illo inclusum. De Incestuosis autem cum propriis consanguineis nullum jus extat, quin debitum petere possint à suis uxoribus.

5 Gradus consanguinitatis & affinitatis debent e pr

DICO 3. *In Confessione omnes gradus incestûs lineæ rectæ tam affinitatis quàm consanguinitatis debent exprimi, in lineis collateralibus autem duo primi gradus tantùm, nempe*

fratris cum sorore, & cognati germani cum cognata germana sunt exprimendi. Hæc est communis. Probatur 1. de linea recta: Quia nunquam fuit licitus concubitus in linea recta sive ascendentium sive descendentium, unde scriptura etiam graphicè hanc turpitudinem exaggerat, & sub maledictione prohibet Levit. 18. *Turpitudinem patris tui & turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus. . . . Turpitudinem filiæ filii tui vel neptis ex filia non revelabis: quia turpitudo tua est. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui quam peperit patri tuo, & est soror tua, non revelabis.* Probatur etiam de linea laterali ex illo Deuteron. 27. *Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ, & dicet omnis populus: Amen.* Ratio etiam est, quia illi duo gradus particularem habent turpitudinem, nam primus Jure Divino est prohibitus, secundus verò licèt sit tantùm Jure Ecclesiastico interdictus, attamen penes peccatum incestus etiam inducit impedimentum dirimens matrimonium ex quavis copula etiam illicita. Hinc à fortiori intero ipsam speciem incestûs tam affinitatis quàm consanguinitatis esse exprimendam, quia ipsa vincula unionis, & rationes inter se specie differunt, & multò turpius peccatum est cum matre concumbère, quàm cum noverca.

Nota hic ulterius, Pœnam incestuosorum esse non posse petere debitum juxta ea, quæ dixi in conclusione præcedenti, cui etiam est annexa alia, scilicet quòd defuncta uxore non possit ducere aliam, quæ intelligenda sunt, nisi dispensentur, in utraque verò pœna dispensare possunt Episcopi. & etiam superiores Provinciales hanc facultatem possunt concedere suis Confessariis ad audiendas confessiones sæcularium expositis.

6 Sacrilegium luxuriæ describitur.

DICO 4. *Sacrilegium luxuriæ est concubitus illicitus, vel quiscunque actus libidinosus cum persona Deo sacrata, vel personæ Deo per votum solemne castitatis vel ordinis sacri obstrictæ.* Hæc patet. Dixi autem non solum concubitus sed & actus libidinosus, quia persona DEO sacrata sacrilegium committit non tantùm copula carnali, sed quocunque peccato contra castitatem sive sit mollities, sive Sodomia, sive bestialitas, sive hoc in se ipso per sui stuprum faciat, sive permittat, aut in altero operetur, quia semper facit irreverentiam rei divino Numini consecratæ, eamque profanat, & per consequens injuriam particularem facit divinæ Majestati. Dixi quoque *Castitatis voto, vel ordine sacro*, quia uterque æqualiter obligantur; excluduntur tamen per hanc particulam ordines Minores, quia tales non sunt DEO specialiter consecrati, & traditi.

Sacrilegium dividitur in *Intrinsecum & Extrinsecum.* Illud jam explicatum est: hoc verò est, quod fit in loco, vel circa rem sacram, de quo egi in materia de peccatis quæst. de Circumstantiis peccatorum.

Quæstio XIV.

De

Peccato contra naturam.

1 Peccatum contra naturam describitur.

ULtima species luxuriæ est Peccatum *contra naturam*, non solum quòd sit contra dictamen rationis naturalis, quomodo peccatum adulterii, incestûs, sacrilegii &c. dicuntur esse contra naturam, sed ideo, quia est contra ordinem naturæ quem in cæteris etiam animantibus requirit, seu quem actus ille ex natura sua postulat, unde describitur, quòd sit *Actus libidinosus quo quis vasis & organis corporis ad generationem institutis abutitur & indebitè utitur, ut generatio fieri non possit.* Hæc definitio non eget explicatione, & patebit ex progressu, debitus autem ordo generationis est, ut personæ duæ vel suppositа conjungantur, quæ sint ejusdem naturæ, diversi sexûs, diversorumque organorum & vasorum, atque modo debito. Hinc

DICO 1. *Tres sunt species peccati contra naturam, nempe Mollities, Sodomia, & Bestialitas, quæ sunt particulariter in confessione explicandæ.* Ita Doctores communiter, & patet ex Decreto Alexandri VII. edito 24. Septembr. 1665. ubi damnat sequentem propositionem, quæ est 24. *Mollities, Sodomia, bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoq; sufficit dicere in confessione se procurâsse pollutionem.*

2 Mollities peccatum grave.

DICO 2. *Mollities seu quæ est voluntaria seminis provocatio & effusio extra vas & absque copula, ordinariè dicitur voluntaria pollutio, quæ est peccatum gravissimum.* Patet ex 1. Corinth. 6. *An nescitis quia iniqui regnum*

Digitized by Google

gnum DEI non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum DEI possidebunt. Et Ratio est, quia iste actus est actus contra primarium finem, ob quem organa illa sunt instituta, nempe contra conceptionem & generationem, adeôque gravissimam continet naturæ deordinationem; unde si fornicatio est peccatum, eò quòd careat ordine ad prolis educationem, magis pollutio erit, quæ & conceptionem & generationem impedit, quapropter DEUS percussit Onam, *eo quod rem detestabilem faceret*, scilicet fundendo semen in terram, & ideo dicitur effusio extra vas & absque copula. Debet autem pollutio ista esse *voluntaria*, ut excludantur hi, qui pollutionem nocturnam sine consensu & voluntate patiuntur, item qui sunt seminiflui, qui libidine carent. Pro intelligentia

3 Pollutio dupliciter potest esse voluntaria.

NOTANDUM, quòd Pollutio potest esse dupliciter voluntaria in se, & in causa sua, & utroque modo est peccatum mortale. Explicantur primò termini *Per se* voluntaria est, quando est directè volita & procurata. Voluntaria *in causa* est quando prævidetur ex aliqua causa secutura, & ideo tenemur illam vitare & non vitamus. Ad hoc tria requiruntur, Primò ut aliquo modo prævideatur secutura, quod enim nullo modo est cognitum, non potest censeri voluntarium & liberum, adeóque non potest imputari in peccatum, unde si quis nullo modo suspicabatur pollutionem inde secuturam, nullo modo peccat, quamvis alioquin causa esset culpabilis. Secundò requiritur, ut quis causam illam teneatur vitare, si enim non tenebatur vitare, nullo modo poterit imputari ad culpam, unde non censebitur voluntaria sed solùm permissa, quòd patet in confessario, qui non tenetur vitare functionem suam in audiendis confessionibus, licèt quid tale exinde patiatur, quod idem tenent Doctores passim de Medicis, Chyrurgis, quando curant in locis verendis feminas. Item de equitibus & veredariis licet per accidens miseriam istam experiantur, quia per accidens hoc planè accidit, dummodo non adsit periculum consensûs. Tertiò requiritur, quòd prægnoscens secuturum hunc effectum, causam non vitet, quam vitare tenebatur, v.g. vacat quis liberè alicui actioni, vel cogitationi, aut operi ex quo sequitur talis membrorum, spirituum, & spermatis concitatio, quales sunt tactus, aspectus partium inhonestarum absque necessitate, & omnia similia, quæ habent propinquam rationem influendi & commovendi naturam. His prænotatis ulterius

Probatur concluſio Pollutionem voluntariam in se & in sua causa esse peccatum mortale ex Decreto Innocentii XI. die 2. Martii edito Anno 1679. ubi damnat sequentem propositionem, quæ est 49. *Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si DEUS eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.* Probatur hoc idem ratione tùm suprà allegata: Tum, quia si prægnitâ causâ, quam tenemur vitare sub mortali, non depellimus, v. g. cogitationem, tactum, aut aspectum, tunc interpretativè censemur consentire, nam non solùm consentimus in causam, sed etiam in ipsam delectationem, cùm facilè possimus ipsam causam amovere, & facere teneamur.

Hinc infero: si quis desiderio & affectu deliberato desideraret habere pollutionem ob delectationem carnalem mortaliter peccaret, maximè si desiderium aliqua ratione influeret, si quis tamen assentaret habere non dando aliquam causam propter sanitatem, aut ad liberandum se ab illo æstu, quem semen in membris causat, non esset peccatum mortale, quia illud desiderium censendum est esse speculativum, non practicum.

4 Pollutionem affectate ob delectationem nemo potest.

Inferò 2. Pollutionem etiam nocturnam fore peccatum mortale, si aromaticis cibis vescatur, vino generoso se ingurgitet, & in lecto sic disponat, ex qua situatione sciat sibi evenire hunc fluxum. Imò mortale erit, si delectetur de pollutione in nocte sine sua causa perpessa, si id fiat propter solam delectationem, non erit autem mortale, si complaceat sibi quis propter sanitatem, vel quia tentationes carnales ob defluxum seminis non sunt futuræ tam vehementes. Ita Sylvester, Navarrus, Lessius, Marchantius, &c.

QUÆRES: Utrum præcedente pollutione nocturna voluntaria, vel involuntariâ mox sequenti mane celebrare quis possit? D. Augustinus sentire videtur Serm. 244. Nec post actum conjugalem, nec post pollutionem nocturnam debere quempiam accedere Eucharistiam, dicens: *Quoties ad Ecclesiam in qualibet solennitate veniatis, & sacramenta Christi percipere volueritis,*

5 Celebrare quis potest post pollutionem nocturnam.

ante dies plures castitatem servate, ut cum secura conscientia ad altare DEI possitis accedere. Quam rem etiam per totam quadragesimam, & usque ad clausulam paschæ fideliter custodite, ut vos solennitas paschalis castos & puros inveniat. Qui enim bonus Christianus est, non solum ante dies plures quam communicet, castitatem servat, sed & uxorem suam, excepto desiderio filiorum, non agnoscit. Verum Respond. 1. Nullum extare præceptum, quo quis prohibeatur post pollutionem nocturnam celebrare Missam, aut communicare post copulam conjugalem licitam, unde dictum S. Augustini magis est consilium quàm præceptum, quia apud Clementem I. in lib. 6. Apostol. Constitutionum consolatoria pro scrupulosis doctrina hæc legitur & invenitur: *Nec legitimus concubitus, nec sanguinis fluxus, nec nocturna pollutio potest naturam hominis contaminare, vel Spiritum Sanctum auferre, sed sola impietas & actio injusta:* ergo si Spiritus Sanctus non aufertur, tuta conscientia potest quis post actum matrimonialem comunicare, & post involuntariam pollutionem celebrare. Adde ad propositum egregium dictum S. Gregorii in Epist. ad Augustinum Anglorum Episcopum refertur à Gratiano dist. 6. dicentis: *Cùm ex naturæ superfluitate vel infirmitate pollutio evenerit, omnino hæc illusio non est timenda, quia animus nesciens pertulisse magis dolendus est quàm fecisse.* Unde in casu, quo pollutio per illusionem dæmonis contigit, magis suadenda est communio & celebratio, à qua Satan homines avertere nititur per similia phantasmata. Respond. 2. Neque ob pollutionem voluntariam per sacramentum pœnitentiæ antecedenter expiatam tenetur sub mortali à celebratione vel communione abstinere, nisi esset corpus & animus inhabilitatus ad devotè accedendum, eò quòd phantasia fortèsque remanerent actûs illius absurdi impressiones. Ratio primi est: Quia talis supponitur in statu gratiæ esse, ergo licitè accedere potest, quia nulla immunditia corporalis impedit, utpote cùm hoc magis saperet Judaismum. Ratio secundi est: Quia nemo debet accedere cum nausea, nemo resolutus ut docet S. Chrysostom. hoc enim exigit reverentia tanti Sacramenti, hoc exigit cujuslibet hominis salus, nè sibi judicium manducet & bibat.

6 Sodomia describitur.

Altera species peccati contra naturam est *Sodomia* originem & nomen trahens à pessima illa Sodomorum civitate, in qua Loth habitavit, quem cives Gen. 19. *Vocaverunt, & dixerunt ei: Ubi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, ut cognoscamus eos.* Est igitur Sodomia: *Concubitus libidinosus ejusdem sexûs in vasis à natura ad generationem non ordinatis.* Quàm grave autem hoc peccatum sit satis ostendit DEUS ex pœna inflicta Levit. cap. 20. *Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur: sit sanguis eorum super eos.* Et propter hoc crimen docet D. Paulus ad Rom. 1. *Propterea tradidit illos DEUS in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.* Imo hæc malitia adeo crevit, quòd aliqui etiam in ore alterius coëunt, quod profectò pudor est scribere vel cogitare. Unde incontinentiam in Clero D. Bernardus perstringens in tract. de Conversion. ad Clericos c. 20. graphicè sic invehitur: *Siquidem post fornicationes, post adulteria, post incestus, nec ipsæ quidem apud aliquos ignominiæ passiones, & turpitudinis opera desunt: utinam non fierent, quæ usque adeo non conveniunt, ut nec Apostolum hæc scribere, nec nos dicere oporteret; ut nec dicentibus crederetur, quod humanum aliquando occupaverit animum, tam abominanda cupido. Nunquid non olim civitates illæ spurcitia hujus matres divino prædamnatæ judicio, & incendio sunt deletæ?* Miserator & misericors Dominus custodiat quemlibet fidelem ab hoc nefando vitio.

7 Bestialitas maximum crimen.

Tertia denique species est *Bestialitas* pessimum omnium & scelleratissimum crimen, estque *Concubitus libidinosus cum bruto sive activè sive passivè fiat, & in quocunque vase*, quod quàm abominabilè sit DEO patet ex Levit. 18. *Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei: quia scelus est.* Et cap. 20. *Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite. Mulier quæ*

suc-

succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo: sanguis eorum sit super eos.

Quæstio XV.

De

Vitio oppositio Temperantiæ quoad appetendos honores,

quod est

Superbia.

1 Superbia non est primum peccatum Angeli.

Initium omnis peccati est Superbia, ait Ecclesiasticus cap. 10. Ex quo Neotterici communiter deducunt, Peccatum angeli mali primum fuisse superbiam, ex qua alia omnia sumpsere initium. Verum Doctor subtilis in 2. dist. 6. qu. §. Quantum ad secundum dicit, quòd primum peccatum ejus non fuit superbia propriè dicta; sed propter delectationem quam importabat, magis videtur reduci ad luxuriam; sicut peccatum quo inordinatè delectatur quis in speculatione conclusionis geometricæ, ad luxuriam reducitur. Et hunc inordinatum sui amorem Theologi vocant Philavtiam, in qua sibi complacendo sistere voluit, unde bene Spiritus Sanctus in Ecclesiast. præmisit: *Initium superbiæ hominis, apostatare à DEO: quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem:* per illum ergo amorem angelus apostatavit, & superbus effectus est, cui doctrinæ favet S. Augustinus volens concordare cum textu Ecclesiastici *Initium omnis peccati est superbia* cum illo D. Pauli 1. ad Timoth. 6. *Radix omnium malorum cupiditas.* Lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 15. dicens: *Huic testimonio non inconvenienter aptatur etiam illud, quod Apostolus ait: Radix omnium malorum est avaritia: si avaritiam generalem intelligamus, qua quisque appetit amplius quàm oportet, propter excellentiam suam, & quendam propriæ rei amorem.* Et paulo pòst subjungit: *Hinc enim & diabolus cecidit, qui utique non amavit pecuniam, sed propriam potestatem. Proinde perversus sui amor privat sancta societate turgidum spiritum, eumque coarctat miseria jam per iniquitatem satiari cupientem.* Unde definio &

2 Superbia definitur.

DICO 1. *Superbia est appetitus seu amor inordinatus propriæ excellentiæ, quâ aliis vult præcellere.* Hæc est communis Patrum & Theologorum. Probatur 1. Ex Patribus D. Augustino lib. 11. de Genesi ad litt. cap. 14. ubi ait: *Superbia est amor excellentiæ propriæ, invidentia verò est odium felicitatis alienæ, quod unde nascatur in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quòd ei coæquentur, vel inferioribus nè sibi coæquentur, vel superioribus, quòd eis non coæquetur.* lib. 14. de Civit. DEI cap. 13. ubi dicit: *Quid est superbia, nisi perversa celsitudinis appetitus? Perversa enim celsitudo est, deserto eo cui animus debet inhærere principio sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit, cum sibi nimis placet.* In quo loco docet, superbiam facere recessum à DEO, cui subesse non vult, sicut in primo quod ut alius præferatur ob quod si potest invidet. Definitionem primam amplectitur quoque S. Bernardus tract. de Grad. Humil. cap. 4. dicens: *Quid enim aliud est superbia, quàm ut quidam jactus,* (Augustinus scilicet *definit amor propriæ excellentiæ.* Et Tract. de moribus & officio Episcoporum cap. 5. *Superbia est appetitus propriæ excellentiæ. Hæc in species duas dividitur, in cœcam, & vanam superbiam. Quæ quidem & aliis nominibus appellari possunt contumacia & vanitas: quarum prior intelligentiæ, posterior voluntatis vitium est. Nam ex illa rationis fallitur oculus, & ex ista voluntatis malè appetitus afficitur. Quod melius ex singulorum definitionibus demonstrabimus. Cæca superbia seu contumacia est vitium, quo se existimans aliquis vel esse bonum quod non est, vel à se esse quod est, in se non in Domino gloriatur. Vana superbia seu vanitas est vitium, quo quis tam de eo quod est, quàm de eo quod non est, suis magis quàm DEI laudibus delectatur.*

Declaratur adhuc definitio suprà posita *Appetitus* seu *Amor*, quia hic non accipitur appetitus pro naturali inclinatione, sed pro actu appetendi in quo peccatum est, naturalis enim inclinatio & propensio nullum est vitium. Ideo additur *Inordinatus*, quia si fuerit debitè ordinatus, & juxta regulas rationis elicitus non erit vitiosus. *Est* secundùm Alexandrum de Ales & Scotum suprà citatum *superbia in irascibili, & Irascibilis est propugnatrix concupiscibilis* ait Scotus, unde si debitè propugnet, non erit vitiosus actus, sed si defecerit à debitis circumstantiis. Et juxta hoc D. Gregorius lib. 23. moral. cap. 7. quatuor species superbiæ enumerat: Prima est, quando homo attribuit sibi

3 Superbia est in irascibili.

Digitized by Google

sibi bonum, quod DEO est attribuendum. Secundò quando non sibi quidem attribuit, sed suis meritis sibi desuper datum esse credit. Tertiò, quando se jactat habere, quod non habent alii. Quartò, quando despectis cæteris præeminere contendit, unde D. Augustinus Epist. ad Honoratum quæ est 220. dicit: *Superbia odit consortium, & quantum in ipso est, solus cupit eminere omnis superbus.* Has quatuor species St. Bonaventura in cantiloq. sequenti versu exprimit:

A se, promeritis, falsò, plus omnibus inflat.

4 Superbiæ quatuor species explicantur.

Has omnes quatuor species tangit quoque Psalmista Psal. 130. *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Nam confitendo suam humilitatem per primam particulam *Domine non est exaltatum cor meum.* Condemnat primam superbiæ speciem, neque enim major potest esse cordis exaltatio, seu verius mentis excæcatio, & superbia cæca, quàm dona DEI sibi attribuere, unde D. Paulus 1. Corinth. 4. similes superbos redarguit: *Quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* unde D. Anselmus de casu diaboli dicit: *Sicut à se Angeli & homines, non nisi nihil habent, ita à DEO non nisi aliquid habent.* Quasi diceret, Angelus & homo de se nihil aliud quàm purum nihil habebant, quidquid autem modo habent, à DEO acceperunt, unde DEUS mandat Ezechieli, ut hanc superbiam & cordis exaltationem exprobret cap. 28. *Fili hominis, dic Principi Tyri: Hæc dicit Dominus DEUS: Eò quòd elevatum est cor tuum, & dixisti: DEUS ego sum, & in cathedra DEI sedi in corde maris: cùm sis homo & non DEUS, & dedisti cor tuum quasi cor DEI &c. Idcirco ecce ego adducam super te alienos &c.*

Secundam superbiæ speciem Psalmista tangit cùm dicit: *Neque elati sunt oculi mei,* ex eo enim quòd aliquis in altum elevat oculos, & seipsum non considerat, oritur, quòd bona sua non DEO cui debentur, sed suis meritis attribuat, unde Job 15. dicitur: *Quid te elevat cor tuum, & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos.* Non potest enim major esse cordis elavatio & oculorum excæcatio, quàm se ipsum non cognoscere, & bona quæ in nobis sunt ex propriis meritis reputare, cùm homo aliud non sit, quàm DEI instrumentum, per quod operatur in nobis ipse omnia juxta illud Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis DEUS noster.* Unde idem Propheta Sanctus adstruit instrumentum non posse, nec se debere contra principalem agentem elevare c. 10. *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? quomodo si elevetur virga contra elevantem se, & exaltetur baculus, qui utique lignum est.* Quod cùm fecisset Nabuchodonosor, & gloriaretur Daniel. 4. *Respondit Rex & ait: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cùmque sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex. Regnum tuum transibit à te.*

3 Superbire est quasi superire.

Tertiam superbiæ speciem seu si mavis gradum indicat David: *Neque ambulavi in magnis,* quem textum expendens Theodoretus ait: *Hoc est meipsum metiebar, & quæ me excedebant, non sum aggressus.* Superbire enim est quasi super ire, tunc autem homines in magnis ambulant, quando supra sua merita, virtutes & dona jactant se habere quod non habent, cui vitio plurimi subjacent, qui facta sua magni, aliorum flocci faciunt, unde acutè dixit Seneca *Mentiuntur superbi,* magis autem Christianè S. Gregorius lib. 26. Moral. cap. 33. ab oppositio inquit: *Sancti & humiles viri aliena opera, etiam parva mirantur, sua autem opera etiam magna despiciunt: At verò arrogantes aliena etiam magna despiciunt, sua verò quæ parva sunt admirantur. Plerumque de suis malis bona existimant, de alienis autem bonis mala sentire non cessant, nam, dum propriam gloriam quærunt, pernitiosè student, ut quidquid virtutis ab aliis agitur, iniquitatis nota laceretur.* Exemplum hujus rei patet in Pharisæo & Publicano, qui simul ascenderunt oraturi ad templum Lucæ 18.

Quartus gradus seu superbiæ species est, omnibus aliis præeminere & præcellere velle, cujus oppositum se fecisse testatur David allegatus, cùm dicit: *Si non humiliter sentiebam, sicut ablactatus est super matre sua,* id est, si non fui humilis ad instar parvuli ab uberibus matris suæ pendentis, ita fiat retributio in anima mea. Habet enim hoc parvulus & infans, quòd licèt bonis naturalibus & fortunæ sit præditus, licèt dives & hæres, ac regio sanguine natus, de his tamen nullam habet jactantiam & superbiam, nam ut dicit S. Joannes Chrysostom. hom. 59. in Matth. *Parvuli non invidere, non inanem expectare gloriam, nec primatûs dignitatem desiderare noverunt.* Et D. Hilarius concion. 18. in Matth. *Parvuli patrem sequuntur, matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt, non insolescunt, non*

oderunt,

aderunt, non mentiuntur. Unde textum ex Psalmo allegatum Symmachus sic vertit: *Nisi dignam censui & comparavi animam meam infantulo à lacte depulso apud matrem suam, sic retribuatur animæ meæ.*

6 Superbia actus reflexus. Actus superbiæ sunt sequentes Primò & principalis est in intellectu consideratio suarum perfectionum & donorum, quæ quis habet, non attendendo nec à quo habeat, nec perpendendo imperfectiones quas habet admixtas, & tunc in voluntate consurgit affectus & complacentia, ex hac nascitur sui major æstimatio, nam sicut humilitas in intellectu habet sui vilipensionem, ita superbia facit sui magnipensionem, ob quam postmodum in voluntate majorem erga se affectum concipit, fovet, per quem inflatur, intumescit, & exaltatur, unde D. Augustinus lib. 1. de Serm. Domini in monte dicit: *Quis verò nesciet, superbos inflatos dici tanquam vento distentos.* Hinc pro secundo æstimat se superbus dignum ad magna officia, dignitates, & rebus suam mensuram excedentibus. Tertiò appetit illa omnia tanquam sibi congrua & convenientia. Quartò vult etiam ab aliis magnifieri, honorari & laudari. Quintò irasci, indignari, & dolere, si videat se ad ea, quæ appetit, non posse pertingere. Hinc pro sexto sequitur aliorum contemptus, sua pluris æstimando, & proximorum actus & personas vilipendendo. Septimò generatur superiorum vilipensio, existimando se illis prudentiorem, atque indignum fore suæ personæ, si illis obtemperet propter suam excellentiam & eminentiam. Et tandem proh dolor excutitur etiam jugum DEI, vel præcepta non curando, vel siniſtrè ad suum placitum interpretando, peccatum excusando, de quo conqueritur DEUS, Jerem. 2. *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti: non serviam. In omni enim colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Et hæc est superbia completa. De qua

7 Superbia completa est semper peccatum mortale. DICO 2. *Superbia completa & deliberata, qua quis eò dementiæ pervenit, ut putet se vel dona à se vel non à DEO habere, vel illa esse suis meritis titulo justitiæ debita, peccatum est mortale.* Hæc est D. Thomæ 2. 2. q. 162. a. 5. & 6. Lessii. Marchant. Probatur 1. authoritate D. Augustini supra citati ex lib. 14. de Civit. cap. 3. *Perversa celsitudo est, deserto eo, cui inhærere debet animus, principio, sibi ipsi fieri & esse principium.* Ex quo sic argumentor: Quandocunque divina bonitas, qua pretiosa sua dona nobis communicat, ut naturæ ejus participes faciat, vilipenditur, & non æstimatur, magnum & gravissimum est peccatum, quia est naturalis deordinatio dependentiæ creaturæ ad Creatorem, sed gravis omnis deordinatio est peccatum mortale, ergo. Potest autem hæc aversio fieri ex affectu libertatis, nè ab alio dependeat, nè subjiciatur, ne habeat DEUM gubernatorem &c.

8 Superbia incompleta non est peccatum mortale. DICO 3. *Superbia incompleta non est semper peccatum mortale, nisi in quantum est causa nobis alicujus peccati mortalis.* Ita Navarrus, Toletus, Cajetanus, Lessius, Marchant. Probatur: Quia jactare se de rebus non habitis, pluris se facere quàm oporteat, per se non est gravis deordinatio, imo frequenter videmus sanctos se laudâsse, nam Samuel 1. Reg. 12. ad purgandum se ab omni impostura populi, depositurus suum magistratum dixit: *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis.* Similiter si quis laudaret sua facta heroica, ut audientes ad laudem DEI excitaret, & DEUM glorificaret in benefactis suis, res non esset vitiosa, sed virtuosa, sic D. Paulus 2. Corinth. 11. dicit: *Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego: Semen Abrahæ sunt, & ego: Ministri Christi sunt (ut minus sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Ob quod dixi non esse peccatum mortale, nisi in quantum est causa peccati mortalis v. g. violandi alicujus præcepti divini graviter obligantis, vel si fiat, ut subtrahat se ab obedientia Ecclesiæ vel superiorum, aut si inde sequatur grave damnum communitatis, v. g si quis se jactaret se habere tantam & tantam scientiam, unde postmodum prætenderet fieri proportionatè ad suam scientiam Professor, Medicus, Juris Doctor, Confessarius, &c. is mortaliter peccaret, quia talis superbiâ suâ exponit se periculo malæ administrationis sui officii cum damno communitatis, perniciè animarum, & contra debitum DEI honorem. Peccaret similiter mortaliter, si fiat cum notabili injuria, & contemptu proximi. Extra hos casus superbia incompleta non erit mortale peccatum. Hinc

9 Superbia qua ratione sit peccatum maximum. DICO 4. *Superbia secundùm rationem suam formalem non est maximum peccatum, est tamen maximum & gravissimum, quia omnium malorum principium fons & origo.* Hæc quoad 1. partem est Doctoris in 2. d. 6. q. 2. § Secundo quæro, ubi dicit & expressè docet, superbiam non esse maximum peccatum, quia ejus oppositum nempe humilitas non est bonum maximum. Secunda pars est Sanctorum Patrum Augustini Expos. in Ps. 18. dicentis:

Digitized by Google

Magnum hoc delictum eſt, & caput atque cauſa omnium delictorum. Scriptum eſt enim: Initium peccati omnis ſuperbia. Et ne quaſi leve aliquid contemnas: Initium, inquit, ſuperbiæ hominis apoſtatare à DEO. Non leve malum eſt hoc vitium., fratres mei. Et paulò poſt: *Ab hoc vitio, quod eſt caput omnium vitiorum, quia inde cætera vitia nata ſunt, facta eſt apoſtaſia à DEO, eunte anima in tenebras, & malè utente libero arbitrio, peccatis etiam cæteris conſecutis: ut & ſubſtantiam ſuam diſſiparet cum meretricibus, viveus prodigè, & per egeſtatem fieret paſtor porcorum, qui erat ſocius Angelorum. Propter hoc vitium, propter hoc magnum ſuperbiæ peccatum, DEUS humilis venit. Hæc cauſa, hoc peccatum magnum, iſte ingens morbus animarum, omnipotentem Medicum de cœlo deduxit.* Idem enarrat. in Pſalm. 35. in illud: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.* D. Bernardus vel author tract. de ordine vitæ ſeu morum inſtit. c. 9. *Superbia ſicut eſt origo omnium criminum; ita ruinæ cunctarum virtutum. Ipſa eſt in peccato prima: in conflictu poſtrema. De ſuperbia naſcitur arrogantia; quæ tam in factis quàm in dictis cavenda eſt. Væ ei, qui ſibi magis, quàm DEO placere ſtudet. Per cenodoxiam maximè ſubjicit ſibi diabolus monachum: quia per eam ab humilitatis culmine dejicitur.* Sanctus Guericus Abbas Serm. 5. de Purificat. B. M. V. qui antè habebatur inter opera D. Bernardi eleganter gravitatem hujus vitii deſcribit: Nihil ita oculos ejus offendit, ſicut ſuperbia, quæ angelum de cœlo, & hominem expulit de paradiſo: quæ eſt initium omnis peccati: quam hortatur nos Spiritus Sanctus vitare dicens: *Quid ſuperbis terra & cinis?* Et alibi: *Omnis caro fœnum, exſiccatum eſt fœnum & flos ejus decidit.* Videamus nunc quid ſuperbia fecit. Angelum de cœlo, & hominem expulit de paradiſo. Meritò hæc oculos Chriſti offendit, quæ pulcherrimum opus ejus in cœlo & in paradiſo fœdavit, quæ fecit de angelo diabolum, & de homine nuper creato juſto perfidum. Quæ ſicut & peccatorum primum & maximum, ſic eſt omnium regina & mater vitiorum. Hæc ille: indubitatum ergo eſt, ſuperbiam eſſe capitale vitium.

10 Superbiæ gradus duodecim.

D. Bernardus Tract. de Grad. Humil. p. 2. cap. 10. & ſequent. duodecim gradus ſuperbiæ oppoſitos humilitati enumerat, qui ſunt: Curioſitas. 2. Levitas animi, 3. Inepta lætitia. 4. Jactantia. 5. Singularitas. 6. Arrogantia. 7. Præſumptio. 8. Defenſio peccatorum. 9. Simulata Confeſſio. 10. Rebellio. 11. Libertas peccandi. 12. Conſuetudo peccandi, quos etiam gratioſè more ſuo explicat ibidem, quæ etiam filiæ ſuperbiæ dici poſſunt, & poſſunt reduci ad tres, ſicut ipſe reduxit S. Bernardus, & paſſim faciunt Doctores.

11 Curioſitas.

Primus itaque Superbiæ gradus eſt *Curioſitas.* Hanc autem talibus indiciis comprehendes. Si videris Monachum, de quo prius bene confidebas, ubicunque ſtat, ambulat, ſedet, oculis incipientem vagari, caput erectum, aures portare ſuſpenſas, è motibus exterioris hominis interiorem immutatum agnoſcas. Vir quippe perverſus annuit oculo, terit pede, digito loquitur, & ex inſolenti corporis motu, recens animæ morbus deprehenditur.

12 Levitas animi.

Secundus gradus eſt *Levitas animi,* ſeu facilitas ad judicandum aliorum facta & dicta, ex curioſitate enim & mobilitate oculorum, ait mellifluus Doctor cap. 11. levigatus animus, nullâ utique ſui curâ aggravatus, modò per ſuperbiam ad alta ſe erigit, modò per invidiam in ima demergit. Nunc per invidiam nequiter tabeſcit: nunc per excellentiam puerliter hilareſcit. In altero nequam, in altero vanus, in utroque ſuperbus exiſtit: quia & quòd ſuperari ſe dolet, & quòd ſuperare ſe gaudet, amor propriæ excellentiæ facit.

13 Lætitia inepta.

Tertius gradus eſt *inepta lætitia,* quæ ex proſperitatibus ſibi placentibus oritur, Proprium enim eſt ſuperborum læta ſemper appetere, & triſtia devitare, juxta illud Eccleſ. 7. *Cor ſtultorum, ubi lætitia.* Accipe quibus eam, continuat idem Doctor cap. 12. ſignis vel in te deprehendas, vel in altero. Illum, qui ejusmodi eſt, aut nunquam aut rarò gementem audies, aut lachrymantem videbis. Putes ſi attendas tuæ oblitum, aut ablutum à culpis. In ſignis ſcurrilitas: in fronte hilaritas: vanitas apparet in inceſſu. Pronus ad jocum: facilis ac promptus in riſu. Cunctis quippe quæ in ſe contemptibilia, & ideo triſtia noverat, à memoria raſis: bonisque, ſi quæ ſentit in ſe, adunatis vel ſimulatis ante oculos mentis: dum nil cogitat niſi quodlibet: nec attendit ſi licet: jam riſum tenere, jam ineptam lætitiam diſſimulare non valet.

14 Jactantia quale peccatum.

Jactantia eſt quartus gradus ſeu ſuperbiæ filia, nam D. Auguſtinus lib. 12. Civit. cap. 8. definit, quòd *ſit vitium animæ perverſe amantis laudari ab hominibus ſpreto teſtimonio conſcientiæ.* Et lib. 14. cap. 15. *Libido gloriandi jactantia vocatur.* Hinc mellifluus ſtatim cap. 13. ſub dit: Plenus eſt ſermonibus: & coarctat eum ſpiritus uteri ſui. Eſurit & ſitit auditores, quibus ſuas jactitet vanitates: quibus omne quod

Digitized by Google

quod ſentit, effundat: quibus, qualis & quantus ſit, innoteſcat. Inventa autem occaſione loquendi, ſi de litteris ſermo exoritur, vetera proferuntur & nova: volant ſententiæ: verba reſonant ampulloſa. Prævenit interrogantem: non quærenti reſpondet: Ipſe quærit: ipſe ſolvit: & verba collocutoris imperfecta præſcindit. Hinc poſſet *Jactantia* definiri hoc modo: *Quòd ſit manifeſtatio propriæ excellentiæ ſupra id quod vel in ſe, vel in aliorum exiſtimatione eſt, verbis inordinatè facta.* Et declaratur: Dicitur *Manifeſtatio propriæ Excellentiæ*, per quod differt à ſuperbia, hæc enim appetit excellentiam, vana gloria apperit manifeſtationem: & Jactantia eſt ipſa manifeſtatio, quam quis de ſe ipſo facit. Dicitur *ſupra id, quod res eſt in ſe vel aliorum &c.* quando enim homo de ſe non eſt virtuoſus & excellens, tamen laudat ſe ſupra id quod eſt, tunc propriè jactantia eſt. Ponitur etiam *Inordinatè*; id eſt, contra rectæ rationis regulam, non enim ſemper vitioſum eſt ſe laudare ſed aliquando bonum, ſi fiat ex altiori motivo, videlicet, ad DEI gloriam, & animarum ſalutem, ut ſupra dixi de Samuele & Paulo. Additur denique *verbis facta*, quia jactantia eſt gloriandi libido, quæ ordinariè loquendo manifeſtatur, unde jactabundi os S. Bernardus vocat *Rivum vanitatis & fluvium ſcurrilitatis.*

Jactantia de ſe quidem eſt peccatum veniale, in quatuor tamen caſibus mortale eſſe poteſt. Primò ſi quis gloriaretur de peccato aliquo ſibi commiſſo, ſive à ſemetipſo ſibi impoſito, ut de adulterio, homicidio, &c. Secundò, quando ſe laudat cum in juria DEI, prout fecit Rex Tyri, quem reprehendit Ezechiel cap. 28. *Elevatum eſt cor tuum, & dixiſti ego ſum DEUS*, unde contra ſimiles orat Pſalmiſta Pſalm. 9. *Conſtitue Domine legislatorem ſuper eos: ut ſciant gentes quoniam homines ſunt.* Tertiò denique ſi fiat cum magna injuria proximi, & damno communitatis, vel etiam privatorum hominum ut dixi ſuprà.

Sub Jactantia colloco *Vanam Gloriam*, quæ eſt *appetitus inordinatus gloriæ*. Appetitus eſt genus, gloriæ habet rationem differentiæ, non enim ad illam pertinet quamcunque rem petere, ſed quod ad gloriæ vanitatem pertinet, Gloria autem deſcribitur, quòd *ſit clara cum laude notitia*, id eſt fama cum laude conjuncta, & hanc appetere vanum eſt, ſi inordinatè fiat, unde petit externam ſuæ excellentiæ manifeſtationem, nam appetere ſimpliciter gloriam non eſt vitium, ſed poteſt eſſe indifferens, & bonum, ut autem appetitus ordinatus ſit, requiritur, quòd appetatur de eo, quòd revera eſt gloriâ dignum, nec appetatur gloria major, quàm res ipſa expoſcat, & quòd fiat vel ad DEI gloriam, & proximi utilitatem; econtra appetitus inordinatus eſt, velle habere gloriam de eo quod non habet, aut majorem quam actus laudabilis mereatur, aut ſi fiat propter opus malum, vel non ſuum tanquam ſuum, aut denique ſi non fiat propter honeſtum & debitum finem; ex quo patet, quando vana gloria ſit peccatum, nempe ſi quis laudari velit propter peccatum aliquod mortale, vel ob finem mortalem, v. g. ſi quis vellet ſe laudari in aliquo, ut poſſit pervenire ad concubitum fornicarium, vel adulterinum, aut ſi propter gloriam ſuam transgrediatur aliquod præceptum divinum v. g. Medicus, nè perdat ſuam famam & gloriam, non vult adhibere ſocium in morbo, quem fundamentaliter non intelligit, & ſic infirmum perire permittit. Ad vanam gloriam pertinent Contentio, Diſcordia, Pertinacia, novitatum Inventio &c. de quibus non eſt opus fuſum inſtituere ſermonem, quia de ſe patent.

Vana gloria.

Quintus gradus ſuperbiæ eſt *Singularitas* à S. Bernardo dicta, & mihi videtur, quòd Hypocriſis dici poſſit, nam ut idem melliſluus dicit, quòd talis non melior eſſe ſtudeat cap. 14. ſed videri, non melius vivere, ſed videri vivere geſtit, quatenus dicere poſſit: Non ſum ſicut cæteri hominum. Plus ſibi blanditur de uno jejunio quod cæteris prandentibus facit, quàm ſi cum cæteris ſeptem dies jejunaverit. Et paulò pòſt: Vigilat in lecto, dormit in choro, cumque aliis pſallentibus ad vigilias tota nocte dormitet, poſt vigilias aliis quieſcentibus ſolus in oratorio remanet, excreat, & tuſſit: gemitibus ac ſuſpiriis aures foris ſedentium de angulo implet. Cùm autem ex his quæ ſingulariter, ſed inaniter agit, apud ſimpliciores ejus opinio excreverit, qui profectò opera probant, quæ cernunt, ſed unde prodeant, non diſcernunt, dum miſerum beatificant, in errorem inducunt. Elegantiſſima hypocritæ deſcriptio. D. Bonaventura in ſuo Centiloqu. dicit: Quòd *ſit vitium, quo quis vult videri inordinatè bonus.* Breviter dico, eſt *ſimulatio virtutis*, ſemper vitioſa, ob quemcunque fiat finem, quia eſt mendacium in facto; graviſſimum autem erit peccatum, ſi fiat ex intentione, ut conſequatur effectum malum v. g. fingit ſe quis caſtum, ut liberior ei pateat converſatio cum puellis, & per hanc poſſit fornicari, aut qui fingit ſe ſanctum, ut aſſequatur aliquod officium, quo indignus eſt. Hinc Proſper Aquitanicus ex operibus S. Auguſtini hanc deduxit ſententiam, quæ eſt n. 219. *Simulata innocentia, non eſt innocentia. Simulata æquitas non eſt æquitas, ſed duplicatur peccatum, in quo eſt iniquitas & ſimulatio.* Hinc vulgata cantilena: *Simulata ſanctitas duplex eſt iniquitas.* Quàm autem hoc vitium Via & Veritas Chriſtus deteſtetur,

16 Hypocriſis.

patet ex Matth. cap. 6. *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Et alibi sæpe inculcat eis væ, nam etiam Isaias cap. 9. dixit: *Omnis hypocrita est nequam.* Et Job. 13. *Non veniet in conspectu Domini omnis hypocrita.*

17 Arrogantia & ambitio.

Arrogantia sextus est gradus & filia superbiæ, qua quis credit, quod audit, laudat quod agit, & quid intendat, non attendit. Obliviscitur intentionem, dum amplectitur opinionem. Quique de omni alia re plus sibi credit, quàm alius: de se solo plus aliis credit, quàm sibi: ut non jam verbotenus, aut sola operum ostentatione suam præferat religionem, sed intimo cordis credat affectu se omnibus sanctiorem. Ita S. Bernardus cit. cap. 15. hujus soror est Ambitio, quæ Cicerone teste non est aliud, quàm inordinata rerum magnarum, honorum & dominatuum cupiditas, seu appetitus. Unde etiam S. Bernardus Epist. 241. dicit: *Quem ambitiosum vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus, ad alia non anhelare?* cui consonat Seneca lib. de beneficiis inquiens: *Nemo agit de Tribunatu gratias, sed queritur, quod non est usque ad Præturam perductus, namque hæc grata non est si desit consulatus.* Ambitio autem non est ex genere suo mortale peccatum, sed ex motivis in aliis superbiæ speciebus allegatis.

18 Præsumptio describitur.

Arrogantiam & Ambitionem sequitur *Præsumptio*, nempe in agibilibus contra virtutem humilitatis, non illa, quæ est opposita spei, de qua in tractatu superiori egi. Qui enim, loquor cum S. Bernardo cap. 16. alios se præcellere putat, quomodo non plus de se quàm de aliis præsumat? Primus in conventibus residet; in consiliis primus respondet; non vocatus accedit; non missus se intromittit; reordinat ordinata; reficit facta. Quicquid ipse non fecerit aut ordinaverit, nec rectè factum, nec pulchrè existimat ordinatum. Judicat judicantes, præjudicat judicaturis. Unde potest describi, quòd sit *inordinatus appetitus exhibendi se supra propriam virtutem*, cùm enim homo vult facere aut dicere, quæ vires suas excedunt, præsumptuosus dicitur. Est autem præsumptio frequenter peccatum mortale, præcipuè si conjuncta sit cum notabili damno, vel periculo damni proximo inferendi, ut si quis ignarus medicinæ velit curare infirmos. Similiter præsumptuosus, qui cognoscens suam fragilitatem labendi in peccatum carnis, si solus colloquatur fœminæ, tamen præsumit illam privatim accedere. Præclarè ad propositum admonet omnes S. Augustinus Serm. 250. *Inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria. Gravem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur & timetur. Et ideo sicut jam dictum est, nemo se falsa securitate decipiat, nemo de suis viribus periculosè præsumat, sed audiat Apostolum dicentem, fugite fornicationem.*

19 Defensio peccatorum.

Octavus superbiæ gradus est *Defensio peccatorum*, multis verò modis, ait mellifluus cap. 17. fiunt excusationes in peccatis. Aut enim dicit, qui se excusat; non feci: aut feci quidem, sed bene feci, aut si malè, non multum malè: aut si multum malè, non mala intentione.

20 Confessio simulata.

Multò periculosior est fallax ac superba confessio, quàm procax & obstinata defensio. Nonnulli enim cùm de apertioribus arguuntur: scientes quòd si se defenderent, sibi non crederetur: subtilius inveniunt argumentum defensionis: verba respondentes dolosæ confessionis. *Est quippe* (ut scriptum est) *qui nequiter humiliat se: & interiora ejus plena sunt dolo.* Ita ille cap. 18. Et statim subjungit: Cujus verò simulata confessio est: una vel levi contumelia, aut exigua pœna interrogatus, jam humilitatem simulare, jam simulationem dissimulare non potest. Murmurat, frendet, irascitur: nec in quarto stare humilitatis, sed in novum superbiæ gradum corruisse probatur.

21 Rebellio superbiæ filia.

Decimus gradus superbiæ est *Rebellio*, id est superioribus obedire nolle. Undecimus est *Libertas peccandi*, nam postquam aliquis obedientiæ jugum excussit, tanto liberius peccat, quanto securiorem se ab omni animadversione non incurrenda se existimat.

22 Consuetudo peccandi.

Duodecimus denique gradus est *Consuetudo peccandi*, nam postquam terribili, concludit S. Doctor cap. 21. DEI judicio prima flagitia impunitas sequitur, experta voluptas libenter repetitur, repetita blanditur. Concupiscentia reviviscente sopitur ratio, ligat consuetudo. Trahitur miser in profundum malorum, trahitur captivus tyrannide vitiorum, ut carnalium ita voragine desideriorum absorptus, suæ rationis divinique timoris oblitus, dicat insipiens in corde suo: non est DEUS. Et hæc de superbia ejusque filiabus seu gradibus dicta sufficiant.

Quæstio XVI.

De Vitiis oppositis Temperantiæ quoad partes potentiales, quæ sunt Incontinentia, Ira, Crudelitas, & Scurrilitas.

2. Ira & in bono & in malo accipi potest.

PArtes potentiales Temperantiæ quatuor ponit supra: *Continentiam* videlicet, *Clementiam*, *Mansuetudinem*, & *Modestiam*, his opponuntur sequentia vitia *Incontinentia*, *Ira* seu *Iracundia*, *Crudelitas* & *Scurrilitas*, & quidem de Incontinentia egi in eadem quæst. 7. restabunt ergo hic potissimùm Ira & crudelitas examinanda. pro quo

NOTANDUM: Quod Ira seu Iracundia ex se est indifferens ad bonum, & ad malum, adeoque benè & malè applicari potest: In bonum accipitur, quando recta ratione regulatur, dum quis irascitur quando & quomodo oportet, prout facit pater contra filium, prælatus contra subditum, judex contra reum, unde Psalmista psalm. 4. dicit: *Irascimini & nolite peccare.* In quem locum noster Tertullmannus in Annotationibus dicit, quod illud *Irascimini* habet correspondentiam suam cum versu præcedenti *Filii hominum usquè quo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem*, ubi conversionem ad DEUM suadet, & statim modum ad id obtinendum docet, dicens: *Irascimini & nolite peccare*, nam primum irasci oportet vitæ pristinæ, deinde nè ultra peccatis addamus peccata conari, quare quantum ad primum, inquit, *Irascimini*, quantum ad secundum *nolite peccare*, sed potius *in cubiculis compungimini.* Et talis ira sive de peccatis propriis sive alienis est laudabilis virtus, quæ nllo nomine *Zelus* appellatur. Præclarè hoc quoque docet S. Augustinus serm. 35. de Verb. Domini in Lucam cap. 2. dicens: *Volo vos irasci, sed non ut peccetis. Ut autem non peccetis, quibus habetis irasci, nisi vobis? Quid est enim homo pœnitens, nisi homo irascens sibi? ut accipiat veniam, de se ipso exigit pœnam, & recte dicit DEO: Averte faciem tuam à peccatis meis, quoniam peccatum meum ego agnosco.* Talis Ira autem, quæ est Zelus potest vindictæ appetitus vocari propter honorem & gloriam DEI, & talem iram habuit Moyses Exodi 32. quando descendens de monte confregit tabulas ad radicem montis, dixitque: *Siquis est Domini jungatur mihi. - - - Ponat vir gladium super femur suum: ite, & redite de porta usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* Talem iram seu Zelum quoque habuit Elias 3. Reg. 18. quando una die quadringentos Prophetas Baal, qui populum à cultu DEI veri avertebant, occidit. Talem quoque habuit Phines Num. 25. quando coram omni populo Israelitam cum muliere Madianita adulterantem interfecit, ob quod sæpe in scriptura & maximè à Psalmista laudatur. Denique talem iram zelantem & Zelum irascentem habuit noster Magister JESUS Christus Marci 3. quando *circumspiciens eos cum ira contristatus super cœcitate cordis eorum.* Et Joann. 2. quando facto flagello ejecit de templo vendentes oves & boves: *Recordati sunt verò discipuli ejus, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.*

Iram in bono quoque accipiunt sæpè Patres D. Augustinus hom. 16. de verbis Domini in Lucam cap. 2. dicit: *Usque adeo non omnis qui irascitur, odit; ut aliquando magis odisse convincatur si non irascitur. Nè enim puerum in aqua fluminis ludere, cujus impetu pereat: tu si vides & patienter permittis, odisti. Tua patientia illius mors est. Quantò melius est, si irascaris & corrigis, quàm si non irascendo interire permittis?* D. Bernard. Epist 69. dicit: *Itaque dilectissime, irascere & noli peccare. Peccabis autem non minus nimis irascendo, quàm omnino non irascendo. Siquidem non irasci ubi irascendum sit, nolle emendare peccatum est. Plus verò irasci quàm irascendum sit, peccatum peccato addere est.* Ratio etiam est, quam D. Augustinus insinuat & Aristoteles, quia ira est naturæ rationali valde utilis, quoniam non est aliud nisi motus bilis cor excitans ad ardua repellenda, nam *sanguis* deservit gaudio & desiderio. *Melancholia* odio, timori, & invidiæ, sic *bilis* famulatur iræ. Unde quemadmodum in homine est passio amoris ad prosecutionem boni, ita convenienter etiam in illo naturalis debet esse passio iræ ad repellenda nociva & mala Rempublicam perturbantia. Itaque post laudabilem iram

3. Ira quædam est Zelus.

1. Antitheſis inter duas iras.

NOTANDUM 2. Iram, ut est vitium mansuetudini oppositum diversimodè Patres definire, nam Seneca lib. 1. de Ira, quem inscripsit ad Novatum cap. 1. dixit: Iram esse brevem insaniam. S. Augustinus Epist. 115. ad Nebridium dicit: *Ira est autem, quántum mea fert opinio, turbulentus appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. Itaque plerumque non hominibus tantùm, sed calamo irascimur in scribendo, eumque collidimus atque frangimus: & alcatores tesseris, & pictores pecillo, & cuique instrumento quilibet, ex quo difficultatem se pati arbitratur.* D. Bernardus Serm. 13. in Psalm. 90. *Affectio naturalis ira hominum est, sed abutentibus bono naturæ gravis perditio est, & miseranda pernicies.* D. Guericus Abbas Serm. de Purificat. pulchram facit antithesin, in qua utram-

que iram describit dicens: Ecce duas iras videmus, quarum altera nonnunquam turbat oculum, altera semper extinguit. Altera venit ex impatientia, altera ex zelo rectitudinis. Altera venit ex vitio, altera ex virtute. De altera quæ venit ex virtute Psalmista ait: *Irascimini & nolite peccare.* Quasi dicat crudeles estote in virium, mites in fratrem, considerantes vosmetipsos, nè & vos tentemini. De altera, quæ venit ex vitio, ait Apostolus: *Sol non occidat super iracundiam vestram*, id est, Christus, qui est Sol justitiæ, mentem vestram irascentem non deferat, qui cum iranunquam habitat. Irà, quæ venit ex zelo rectitudinis, debemus irasci prius nostris erratibus, & postea erratibus proximorum; quæ melior est risu, quia per tristitiam vultus corrigitur proximus. Quæ debet tamen subesse rationi, nè sit immoderata, sed in ultione peccati tempus & modum consideret. Hæc sapientes interdum turbat. Ira per vitium stultos occidit, dum in rixas & in contumeliam linguam relaxat. Ex quibus descriptionibus unam regulatam combino definitionem de ira vitiosa &

4. Ira ut vitium definitur.

DICO 1. *Ira ut vitium est inordinatus motus animi vel appetitus vindictæ, vel quasi vindictæ immoderatè infligendæ.* Hanc deduco ex Patribus, & quam maximè S. Augustino, nam suprà dixit *Turbulentus motus* qui motus est in appetitu irascibili. Deinde lib. 14. Civit. cap. 15. *Est libido ulciscendi quæ ira vocatur*, ubi generatim voluntaris passiones vitiosas libidines vocat. Et homil. 43. cap. 7. *Quid est ira? libido vindictæ.* Dicitur *inordinatus*, vitiosus enim non erit, nisi inordinatus fuerit, qualis profectò erit, quæ ex vehementi commotione oculum rationis perturbat, quo minus rectè discernere facta possit, hinc Carmen est:

Impedit ira animum, nè possit cernere verum.

Inordinatus quoque est motus, qui non solùm mentem perturbat, sed etiam in corpore & sensibus exterioribus insultos generat motus, agitationes, clamores inconditos &c. hujusmodi, nam ut Rupertus Holkoth in Sapientiam Lectione 127. dicit: Ira proprio subjecto duo subtrahit bona, debitum rationis usum, & connaturalem honestatem corporalis dispositionis, quia passio illa vehemens etiam pulchrum hominem deformat, nam oculos subvertit, genæ vel nimis rubent, aut nimis pallent, gestus tremulus, lingua cespitans, & totus homo alteratur, ita ut frequenter infirmitates subsequantur. Unde Seneca lib. 2. de Ira dicit: Iracundis profuturum si se in speculo tunc contemplarentur, ut imago ibi re impressa eorum ostenderet deformitatem, quæ sæpe pejor & major est quàm in bestiis, unde bene dicitur Job. 5. *Virum stultum interficit iracundia.* Dicitur *vindictæ vel quasi vindictæ*, nam ut D. Augustinus in lib. 14. citatus dicit: *Nam & ipsam iram nihil aliud esse quàm ulciscendi libidinem, veteres definierunt: quamvis nonnunquam homo, ubi vindictæ nullus est sensus, etiam rebus inanimatis irascatur, ut male scribentem stylum collidat, & calamum frangat iratus. Verùm & ista licèt irrationabilior, tamen quædam libido est ulciscendi, & nescio quæ, ut ita dixerim, quasi umbra retributionis, ut qui male faciunt, mala patiantur.* In rebus enim inanimatis non est vindicta sed quasi vindicta. Dicitur *immoderatè infligendæ*, ut denotetur vindicta infligenda etiamsi fiat authoritate publica non posse fieri nisi ob legitimam causam, alioquin esset injusta, nec etiam debere infligi majorem quam oportet. Hinc

5. Ira formalis & completa est mortalis.

DICO 2. *Ira perfecta & completa in genere suo & materia sufficienti est peccatum mortale, nisi materiæ parvitas, & imperfectus consensus, vel præcipitatio excuset.* Ita Cajetanus, Lessius, Marchant. Probatur 1. ex scriptura Proverb. 27. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ferre quis poterit?* Matth. 5. *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; Qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue: reus erit gehennæ ignis.* Ad Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis - - - iræ, rixæ, dissensiones, sectæ - - - quoniam qui talia agunt, regnum DEI non consequentur*, atqui ubi est comminatio judicii, & exclusionis à regno cœlorum est mortale, ergo. D. Augustinus perpendens locum allegatum ex S. Matth. lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 9. dicit: Gradus itaque sunt in istis peccatis, ut primò quisque irascatur, & eum motum retineat corde receptum, Jam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio, non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem, qua feriatur ille cui irascitur, plus est utique, quàm si surgens ira silentio premeretur. Si verò non solùm vox indignantis audiatur, sed etiam verbum quo jam certam ejus vituperationem in quem profertur designet & notet, quis dubiret amplius hoc esse quàm si solus indignationis sonus ederetur? Itaque in primo unum est: id est, ira sola: in secundo duo, ira & vox, quæ iram significat: in tertio tria, & ira & vox quæ iram significat, & in voce ipsa certæ vituperationis expressio. Ubi S. Doctor expressè distinguit illos tres gradus iræ, & tam ipse quam Christus Dominus satis insinuant, non esse eandem gravitatem in ira, atque adeò licèt Ira formalis & completa, & illa, quàm maximè quæ ad homicidium tendit, aut ad gravem injustitiam sit peccatum mortale, non erit tamen quælibet, maximè si sit moderata, sine perturbatio-

Digitized by Google

ne judicii, ſine injuria proximi, atque ſi nec modum nec meritum excedat, ſed ſimiles veniales erunt.

6 Ira perfecta quæ, & quæ imperfecta

Noſter Doctor ſubtilis in 3. diſt. 34. q. un. §. Notandum non ſolùm diſtinguit actum perfectum iræ ab imperfecto, quòd primus ſit cum rationis perturbatione, & abſoluta volitione vindictæ indebitè infligendæ, ſed etiam tunc dicit actum imperfectum, quando ſcilicet deſiderat vindicare, & non vindicat. Quando autem actu vindicat, tunc actus ejus eſt perfectus aſſimilatus fruitioni ex parte concupiſcibilis, & tunc iraſci iraſcibilis eſt, ſine triſtitia, imo eſt cum magna delectatione propria ſecundum Ariſt. 2. Rhetoric. *Ira viri quaſi mel.*

Probatur concluſio etiam ratione: Tum, quia eſt contra charitatem proximi, cùm illi volumus malum inflictum, cùm magis debeamus attendere ad doctrinam Chriſti: *Bene facite his, qui vos oderunt*, Matth. 5. & iterum ſicut D. Paulus adhortatur ad Rom. 12. *Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindicta; ego tribuam, dicit Dominus.* Tum, quia eſt contra juſtitiam velle inordinatè malum, & ultra modum ac meritum.

Tum etiam præciſis iſtis, quæ ſe ex parte objecti tenent, Ira etiam ex parte ipſius actus voluntatis poteſt eſſe mortalis, vel ratione ſcandali, vel ratione affectus interioris, & præparationis animi, ſi videlicet accendaris iracundiâ, ut ſis paratus facere aliquod malum proximo, quòd ſit mortale, unde puto, quòd omnes illi tres gradus Matth. 5. à Chriſto aſſignati, & à D. Auguſtino explicati mortales eſſe poſſint, ſi videlicet ita internè irâ ferveas, ut optes in mente mortem proximi, aut prorumpens gravem contumeliam eidem inferas, vel etiam nocumentum mortale, aut planè ipſum homicidium, & ita ſentit S. Thomas 2. 2. qu. 58. art. 5. ad tertium. Cenſeo quoque in Matth. præfato loco Dominum non diſtinguere diverſos gradus iræ; ſed pluribus verbis explicare legem *Non occides*, ſupplendo eam, quaſi diceret, non ſolùm occidere eſt peccatum, ſed etiam velle occidere ſicut illud ſextum: *Non Mœchaberis* explicuit per illud: *Qui viderit mulierem &c.*

7. Racha explicatur.

QUÆRES: Quid ſignificet propriè particula illa *Raca*? Reſpond. cum D. Auguſtino lib. 1. de Serm. Dom. in monte cap. 9. *Probabilius eſt ergo, quod audivi à quodam Hebræo, cùm id interrogaſſem: dixit enim eſſe vocem non ſignificantem aliquid, ſed indignantis animi motum exprimentem. Has interjectiones Grammatici vocant particulas orationis, ſignificantes commoti animi affectum: velut cum dicitur à dolente, heu: velut ab iraſcente, bem. Quæ voces quarumque linguarum ſunt propriæ, nec in aliam linguam facile transferuntur. Quæ cauſa utique coëgit tam Græcum interpretem quàm Latinum vocem ipſam ponere, cum, quomodo eam interpretaretur, non inveniret.*

8. Iræ tres ſpecies.

DICO 3. *Tres ſunt iræ ſpecies, Prima eſt Acuta; ſecunda Amara; tertia Difficilis.* Ita Ariſtoteles 4. Ethic. cap. 5. & ex eo D. Thomas art. 5. Gregorius Niſſenus, Damaſcenus lib. 2. fidei orthod. cap. 16. Item Author de ordine vitæ inter opera D. Bernardi, cap. 10. ubi dicit: *Iræ genera tria ſunt: Unum quod ardet extrinſecus: aliud quod in verba ſine operis effectu prorumpit: tertium quod non ut illud fervens ad horam digeritur, ſed per dies & tempora reſervatur. Ex illo quippe calor & indignatio, ex iſto naſcitur odium, quæ omnia æquali ſunt à nobis horrore damnanda.* Et explicatur: *Acuta Ira* illa eſt, quando quis ex levi cauſa, & citò iraſcitur, atque etiam citò quieſcit, & iram deponit, quæ ſpecies pro majori parte in cholericis reperitur propter ſubtilitatem choleræ, vitium tamen eſt, & reprehenditur à Scriptura Eccleſiaſtis 7. *Neſis velox ad iraſcendum: quia ira in ſinu ſtulti requieſcit.*

Secunda ſpecies eſt *Amara*, quæ habet ſemper triſtitiam ſibi adjunctam, eò quòd iram conceptam ſignis exterioribus non exprimit, ſed in ſinu fovet, unde propter objectum nolitum præſens efficitur homo triſtis; hæc videtur fuiſſe in Cain, de quo proinde dicitur Gen. 4. *Iratuſque eſt Cain vehementer & concidit vultus ejus*, quam iram usque ad odium fovit tamdiu in corde ſuo, usque dum dolo fratrem ad agrum evocaret, & occideret.

Tertia ſpecies *Difficilis* dicitur, & eſt eorum, qui tardè quidem iram concipiunt, ſed quando ſemel excandeſcunt, redduntur implacabiles, ſervantque iram & odium per longum tempus, & aliquando per totam vitam, & nonnunquam usque ad mortem, & hæc eſt peſſima ſpecies, nec minus mala eſt ſecunda, utramque comparat D. Auguſtinus cum prima dicens: *Melior eſt autem, qui quamvis ira ſæpe tentatur, tamen impetrare feſtinat, ut ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit injuriam: quàm qui tardius iraſcitur, & ad veniam petendam tardius inclinatur. Qui non vult dimittere fratri, non ſperet accipere orationis effectum. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in monaſterio, etiamſi inde non projiciatur.*

9. Ira filias ſex habet.

DICO 4. *Ira habet ſex filias, quæ ſunt Indignatio, Tumor mentis, Clamor, Contumelia, Blaſphemia, ſeu Maledictio, & Rixa.* Probatur 1. ex D. Gregorio lib. 31. Moral. cap. 31. dicente: *De Ira rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor indignatio, Blaſphemiæ proferuntur.* Probatur 2. per deductionem: Ira non eſt ſolùm peccatum mentale, ſed etiam in actibus externis

inſi-

Digitized by Google

insinuari, & compleri potest, seu ut Augustinus loquitur: Est dictum, factum & concupitum contra legem divinam, id est vel dictum, vel factum, vel concupitum contra legem; si sit solum concupitum, id est in mente manens generat indignationem, & tumorem mentis: si fuerit in ore, erit *quid dictum*, & tunc nascuntur Clamor, Contumelia contra proximum, quæ clarissimè insinuantur à Christo Domino Matth. 5. per *Raca* & *Fatue*: & Blasphemia contra DEUM & sanctos, sicut proh dolor ab experientia scitur, & in multis libris legitur. Si denique Ira fuerit completa, oriuntur Rixæ seu contentiones, ex istis pugnæ, vulnera, & homicidia, ergo bene numerantur sex filiæ hujus capitalis vitii *Iræ*, quæ breviter hic explicandæ erunt. Itaque

10 Indignatio

Indignatio est imperatum à voluntate judicium, quo intellectus judicat & affectus approbat rem suæ qualitati esse indignam, seu non dignam, quòd persona aliqua familiaritate & colloquio fruatur, & hic ordinariè accedit vel latet contemptus, & tunc est mortale peccatum, similiter grave est, si iratus non velit ex ind gnatione juvare proximum in rebus, in quibus tenetur, sicut etiam quando ex subtractione amicitiæ grave sequitur scandalum.

11 Tumor mentis.

Tumor mentis sumpta metaphora ab intumescentia corporum, est audacia, ex qua homo præsumit insurgere ad sumendam vindictam, unde variæ oriuntur cogitationes, suspiciones, & speculationes inveniendi modos ad sumendum vindictam, unde hic tumor est filia iræ in quantum respicit vindictam, sine hoc respectu erit superbiæ effectus, unde D. Augustinus hom. 34. in illud Joann. 14. *Ego sum ostium* dicit: Tumens & superbus *conatur ingredi, impedit tumor: & tantò magis perniciosè conatur, quantò magis impedit tumor. Tumidum autem vexat angustia, vexatus autem amplius tumebit. Amplius tumens quando intrabit? Ergo detumescat. Unde detumescat? Accipiat humilitatis medicamentum, bibat contra tumorem poculum amarum, sed salubre, bibat poculum humilitatis. Quid se artat? Non sinet moles, non magna, sed tumida. Magnitudo enim solliditatem habet, tumor inflationem.*

12 Clamor ira.

Ira mentis quando prodit in linguam excitat Clamorem. Est autem *Clamor* vox intensa & inordinata cum majori impetu facta prolocutio, quæ valde decet moriger atum hominem, & quamvis de se venialis sit, si tamen scandalum generaret, potest fieri mortale, nam dicit S. Augustinus Enarrat. in psalm. 30. *Aliquando enim iniquis & perversis & à lege deviantibus & malè viventibus irasci licet, clamare non licet. Cùm irascimur & clamare non possumus interiora nostra turbantur.*

Clamorem seguitur *Contumelia*, quæ est injuriosa & convitiosa Prolocutio, quod autem hæc ex iracundia procedat, satis docet D. Augustinus lib. 1. Contra Julianum dicens, quomodo contumeliæ & sint repellendæ & tolerandæ, nam sic exorditur cap. 1. *Contumelias tuas & verba maledica, Juliane, quæ ardens iracundia libris quatuor anhelasti, si me contemnere dixero, mentiar. Quomodo enim possum ista contemnere, ubi testimonium conscientiæ meæ cogitans, vel gaudere me video debere pro me, vel dolore pro te, & pro eis qui decipiuntur abs te.* 13 Contumelia est verbum injuriosum.

14 Blasphemia quid.

Blasphemia tertius Iræ, quem in lingua operatur, est effectus, prout testatur & definit S. Augustinus lib. 2. de moribus Manichæ. cap. 11. *Ad oris enim fignaculum dicitis pertinere, ab omni continere blasphemia. Est autem blasphemia: cum aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque jam vulgò blasphemia non accipitur, nisi mala verba de DEO dicere: de hominibus namque dubitari potest: DEUS verò sine controversia bonus est, Si ergo ratio convicerit, neminem de DEO pejora quàm vos dicere, ubi enim memorabile oris fignaculum?* Ex quo infero blasphemiam esse maledictionem quandam contra DEUM, sanctos, & proximum prolatam.

15 Blasphemia ex se est mortale.

DICO 5. *Blasphemia in DEUM & sanctos est semper ex genere suo peccatum mortale.* Hæc est indubitata. Probatur 1. ex Levit. 24. *Et ad Filios Israël loqueris: Homo qui maledixerit DEO suo, portabit peccatum suum: & qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Unde ibidem blasphemus legitur extra castra ejectus & lapidatus. Item Isaiæ 36. legitur Rabsaces blasphemâsse dicens: *Quis est ex omnibus diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Jerusalem de manu mea?* quam blasphemiam Ezechias Rex pius gravissimè apprehendit, & DEUS flagitium hoc ingenti strage punivit, ut legitur cap. 37. *Egressus est autem Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Et surrexerunt manè, & ecce omnes cadavera mortuorum.* Ita Paulus quoque 1. ad Tim. 1. dicit de Hymenæo, & Alexandro, *quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.*

Probatur 2. ex patribus Augustino lib. contra mendacium cap. 19. ubi dicit: *Ideo autem pejus est blasphemare, quàm pejerare, quoniam pejerando falsa vel adhibetur DEUS testis: blasphemando autem de ipso falsa dicuntur DEO. Tantò autem est quisque inexcusabilior, sive perjurus, sive blasphemus: quanto magis ea quæ pejerando vel blasphemando asserunt, falsa noverunt esse vel credant. &*

Tract.

Tract. 11. in Evang. Joann. laudat Nabuchodonoſor, quòd blaſphemiam inhibuerit, dicens: *Si ergo Nabuchodonoſor Rex laudavit & prædicavit, & tantam gloriam dedit DEO, quia liberavit de igne tres pueros, & tantam gloriam dedit, ut decretum mitteret per regnum ſuum: Quicunque dixerint blaſphemiam in DEUM Sidrac, Miſac, & Abednago, in interitum erunt, & domus eorum in perditionem: quomodo iſti reges non moveantur, qui non tres pueros attendunt liberatos de flamma, ſed ſe ipſos liberatos de gehenna.*

Probatur 3. Ex legibus Eccleſiaſticis & Civilibus, nam in cap. *Statuimus.* De Maledicis, ex Concil. Lateran. ſub Leone X. Seſſ. 9. §. *Ad abolendam*, graviſſimæ pœnæ ſtatuuntur blaſphemis: Primò enim talis ſeptem diebus Dominicis debet manere in foribus templi, dum ſolemnia celebrantur, & ſeptimâ Dominicâ absque pallio & calceamentis, & cum corrigia in collo perſiſtat. Secundò ut ſeptem diebus Veneris jejunet in pane & aqua, & non intret in Eccleſiam. Tertiò, ut alat tres pauperes ſingulis illis diebus, & ſi non poteſt ſaltem duos, aut ſi non duos, ſaltem unum, & ſi non unum ſaltem in pœnitentiam aliam commutetur. Et inſuper ibidem injungitur blaſphemis pœna pecuniaria, Jure verò Civili in *Authent. Ut non luxurientur*, in fine. Condemnantur pœna capitis blaſphemi, quòd quamvis ubique non obſervetur, hoc ſcio Auguſtiſſimum noſtrum Leopoldum per Novellam particularem hujus Regni conſtituiſſe, ut blaſphemi graviter puniantur, quod officium Regium de Appellationibus dictum ſtrenuè exequitur, & quendam Nobilem hiſce annis ad perpetuum carcerem Arcis Glacenſis condemnavit.

Probatur 4. Ratione: Tum, quia eſt contra honorem & reverentiam DEO tanquam Creatori debitam, contra Sanctorum venerationem: Tum, quia frequenter blaſphemia habet adjunctam hæreſim, ut quando DEO attribuuntur membra inconvenientia, vel obſcæna. Unde D. Paulus 1. ad Timoth. 1. Naufragantes in fide dicit blaſphemare, *ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander: quos tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare.* Unde tales etiamnum hæreticorum crimen & pœnam incurrunt: Tum, quia blaſphemia ordinariè procedit ab affectu depravato, qualis autem radix ſeu arbor, talis etiam fructus: Tum, quia exemplis conſtat, DEUM graviſſimè puniviſſe blaſphemos, ut Julianum Apoſtatam, quem S. Julianus Martyr lanceâ transfixit Anno 363. Et D. Gregorius refert puerum quinquennem blaſphemantem à dæmonibus abreptum, & vivum in infernum deportatum lib. 4. Dialogorum cap. 18.

Blaſphemiam aliqui dividunt in tres ſpecies, ſcilicet *Cordis*, *Oris*, & *Operis*. *Cordis*, quando in mente aliquis DEO maledicit. *Operis* eſt, quando per Idololatriam, vel quandocunque contra illum peccatur, unde dicit S. Auguſtinus Tract. 28. in Joann. Rarò jam inveniuntur, qui linguâ blaſphemant, ſed multi qui vitâ. 16 Blaſphemia tripliciter fit.

Verùm non eſt blaſphemia propriè, neque prima licèt ſit graviſſimum peccatum, de qua hic agitur, ſed illa ſolùm, quæ eſt *Oris*, quæ tamen tripliciter ſecundùm modum fieri poteſt. Primò ſimpliciter enuntiando de DEO vel Sanctis, quæ ſunt contra eorum honorem & reverentiam, attribuendo aliquid quod DEO non convenit, vel demendo, quod ipſi proprium eſt, ut dicere DEUS non eſt juſtus, miſericors, eſt injuſtus. *non eſt Providentia* Eccleſiaſt. 5. ob quod S. Auguſtinus Enarrat. in Pſalm. 149. dicit: *Multi ſtulti non valentes contemplari & diſcernere creaturam locis ſuis & ordine ſuo, ſub nutu & juſſu DEI agentem motus ſuos, viſum eſt illis, quia ſuperiora omnia DEUS gubernat, inferiora verò deſpicit, abjicit, deſerit, ut nec curet iſta, nec regat, ſed caſibus regantur, quomodo poſſunt, qua poſſunt: & movent illos qui ducunt aliquando ſibi, ſed non dicant tibi, id eſt, nè audiendo tu conſentias, quando iſta dicunt. Blaſphema enim ſunt execrabilia DEO.*

Secundò poteſt blaſphemia fieri per modum imprecantis, ut maledicta ſit Providentia DEI &c. Tertiò per modum deteſtantis vel irridentis, uti faciebant Judæi Chriſto: *Vah qui deſtruis templum DEI*, Matth. 27. *Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum.* Ratio horum eſt, quia tripliciter hoc modo ex oppoſito laus DEI perficitur: Enuntiando, ut *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth.* Optando & imperando: *Laudate Dominum de cœlis &c.* Admirando: *Quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!*

Rixa denique ſexta Iræ filia ſecundùm quosdam à ringendo derivatur, quod propriè eſt canum, quando irritantur, & latraturi labra in rugas contorquent, nam etiam rixantes variè vultum, frontem, nareſque contorquent, hinc ſequuntur impropèria, contentiones, percuſſiones, & vulnera. Hæc de Ira ſufficiant. 17 Rixa filia Iræ.

Alterum vitium per defectum manſuetudini oppoſitum eſt *nimia Lenitas.* Hæc rarò invenitur in hominibus.

Crudelitas eſt vitium Clementiæ oppoſitum, & potiſſimũ invenitur in Principibus & Tyrannis, eſt autem Crudelitas in pœnis infligendis exceſſus, quando homines aliquando plus quàm feræ in ſeipſos deſæviunt, de quo ſat conqueritur S. Auguſtinus lib. 3. Civit. c. 28. deſcribens Syllani crudelitatem contra Marii aſſellas dicit: *Quendam enim ſine ferro laniantium manus di-* 18 Crudelitatis vitium.

Digitized by Google

vipuerunt: immanius homines hominem vivum, quàm beſtiæ ſolent diſcerpere cadaver abjectum. Alius oculis effoſſis & particulatim membris amputatis in tantis cruciatibus diu vivere, vel potius diu mori coactus eſt. Subbaſtatæ ſunt etiam tanquam villæ quædam nobiles civitates. Una vero velut unus reus duci jubebatur, ſic tota juſſa eſt trucidari.

Ad Aphoriſmum, & Materiam præcedentem ſit

Quæſtio Ethica.

An Intemperantia ſit turpior in Sene, quàm in Juvene?

1. Intemperantiæ vitium in juvenibus.

RE. VItium Intemperantiæ in cibo & potu, in juvenibus Laſciviæ fomentum eſt, laſcivia verò in delectabilibus tactûs omnium virtutum obſtaculum familiæ, rerumque omnium diſpendium, corporis ruina, & animæ exitium, unde Tacitus Annal lib. 12. dicit: *Animo per libidinem corrupto nihil honeſtum ineſt.* Experientia enim docuit Juvenes laſcivientes ut tauros, deficientes in ſenio fieri hominum ludibrium, ut bene monet Apulejus, *cavendum ne nimia dulcedine diutinam bilis amaritudinem trahat*; quare Guevarra energetica in Præceptoribus facit admonitionem, lib. 2. Horolog. cap. 46. his verbis: Per DEUM illum, qui nos condidit, obteſtor vos ô Nutritores Principum & Summatum, per quæ officia vos Nobilitati debita obſecro, ut diſcipulos fidei veſtræ commiſſos aſpero coerceatis iræno, habenas eis quàm breviſſimas permittentes, & lora quàm minimum laxantes, nam ſi pulli vivaces fuerint, ſatis reliquum eſt temporis, quo amicas veſtigando, perſequendo, nanciſcendo præcipites agantur. Ea quippe miſeria noſtra, ut cum morbo hoc deteſtabili omni loco, in omni ætate, in omni vitæ genere, omnique tempore, rationem caro, quamvis citra rationem habeat.

2. Intemperantia in ſenibus turpiſſima.

In ſenibus verò Intemperantiæ vitium, ſeu in guſtabilibus, ſeu in tangibilibus delitioſis turpiſſimum eſt, & ſummum ſcandalum, nam ut Seneca Epiſt. 36. dicit: *Turpis & ridicula res eſt Elementarium ſenex*, nimirum in illis diſſolvi vitiis, ad quæ impulſus juventutis potiſſimum propellit. Et Ovidius lib. 1. amor. 91. *Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.* Mimus Publianus *Anus cùm ludit morti delicias facit.* Quod enim Juvenes decet, aut aliquando convenit ob naturæ propagationem, in ſene crimen eſt, pulchrè dixit Secundus Philoſophus, *Amor in puero pudor, in Virgine rubor, in fœmina furor, in juvene ardor, in ſene riſus.* Quorum dicta reſpexiſſe videtur Marcus Aurelius Imperator cùm ad Claudium & Claudinam ſcribens lib. 3. Guevar. c. 22. hortatur eos, ut non juvenum more vivant, quibus compatiendum eſt propter ætatem & ignorantiam, eò quòd conſilia propria non habeant, & alienis non credant, ideóque ſi in vitio hoc excedant, commiſeratio cum eis eſt habenda, ait ſenes luxurioſi & improbi facti ſunt DEO, exemplo verò Civitatem offendunt, plurimos ego Romæ novi, continuat Imperator, qui cùm in juventute ſibi exiſtimationem ſingularem peperiſſent, poſteaquam levitatibus iſtis ſe dediderunt, in ſenecta illam amiſerunt, & quod omnium peſſimum, cùm ipſi authoritatem & dignitatem, tum agnati gratiam, tum liberi innoxii rem omnem perdiderunt, ſæpe enim deorum permiſſu, criminis à parentibus perpetrati pœnam ſoli luunt filii. Vidimus nos quoque hiſce temporibus ſæpe evenire, quod Carmen canit antiquum,

Angelicus Juvenis ſenibus fatbanizat in annis.

Marcus Aurelius autem narrato exemplo de Catone Gaguino, quod ſenex puellæ juvenis Roſanæ amores deperiſſet, à Senatu Romano fuiſſe exilio mulctatum, concludit dicens: In ſenibus ætate & dignitate gravibo ejusmodi procationes, ſi ita loqui fas eſt, non amores, ſed amarores, non oblectationes, ſed temporis jactura, non ludi ſed illuſiones dicendæ ſunt, *Ex amoribus enim ludicris, verum & ſolidum naſcitur dedecus*, addo ego ex dedecore oritur mentis perturbatio, Conſcientiæ remorſus, & niſi pœnitentiâ iratum placetur, Numen, æternũ in inferno ſupplicium, quo proximiores ſunt, quo ſeniores, hi enim nullam ſibi diem ſpondere poſſint, cùm juvenes mori debeant, dum juvenes poſſunt. Stulti proinde ſunt ſenes qui in tali ſtatu vivunt, in quo mori non auderent.

ETHI-

ETHICÆ SACRÆ

APHORISMUS OCTAVUS.

Nemo vos ſeducat. Reſiſtite fortes in fide. Matth. 24. 1. Pet. 5. v. 9.

De Adverſitatibus fortiter perferendis.

In æternum non commovebitur. *Proverb.* 30.

Non raro mediis vir fortis mergitur undis
Adverſæ ſortis, non tamen obruitur.

Declaratio Aphoriſmi & Symboli.

1 Equus fortitudinis ſymbolum.

Militarem fortitudinem Ægyptii, & antiqui Philoſophi tam Græci quàm Latini variis figuris adumbrarunt, aliqui in generoſitate equorum armis & aulæis inſtructorum, curſu, agitatione, & ſaltibus exercitorum, unde Virgilius 3. Georg.

Primus equi labor eſt animos atque arma videre
[illegible]tum, lituóſque pati, tractuq; gementem
Ferre rotam,

Verùm hanc deſpicit DEUS, Pſal. 146. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.* Alii ſub ſchemate Leonis, hic enim in ſacra pagina hoc obtinet prædicatum Proverb. 30. *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavebit occurſum*, ſed hoc Ethicus, Eccleſiaſticus reprobat cap. 4. *Noli eſſe ſicut leo in domo tua, evertens domeſticos tuos, & opprimens ſubjectos tibi.* Quamvis ſub alio reſpectu, & conſideratione particularium qualitatum non negarim aliam Ethicam in Chriſtiano homine inſtructionem hæc animantia continere, nam ſicut equus alligatus in ſtabulo, vehementibus exploſionibus, clamoribus, tubis, aliisque ſtrepitibus exercetur, ut aſſueſcat in pugnis & conflictibus ad ſimiles fragores non horrere, ſed potius ſaltare, & hinnire, ita vir fortis ad aſpera aſſuetus, laboribus deditus, & miſeriis agitatus non trepidat, ſed potius lætatur; Et ſicut Leo non ita furit, quin ſupplicibus & proſtratis viris parcat, raróque fœminas utpote imbelles aggreditur, & nunquam infantes, niſi fame magna coactus, quod magnæ clementiæ ſignum eſt, ſicut etiam de Elephante Seneca lib. 1. Clement. cap. 5. teſtatur, unde de illo canit lib. 3. Triſt. Eleg. 5.

2 Leo fortis & clemens.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni,
Aut lupus & [illegible] ſuum finem, cùm jacet boſtis, habet,
Et quæque minor nobilitate fera eſt.

Verùm peregrinis aliis rejectis, fortitudinem Chriſtianam excellenter figurativè expreſſit Balaam Num. 24. cùm populum Iſraëliticum, & in illo nos benedixit dicens *Fortitudo ejus ſimilis eſt Rhinocerotis*; Et Moyſes Deuteron. 33. *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua Rhinocerotis cornua illius: in ipſis ventilabit gentes usque ad terminos terræ.*

3 Fortitudo Chriſtiana in Cauto exprimitur

Optimè autem exiſtimo fortitudinem Chriſtianam quæ non tam in aggrediendo, quàm reſiſtendo attenditur, ſchemate Cautis marpeſiæ exprimendam cenſui, quam ex parte una procellæ, turbines fulgura, & tonitrua impetunt, ex altera parte Sere-

Digitized by Google

Serenum favet cœlum, ludunt ut illudant Sirenes, ipſaque periculoſa maris tranquillitas blanditur, ſtat tamen immota cautes, cui deſuper Intelligentia cœleſtis gubernando aſſiſtit, & gubernat aſſiſtendo, quod totum fortem conſtantémque figurat Ethicum. Nam totus hic mundus Mare quoddam eſt quod enavigamus, usque dum perveniamus ad portum, & Civitatem quam inquirimus futuram, in quo vir juſtus tot procellis & fluctibus impetitur, quod premitur adverſitatibus, ſive ergo infirmitatibus, ſive perſecutionibus, ſive inimicitiis, ſive à fallis fratribus & deceptionibus vexemur, nonniſi fluctus marini ſunt, de quibus lamentatur Jeremias Threnor. 2. *Magna eſt velut mare contritio tua, cùm deficerent quaſi vulnerati Civitatis.* & *parvuli exhalarent animas in ſinu matrum ſuarum*; quare non inconcinnè Poëta illa cecinit, qui dixit:

Non ſarò mediis vir fortis mergitur undis
Adverſæ ſortis, non tamen obruitur.

Unde Ariſtoteles 3. Eth. dixit eſſe quoddam medium inter metum, & confidentiam; Quæ copioſiùs explicat Seneca in Epiſtola ad Lucilium: *Fortitudo non eſt quædam inconſulta temeritas, nec periculorum amor, nec formidabilia appetitio, ſed eſt diſtinguendi ſcientia. quid ſit malum, & quid non ſit:* frequenter enim contingit, quòd vir fortis non ſolùm ſuſtinere cogatur adverſa occurrentia, frequenter quoque ut velut Cautes tumentes fluctus repellat, eosque in ſemetipſo confringat, nam jure naturali & divino conceſſa eſt homini juſta defenſio; unde fortes viri, calamitatibus non ſolùm premuntur, casque conſtanti animo perferunt, ſed etiam preſſi ex iisdem fortiores evadunt, & ad agenda & glorioſa patranda facta animantur, ad quæ Sibylla apud Virgil. exhortatur, Æneid. 6.

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito,
Quàm tua te fortuna ſinet.

Quòd quidam ingenioſus Poëta aliis expreſſit verſibus, ſed ſub alio Symbolo, nempe Croci:

Pulchrior ut creſcat, teritur crocus: ô ſuror
. . . . . as puppi jubenti, velle primi.

Croci natura deſcribitur.

Alludit ad naturam croci, quam deſcribit Theophraſtus, cujus planta priùsquam in flore exeat, conculcatur, & modicum pe libus conteritur, poſtea pulchrius renaſcitur, & felicius germinat; ſic vir fortis ſolis adverſitatibus ſive è cœlo, ſive ab elementis, ſive accidant ab hominibus, probatur, & per eaſdem in altum extollitur; unde Ethicus noſter Chriſtus Matth. 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Et addit inſuper *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Et Eccleſiaſticus cap. 2. *Fili, accedens ad ſervitutem DEI ſta in juſtitia & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Ubi notanda ſunt verba illa *ſta in juſtitia & timore*, ſtandum eſt viro forti, in juſtitia & gratia, ſed etiam in timore, ne qui ſe exiſtimat ſtare, ille cadat. Sed nec hoc ſufficit, etiam præparare oportet animam ſuam ad tentationem, quæ deſuper accidunt, & nobis immittuntur ex ſuaviſſima Divina permiſſione, vult enim DEus ut ſui fideles probentur, & in adverſis exerceantur, prout Moyſes dixit Deuter. 13. Tentat vos Dominus DEUS veſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima veſtra. Et Salomon Sapient. 3. *In paucis vexati in multis bene diſponentur: quoniam DEus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.* Quare S. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 26. dicit: *Duo ſunt Martyrii genera: Unum in mente: aliud in mente ſimul & actione. Itaque eſſe Martyres poſſumus, etiamſi nullo percutientium ferro trucidemur, mori quippe à perſequente, martyrium eſt in aperto opere: ferre verò contumeliam, odientem diligere martyrium eſt in occulta cogitatione.* Et paulò poſt: *Et nos ergo ſine ferro Martyres eſſe poſſumus ſi patienter veraciter in animo cuſtodimus.*

Præclarè proinde admonet S. Ephrem in Serm. de Patient. Conſidera ac cerne, quomodo ab Initio Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli & Martyres, per tribulationum ac tentationū vias pertranſeuntes ita potuerint placere DEO, qui forriter quamcunque perferentes tentationem atq; tribulationem, etiam inter anguſtias gaviſi ſunt propter ſpem rētributionis mercedis, quæ expectatur. Viro fortigitur particulariter perferendæ ſunt tentationes & tribulationes, ut nullo modo dejiciatur, neque in adverſis deſpondeat animum. 5 Patientia eſt neceſſaria.

Sed viro forti, Ethico, & Chriſtiano non ſufficit inter adverſa monſtrare ſe petram immotam, ſed neque in adverſis debet extolli aut confidere, ex altera enim parte fortuna ludit, Sirenes ludunt & invitant, ridet cœlum, & delectabilia cuncta ſpondent; habemus inſuper domeſticum hoſtem, qui hæc blandimenta acceptat libenter, & ab illis ſeparatur violenter, hæc enim omnia facilè animum hominis movere ſciunt à natura ad . . . . . fabilia luctuarum. Id proinde ſapienter monet Eccleſiaſticus *Diſciplinam in pace conſervate Filii* cap. 41. id eſt fidelitatem, juſtitiam, ſanctitatem & conſtantiam in ſervitio DEI in proſperis, quæ Hebræis pacis nomine appellantur, juxta illud Eſaiæ 38. *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*, quod vaticinium pro Eccleſiæ tranquillitate accipiunt interpretes, quæ ex malis filiis maximum habet amaritudinem, nam ut D. Bernardus Serm. 2. in Ramis palmarum habet, *licèt multos frangat adverſitas, tamen multò plures extollit proſperitas ſicut ſcriptum eſt, cadent à latere tuo mille, ſiniſtro ſcilicet, per quod ſignatur adverſitas, & decem millia, id eſt multo plures à dextris tuis in quibus proſperitas deſignatur.* Et D. Auguſt. in Pſ. 47. dicit: *Vicit homo in ſtercore, victus eſt homo in Paradiſo*, ſcilicet Adamus à blandimentis 6 Proſperis etiam reſiſtendum.

mulie-

Digitized by Google

mulieris inductus fuit ad transgrediendum DEI mandatum, Job verò in sterquilinio fœminæ insultus, & improperia pertulit invictus; prospera ergo virum frequentius emolliunt, quàm adversa & dura frangant. Exempla plura invenies in scriptura de Samsone, David & Salomone, de quo loquens D. August. lib. 17. de Civit. c. 20. dicit: *Hic bonis initiis malos exitus habuit; quippe secundæ res, quæ sapientium animos fatigant, magis huic obfuerunt, quàm profuit ipsa sapientia, etiam nunc & deinceps memorabilis, & longè latèque laudata*, de quare etiam eleganter scribit S. Bernardus lib. 2. de Consid. c. 42. qui videri potest ibidem; belle ergo Poëta cecinit:

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit Mœnia

7. Nautilus piscis fortitudinis symbolum.

Præter Cautem marpesiam, nec sole nec turbine motam, nonnulli Philosophi, ut Apulejus & Callimachus, viri fortis imaginem descripserunt in pisce marino *Nautilo*, de quo Plinius scribit lib. 9. cap. 29. qui aliàs *Pompilos* dictus, qui miro naturæ lusu concham suam scit contegere ut mare tranquillo duos pedes anteriores novit extendere, quibus quodammodo remigat, inter quos membranam miræ tenuitatis extendit, & in modum veli expandit, aspirante vento impellitur, & cauda pro gubernaculo utitur; tempestate verò ingruente se contrahit, & in profundum submergit. Simili modo, inquit Apulejus, fortis nec in secundis rebus effertur, nec contrahitur in adversis, sed rectos oculos tenet, ut Seneca loquitur, nihil ex vultu mutati sive illa dura, sive secunda ostendantur. Et D. Basilius, *Ille demum prudens est Gubernator, qui naturæ scopum, quo tendat sibi proponens, ea quæ accidunt, moderatur, sibiq; semper similis, neq; prosperis extollitur, neque adversis corruit.* Et pro Nautilo accipe Poëtæ versum:

Nautilus ut placidum, & sævum mare sustinet æquè,
Sic itidem fortis sorte in utraq; animus.

Meâ opinione & judicio viri fortis & Ethici, Christiani perfectionem in his tribus comprehendi verbis existimo

Sustine, Contine, & Absline.

DISPUTATIO III.

De Fortitudine.

SEquitur Disputatio præsens priorem, quia hæc Virtus dignitate præcedit Temperantiam, nam plus est vincere timorem mortis, cædis, verberum, & persecutionum, quàm refrænare cupiditatem voluptatum: *Omnium enim*, ait Aristoteles, *terribilium terribilissimum mors est.* Tum etiam, quia ipsæ bestiæ metu verberum abstinent à delectabilibus, ut canis ab esu carnium, etiamsi in macello clausus existeret: Tum denique, quia Fortitudo non solùm privatum afficit personam, sed etiam respicit aliqua ratione bonum commune v. g. Patriæ defensionem: In explicanda hac virtute servabo methodum sicut in superioribus. Sit igitur

Quæstio I.

Quid sit Fortitudo, quod ejus officium aut fructus?

1 Fortitudo multipliciter accipitur.

FOrtitudo diversimodè accipi potest: Primò pro Robore corporeo, quo præditi sunt etiam maximè vitiosi. Secundò nec sumitur pro aliqua firmitate mentis in bono honesto, quia sic non est specialis virtus, sed conditio omnis virtutis. Tertiò accipitur propriè ab Aristot. suprà pro firmitate mentis circà mortem in bello, sive fit pugnatio, sive non, quare etiam in Martyribus reperitur, ut patet ex illo Hebræ. 11. *Facti sunt fortes in bello*, licèt non contrapugnent, est enim illis gravissimum bellum & contrapugnatio inter sensum & rationem, ratio enim pugnã aggreditur, neq; unquam detrectat, (intelligitur enim semper in illo qui fugere potest, nam ubi homo non potest evadere, non est actus fortitudinis sed patientiæ) nè actus virtutis deseratur, sensualitas verò fugam petit, ut vita conservetur; Quare dici potest, quòd fortitudo, quæ est virtus Cardinalis sit genus ad eam, quæ fit cum contra pugnatione, & ad eam quæ fit sine contrapugnatione.

2 Fortitudo definitur.

DICO 1. *Fortitudo propriè accepta est habitus rectus perfectivus appetitûs irascibilis regulans eum ad pericula suscipienda & labores perferendos.* Hæc est conformis Doctori subtili in 3. distin. 34. quæst. un. §. His suppositis. Et Probatur 1. ex authoritate D. Augustini lib. 83. qq. q. 31. ubi definit fortitudinem, quòd sit *Considerata periculorum susceptio & laborum perpessio*, quam desumpsit ex Cicerone lib. de Juven. qui etiam 4. Tusculorum definit illam, quòd sit *scientia rerum perferendarum, vel Affectio animi in patiendo à perferendo, summæ legi parens sine timore.* Nihil Christianiùs dicere potuisset. Nam per hoc quòd appellet illam scientiam, vult denotare eam debere esse ex regula rationis, & ex prudentiæ dictamine, unde in primo loco dicitur *Considerata.* Quod verò sit habitus, patet ex Aristotele, ut citat ipsum Scotus in 3. d. 15. q. un. §. *Tertiò videntur*, dicens: Authoritas est Philosophi 3. Eth. cap. 11 Mors & vulnera tristia forti, & volenti erunt, sustinet hæc autem, quoniam bonum, vel quoniam turpe non, & quanto utique magis habeat virtutem omnem & felicior sit, magis in morte tristior erit. Addidit *summæ legi*

parens id est propter DEUM & amorem operis honesti, vel propter honestatem in illo opere & actu fortitudinis repertam. Nam hæretici sustinent mortem, & latrones gravia supplicia, ne prodat socios criminum; nam ut testatur S. Augustinus de verbis Apostoli serm. 15. *Inveniuntur sorti latrones in tanta fortitudine corporum, ut quidam eorum non solùm conscios prodere noluerint, sed nec nomina sua confiteri dignati sunt, inter cruciatus, inter tormenta effossis lateribus, & pene perditis membris, manserit animus in obstinatione nequissima. Vide ergo quid amabant. Facere tamen ista sine magno amore non poterant. Sed non sic amator DEI.* Macrobius ait fortitudinis esse *animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia timere, tolerare fortiter vel adversa vel prospera. Fortitudo præstat magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, constantiam, tolerantiam, firmitatem,* quæ sunt partes integrales fortitudinis, de quibus infrà. Ratio etiam est, quia pati tales dolores, est objectum bonum eligibile propter bonum finem: & ideo electio habens illud pro objecto, bona est adhibitis circumstantiis debitis circumstantibus eam.

3. Fortitudinis officia duo.

DICO 2. *Fortitudinis officia & functiones duæ sunt, aggredi difficilia, & sustinere dura.* Hæc colligitur ex definitione, & ex Aristotele 3. Eth. cap. 11. ubi dicit: fortis debet se exponere morti pro Republica, quod idem vult 9. Ethic. cap. 9. sed exponere se est aggredi difficilia, unde Scotus citans illum in 4. d. 43. quæst. 2. §. Potest dici. ubi dicit: Quòd exponens se morti, quod maximum bonum tribuit sibi in exercendo illum magnum actum virtutis: & hoc bono privaret se, immò vitiosè viveret, si illo actu tunc prætermisso, salvaret suum esse per quantumcunque esse, melius est autem simpliter maximum bonum & momentaneum, quàm remissum bonum virtutis, vel vita vitiosa per magnum tempus. Denique 3. Ethic. cap. 7. dicit: *Consentaneè enim habitui, & ut ratio præscribit, patitur, & agit fortis,* vide duplex fortitudinis officium agere & pati. Adde D. Augustinum Enarrat. in Psal. 83. ubi omnes virtutes definiens dicit: Fortitudo dicitur, quâ omnia molesta toleramus.

Probatur denique ratione: Quia fortitudo immediatè versatur circa passionem timoris & audaciæ in periculis mortis, quæ pericula debent esse talia, ut honestè suscipi & sustineri possint, ut sunt ea, quæ pro salute Reipublicæ vel proximi pro honore DEI aut virtutis defensione suscipiuntur. Hinc Aristot. 3. Ethic. c. 7. ait: *Qui ea, quæ oportet & cujus causa oportet, & ut oportet, sustinet, ac timet, & simili modo non confidit, fortis est.* Probatur 2. Quia materia virtutis non potest esse inhonesta, alioquin rationi virtutis repugnaret, & ejus capax non esset, hinc latrones, grassatores, duella ineuntes, & iniqua bella gerentes non sunt fortes, sed temerarii, feroces, crudeles, quia eorum audacia & aggressio est iniqua plenaque temeritatis & beluinæ immanitatis.

4. Fortitudinis materia proxima.

Hinc collige materiam proximam fortitudinis esse *Timorem* & *Audaciam* nam ex Aristot. 3. Eth. c. 9. *Si in repentinis fit impavidus, maximè apparet fortis,* quod dictum Doctor subtilis sic explicat in 4. d. 29. q. un. §. *Ad primum argumentum* R. ad secundum ubi ait: fortis non est omino impavidus, quia hoc est audacis in nullo pavere: sed est impavidus, & pavet, ut recta ratio dictat, dictat autem ratio recta plus debere timere mortem, quàm carcerem; Et peccatum mortale plus quàm actum istum aliàs displicibilem. Moderatur itaque fortitudo timorem, antequam malum eveniat, & etiam audaciam, nè se temerè exponat, unde fortium symbolum est: *Nec timide, nec temere.* Postquam malum jam evenerit, moderatur voluntatem, nè se nimium affligat, ultra quam recta ratio dictat, nam fortitudo non excludit quamcunque tristitiam, sed irrationabilem: Tum, quia Christus fuit fortissimus in perferenda morte, & tamen tristatus fuit, & cœpit pavere: Tum, quia tristitia est passio voluntatis, non vero operatio, nam ut docet D. Augustinus etiam nobis nolentibus accidit, ita enim rem explicat lib. 14. de Civit. cap. 15. ubi sic dicit: *Dolor carnis tantummodo offensio est animæ ex carne, & quædam ab ejus passione dissensio: sicuti animæ dolor, quæ tristitia nuncupatur, dissensio est ab his rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt, sed tristitiam plerumque præcedit metus, qui & ipse in anima est, non in carne.*

5. Materia remota Fortitudinis.

Materia remota Fortitudinis sunt actiones externæ in motibus, gestibus, agendo, sustinendo, prout recta ratio dictaverit; sunt etiam omnia pericula mortis maximè in bello, & aliàs quomodocunque, nec non aliorum gravium malorum v. g. flagellorum, vinculorum, carcerum, exilii, morborum &c.

6. Motiva Fortitudinis.

Motiva autem Fortitudinis possunt esse sequentia: Primò, Considerare mortem, & mala quæcunque non esse tam gravia & intolerabilia, sicut apud vulgum communiter proponitur, cum mors ab innumeris aliis malis nos liberet, & aditum pandat ad infinitam beatitudinem, si rectè subeatur, & propter DEUM vel virtutem, aut propter Rempublicam defendendam sustineatur. Secundò melius

Digitized by Google

melius eſſe glorioſè mori, quam ignominosè vivere. Tertiò Conſideratio exemplorum Chriſti, Martyrum, Innocentium & tenellarum Virginum, per has conſiderationes minuitur timor, & excitatur fiducia, ſicut per ipſam periculoſum conſiderationem, eorumque magnitudinem reprimitur audacia.

Quæſtio II.

De Partibus ſubjectivis Fortitudinis.

4 Fortitudinis duæ ſpecies ſubjectivæ.

FOrtitudo ſecundum D. Thomam non habet propriè partes ſubjectivas, nam licèt jugulatio, lapidatio, capitis obtruncatio, combuſtio &c. ſint diverſæ ſpecies mortis, non ſunt tamen diverſæ ſpecies in genere moris, ſed in genere ut ſic, de quo non curatur, verum tamen mihi videtur omnino partes ſubjectivas etiam huic virtuti aſſignandas, nimirum *Politicum* ſeu *naturalem*, & *ſupernaturalem*, Illa eſt, quæ fit ob motiva naturalia v. g. quia decet illuſtrem ſanguinem mortem & pericula non timere, ſed generosè ſuſtinere: Hæc verò quæ omnia adverſa invictò ſuſtinet animo propter fidem, DEUM, virtutem, propter immortalitatis mercedem, quemadmodum habet diverſas rationes & objecta formalia, ita etiam diverſas poſſunt conſtituere virtutes.

Unde ex objectis formalibus diſtinctam utramque fortitudinem ſupponit Doctor ſubtilis in 3. d. 27. q. un. §. *Iſtis igitur* ubi dicit Philoſophum 9. Ethic. c. 9. & 3. Ethic. cap. 3. aſſerere quòd fortis politicus ſecundùm rectam rationem debet ſe morti exponere pro bono Reipublicæ, Philoſophus tamen non poneret talem habiturum aliquod præmium poſt hanc vitam, ſicut patet ex multis locis, in quibus dubitat animam eſſe immortalem. Et poſt pauca concludit: Ergo circumſcripto omni præmio futuro, hoc eſt conſonum rectæ rationi, ut fortis politicus velit ſe non eſſe, ne pereat bonum Reipublicæ.

Verùm exiſtimo ego, quod aliæ duæ ſpecies fortitudinis poſſint allegari, nempe una, in qua eſt contrapugnatio, & altera ubi non eſt contrapugnatio. Illa dicitur Bellica & eſt Bellum: Altera Chriſtiana, & eſt Martyrium, nam ut dicit D. Auguſtinus Enarrat. in pſalm. 92. Non eſt fortis, qui concitatus pugno alterum cædit, unde inter alias conditiones ad martyrium requiſitas hæc etiam eſt, ut non reſiſtatur tyranno, de utraque ſpecie hac foret nunc agendum, ſed quia de bello diſſerui in tractatu priori diſput. 11. q. 2. de ſolo hîc Martyrio reſtat examen, quia ut dicit S. Cyprianus epiſt. 83. *Temeritate non caret, qui temere ſuſcipit martyrium.* Fortiter igitur eſt ſuſciendum, non temerè, pro quo

NOTANDUM 2. Martyrium idem eſſe ac teſtimonium, nam Martyra Græcis dicitur, quem nos teſtem vocamus, quo factum eſt, ut qui ſanguinis ſui pignore, Chriſto Divinitatis teſtimonium dederunt, martyres dicantur, unde ab Eccleſiaſticis Scriptoribus hoc nomen jam appropriatum eſt pro teſtimonio fidei, vel alicujus virtutis proprio ſanguine per mortem temporalem conſecrato & ſignato. 2 Martyrium quid ſit & quotuplex.

NOTANDUM 3. Martyrium dividi poſſe in *Actuale* & *Paſſivum*, ſeu in *Formale perfectum*, ac *Interpretativum imperfectum*. *Actuale & Formale* eſt, quando aliquis actu quopiam atteſtatur ſe propter fidem & DEUM paſſionem & tormenta acceptare, prout facere debent omnes adulti, ſi fortitudinis & martyrii laureolam conſequi volunt, & hoc eſt perfectiſſimum. *Paſſivum* & *interpretativum* eſt; quando aliquis ſine poſito actu elicito acceptationis pœnæ, mortem ſubit, dummodo fiat in odium fidei, & alicujus virtutis, & hoc contingit in parvulis, & dormientibus; unde etiam Eccleſia celebrat Feſtum Innocentium, quos Herodes occidi fecit tanquam Martyres, & ſic ſentiunt Patres Cyprianus, Origenes, Auguſtinus lib. 3. de lib. arbitr. cap. 23. dicens: *Quos in honorem Martyrum receptos veneratur Eccleſia.* Et ratio eſt, quia meritum Chriſti ſupplet defectum propriæ voluntatis, cum enim pro ipſo patiuntur, in re ipſi conformantur, & tanquam membra capiti coaptantur, & Chriſtus tanquam caput tribuit ipſis influxum ſuppletivum proprii actûs. His præmiſſis

DICO 1. *Martyrium eſt voluntariè acceptata mortis perpeſſio violenta ob fidem vel virtutem ex fide cognitam, non contrapugnando vim inferenti.* Hæc de ſe patet, nec in dubium vocari poteſt, & inſinuantur conditiones, quæ ad martyrium requiruntur, quæ patebunt explicando ſingulas partes, itaque Dicitur 1. *voluntariè acceptata*, ut denotetur ratio martyrii formalis, prout contradiſtinguitur à paſſivo, quale eſſe poteſt in dormientibus, & eſt in parvulis. Secundò, ut inſinuetur ratio virtutis fortitudinis, nam ſicut adultus non poteſt niſi volens contaminari peccato, ita nec poteſt niſi volens juſtificari, unde etiam baptismus in adultis non poteſt niſi volentibus cum fructu conferri. 3 Martyrii propria definitio.

Non

Digitized by Google

4. Dolor & delectatio vehemens abſorbet actionem.

Non tamen eſt neceſſe, ut acceptatio ſit tunc actualis, quando mortem perpetitur martyr, ſed ſufficit, quòd virtualiter perſeveret, unde Doctor ſubtilis in 3. d. 15. q. un. dicit: Quod dolor excellens in parte ſenſitiva natus eſt impedire uſum rationis; quod probatur, quia plus impedit uſum rationis dolor vehemens, quàm delectatio, ſecundum Auguſtinum 83. qq. q. 36. *Nemo eſt, qui non plus lugeat dolorem, quàm appetit voluptatem, quandoquidem videmus immaniſſimas beſtias etiam aſperitatibus terreri dolore & metu.* Sed aliqua vehemens delectatio ſenſibilis impedit uſum rationis (ſecundùm Auguſt. 14. de Civit. cap. 16.) quà major in corporis voluptatibus nulla eſt, ita ut in ipſo momento temporis, quo ad ejus pervenitur extremum pene omnis ejus acies, & quaſi vigilia cogitationis obruatur: & Philoſophus 7. Ethic. cap. 9. dicit: quod furatur intellectum etiam ſapiſſimè ſapientis: igitur multò magis dolor vehemens ſenſibilis, natus eſt de communi lege impedire uſum rationis. Ex hoc ſequitur, quòd ſi in martyribus expoſitis maximis tormentis, intellectus habuit uſum ſuum, quòd hoc fuit ex ſpeciali gratia Creatoris. Et poſtmodum ſupra hoc dictum ſe revocat in 4. d. 6. q. aſſerens: Si per dolores fortè uſus rationis abſorberetur, quod duraret tamen prima intentio in illa perpeſſione pœnarum veluti in effectu. Et idem poteſt dici de dormientibus, qui primò intentionem acceptationis pœnarum formârunt, & poſtmodum in ſomno fuerunt in odium fidei occiſi.

5. Mors martyrii debet violenter inferri.

Secunda conditio denotatur per illam particulam *Mortis perpeſſio.* Quod colligitur ex verbis Chriſti ad Petrum: *Cum eſſes junior, cingebas te, & ibas, quo volebas, cum autem ſenueris, cinget te alius.* &c. Joann. 21. Significans, eum non ſe, ſed ab alio occidi debere, qui ſequitur veſtigia Chriſti, hinc qui crudeliores in ſe ipſos ſunt, qui ſe flammis donant, aquis ſuffocant, præcipitio collidunt, &c. tales à martyrii laureola juſtè repelluntur, quales fuerunt mulierculæ illæ, de quibus Euſebius narrat lib. 8. cap. 12. & 17. quòd ſeipſas occiderint, niſi fortè ex inſtinctu Spiritûs ſancti, id feciſſe conjecturari poſſit.

Tertia conditio, quòd eſſe debeat *mors violenter illata.* Quia ſi non ſit violenter illata, non facit martyrem; hinc licèt ſervientes peſtiferis moriantur, & ponant animas ſuas pro fratribus ſuis martyres non ſunt propriè ex communi uſu & ſenſu Eccleſiæ, fructum tamen talem ut martyres ex opere operantis conſequi poſſunt, unde legitur in martyrologio Roman. ad 28. Februarii, quod tales ſervientes veluti martyres religioſa piorum fides venerari conſuevit, adeoque bene dixit Nicephorus lib. 6. cap. 20. *Hoc genus mortis* (ſervientium peſtiferis) *pietate multâ & fide roboratum, non multùm abeſſe à martyrio,* ſi tamen aliquid abeſt, ſimpliciter non eſt martyrium. Et ratio eſt, quia taliter inſervientes ſimpliciter habent ſpem evadendi, & frequenter evadunt, & ob hoc utuntur præſervativis, nè inficiantur, & infecti medicativa adhibent, martyres verò nullam ſpem vitæ evadendæ habere debent. Sed

DICES: Ad martyrium non requiritur, quòd mors ſit violenter illata, ſed ſufficit, quòd aliquis habeat propoſitum acceptandi mortem, quia martyrium eſt actus virtutis, qui ſolo actu interno perficitur, ſed tales habent propoſitum acceptandi mortem, ergo. Tum, quia S. Joannes Evangeliſta, tres pueri in camino ignis, & plures alii ut martyres coluntur, & tamen mortui non ſunt ergo. Reſpond. ad Primum neg. maj. ad probationem ejus dico: Martyrium eſſe quidem actum virtutis ſed externum, ſicuti eſt ſuſceptio Sacramentorum, unde ſicut hæc non perficitur ſolo actu interno, ita nec martyrium, & ſicut hanc nemo adminiſtrat ſibi, ita etiam martyrium non eſt in hominis poteſtate, ſed ab alio fieri debet. Ad ſecundum

Reſpond: Eos veros eſſe martyres ex eo, quòd talem pœnam ſuſtinuerint, quæ de ſe erat occiſiva, per accidens autem fuit, quòd per miraculum conſervata fuerit vita, miraculum autem non minuit veritatem teſtimonii pro Chriſti fide dati, ſed auget eam, cum DEUS cauſam per miraculum approbet. Neque enim requiritur, quòd quis ſtatim moriatur ex pœna, ſufficit enim, quòd tormentum ex ſe vim habeat occidendi, ſicut celebrantur prout martyres ſolennes Marcellus, Pontianus &c. qui ad catabulum & ad alias ærumnas relegati, ex ſqualore carcerum vel aliunde obierunt. Hinc non eſt improbabile, quòd pluries quis martyr fieri poſſit, ſi nempè hoc anno hanc pœnam ſufferat, à qua divinitus ſervatur illæſus, alio tempore vel anno aliam, usque tandem vitam finiat, ſecus ſi moraliter ſimul plures infligantur pœnæ.

6. Martyrium debet fieri ob cauſam piam.

Quartam conditionem inſinuat illa particula *ob fidem vel virtutem ex fide cognitam* verbo ob cauſam piam, quod colligitur ex 1. Epiſt. 5. Petri cap. 4. *Si compatimini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniamquod eſt honoris, gloriæ, & virtutis DEI, & qui eſt ejus Spiritus, ſuper vos requieſcit. Nemo autem veſtrum patiatur ut homi-*

Digitized by Google

homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat. Glorificet autem DEUM in isto nomine. Hoc etiam docet S. Augustinus Conc. 2. super illud Psalm. 34. DEUS meus & Dominus meus in causam meam, ait: *Non in pœnam meam, sed in causam meam: non in id, quod malum habet latro commune, sed in id, quod beati, qui perfectionem patiuntur propter justitiam. Hæc enim causa discreta est, non pœna similis est bonis & malis, itaque Martyres non facit pœna (sola) sed causa.* Et Epist. 50. ad Bonifacium comit. dicit: *Et ipse Dominus cum latronibus crucifixus est, sed quos passio jungebat, causa separabat. Ideo in Psalmo vox illa intelligenda est verorum Martyrum volentium se discerni à Martyribus falsis. Judica me DEUS, & discerne causam meam de gente non sancta, non dixit discerne pœnam, sed discerne causam meam, potest enim impiorum esse similis pœna, sed dissimilis est Martyrum causa.* D. Bernardi Epist. 98. *Martyrium facit causa; tempus, genúsque discernunt.* Et Serm. 66. in Cant. *Nihil ergo simile habet constantia Martyrum, & pertinacia horum, quia mortis contemptum in illis pietas, in istis cordis duritia operatur. Et ideo Propheta Martyris forte voce dicebat: Coagulatum est sicut lac cor eorum, ego verò legem tuam meditatus sum, pro eo videlicet, quòd etsi pœna eadem videretur, longè diversa esset intentio, illo utique durante corde contra Dominum, isto in lege Domini mediante.* Hinc non modo morientes pro fide Christi sed etiam quacunque vera virtute, ut castitate, justitiâ, jejuniô, oratione, sacramentis Martyres sunt veri, quicunque enim pro vera virtute moritur, implicitè dat testimonium Christo, & veræ ipsius fidei.

Quinta conditio denotatur per particulam *ex fide cognitam*, quæ probatur authoritate S. Augustini Epist. 204. dicentis: *Foris ab Ecclesia constitutus & separatus à compage unitatis, & vinculo charitatis, æterno supplicio punieris, etiamsi pro Christo vivus incendereris, hoc enim est, quod ait Apostolus: Etsi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeo, nihil mihi prodest.* Et ratio est, quia licèt videatur aliquis hæreticus mori pro aliqua propositione fidei vera, vel aliqua virtute morali, ita tamen est constitutus, ut magis mortem subeat pro defensione proprii judicii & capritii, sitque ita determinatus, ut moreretur etiam pro quacunque alia re & propositione, quam credit, etiamsi fidei catholicæ repugnaret, adeoque non est Martyr. Itaque vera virtus est, quam vera fides commendat. Et hinc non modò hæretici à Martyrii gloria excluduntur, verum etiam ii, qui ob vanam gloriam, vel ob aliud motivum humanum moriuntur.

Ultima tandem conditio proponitur per to *non contrapugnando vim inferenti* quæ desumitur tum ex communi Patrum dicto: Martyr non pugnat. Tum ex praxi Ecclesiæ, quæ Eleazarum unum 1. Machab. c. 6. ex eo, quòd fortiter pugnando corruerit, non ut Martyrem veneratur, veneratur tamen alterum Eleazarum qui 2. Machabæor. c. 6. patienter sustinens supplicium pro sanctissimis legibus honesta morte perfunctus est. S. Mauritius miles S. Gereon &c. Martyres sunt, non quia in castris Imperatoris meruerunt, sed quia nolentes immolare, & rem pessimam facere, arma deponentes, sine resistentia, ut potuissent, sponte mortem susceperunt: Tum, quia pugnantes censentur æquè magis, velle inferre mortem, quàm perpeti, cùm ex pugna sperent victoriam, unde si patiuntur, cum necessitate ferunt non voluntate, & hinc omnes milites etiam in bello fidei morientes, non sunt Martyres, si etiamnum pugnandum esset, aut peccandum, sed in tali casu multum apud DEUM merentur; quare autem uni, & non alteri occisioni privilegium Martyrii attribuatur, est voluntas DEI, qui liberè hunc actum ex hac conditione & circumstantia factum vult præmiare ut martyrium, & non alterum. Si tamen milites victi arma deponerent, vel fugerent, & occiderentur in odium fidei, Martyres dicerem, maximè si ob id mortem acceptarent. Quæ autem dispositio requiratur ad Martyrium consequendum, quémve effectum producat &c. videat meum Tomum 4. Tract. 2. de Baptismo Disp. 3. Quæst. 7. hæc pro nunc sufficiant, nè sit necesse eandem sæpe recoquere crambem sit igitur

7 Martyr non debet pugnare.

Quæstio III.

De

Partibus integrantibus & Potentialibus Fortitudinis.

PArtes integrales censeri possunt quædam perfectiones, quas habere convenit fortitudinis opus, quæ his nominibus communiter significantur nimirum *Fiducia*, *Magnanimitas*, *Securitas animi*, *Magnificentia*, *Patientia*, *Longanimitas*, *Perseverantia*, & *Constantia*. Ita quidem ut nomine *Fiduciæ* intelligamus promptitudinem quandam in ipso opere fortitudinis, quo mortem tanquam rem arduissimam aggredimur contempto periculo. Per *Magnanimitatem* intelligamus eandem promptitudinem, cùm fuerit insigniter magnum periculum mortis, & tormenta vehementia comminantur. Per *Securitatem* quandam

1 Fortitudinis partes integrantes

operis fortis perfectionem, quæ indicet illud proficisci ab interiore animo minimè perturbato. Per *Magnificentiam* autem splendorem quendam ejusdem operis, cùm per illam intenditur effectus aliquis insignis in mortis periculo. Per *Patientiam* verò quandam ejusdem operis alacritatem minimè succumbentem tristitiæ propter periculum mortis, & malum urgens. Per *Longanimitatem* verò quandam in opere fortitudinis æqualitatem, etsi finem non citò assequatur. Per *Perseverantiam* verò quandam ejusdem operis continuationem; & denique per *Constantiam* quandam illius firmitatem minimè cedentem ullis obstaculis, cruciatibus & tormentis.

2 Fortitudinis partes quatuor.

DICO 1. *Integrantes Fortitudinis partes sunt quatuor.* Hæc est D. Augustini lib. 83. qq. qu. 31. ubi dicit: *Cujus partes*, supple Fortitudinis, *Magnificentia, Fidentia, Patientia, & Perseverantia.* Probatur etiam conclusio ratione: Quia officia & functiones fortitudinis duæ sunt, scilicet aggredi difficilia & ardua, & sustinere dura, sed ad primum requiruntur duæ perfectiones fortitudinem adjuvantes, *Fiducia* scilicet seu *Fidentia*, qui enim confidit se periculum imminens facilè superaturum, animosè aggreditur opus, quod in executione præstat *Magnificentia*, quæ est quædam strenuitas splendidè exequendi insignem aliquam operam. Ad alterum autem fortitudinis actum, qui est sustinere dura, pertinet *Patientia* & *Perseverantia*: Illa præstat, nè molestiis fortis succumbat, unde moderatur dolores & tristitias: Hæc verò efficit, nè propter diuturnitatem bene inchoata abrumpat, sed ad has fortitudinis functiones debitè exercendas sufficiunt quatuor virtutes à S. Augustino assignatæ, ergo.

3 Partes potentiales fortitudinis iisdem nominibus exprimuntur.

DICO 2. *Partes potentiales fortitudinis sunt eædem quatuor, quæ erant integrantes, hac tamen differentia, ut tunc dicantur integrantes, quando versantur circa mortem: Potentiales verò quando versantur & considerantur in aliis materiis, & objectis minus difficilibus, quatenus fortitudinem imitantur, licet ejus perfectionem non assequantur.* Ita communis sensus Theologorum, quamvis aliqui plures addant, nam Macrobius lib. 1. in somnium Scipionis adjungit tres alias *Magnanimitatem, Securitatem* & *Constantiam.* Alii addunt *Longanimitatem* ut suprà visum, verum censeo satis superfluè etiam potentiales partes explicari per illas quatuor virtutes, nam Magnanimitas est quasi ipsa Magnificentia, & si est alia, tunc sub Fidentia, contineri potest, cùm enim confidimus nos superaturos, tunc magnanimos nos monstramus. Similiter securitas ad fidentiam pertinet, est enim quædam ejus perfectio. Constantia autem ad Perseverantiam pertinet, nam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, non perseverabit autem, nisi constans fuerit. Et ob eandem rationem Longanimitas ad perseverantiam reducitur, quæ non nisi in accidentalibus quibusdam variantur. Conabor tamen singulas nonnihil fusiùs & distinctiùs explicare. Sit igitur

4 Magnificentia describitur.

Magnificentia est rerum magnarum & excellarum cum anima ampla quædam & splendida propositione cogitatio atque administratio. Ita D. Augustinus lib. 83. qq. cit. Itaque Magnificentia rectè afficit, disponit & moderatur animum, ut quis prout expedit, & prout res & institutum exigit, faciat etiam magnos sumptus ad exequendum quod arduum est, & sic magnificentia imitatur fortitudinem, quatenus scilicet strenuitatem tribuit ad exequendum opus v.g. in extruendis templis, monasteriis, turribus, pontibus, nam cùm pecunia ordinariè attrahit affectum humanum, opus est, ut aliqua virtus illum temperet, quod non potest præstare liberalitas, quæ solùm versatur in rebus minoribus, expensisque non magnis.

Hæc virtus maximè relucet in DEO, Christo, magnis Principibus & Proceribus mundi, unde de DEO dicitur: Psalm 67. *Date gloriam DEO super Israel, magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.* Et Psalm. 95, *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus, sanctimonia & magnificentia in sanctificatione ejus.* De CHRISTO verò canit Ecclesia: *Rex pacificus magnificatus est, cujus vultum desiderat universa terra.* De Magnificentia Regis Assueri legitur Esther 1. *Bibebunt autem, qui invitati erant aureis poculis & aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque ut magnificentia regia dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur.* Item cap. 2. & de Nabuchodonosor Danielis 4. & 5. In minoribus autem hæc virtus invenitur primò, in quantum quis amplius studet excellentiori gradui sanctitatis, unde D. Augustinus in Psalm. 95. supra dicit: *Tu jam quærebas magnificentiam prius dilige sanctitatem, cùm sanctificatus fueris eris & magnificus.* Secundò,

Digitized by Google

dò, in quantum Magnificentia eſt eadem virtus cum Magnanimitate; nam teneo magnanimitatem eſſe eandem virtutem, & ſolùm differre per connotata, videlicet, quòd magnificentia moderetur appetitum ad honores ſibi & famam reconciliandam in ſumptibus & expenſis pecuniariis, magnanimitas verò intendat magnitudinem & ſplendorem in honoribus acquirendis, & in acquiſitis temperatè ſe gerendum, unde hæc reſpicit ipſam actionem heroicam ejusque magnitudinem: Illa verò reſpicit ſplendorem in opere externo, ac proinde Ariſtoteles lib. 4. Ethic. cap. 3. dicit: *Maxime in honoribus verſatur vir magnanimus. Verumtamen in divitiis quoque & principatu, in omni denique fecunda & adverſa fortuna quidquid acciderit, in eo ſe moderatum præbebit: neque in rebus ſecundis lætitia efferetur, neque in adverſis mœrore contrahetur, nam ne in horum uſu quidem ſic animatus eſt, quod tamen quam maxima res eſt.* Magnanimitas igitur derivatur à magno animo, & in qualibet virtute poteſt reperiri, dummodo in eadem intendat actum magnum in gradu heroico ſub ratione formali magnitudinis, ſi verò intendatur ob excellentiam illiuſmet virtutis v. g. Caſtitatis, Temperantiæ, virtus erit Caſtitatis aut Temperantiæ prout ratio formalis fuerit, quæ moverit ad intendendum actum. Munus itaque & officium Magnanimitatis eſt opera magna, ſeu ea perficere, quæ ſunt magno honore digna, ut in virtutibus actus exercere heroicos, propter DEUM elicere, & propter eorum excellentiam unde D. Paulus 2. ad Corinth. 10. dicit: *Qui gloriatur in Domino glorietur. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem DEUS commendat.* Nam ſi quis finem & honorem humanum ſibi propoſitum haberet, non eſſet magnanimus, quia ipſe etiam honor res eſt caduca & fragilis malis & bonis communis. Secundò eſt moderari appetitum in affectandis honoribus non nimium ipſis inhiando, nec nimium refugiendo, in collatis non extolli, in negatis non deprimi. Tertiò, in adverſa & proſpera fortuna æqualiter ſe gerere, unde Ariſtoteles citatus viginti conditiones viri magnanimi enumerat, quæ tamen omnes ad tria aſſignata officia commodè reduci poſſunt.

7 Magnanimitas verſatur in honoribus.

Fidentia ſeu Fiducia, ut eam D. Auguſtinus citatus ex Cicerone deſcribit *eſt per quam magnis & honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiducia cum certa ſpe collocavit.* Unde eſt virtus, quæ perficit animum, ut ſit promptus ad aggredienda opera inſignia, & ſi eſt in arduis circa præſens periculum mortis pertinet propriè ad fortitudinem tanquam pars integrans, in aliis autem difficilibus actionibus eſt pars potentialis, & ad hanc reducitur *Securitas*, quo enim magis aliquis confidit in DEI auxilio & ſua aſſiſtentia, tanto ſecurius aggreditur opera virtuoſa, unde hæc eſt virtus, quæ placat atque firmat animum adverſus nimias anxietates, curas & ſolicitudines, quas ſolet timor excitare, unde confidendo in gratia omninò redditur ſecurus. Hinc aliqui Authores ſub Fidentia & Fiducia reducunt ipſam magnanimitatem, nam magno profectò animo eſſe poteſt, qui fidentiam habet & ſecuritatem.

6 Fidentia ſeu Fiducia deſcribitur.

Patientia eſt, inquit S. Auguſtinus, *honeſtatis aut utilitatis causâ rerum arduarum aut difficilium voluntaria ac diuturna perpeſſio.* Hæc deſcriptio continet propriè virtutem potentialem fortitudinis, nam quæ eſt integrans, non debet eſſe causâ cujuscunque honeſtatis & utilitatis, ſed causâ atteſtationis fidei & virtutum cum periculo ſubeundæ mortis, qualis fuit in martyribus, qui omnes cruciatus, tormenta, & pericula ſuſtinuerunt invicto animo, ut Chriſtum confiterentur coram hominibus, prout autem hic de ea agitur, eſt virtus, *quæ firmat animum adverſus triſtitias & moleſtias, ne ab illis oppreſſus deficiat ab officio rectæ rationi conſentaneo.* Unde explicatur illa D. Auguſtini: Dicitur *Honeſtatis* accipiendo honeſtatem genericè pro omni eo quod honeſtè appeti poteſt. Dicitur *Aut utilitatis* non propter ſolam utilitatem prout eſt ab honeſto diſtincta, quia ſic propter ſolum utile pati non eſt virtutis patientiæ, ſed utilitatis in quantum hæc dirigitur ad honeſtum & virtuoſum, v. g. ſi quis patiatur afflictiones, moleſtias, labores, ut ſuis creditoribus ſatisfacere poſſit. Item pati in bello famem, ſitim, frigora & alias aſperitates, ut fidem Chriſti propugnet, & in juſto bello Regi fidem ſuam ſervet, unde ſe S. Auguſtinus clarius explicat lib. de Patient. c. 6. dicens: *Cum ergo videris quemquam patienter aliquid pati, noli continuò laudare patientiam, quam non oſtendit niſi cauſa patiendi. Quando illa bona eſt, tunc iſta vera eſt. Quando illa non polluitur cupiditate, tunc à falſitate iſta diſtinguitur. Cùm verò illa tenetur in crimine, tunc multum hujus erratur in nomine. Non enim ſicut omnes qui ſciunt ſunt participes ſcientiæ, ita omnes qui patiuntur ſunt participes patientiæ: ſed qui paſſione rectè utuntur, hi patientiæ veritate laudantur, hi patientiæ munere coronantur.* Dicitur *Voluntaria* quia niſi à voluntate

7 Patientia deſcribitur.

proceſſerit, non erit patientiæ opus, ſed neceſſitatis, unde licet non poſit aliquando quis effugere moleſtias v. g. dolores in infirmitate, tamen velle pati potius quàm DEUM offendere, & ab officio rectæ rationis deficere, actus eſt patientiæ, unde D. Auguſtinus lib. de Patient. cap. 2. elegantius definit eam: *Patientia hominis, quæ recta eſt atque laudabilis, & vocabulo digna virtutis, ea perhibetur, qua æquo animo mala toleramus, nec animo iniquo bona deſideramus, per quæ ad meliora perveniamus.* Denique additur *Diuturna*, non quod actu debeat eſſe diuturna, ſed quòd in præparatione cordis, ſcilicet quòd patiens ſit ita affectus, quòd velit etiam diu pati.

1. Patientia magnum DEI donum.

DICO 3. *Patientia eſt magna & excellentiſſima virtus, quæ etiam in DEO reperitur.* Prima pars eſt Doctoris in 3. diſt. 4. q. un. §. Notandum ulterius, ubi dicit: *Habitus autem quo diſponitur ad non repellendum repellenda, ſed ad ſuſtinendum, dicitur patientia, & quia difficilius eſt non repellere offendens, quàm repellere; ideo patientia eſt nobiliſſima fortitudo, juxta illud poëtæ: nobile vincendi genus eſt patientia, vincit enim qui patitur.* Secunda pars eſt D. Auguſtini lib. de Patient. cap. 1. ubi dicit: Virtus animi quæ patientia dicitur, tam magnum DEI donum eſt, ut etiam ipſius qui nobis eam largitur, quæ malos ut corrigantur expectat, patientia prædicetur. Ita quamvis DEUS nihil pati poſſit, patientia verò à patiendo nomen acceperit, patientem tamen DEUM non modò fideliter credimus, verum etiam ſalubriter confitemur. Sed DEI patientia qualis & quanta ſit, quem nihil patientem nec tamen impatientem, imò etiam patientiſſimum dicimus, verbis explicare quis poſſit? Ineffabilis eſt ergo illa patientia, ſicut Zelus ejus, ſicut ira ejus, & ſi quid hujusmodi eſt. Nam ſi tanquam noſtra iſta cogitemus, in illo nulla ſunt. Nihil enim horum nos ſine moleſtia ſentimus. Abſit autem ut impaſſibilem DEI naturam perpeti ullam moleſtiam ſuſpicemur. Sicut autem zelat ſine aliquo livore, irascitur ſine aliqua perturbatione, miſeretur ſine aliquo dolore, pœnitet cum ſine alicujus pravitatis correptione, ita eſt patiens ſine ulla paſſione. Hæc illæ. Itaque in DEO eſt patientia, non prout eſt moderatio triſtitiæ ex illata injuria vel damno exortæ, ſed prout eſt dilatio vindictæ cum ſummo paternæ benevolentiæ affectu, nam quo major eſt DEI majeſtas, tanto indignior eſt creatura, & offenſa ejus gravior, ut mirandum ſit, quòd DEUS tanta in mundo toleret ſcelera, unde S. Cyprianus lib. de bono Patientiæ dicit: Qualis verò in DEO & quanta patientia, quòd in contumeliam ſuæ majeſtatis & honoris inſtituta ab hominibus profana templa, & terranea figmenta, & ſacra ſacrilegia patientiſſimè ſuſtinens, ſuper bonos & malos æqualiter facit diem naſci, & lumen ſolis oboriri, & cum imbribus terras rigat, nemo à beneficiis ejus excluditur. Quæ allegare de DEO volui, ut exemplum habeamus, quemadmodum etiam non patienter ferre debeamus contumelias & injurias illatas juxta monitum Chriſti Domini Matth. 5. *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: ut ſitis Filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: & pluit ſuper juſtos & injuſtos.*

9. Patientia eſt virtus utilis & neceſſaria.

Dico 4. *Patientia eſt virtus valde neceſſaria & utilis ad ſalutem conſequendam.* Hæc colligitur ex ſcriptura & Patribus nam Eccleſ. 3. *Fili accedens ſervitutem DEI, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem - - - - Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe.* & Prov. 3. *Diſciplinam Domini fili mi, ne abjicias, nè deficias cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi.* Quæ loca clarè & perpendens S. Auguſtinus lib. de Patientia cap. 14. dicit: *Hoc enim juſtum eſt, ut qui de priſtina felicitate paradiſi propter contumaciam deliciarum appetentiam dimiſi ſumus, per humilem moleſtiarum patientiam recipiamus, fugaces mala faciendo, reduces mala patiendo: ibi contra juſtitiam facientes, hic pro juſtitia patientes.* Unde bene concludo cum S. Paulo ad Hebr. 10. *Patientia enim vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem DEI facientes reportetis repromiſſionem.*

Quod autem ſit valde utilis patet tum ex ſcriptura 2. ad Corinth. 4. *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et ex epiſt. D. Jacobi cap. 1. *Scientes quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet: ut ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* Hinc patet, quod patientia vincat omnes virtutes, easque reddit ſtabiles & perfectas, prout hoc ipſum eleganter deſcribit Tertullianus lib. de Patientia dicens: *Patientia fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem inſtruit, pœnitentiam expectat, exomologeſin affingat, carnem regit, ſpiritum ſervat, linguam frænat, manum continet, tentationes inculcat, ſcandala pellit, martyria conſummat.*

Pa-

Google

10 Patientiæ gradus.

Patientiæ autem gradus communiter decem assignantur. Primò, Patienter ferre damna fortunæ. 2. Oblocutiones, detractiones, & maledicta. 3. Afflictiones corporis & vitæ pericula, prout Christus fecit & sancti Martyres; & hi tres gradus sumuntur ex natura malorum, quæ nobis infligi possunt. Tres sequentes gradus tenent se ex modo, quo adversa & contraria toleramus, ut 4. si fiat sine murmuratione. 5. Sine lamentatione & querulatione apud alios. 6. Cum gaudio sicut de Apostolis legitur: *Ibant Apostoli gaudentes &c.* 7. Ferendo mala pro culpis nostris, undecunque nobis accidant, unde docet Trident. Sess. 14. cap. 9. quòd non solùm pœnis voluntariè susceptis, sed etiam *temporalibus flagellis à DEO inflictis, & à nobis patienter toleratis apud DEUM Patrem per JESUM CHRISTUM satisfacere valeamus.* 8. Si absque culpa nostra ab inimicis talia sustineamus. 9. Si ab amicis, & ab iis, qui nobis propter multa præstita beneficia obstricti sunt, supportemus. 10. Denique, si quis dura & aspera non modò libenter & hilariter, sed etiam desideranter affectet pati, sicut fecit Augustinus, dum oravit: *Hic ure, hic seca dummodo in æternum parcas.* Et S. Maria Magdalena de Pazzis: *Pati non mori.*

11 Longanimitas describitur,

Ad Patientiam reducitur *Longanimitas*, quæ est virtus perfectiva animi, ut moderatè & sine anxietate tendat per spem & expectationem in id, quod diu differtur, ne videlicet in animo habeat locum id quod Sapientiæ 3. dicitur: *Spes quæ differtur, affligit animam.* Unde S. Bernardus in illud Actor. 1. Omnes erant perseverantes unanimiter in Oratione, Serm. 43. de diversis dicit: triplicem hic virtutem brevi Sermone nobis indicari: *Nec Deus ab expectatione sua confudit eos qui & magnanimes & longanimes & unanimes essent. Certissima namque hæc testimonia sunt fidei spei, charitatis. Et quidem evidenter spes longanimitatem unanimitatem charitas operatur. Nunquid fides quoque magnanimum facit? Et sola. Quidquid enim sine fide præsumitur, non est ulla animi solida magnitudo, sed ventosa quædam inflatio & tumor inanis. Vis audire magnanimem virum? Omnia, inquit, possum in eo, qui me confortat.*

12 Perseverantia est duplex.

Perseverantia denique secundùm D. Augustinum citatum *est in ratione bene considerata stabilis & perpetua permansio.* Ubi tamen nota, non esse hic mentionem de perseverantia, quæ est particulare donum DEI, quo justi & prædestinati perseverant usque ad mortem in justitia & gratia sanctificante, de quibus Christus dixit, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, de qua S. Augustinus integrum scripsit librum, qui Tom. 7. continetur & cap. 1. dicit: *Asserimus ergo donum DEI esse perseverantiam, qua usque in finem perseveratur in Christo: finem autem dico quo vita ista finitur, in quo tantummodo periculum est, ne cadatur. Itaque utrum quisque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam ducit, incertum est.* Verùm prout huc spectat

Perseverantia est ea virtus, quæ animum firmat, ut non obstante molestia, quam afferre solet ipsa diuturnitas temporis necessarii in perficiendo aliquo opere difficili & bono, aut in acquirenda virtute persistat in officio suo usque ad operis completionem & perfectionem, quapropter ut sit specialis virtus sub hoc motivo continuationis debet fieri, si enim sub motivo alterius virtutis factum fuerit, illius virtutis rationem & formam sortietur, cujuslibet enim virtutis est velle continuationem & perfectionem operis boni. Ad hanc reducitur

13 Constantia ad Perseverantiam spectat.

Constantia, quæ est virtus animo tribuens, ut firmiter persistat in bono contra difficultates provenientes ex quibuscunque aliis circumstantiis sive impedimentis operis boni, nam cùm voluntas hominis sit valde mutabilis & mobilis, non solùm per adversa sed etiam per blanditias, promissiones, cupiditatem placendi hominibus, & timor displicendi, indiget virtute aliqua, quæ ipsam firmet, & roboret, quod cùm præstet etiam perseverantia non erit virtus distincta, nisi fortè per aliquem respectum, scilicet quòd perseverantia pergat ad continuandum & perficiendum actum. Constantia verò quòd simili actu ut opere exequendo faciat hominem sibi semper similem. Nec est, quòd hic immorer, sit igitur

Quæstio IV.

De
Vitiis oppositis Fortitudini, quæ sunt
Timor seu Ignavia, & Audacia: Pusillanimitas, Ambitio, Præsumptio, Impatientia, Insensibilitas, Inconstantia, & Pertinacia.

1 Vitia octo fortitudini opposita.

OMnis virtus sicut consistit in medio, ita contra eandem peccari potest duobus modis per excessum vel defectum, adeóque quatuor partibus potentialibus fortitudinis octo sunt oppositavitia in titulo enumerata, prout expressè docet S. Augustinus lib. 83. qq. q. 31. ubi hæc habet: Propter se autem, supple vitia, vitanda sunt, non ea modò, quæ iis contraria sunt, ut fortitudini ignavia, & justitiæ injustitia: verùm etiam illa quæ

propinqua videntur & finitima esse, absunt autem longissimè: quod genus fidentiæ contrarium est diffidentiæ, & ea re vitium est audacia non contrarium, sed appositum ac propinquum, sed tamen vitium est. Sic unicuique virtuti finitimum vitium reperietur, aut certo jam nomine appellatum, ut audacia quæ fidentiæ, pertinacia quæ perseverantiæ finitima est.

NOTANDUM autem Timorem alium sanctum, alium esse vitiosum. Sanctus est particulare donum DEI in scriptura multum commendatum, utrumque more suo eleganter describit S. Augustinus Enarrat. in Psalm. 127. dicens: Alius ergo timor Domini permanet, alius excluditur. Timor qui excluditur, castus non est: qui autem permanet, castus est. Quis est timor, qui excluditur? dignamini advertere. Aliqui propterea tantum timent, ne aliquid mali in terra patiantur, ne illis ægritudo accidat, ne damnum, ne orbitas, nè alicujus amissio chari, nè exilium, nè damnatio, nè carcer, nè aliqua tribulatio: propterea timent & tremunt. Adhuc timor iste non est castus.

1. Timor est infirmorum non fortium.

DICO 1. *Timor seu Ignavia per defectum opponitur Fidentiæ, Audacia per excessum.* Hæc est D. Augustini lib. 83. qq. q. 31. ut suprà. Probatur ex Scriptura Matth. 10. *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* In quem locum S. Augustinus Serm. 13. de omnibus Sanctis egregiè ad propositum meum sic discurrit: Advertistis cum sanctum Evangelium legeretur, Dominum DEUM nostrum antequam pro nobis moreretur, firmos nos esse voluisse, sed admonendo nè timeremus, & admonendo ut timeremus. Ait enim: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Ecce ubi monuit nè timeremus. Videte ubi monuerit ut timeremus. Sed eum, inquit, timete, qui potestatem habet corpus & animam occidere in gehennam. Ergo timeamus, ut non timeamus. Timor videtur ad ignaviam pertinere. Timor infirmorum videtur esse, non fortium. Sed videte, quid dicit Scriptura: Timor Domini spes fortitudinis. Timeamus nè timeamus: hoc est, prudenter timeamus, nè inaniter timeamus. Martyres sancti, propter quorum solennitatem hoc ex Evangelio recitatum est, timendo non timuerunt: quia DEUM timendo, homines contempserunt. Hæcille, ubi nota, Timorem esse ignaviam vel ad eam spectare, & esse debilium seu infirmorum, non verò fortium, ergo per defectum opponitur fortitudini.

Declaratur ulterius conclusio: Quia timor oritur ex inordinato amore alicujus objecti v. g. inordinatus amor voluptatum causat timorem, ne illis privetur, inordinatus amor pecuniarum facit timere, nè auferantur, inordinatus amor vitæ facit timere, nè perdat eam, unde Christus dicit: *Qui amat animam suam in hoc mundo perdet eam.* Joann. 12. Itaque ut timiditas sit fortitudini oppositum vitium debet esse circa perpessionem molestiarum & pericula mortis, si autem fuerit circa alia objecta, ad vitia illa, quæ circa illa versantur, refertur.

3 Audacia est vitium.

Audacia, quam D. Augustinus *Præsidentiam* vocat, & Aristoteles omnis *timoris vacuitatem*, est nimia fidentia agrediendi quæcunque mortis pericula ultra quam ratio, tempus, locus & opus postulat, unde semper est vitium, & pro tali habitum etiam ab Ethnicis fuit, unde etiam S. Augustinus Enarrat. in Psalm. 55. dicit, illum esse *hominem superbum typho arrogantissimo, qui sibi persuaserit nihil timere. Fortiorem putas illo, qui ait: Foris pugnæ intus timores: fortiorem ipso capite nostro Domino DEO nostro, qui dixit: Tristis est anima mea usque ad mortem? Non est iste fortior. Non te delectet stupor ejus: non immortalitate indutus, sed sensu exutus est.* Hinc postmodum enarrat: in Psalm. 63. ad eos qui non timent *pecora potius nominandi sunt bestiæ potius immanes & truces.*

Ex quo colligè Audaciam originari ex tribus: ex superbia, hæc enim facit illum credere, nullum alium posse se vincere vel lædere. Secundò ex stupore & stoliditate animi, nam talis non utitur debita ratione, ut ait S. Augustinus: *Qui non timuerunt, nec homines fuerunt*, & ideo etiam Aristoteles ante dixit: *Furiosos nihil timere.* Tertiò provenit ex vili animo vel desperato non sciente aut volente æstimare vitam suam quantum debet. Et hoc vitium est peccatum mortale vel veniale pro ratione periculi & mali, cui se temerariè exponit, unde qui se in statu peccati mortalis exponit periculo mortis, lethaliter peccat.

Audacia autem distinguitur à temeritate per hoc quòd audacia agat adhuc sæpe ex ratione saltem imaginaria, temeritas verò facit impulsum & aggressum sine ulla providentia aut præconcepta ratione, & tunc est cupiditas & stoliditas audax.

4 Vitia opposita magnanimitati.

DICO 2. *Magnanimitati per defectum opponitur Pusillanimitas & per excessum Ambitio & Præsumptio.* Hæc deducitur ex D. Thoma 2.2. q. 130. & 131. & Patet: Quia Pusillanimis est, qui pusillo est animo, & omnia opera quæ facere debet, putat excedere vires suas, unde fugit omnia officia, ad quæ tamen ab aliis agnoscitur habilis & idoneus; similiter existimat plus quam dicter ratio, se esse omni honore, indignum, omni gloriâ, famâ, &c. Econtra Ambitiosi & Præsumptuosi plus desiderant & affectant officia & dignitates, ad quæ

quas digni non sunt, quæ omnia originantur a Superbia, prout dixi suprà disp. præcedent. qu. 15. de Superbia num. 17. & 18.

5 Vitia opposita patientiæ,

DICO 3. *Patientiæ per defectum opponitur Insensibilitas, per excessum Impatientia.* Hæc declaratur: Quia non est laudabile, neque consentaneum naturæ humanæ nullis malis propriis vel alienis, amicorum aut filiorum, vel comprofessorum moveri & tangi, quia hoc est aliquid stoliditatis, & feritatis belluinæ, tollitque omnem amicitiam, & politicam conversationem. Hanc reprobat D. Bernardus lib. 1. de considerat. cap. 3. dicens: *Magna virtus Patientiæ. - - - - Non bona patientia, cùm possis esse liber, servum te permittere fieri. Nolo dissimules servitutem, in quam certè indies dum nescis redigeris. Hebetatis cordis indicium est, propriam non sentire continuam vexationem. Vexatio dat intellectum auditui, ait quidam: verum est, sed si nimia non fuerit: Nam si fit, non plane intellectum dat, sed contemptum.* Econtra cum quis nimium dolet, aut ad temperandum dolorem, tristitiam vel mœrorem à recto discedit, impatiens est, & multò magis si adhuc clamoribus, indignationibus, cholericisque gestibus id ad extra manifestet, impatiens est, ergo. In hac se submersum confitetur & conqueritur fuisse S. Augustinus lib. 4. Confess. cap. 7. his verbis: *Æstuabam, suspirabam, flebam, turbabar, nec requies erat, nec consilium. Portabam enim conscissam & cruentam animam meam, impatientem portari à me, & ubi eam ponerem non inveniebam.*

6 Vitia opposita Perseverantiæ.

DICO 4. *Perseverantiæ per defectum opponitur Inconstantia, Pertinacia per excessum.* Hæc quoque patet. Quia magnus defectus est sine ratione mutare consilia, proposita & vota, nam bene dicit Ecclesiasticus cap. 27. *Stultus ut luna mutatur*, unde si est in materia obligante erit mortale peccatum, si fuerit materia levis, culpa quoque erit levis, nulla verò penitus, si cum ratione fiat, nam ut dicit Atticus lib. 10. *Nemo doctus mutationem consilii inconstantiam dixit esse.* Hinc vulgatum est proverbium, *sapientis est mutare consilium.*

7 Pertinacia potest & in bonum & malum accipi.

Pertinacia verò secundùm Ciceronem est *Perseverantiæ finitima, & tam in bonam partem quàm malam sumitur.* In bonam partem accipit Seneca lib. 8. de Beneficiis cùm dicit: *Vincit malos pertinax bonitas.* Et Livius lib. 1. Belli Punici; *Vincit tamen omnia pertinax virtus*, & tunc significat magnam tenacitatem sui propositi boni, hinc dicitur pertinax certamen pro valde duro & difficili pugna; Pertinax fama pro firma & constanti. Pertinax pietas. In malum verò accipitur ab eodem Cicerone suprà & lib. 1. de finibus cum ait: *Cum pertinacia & iracundia rectè disputari non potest.* Et 4. Acad. *Reprehenditur in minimis rebus pertinacia, in calumnia etiam coërcetur*, multò magis autem reprehendenda est, quando aliquis suæ opinionis tenacior, quàm capiat vel intelligat plus quàm oportet tuetur suam sententiam & fidem, prout faciunt hæretici. Et hæc de virtute fortitudinis sufficiant. Sit igitur

Ad Aphorismum, & Materiam præcedentem.

Quæstio Ethica:

An sit Actus fortitudinis in peccato mortali existentem absq; confessione, vel contritione ire cubitum?

1. Temerarium est ire in peccato mortali cubitum.

FOrtitudo quidem est habitus, & qualitas ad non timenda pericula mortis sive in bello, sive in lecto, sive domi sive foris, attamen ire cubitum non præmissa contritione, aliaque satisfactione & dolore de peccatis

DICO, sacrilegam esse temeritatem, & tentationem DEI. Temeritas quidem est, quia expresè facit contra consilium sapientissimi Ethici Ecclesiastici 38. *Memor esto judicii mei: sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie*: Ubi per judicium intelligunt Interpretes communiter mortem, tum quia mors est justo DEI judicio propter Protoplastorum peccata in omnes homines lata: Tum quia per eam transimus ad infallibile, & strictissimum DEI judicium, recepturi prout in vita gesserimus, & ut noster Lyranus loquitur *Qualis quisque in morte reperitur, talis in judicio præsentabitur.* Unde Rabanus inquit, *Judicium suum dicit obitum de hoc mundo, quod unicuique proprium est, tam præteritis, quàm etiam præsentibus: quia nullus est homo super terram, qui vivat, & non videat mortem. Et bene dicit mihi heri, hodie tibi: ac si diceret, quod in me completum est, in te modò instat implendum*; Temerarius igitur est, qui vadens ad lectum, crastinum sibi spondeat diem, neque timeat vocem illam terribilem, *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te*, Lucæ 12. quod tantò turpius est homini Christiano, cùm & Poëta monuerit

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Et ratio est, quia quotidie morimur, ipse quotidianus corporum defectus non est aliud quàm quædam prolixitas mortis, teste S. Gregorio. Pulchrè sanct. Ephrem in sermone, *De his, qui in Domino obierunt*, dicit, ideo dictum *Heri mihi, hodie tibi*, Ne nos in hodiernum vel crastinum diem impura relaxet cogitatio, quoniam multi, dum multa secum statuerent, ad crastinum non pervenerunt; ac subitò rapti sunt sicut passeres ab accipitre; & velut agni

agni a lupo, & quasi captivus à latrone, nec prorsus loqui valentes, nec testamentum condere, neque vocem illam edere. Alii enim vesperi sani cubitum concedentes ad mane non pervenerunt, quæ exemplis, hac nostra ætate factis, comprobare possum. Alii ad mensam accubantes, uti solemni accidit medico expirarunt; Alii inter ambulandum & ludendum repente sunt mortui, prout cum quodam Illustri viro in nostra Pragensi Urbe evenit, qui inter saltandum lapsus in deliquium, nunquam respirans amplius expiravit. Alii in balneo morientes, idem lavacrum pro Epitaphio & Sepultura habere meruerunt. Alii verò dum nuptias celebrarunt in ipso thalamo nuptiali, de quo apud nos horribile hic Pragæ exstat exemplum, cùm in domo vulgò dicta *Plateis*, seu maris passerina, una eademque nocte sponsus & sponsa altera die, existimantes diutius solitò eos cubare, hora tertia ante meridiem, vi effractis foribus, extincti fuerunt deprehensi, horrendo profectò spectaculo, verissimo tamen, terrifico, & lachrymabili; & eadem vestimenta, quæ pro nuptiis pararant, eadem pro funere habuerunt, succesſeruntque in locum tibicinum lamentantes, & in locum saltantium ac tripudiantium lugentes & plorantes.

2 Casus variii repentinæ mortis.

Quæ si quis debitè perpenderit, non solùm temeritatis esse fatebitur, sed etiam tentantis DEUM, qui sibi peccati mortalis conscius absque dolore præmisso ad lectum, & lethum se committere audet, cùm tamen Ethicus sacer Ecclesiasticus adhortetur cap. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Rationem fundamentalem hujus rei præbet S. Augustinus hom. 13. inter 50. Tom. 10. Quia promisit quidem DEUS, quoniam in quo die conversus fueris, oblivisceturmala tua præterita, sed nunquam vitam crastini diei promisit tibi. *An forte non illam promisit DEUS, sed promisit illam Mathematicus ut damnet te, & illum &c. Misericordia DEI est, quia nescit homo, quando moriatur. Latet ultimus dies, ut observentur omnes.* Et Serm. 202. de Tempore exclamat: *O homo! quare differs de die in diem, fortè hodie habiturus ultimum diem?*

Quæstio altera.

An fortitudinis actus particularis sit esse liberalem?

3 Liberalitas est actus fortitudinis.

IN qualibet virtute secundùm aliquem modum, fortitudinis rationem inesse patet ex supra dictis, & D. Augustino Ep. 19. ad Hieronymum, ubi dicit: *Prudentia tunc erit si & fortis & justa, & temperans fuerit; sic & fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans, vel injusta: sic temperantia necesse est, ut prudens, fortis, & justa sit; sic Justitia non est nisi sit prudens, fortis & temperans.* Et tali modo nullum est dubium, quin sit actus fortitudinis, sed quod quæritur est de specialiori ratione, ad quod Respond. Affirmativè, quod probari potest, nam inter particularia fortis fœmina prædicata dicit Salomon Proverb. 31. *Manum suam misit ad fortia - - - - - & palmas suas extendit ad pauperem.* Ob quam causam Ecclesiasticus admonet c. 4. *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Et postmodum infert Beatum illum virum, fortem, & generosum cap. 29. *Qui prævalet manu sua,* id est, qui in semetipso vincit habendi cupiditatem, ut dextrâ suâ faciat aliquid, quod siniſtra non sciat prava deturpare intentione, unde Salomon iterum Proverb. 31. *Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum,* ex liberalitate matrem suam, ut mulierem fortem recommendat.

DISPUTATIO IV.

De

Justitia.

IIdem requirit Justitia, quoniam hæc est principalis virtus moralis, quæ omnem societatem humanam sola conservat, tuetur, fovet, & protegit, nam ut refert D. Augustinus lib. 2. de Civit. cap. 21. *Quæ harmonia à Musicis dicitur in cantu eam esse, in civitate concordiam: arctissimum atque optimum omni in Republica vinculum incolumitatis, eamque sine justitia nullo pacto esse posse.* Proinde jam bene olim Spiritus Sanctus prædixit Proverb. 10. *Sapiens corde præcepta suscipit: stultus cæditur labiis.* Hinc quia ex malitia humana tot intricati casus quotidie emergunt, tot injuria non modò in rebus, sed etiam in bonis corporis, famæ, & salutis æternè quibus omnibus sola & unica medetur justitia, ideo materiam hanc amplissimam, in particulari complectar tractatu, & pro cognitione Justitiæ hic solùm ejus definitionem breviter insinuabo, ejusque officium, & omnes

partes

Digitized by Google

partes ejus potentiales enumerabo, distinctam enodationem, & Aphorismos necessarios Justitiam, ejusque actus & partes concernentes, ad tractatum subsequentem remittendo. Sit igitur

Quæstio Unica.

De Notione Justitiæ, ejusque munere, ac de ejusdem partibus tam integralibus, quàm subjectivis, & potentialibus summariè.

1 Justitia definitur, ab Ulpiano.

BReviter præsentem expediam quæstionem, & quantum ad ejus notionem ajo, quòd Ulpianus L. Justitia ff. de Justitia & Jure definiat illam hoc modo: *Justitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*, quam amplectuntur Theologi & Juristæ communiter, mihi tamen non placet, nec subsistit, nisi bene explicetur. Quia voluntas est potentia naturalis, justitia virtus acquisita; voluntas subjectum qualitatum, justitia autem debet esse habitus, hinc inferius ex Scoto aliam ponam, si quis tamen hanc amplecti vellet, sic explicanda erit. Dicitur *Voluntas* metonymicè, scilicet ponendo effectum pro causa, quia Justitia est habitus voluntatem determinans ad volendum suum alteri. Vel dicitur *Voluntas* subjectivè, quia Justitia residet in voluntate veluti in subjecto inhæsionis. Dicitur *Constans & perpetua*, quia juxta Aristotelem 2. Ethic. cap. 4. requiritur ad virtutem, quòd *immobiliter* operetur, id est ex habitu, qui ad firmiter, constanter, suaviter, & faciliter ac delectabiliter operandum inclinat, quia illud, quod quandoque fit, non censetur ex virtute fieri, contingit enim, quod in vitiis indurati & malè habituati subinde bene operentur, qui tamen non possunt dici ex virtute operari, quia nihil firmum est & constans. Dicitur *Jus suum*, id est debitum, per quod differt à liberalitate. Dicitur *Cuique* id est alteri à se individuo, proprium enim officium est justitiæ extra se agere, & alteri suum debitum tribuere, unde Aristoteles 5. Ethic. cap. 1. dicit: *Alienum bonum sola justitia ex omnibus virtutibus & habetur, & est, cùm sit ad alium, agit enim quæ alii vel Principi, vel Reipublicæ conferunt.* Dicitur *tribuendi*, & non tribuens, quia definitiones rerum desumuntur ab habitu interno, qui durabilior est, non verò ab actione externa. Per quod patet ad secundum, nempe, quòd sit ejus officium, præstare cuique quod est ei debitum strictà obligatione.

2 Justitiæ partes variæ.

Quantum ad Tertium triplices similiter partes habet Justitia, videlicet Integrales, subjectivas, & potentiales. *Integrantes*, vel quæ se habent ad modũ partium integrantium sunt, quæ concurrunt ad perfectum actum justitiæ, & istæ sunt *declinare à malo, & facere bonum*, id est, reddere proximo debitum, & non subtrahere ei, quod suum est. Partes *subjectivæ* sunt Justitia *Legalis* seu *Universalis*, & *Particularis*, quæ iterum aliis duas subjectivas habent scilicet *Distributivam*, & *Commutativam*, de quibus Aristotel. 5. Ethic. 3. dicit: *Justum distributivum consistit in proportionalitate Geometrica, sed justum commutativum in proportionalitate arithmetica.* Partes Potentiales Justitiæ sunt multæ, præcipuę tamen sunt: *Religio, Pietas, Observantia, Obedientia, Gratitudo, Vindicatio, Veritas, Amicitia*, vel *Affabilitas, Liberalitas* & *Æquitas*: de singulis breviter aliquid dicam. Itaque

3 Religio quid sit.

Religio nomen dictum vel à *relegendo*, quod ea quæ ad DEI cultum pertinent sæpe numero sint revolvenda, & veluti relegenda, ut vult Isidor. 10. Etym. cap. 17. vel à *reeligendo, quòd per eam DEUM, quem per peccatum rejicimus, reeligamus*, ut inquit Augustinus lib. 10. de Civit. cap. 4. vel à *religando*, quod DEUS nos adstringat, seu alliget, ita Lactantius lib. 4. de div. Justitia 28. definitur à D. August. lib. 83. qq. q. 31. *Quòd sit virtus, quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, cultum, cæremoniámque adfert.* Quæ definitio sumpta est ex Cicerone, unde clariùs sic definiri potest: *Religio est virtus, quæ debitum cultum DEO tanquam primo rerum omnium principiò exhibet.*

4 Pietas describitur.

Pietas, hoc nomen tripliciter accipi potest, ut colligitur ex D. August. 10. cap. 1. ut idem sit quod Græcis εὐσέβια, & θεοσέβια, & sic non distinguitur à Religione, idemque est pium esse, ac religiosum esse, seu cultui divino addictum, & hoc modo accipitur passim in scripturis, ut 1. ad Timoth. 4. *Exerce teipsum ad pietatem. Pietas* (Eusebia) *ad omnia utilis, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ*: ubi nomine Pietatis videtur intelligere studium internæ devotionis, & affectum erga DEUM & proximum, ut rectè exponit Anselmus. Eodem modo sæpe accipitur in eadem Epistola, & Isaiæ 11. *Spiritus scientiæ & pietatis.* 2. Machab. 12. *Qui cum pietate dormitionem acceperant*; hinc cultores DEI passim vocantur pii, & peccatores impii. Secundò accipitur pro misericordia, seu benigno affectu, præsertim circa filios opis nostræ egentes, & hoc modò pietas sæpe tribuitur DEO, ut quando dicitur pius Pater, pius Salvator. Eccles. 2. *Quoniam pius & misericors Dominus.* Tertiò pro speciali virtute, quâ colimus parentes tanquam vitæ & educationis nostræ secundùm DEUM authores, & hoc modo ita definitur à D. Augustino 83.

qq. q. 3. ex Cicerone: *Pietas est per quam sanguine junctis, patriæq; benevolis officium & diligens tribuitur cultus.* Unde sequitur pietatem primò & principaliter respicere parentes, quia hi post DEUM sunt præcipui authores nostri ortus; secundò Patriam, quæ etiam aliquo modo est generationis principium, tum quia parentes fovet, tum quia opportuna educationi suggerit, patriam autem voco vicum, oppidum, urbem, Provinciam cum habitantibus suis. Tertiò alios consanguineos, non quod illi sint principium aliquod ortûs, sed quia in illis repræsentantur quodammodo parentes, qui immediatè sunt authores, & in hoc sensu pietas est justitiæ pars, quatenus respicit debitum illud, quod habemus erga patriam & parentes.

4 Observantia quid sit. *Observantia* est virtus, quæ veluti pietas parentibus, ita omnibus superioribus cultum defert, quia sunt authores nostræ gubernationis, quicunque enim nos actu vel potentiâ gubernant, aliquo cultu digni sunt, & cultus hujus eminentiæ ratione eis debitus est, sic honor & obsequium debetur Magistro à discipulis, Duci à milite, Magistratui à cive, Principi à subdito, Domino à servis, unde Augustinus dicit: *Observantia per quam homines aliqua dignitate antecellentes, cultu quodam & honore dignamur.* Species ejus multæ sunt scilicet *Politica & Religiosa*, prima iterum duplex est *Naturalis & Supernaturalis.* Hæc subdividitur in *Duliam & Hyperduliam.*

6 Obedientiæ descriptio. *Obedientia* (est observantiæ pars) dicitur quasi ab audientia, quòd vox & præceptum Superioris audiatur & admittatur, estque duplex *Materialis*, quâ omne virtutis præceptum impletur. *Formalis*, quæ ideo expresè aliquid facit, quia præceptum est, & sic est virtus specialis. Hæ Justitiæ partes adeo grave debitum inducunt, ut illi non possit satisfieri ad æqualitatem. Sequentes tantùm inducunt debitum morale, quod ex quadam honestate virtutis procedit, estque talis, ut nisi illi satisfiat, honestas morum conservari non possit, vel non commodè & decorè possit. Unde

7 Gratitudo explicatur. *Gratitudo* generatim est virtus, quæ respicit debitum ex beneficio accepto natum, & ut illi aliquo modo satisfaciat, rependit aliquid benefactori, ut gratiarum actionem, obsequium, cultum, vel aliud beneficium: hanc appellat S. Augustinus cit. ex Cicerone: *Gratiam, in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria, & remunerandi voluntas continetur.* Itaque extendit se ad omnes, à quibus aliquid beneficii accipimus, nimirum ad DEUM, parentes, magistros, & privatos homines, respectu quorum est specialis virtus, respectu aliorum in superioribus includitur.

Vindicatio, est virtus, quâ defendendo, aut ulciscendo propulsatur violentia & injuria moderatè, non intendendo malum injurianti, sed ejus emendationem, vel cohibitionem, vel aliorum quietem ad Justitiæ conservationem; pulchrè eam definit S. Augustinus cit. q. 31. *Vindicatio per quam vis, aut injuria, & omnino omne quod offuturum est, defendendo, aut ulciscendo propulsatur*, unde si intendatur malum lædenti, est odium, si bonum & emendatio, actus charitatis; hinc ait D. Bernardus Epist. 2. *Pie enim solet charitas sævire, sine dolo mulcere, patienter novit irasci, humiliter indignari.* 8 Vindicatio.

Veritas est secundùm Augustinum: *Per quam immutata ea, quæ sunt, aut fuerunt, aut futura sunt dicuntur.* Unde est conformitas judicii ad rem significatam, vel signi ad rem signatam in scripturis, locutionibus, sermonibus, gestibus faktèm secundùm nostram conscientiam. 9 Veritas.

Amicitia, vel *Affabilitas* est virtus, quæ procurat, ut conversatio nostra cum proximis in rebus seriis sit grata & talis, qualem esse decet, spectata conditione personarum, cum quibus agimus negotium, & reliquis circumstantiis, ita ut non nimis blandè, vel asperè in congressibus nos geramus. Melius S. Augustinus lib. 83. qq. *Amicitia, voluntas est erga aliquem rerum bonarum, illius ipsius, quem diligit causâ, cum ejus pari voluntate. Hic quia de civilibus causis loquimur, fructus ad amicitiam adjungimus, ut eorum quoque causa petenda videatur, ne forte qui nos de omni amicitia dicere existimarint, reprehendant. Quamquam sunt, qui propter utilitatem modò petendam putent amicitiam, sunt qui propter se solum, sunt qui & propter se & propter utilitatem. Quorum quid verissimè statuatur, alium locus erit considerandi.* 10 Amicitia.

Liberalitas est virtus, quæ moderatur amorem pecuniæ, & reddit nos faciles & promptos ad expendendas eas, quando ratio dictat. 11 Liberalitas.

Æquitas est virtus inclinans ad recedendum à verbis legis, quando ob universale bonum deficit à recto, ut intentioni Legislatoris nos accommodemus, & in re est idem quod ἐπίκεια. Sed de his omnibus fusiorem debito loco redibit sermo, pro Justitia igitur, sit 12 Æquitas & ἐπίκεια.

ETHI-

Digitized by Google

ETHICÆ SACRÆ

APHORISMUS NONUS.

Diligite. . . . Facite Judicium & Juſtitiam. Sap. 1. Jerem. 22. v. 3. Ezech. 45. v. 9.

De Juſtitia cum hominibus ſervanda.

SYMBOLUM.

In abundanti Juſtitia Virtus maxima eſt. Proverb. 15. v. 5.

Declaratio Aphoriſmi & Symboli.

2 Juſtitia Ethicæ prima filia.

PRæcedentes aphoriſmi DEUM reſpexerunt directè, & Ethicum ſemetipſum, hucusque inſtruxerunt, nunc ampliſſimus aperitur campus doctrinæ, & virtutis exercendæ reſpectu proximi, nè ex nimia habendi cupiditate is vel in rebus vel in perſona, honore & fama lædatur, quod fiet ſi Ethicus præfixum obſervaverit aphoriſmum, ſcilicet *diligere & facere juſtitiam*, qui tam ſolemnis eſt, ut huic tota inniteatur Ethica, atq; illius ſubalterna filia dici poſſit ac debeat, nam ſicut Medicus ſua mutuat principia ex Phyſica, ſic Jurium & Legum ſcientia, ipſaq; juſtitia ab Ethica emendicat, ita ut omnes ejus maximæ ab hac veluti qui dam rivuli defluant, & ad eandem refluant, nam quoniam Ethica docet virtutes laudandas, & caſtigandas delicta, Juſtitia legibus ſuis ſolum præſcribit modum, quibus id commodè, conformiter ad tempora loca & regiones fieri conveniat. Ethica præſcribit DEUM ſummum bonum unicè colendum, parentes honorandos, reverendos magiſtratus, Juſtitia & jus docet delinquentes contra hæc principia pro qualitate delicti mulctandos. Ethica docet commutationes rerum ſic pro humano uſu fiendas, ut lucrum non quæras turpe, nec proximum defraudes malignè, juſtitia evinde ordinat, quæ æquitas & æqualitas ſervanda ſit in dando mutuo, commodato, depoſito, pignore, emptione, venditione, locatione, & univerſaliter in omnibus contractibus, ut proinde non immeritò Ulpianus *L. Jus Civile ff. de Juſtit.*

& *Jure* dixerit: Juris prudentiam esse Juris naturalis, & Ethicæ sacræ nobilem quandam moderationem & filiam, atque adeò Ethicæ sacræ non sit alius finis in terra, quàm justitiam facere, colere, & adimplere, quam ob rem ab ipso cœlesti Magistro omnium observantia præceptorum non alio exprimitur prædicato, vel nomine quàm justitiæ, quando Matth. 3. dixit: *Sic decet nos omnem implere justitiam*, & quicunque hoc faciunt, justi compellantur, ut de Joseph testatur Evangelista; *Joseph cùm esset vir justus*, nam *Justitia generalis*, Ambrosio teste, *est virtus*, nec ulla unquam virtus recta esse poterit, ubi justitia non fuerit, imo nihil melius in mundo quàm justitia, nam ut Salomon dicit Proverb. 15. *In abundanti Justitia virtus maxima est*, eaq; excellentissima, bene enim Philo de Abrah. dicit: *Nihil Justitia melius, quæ principatum inter virtutes tenens ornat earum chorum maximè.*

Astræa antiquis dicebatur Justitia.

Hoc excellentissimum bonum antiqui Philosophi & Ethici variè adumbrare, & hominibus amabile æque, ac æstimabile per ingeniosa conati sunt repræsentare Symbola, nam ut finxit Ovidius, & tenuit Seneca in Octav. ac refert Lactantius 5. 5. Astræam nobilissimam Jovis & Themidis filiam ipsam esse Justitiam, quæ crescentibus in mundo vitiis in cœlum se recepit, prout canit Ovidius 1. Metamorph.

\- - - - *Et virgo cæde madentes*
Ultimâ cœlestûm terras Astræa reliquit.

Et 1. Fastorum

Justitiam facinus fugavit.

addúntque illam sibi sedem inter Libram & Leonem collocâsse, eò quòd ipsa fortis sit & constans ut Leo, sicque esse debeat, quicunque justitiam facit & diligit, atque cuncta pariter æqua librare lance. Dicitur autem Astræa inter sidera collocatam, tum ut DEUM semper præ oculis habeat: Tum, quia eo momento, quô homo justus judicat, jam à DEO judicatur: Tum, nè terrena aspiciat, & ab illis motus declinet ad dextram vel sinistram, Schema hoc amplector, & Astræam in Sole colloco, utpote qui genuinum divinitatis symbolum est, nam quemadmodum Sol illuminat totum mundum, ita DEUS illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & *omnes res mortalium inspicit Justitia*, inquit Dionys. lib. 11. & Philo de Erudit. Princip. *Justitia divino tribunali assistit, insopitis oculis Justrans omnia.* Et quemadmodum ille in libra existit, unicuique redditurus prout gesserit sive bonum, sive malum, ita nos reddamus unicuique quod suum est, prout Paulus in Romanis totam instruxit Ecclesiam, cap. 13. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Justus enim promptus esse debet & officiosus in tribuendo quibus obligatur, obsequium, honorem, timorem & amorem, unde ipsemet DEUS olim contra iniquos Hebræos fuit conquestus, Malach. 1. *Si Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* ad hoc quoque in suo ex omnibus scriptis optimo carmine monuit Virgilius:

Discite Justitiam moniti, & non temnere Divos

Regna transferuntur propter Injustitias.

Rationem reddit Macrobius somn. l. 1. Quia *Justitia vel cultæ præmium, vel spretæ pœna animis quippe immortalibus, subiturisque judicium servatur*, quare non ineptè Plutarchus de doctrin. Princip. scripsit: *Sine justitia nè Jupiter quidem rectè potest imperare*, qui enim vim aliis inferre possunt, cùm præsunt, non convenit sine justitiæ dictamine pœnam inferre, nec præmia differre.

Quod in fide nostra evidentissimè cernitur, optimè enim dicit Ethicus noster antiquus, Ecclesiast. 10. *Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias & injurias, & contumelias, & diversos dolos*: ita vicissim DEUS propter justitiam confirmat principatus & imperia, elevat familias, & splendidas erigit domos, prout testatur idem Ecclesiasticus c. 3. *In Justitia ædificabitur tibi*, supple illud quod Salomon Proverb. 16. Solum, Domus & habitaculum, unde Tigurina versio legit sic: *in Justitia ædificabitur, adversùs peccatum extruetur tibi propugnaculum*, quo ab hostium insultibus tuearis; aptissimè igitur dixit Salomon Proverb. 25. *Justitia firmabitur thronus*, Domus, & immortale nomen. Et hoc est, quod symbolo meo per genium triangulo rectitudinem fabricæ dimetientem expressi, nam perpendiculum cuicunque cono affigas, cujusvis lateris medium semper attinget, ita ut Pythagoricis familiare fuerit teste Plutarcho Astræam, seu Justitiam triangulo exprimere, ad rem bene Plato dixit lib. 1. Reipl. *Omnis felicitatis fons est Justitia, infelicitatis autem mater injustitia:* Elegantius tamen Seneca in Thyeste

\- - - - *Ubi non est pudor*
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est.

Sed optimè omnium D. Aurelius Augustinus lib. 5. Civit. cap. 12. ubi Nolite, inquit, existimare, majores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse, si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus. Quippe sociorum atque civium,

civium præterea armorum & equorum major copia nobis quàm illis eſt. Sed alia fuêre, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla ſunt: domi induſtria, foris juſtum imperium, animus in conſulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publicè egeſtatem, privatim opulentiam: laudamus divitias, ſequimur inertiam: inter bonos & malos diſcrimen nullum, omnia virtutis præmia ambitio poſſidet. Neque mirum, ubi vos ſeparatim ſibi quisque conſilia capitis, ubi domi voluptatibus, hîc pecuniæ aut gratiæ ſervitis.

Juſtitia ergo ædificat cuilibet domum ſuam ſive Rex ſit, ſive Princeps diademate fulgens, ſive privatus quivis familiaspater, curam domûs, & collectarum gerens perſonarum gubernium, nam ut dicit Macrobius, Somnior. 1. 8. *Sine juſtitia nec reſpublica, nec exiguus hominum cœtus, imò nec domus quidem parva conſtabit*, quod totum bene Genius cuſtos cum triangulo perfectè repræſentat, Juſtitia enim eſt *menſura aurea illa*, quâ Angelum vidit Joannes metiri Civitatem, quamcunque Rempublicam, & fidelem juſti hominis animam, quæ non ſolùm domus, ſed & templum eſt Spiritûs Sancti, totiúsque Trinitatis, quæ nulla meliori figura quàm Trianguli exprimi valet, utpote quæ omnis Juſtitiæ fons & origo, illa enim de cœlo proſpexit, unde Eccleſiaſticus monet cap. 4. *Pro Juſtitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro juſtitia, & DEUS expugnabit pro te inimicos tuos:* ſicut igitur quilibet pro ſalute animæ agonizare, ita pro juſtitia certare debet, nam ſi quis Juſtitiam non coluerit, nec pacem cum DEO, neque ſecum habere poterit; præclarè hortatur proinde D. Auguſtinus in Pſal. 84. dicens: Fac juſtitiam, & habebis pacem, ut oſculentur ſe juſtitia & pax. Si enim non amaveris juſtitiam, pacem non habebis. Amant enim ſe duo iſta, juſtitia & pax oſculantur ſe, ut qui fecerit juſtitiam, inveniat pacem oſculantem juſtitiam. Duæ amicæ ſunt, tu fortè unam vis, & alteram non facis. Nemo eſt enim qui non vult pacem, ſed non omnes volunt operari juſtitiam. Ecce juſtitia dicit tibi. Nè fureris, & non audis. Nè adulteres & non vis audire. Non facias alteri, quod tu pati non vis, non dicas alteri, quod & tibi dici non vis. Inimicus es amicæ meæ, dixit tibi pax, quid me quæris? Amica ſum Juſtitiæ, quemcunque invenero inimicum amicæ meæ, non adillum accedo. Hæc ille. Ut autem declarem quid genius ad vineam confiſtens velit, ideo dico hoc repræſentare, quod veluti juſtitia abhorret ab omni furto, rapina, aliisque injuſtitiis, ita etiam mercenariis atque aliis operariis & ſervientibus præcipit non plus petere, quàm de opere aut de denario diurno ſit conventum, prout illi fecerunt, qui murmurabant adverſus Patremfamilias Matth. 20. quòd ultra denarium conditum amplius non acceperant, quibus juſtè dicitur *Tolle quod tuum eſt, & vade.* Similiter iniquè & injuſtè faciunt qui ultra ſtipendium conventum privatas præſumunt ſibi facere æſtimationes, & occultas compenſationes, in quo famuli, famulæque frequenter delinquunt, nec in conſcientia ſunt immunes, ſicut viciſſim graviter Patresfamilias delinquunt juſto fraudan es ſtipendio operarios & mercenarios, nam ut dicit Eccleſiaſticus 34. *Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum, qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* Quod Syrus ſic vertit: *Qui occidit proximum ſuum hæreditat opes ejus, & qui effundit ſanguinem innocentem, DEUM orbat ſuo filio, & hærede*, talis enim innocens, eſt hæreditas & peculium DEI, atque Syrus continuat: *qui fraudat mercedē mercenarii, fraudat Creatorem ſuum, & ipſe recipit retributionem malam.* Præclara autem alia Juſtitiæ encomia adduco in proœmio ſequentis Diſputationis, quia igitur Sapiente reſte: *Scire juſtitiam vadix eſt immortalitatis* Sapient. 15. ſequitur ut etiam in natura examinetur, & cognoſcatur, pro quo ſit

4. Agonizandum pro Juſtitia.

TRACTATUS VI.

De

Juſtitia & Jure,

ſeu

(ſi quis ita vult)

De Jure & Juſtitia.

Proœmium.

Conc. 16. in Pſal. 118.

JUſtitiæ Encomium in Aphoriſmo inchoatum proſequor, & cum S. Auguſtino dico, quod *Juſtitia virtus ſit animi magna, præcipuéque laudabilis*, eandem poſtmodum ipſe, ſive quisquis author ſit, inſigni deprædicavit hoc Elogio: Hæc eſt virga, qua petra percuſſa manat in fluenta, quia lapidea ſubditorum corda judicio juſtitiæ tacta, in virtutum exuberant flumina. Hæc eſt virga Aaron, quæ fronduit, floruit, & fructum peperit: quia juſtitia quaſi frondet, dum mente concipitur; floret, dum viriliter exercetur: fructificat dum ſubditus corrigitur. Hæc eſt ventilabrum, quo granum dividitur à palea, ſanies à morbo ejicitur, quia contra morbum peccati opponendum eſt mordax emplaſtrum, ne in majus vitium tabes exuberet incurata, & in augmentum facinoris redundet iniquitas impunita. Hæc eſt menſura, qua debemus metiri pœnas, & merita ponderarare. Attendite tamen, fratres, attendite paſtores, qui terram judicare debetis, quòd aliquando juſtitia eſt relaxanda propter ſcandalum multorum, aliquando exagitanda eſt, ut ſit cautela reliquorum. Tunc verò Juſtitia dicitur gladius ex utraque parte acutus, quia hominis defendit corpus ab exterioribus injuriis, & animam à ſpiritualibus moleſtiis. Hæc eſt Medicina vitiorum, antidotum peccatorum. Hæc eſt pugio, quo Phinees transfixit coëuntem cum Madianitide Judæum, & ceſſavit quaſſatio. Hæc eſt lapis, quo David percuſſit Philiſtæum, & à ſervitute Iſraël liberavit. Hæc autem ſine diſcretione, gladius eſt in manu furioſi. Hæc ſine Prudentia, eſt mors & bonorum perſecutio. Hæc ſine miſericordia, gladius eſt in manu tyranni. Præmiſit autem Author citatus huic elegantiſſimæ deſcriptioni exclamationem, quam ego ſubjungo: O ſancta laudabilisque juſtitia, ſub te & per te pudicitia regnat, pax per te triumphat, & ſecuritas, dignitas per te floret, & fructum affert in patientia. Hæc protectò eſt regina virtutum omnium, aut ſicut Ariſtoteles 5. Ethic. dicit: *Mater & Fons!* quemadmodum autem in ſe excellentiſſima eſt, ita de ea tractare, ſcribere, differere, atque emergentes difficultates reſolvere res eſt utiliſſima, & pluribus doctrinis refertiſſima, nam cum humana libido & habendi cupiditas hactenus peperit & indies parturiat adhuc novas fraudulentiæ formas, novam pariter ſubminiſtrat viris juſtis & piis excogitandi medelam, quâ ſuum cujusque juſtè transferatur, & reſtituatur, vel conſervetur. Eſt hæc materia quoque neceſſariſſima cuilibet animarum curam gerere volenti, nam ſine alienorum reſtitutione non dimittitur peccatum; cùm enim in Pœnitentiæ Sacramento agant confeſſores non modo partes Patris & Medici, ſed & Judicis, hinc ſi negligant eos ad reſtitutionem obligare, verificabitur de ipſis, quod M. S. P. Auguſtinus lib. 19. de Civit. habet cap. 6. *Ignorantia Judicis, calamitas innocentis*, nempe & temporanea & æterna. Eſt hæc materia pariter difficilis magis, quia ad animorum ſcrupulos ſedandos, & ad conſcientiam dirigendam ordinatur, quàm quod in multis ſpeculationibus, aut iis ſolis conſiſtat, ſed nec his quidem caret, nam quilibet, prout pollet ſubtilitate ingenii iniquam cupiditatem æqua palliat ratione, & toxicum ſplendido colorat auro, & ſepulchrum fœtidum oculari dealbat apparentia. Et quidem in ipſo titulo hujus materiæ offendunt plures, dum alii de Juſtitia & Jure, & alii de Jure & Juſtitia inſcribunt, ego quia video eſſe quæſtionem de nomine, utrumque poſui, quia poſt litem etiam ipſi adverſarii conveniunt, bene poni titulum de Juſtitia & Jure, ſi Jus ſumatur pro arte, & bene pariter poni de Jure & Juſtitia, ſi Jus ſumatur pro æquo & juſto, nam ſic comparatur Jus ad Juſtitiam ſicut objectum ad potentiam, potentiæ verò ſuppponitur objectum, ſit igitur ad majorem ejus gloriam, qui etiam Juſtitias judicabit

Serm. 14. ad fratres in eremo Tom. 10.

1. Juſtitiæ elegans deſcriptio,

2 Tractatus de Juſtitia eſt neceſſarius.

DISPUTATIO I.

De

Juſtitia & Jure ſecundùm ſe.

Quæſtio I.

Quid ſit Juſtitia?

1 Juſtitiæ ſecundùm nomen derivatio.

QUantum ad nominis Etymologiam Juſtitia derivatur à nomine *Jus*. Jus autem originatur à *Juſſu*, unde Juſtus dicitur is, qui jus obſervat, à Juris præceptis, regulisque ejus non deflectit, vel diſcedit, unde D. Auguſtinus ex Cicerone dicit, quòd Juſtitiæ *initium eſt à natura profectum: deinde quædam in conſuetudinem ex utilitatis ratione venerunt: poſtea res & à natura profectas & conſuetudine probatas, legum metus & religio ſanxerunt. Natura Jus eſt, quod non opinio genuit, ſed quædam innata vis inſeruit, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obſervantiam, veritatem.* Quaſi diceret: Jus aliud non eſt, quàm quod vel Natura, vel Civitas, vel populus, vel Gens, vel conſuetudo jubet.

2 Juſtitia multipliciter accipitur.

NOTANDUM 2. Quòd hoc nomen Juſtitia multipliciter accipiatur, nam à profanis ſcriptoribus frequenter accipitur pro ſufficienti magnitudine alicujus rei, unde dicimus hominem habere juſtam ſtaturam, quando nec debito minor eſt, nec modum excedit: Similiter juſtum opus eſt, quod non eſt exiguum. Juſtum exercitum vocamus, quando ſatis magnus eſt & non contemnendus. Secundò accipitur pro vero, unde apud JurisConſultos, qui filium adoptat, interrogatur, *an velit eum, quem adoptat, juſtum ſibi filium eſſe?* reſpondet quòd ſic, id eſt quòd velit ſibi verum eſſe filium. Item juſtus Dominus pro vero, cui contrarius eſt alienus. Tertiò accipitur pro quocunque actu virtuoſo, prout Matth. 3. dicitur: *Sic decet nos omnem adimplere juſtitiam.* Unde S. Bernardus Serm. 48. in Cantica dicit: *Quis juſtus niſi humilis? Denique cùm ſe manibus Baptiſtæ ſervi Dominus inclinaret, & ille expaveſceret majeſtatem, ſine, inquit, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam. Conſummationem profectò juſtitiæ in humilitatis perfectione conſtituens.* Et ratio eſt, quia per omnem virtutis actum reddit anima DEO, quod ei debet. Quartò accipitur pro charitate, unde D. Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 38. ait: *Charitas DEI qua una juſtus eſt, quicunque juſtus eſt.* Et cap. ultimo: *Charitas inchoata, inchoata Juſtitia eſt: charitas profecta, profecta juſtitia eſt: charitas magna, magna juſtitia eſt: charitas perfecta, perfecta juſtitia eſt: ſed charitas de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta, quæ tunc maxima eſt in hac vita, quando pro illa ipſa contemnitur vita,* imò pro ipſa fide, nam Sap. 15. dicitur: *Noſſe enim te, conſummata juſtitia eſt: & ſcirè juſtitiam, & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis.* Quintò accipitur pro collectione omnium virtutum, ut Matth. 1. *Joſeph vir eſſet juſtus*, & Lucæ 1, de S. Zacharia & Eliſabeth dicitur: *Erant autem juſti ambo ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela.* Sextò denique accipitur, prout huc pertinet, pro habitu determinante voluntatem ad firmiter volendum ſervare rectitudinem debitam in operationibus, quæ ſunt ad alterum ſive tò *alterum* ſumatur pro ſingulari perſonæ, ſive pro communitate: in hac acceptione

3 Differentia inter juſtitiam & judicium.

NOTANDUM 3. Ex D. Hieronymo, Differentiam eſſe inter Juſtitiam, Judicium, & Æquitatem. Juſtitia eſt habitus, vel actus rectus tribuens unicuique ſuum: Judicium eſt Diſcretio inter bonum & malum, verum & falſum: Æquitas eſt ipſa mentis rectitudo; nam Juſtitia eſt in his, quibus ſecundùm regulam veritatis operamur, & damus quod ſuum eſt; Judicium in illis, quibus cum recta diſceptatione cum proximis agimus: Æquitas in eo, cum ſincera intentione DEO ſoli in his, quæ rectè gerimus, vel judicamus, placere contendimus. His prænotatis

4 Juſtitia deſcribitur.

DICO 1. *Juſtitia eſt virtus moralis, acquiſita diſponens appetitum rationalem ad alterum, unicuique ſuum tribuendo.* Hæc eſt Doctoris ſubtilis in 3. d. 34. q. un. §. Notandum. Et patet quoad ſingulas partes, nam quòd ſit virtus, docet ipſa ſcriptura Sapientiæ 8. *Etſi juſtitiam quis diligit: labores hujus magnas habent virtutes: ſobrietatem enim, & prudentiam docet, & juſtitiam, & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus.* Quòd autem ſit *moralis*, inde liquet, quia eſt ad dirigendos mores ordinata. *Cardinalis* verò propter ſuam eminentiam, ex eo quod plurimas partes potentiales contineat, quæ alterum diverſis reſpiciunt modis. *Acquiſita* verò dicitur, quia præter Theologicas nullam admit-

Digitized by Google

admittimus inusum; Quódque disponat appetitum, communis est doctrina Scholasticorum cum D. Thoma, ut mox infra dicam. Denique quòd *suum cuique tribuat*, clarè docent Patres Augustinus lib. 83. qq. q. 31. dicens: *Justitia est habitus animi, communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem*, quam desumpsit ex Ciceróne mox citando lib. 1. de lib. arbitr. cap. 13. *Jam justitiam quid dicamus esse, nisi virtutem, quâ sua cuique tribuuntur.* Idem docet D. Bernardus Serm. 19. de diversis dicens: *Justitia virtus est, qua redditur unicuique suum.* Item docent Philosophi, Cicero lib. 1. de legibus: *Justitia est, quæ suum cuique distribuit.* Concordat quoque definitio data ab Ulpiano, & communiter ab omnibus recepta, videlicet, quòd sit *constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*, quæ ut sit bona, sic explicari debet, ut suprà dictum est.

ARGUITUR in contra 1. Nolle lædere alterum est actus Justitiæ, ut de se patet, sed hic actus nulli quidquam tribuit, ergo malè definitur Justitia, quòd sit virtus jus suum alteri tribuendi. Respond. neg. min. quia illo actu tribuitur jus suum alteri negativè, quatenus non tollit jus illius, sed relinquit. Justitia ergo integra adhuc est, quando aliis fua relinquuntur, quando autem reſarciri debet & reſtitui, jus alterius læsum fuisse, vel transtulisse aliqua ratione supponitur.

ARGUITUR 2. Temperare nimiam cupiditatem pecuniarum, quæ me impellit ad iniquos faciendum contractus, v. g. usuras, est actus justitiæ, sed hic actus non versatur circa alterum, sed potius circa actiones proprias ipsius operantis, ergo malè additur ly ad alterum. Respond. ly ad alterum bene additum esse ab Aristotele Justitiæ humanæ, nam ut inferius dicam, Justitia generalissimè accepta, ut etiam DEO convenit, est *Rectitudo voluntatis secundùm se spectata.* Respond. 2. neg. maj. Quia ille actus, qui refrænat passionem & cupiditatem habendi pecunias est potius temperantiæ, quàm justitiæ, quamvis non negem etiam esse Justitiæ, si fiat ex motivo, nè alterum lædat, & alienum non accipiat.

Justitia est virtus necessaria.

DICO 2. *Justitia est virtus excellentissima, & tam ad bonam humanam conversationem, quàm ad salutem æternam maximè necessaria.* Hæc probatur quoad primam partem ex Aristotele 3. & 5. Ethic. cap. 3. ubi dicit: *Hæc itaque justitia virtus quidem est perfecta, non simpliciter* scilicet ad se, sed ad alium, quia non ordinat bonum proprium, & privatum, sed bonum commune & publicum, unde subdit: *Et ob hoc multoties excellentissima virtutum esse videtur justitia, & neque Hesperus, neque Lucifer ita mirabilis inter astra, ut nobilissima est justitia inter virtutes*, nempe quia ad bonum totius universi, & pacificam hominum cohabitationem facit. Hinc 2. pars ex Scriptura Probatur Proverb. 21. *Qui sequitur justitiam & misericordiam, inveniet vitam, justitiam, & gloriam.* Ecclesiast. 4. *Pro justitia agonizare pro anima tua, & usq. ad mortem certa pro justitia, & DEUS expugnabit pro te inimicos tuos.* Probatur etiam ex S. Augustino lib. 4. Civit. c. 4. dicente: Remota Justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia & ipsa latrocinia quid sunt, nisi parva regna? Manus etenim ipsa hominum est, cum imperio principis regitur, pacto societatis astringitur, placiti lege præda dividitur. Hoc malum si in tantum perditorum hominum accessibus crescit, ut & loca teneat, sedes constituat, civitates occupet, populos subjuget, evidentius regni nomen assumit, quod ei jam in manifesto confert non adempta cupiditas; sed addita impunitas. Eleganter enim & veraciter Alexandro illi magno quidam comprehensus pirata respondit. Nam cùm idem Rex hominem interrogasset, quid ei videretur, ut mare haberet infestum? ille libera contumacia, quid tibi, inquit, ut orbem terrarum? sed quia id ego exiguo navigio facio, latro vocor: quia tu magna classe imperator.

DICO 3. *Justitia est virtus in voluntate subjectivè residens.* Hæc est Doctoris in 3. d. 34. q. un. & in 4. d. 46. q. 1. Probatur authoritate Patrum Augustini & D. Bernardi, primus passim id insinuat, posterior verò expresse id docet serm. 72. de diversis dicens: *Justitia est rectitudo voluntatis, quæ nec amat peccare, nec peccato consentire. Justitia & fortitudo sedem habent voluntatem: quia voluntas justa debet esse & fortis. Est autem justitia ordinata hoc modo, scilicet mala respuens, bonis meliora præponens.* Probatur etiam ratione: In illa potentia debet poni justitia, quæ habet difficultatem reddendi omnibus quæ sua sunt, atqui hoc est in sola voluntate, hæc enim sola debet habere propositum & inclinationem ad volendum cuique dare, quæ sibi debentur, quoniam fundatur in illa regula juris naturalis: *Quod tibi vis fieri, hoc fac & aliis, & quod tibi non vis fieri, &c.* Nec refert, quòd quis etiam velit, ut sibi ab aliis præstetur, quia hoc est solùm ex affectu, subjectivè autem & formaliter quælibet virtus potentiam perficit in qua inhæret, quàmque moderatur. 6 Justitia est in voluntate.

DICO 4. *Justitia non versatur primariò circa passiones moderandas, sed circa actiones ritè ad alterum disponendas, & secundariò circa*

circa paſſiones. Ita Leſſius, Vulpes, &c. Probatur 1. pars: Quia officium Juſtitiæ non eſt moderari concupiſcibilem & irascibilem appetitum, quoad iram ſcilicet & voluptates, ſed ut cuique præſtet, quod illic debet, ergo primariò verſatur circa actionem à ſe præſtandam.

Probatur 2. pars: Quia poteſt quis moderari iram, & amorem pecuniæ vel timorem paupertatis, nè alicui faciat injuriam, & vi hujus intentionis ſequetur moderatio harum paſſionum abſque interventu alicujus alterius virtutis, atqui illa intentio neminem lædendi eſt actus Juſtitiæ, ergo. Tum etiam, quia quælibet virtus poteſt imperare quosvis actus externos ad conſequendum ſuum finem intrinſecum, ſed moderatio paſſionum eſt frequenter neceſſaria, ut eliciatur actus Juſtitiæ, ergo Juſtitia illam poteſt imperare, & conſequenter verſabitur ſecundariò circa paſſiones; nec dicas illam paſſionum moderationem pertinere ad manſvetudinem, vel fortitudinem, & non ad juſtitiam, nam cum ex affectu juſtitia ſupponat hanc moderationem factam, erit actus juſtitiæ & non temperantiæ aut fortitudinis, ergo.

Debitum omne alteri ad Juſtitiam pertinet.

DICO 5. *Juſtitia ut eſt virtus ſpecie diſtincta à Temperantia & Fortitudine habet pro materia quidquid ſub lumine naturalis rationis judicatur alteri debitum, vel convenient, ſive pertineat ad bonum fortunæ, ſive corporis, ſive animæ.* Ita Vulpes & communis Theologorum. Probatur concluſio cum Vulpe ex Ariſtotele lib. 5. Ethic. cap. 2. dicente: *Qui penes leges facit juſtum eſt.* Omnia enim quæ à legibus proficiſcuntur, quodammodo juſta ſunt, ſed leges ſunt in duplici differentia, quædam enim ſunt naturales, & ex terminis notæ, aut ex talibus deductæ, & hæ dicuntur *Lex Naturæ*, quædam verò poſitivæ, authoritate principum conditæ naturalibus concordantes, vel ab eis ſaltem non diſcordantes, ergo quidquid per lumen naturale cognoſcitur alteri debitum, erit materia juſtitiæ. Unde Ariſtoteles ibidem ſubjungit, leges in omnibus providentiam aut communem omnium utilitatem, aut optimorum aut principum, vel ſecundùm virtutem, vel ſecundùm alium quendam talem modum, ergo omnia pertinent ad materiam juſtitiæ, quæ alteri aliqua ratione debentur, ac conſequenter non reſtringetur ad ſoles res corporeas.

Medium rei & rationis reſpiciat Juſtitia.

DICO 6. *Juſtitia licèt interdum reſpiciat medium rei, ut in ſolutione debitorum, potiſſimum tamen regulandum eſt à ratione, ac ſic utrumque reſpicit, ſcilicet medium rei & rationis.* Ita Doctor ſubtilis 4. d. 15. q. 2. quem ſequuntur ſui, & Leſſius, Lugo, Vulpes &c. Probatur 1. Ex generali definitione, quæ in mediocritate conſiſtit, prout ſapiens determinabit: Secundò ex Juſtitia Religionis quam DEO debemus eum colendo, & venerando, in illo non poteſt eſſe medium rei, cum ipſe ſit infinitè amabilis, ergo tantùm rationis. Tertiò in Pietatis Juſtitia tenemur reverentiam & obſequium Parentibus, Profeſſoribus, & Superioribus, quorum aliqui Infimi, alii majores ſunt, & alii Generales ac ſupremi, ſed in his non poteſt ſervari medium rei, quia plus reverentiæ Generali quis debet, quàm Guardiano, vel Vicario, ergo medium rationis attendi debebit, prout ſapiens dictabit. Quartò diſtributiva tam quoad præmia, quàm quoad pœnas magis puniendus eſt, qui Regem, Principem, Cardinalem, Epiſcopum, quàm qui Laicum vel ſimplicem Clericum lædit, percutit, occidit, unde Auguſtinus Enarrat. in Pſalm. 71. dicit: *Hæc eſt Juſtitia non anteponere ſervos Domino, nec æquare.* Quintò etiam in Juſtitia commutativa medium rationis attendi debet, nam in emptione & venditione attenditur valor rei præciſa ſecundùm rectam rationem, quantum res hic & nunc conducat ad uſum humanum; nam frequenter res nobilior in ſe minus æſtimatur, quàm illa quæ eſt homini utilior, quare D. Auguſtinus lib. 11. de Civ. c. 16. ait: *Eſt alius atque alius pro ſuo cujusque uſu æſtimationis modus: quo fit, ut quædam ſenſu carentia, quibusdam ſentientibus præponamus, in tantum, ut ſi poteſtas eſſet, ea prorſus de natura rerum auferre vellemus: ſive quem in ea locum habeant ignorantes: ſive etiam ſi ſciamus, noſtris ea commodis poſponentes. Quis enim non domi ſuæ panem habere quàm mures, nummos quàm pulices malit?*

Quæſtio II.
De Multiplici diviſione Juſtitiæ.

HIc non inquiram diviſiones in partes potentiales, quas Diſp. 4. q. un. breviter recenſui, fuſius acturus de illis infrà, ſed de ſpeciebus & partibus ſubjectivis. De quibus

Juſtitia alia legalis, alia particularis.

DICO 1. *Juſtitia prout eſt virtus moralis ad alterum, bene primò dividitur in univerſalem & particularem.* Ita Doctor in 4. d. 46. q. 1. §. *Hic primo*, ubi dicit: Juſtitia vel eſt quaſi univerſalis ad alterum, puta ad Legislatorem & ad legem in quantum eſt regula

Digitized by Google

quædam determinata à Legislatore, & hæc dicitur à quibusdam justitia legalis. Vel est particularis, puta in aliquo particulari determinato pertinente ad legem, rectitudo ad alterum. Itaque Justitia universalis communiter dicitur *Legalis* & ab Aristotele vocatur 5. Ethic. cap. 1. *Tota virtus*, seu virtus, qua respicitur alter ut publica fungens authoritate, vel respicit alios.

Probatur autem conclusio, quòd bene dividatur in dicta membra, quia bonum alteri ex Justitia Debitum primò dividitur in legitimum seu publicum totius politiæ & conversationis humanæ, & in naturale privatum unius determinatæ personæ cum alia similiter privata, ita quod privatum subordinatur bono publico tanquam pars ad totum, ergo etiam duplex erit Justitia, quæ bona ista singulis distribuit.

Probatur 2. Hæ duæ species necessariæ sunt ad conservandam æqualitatem in omnibo contractibus legitimis & naturalibus specie distinctis in praxi inter homines habitis, ergo justitia ut sic bene in illas dividitur. Probatur antec. Quia in omnibus contractibus debet alteri res sua reddi in Republica vel juxta leges à Principe positas tractando, sive commutando: vel juxta pretium naturale prout à solo lumine naturali à viris prudentibus fuerit judicatum, sed primum præstat Justitia Legalis, posterius Justitia particularis, ergo bene in illas dividitur.

Particularis itaque est quæ respicit alterum ut personam privatam, & respicitur etiam ut privatus, & hæc intercedit in omnibus contractibus emptionis, locationis, restitutionis, mutuati, persolutionis, mercedis, &c. Et ratio hujus divisionis est: Quia sicut unum membrum comparari potest ad alterum membrum v. g. manus ad digitum, & omnia membra & quodlibet eorum ad totum, ita in Republica homo potest comparari ut civis ad concivem, vel ut residet in eo authoritas totius. Pro majori notitia notandum, Justitiam universalem non dici talem, ex eo, quòd sit universalis in prædicando, ut quemadmodum animal prædicatur de singulis animalibus, ita etiam Justitia universalis prædicetur de singulis Justitiis, sed dicitur Universalis per virtutem, & imperium, quia est causa universalis influens singulis in bonum commune, sicut sol est universalis respectu causarum sublunarium. Residet autem hæc Justitia universalis potissimùm in Principe quasi architectonicè; deinde in subditis qua probè afficiuntur ut prompte legibus ac Principi obtemperent; sicut enim architectus disponit omnia ligna & lapides prout ad fabricam est necessarium, sic Princeps debet omnes ad bonum commune instituere & referre.

DICO 2. *Justitia particularis bene subdividitur in eam, quæ est simpliciter ad alterum, & in eam quæ est ad se tanquam ad alterum.* Hæc est Doctoris subtilis. Et Probatur ex materia de Pœnitentia: Quia ipsa est virtus specialis DEO gratissima, non tamen Theologica, sed moralis, & ordinariè ad justitiam reducitur, atqui hæc Pœnitentia non est simpliciter respectu alterius, sed sui quasi alterius, quia sibi ut Judicis scilicet DEI Ministro concessa est punitio sui, ut rei, ergo. Probatur minor ex Doctore: Quia actum istum vindicandi potest aliquis eodem modo secundùm rationem rectam exercere in alterum sicut in seipsum: si etiam exerceat in seipsum, non exercet in se, nisi in quantum sibi committitur à Legislatore in istum reum vindicare. Sed accidit, quod iste cui committitur, ut ministro Judicis, fit iste reus, quia eodem modo exercet secundùm rectam rationem ministri in reum, si esset omninò alius in persona: ergo ista virtus cujus natus est esse iste actus, continetur sub justitia, prout in generali dicitur justitia omnis virtus ordinativa ad alterum, vel quasi ad alterum. Nec obstat, quòd ille in actu isto ordinatur ad seipsum: quia non ad se, nisi ut ad alterum, ut scilicet minister Judicis in reum contra legem, in quem commissa est sibi auctoritas à Judice.

Justitia alia ad se, & alia simpliciter ad alterum.

DICO 3. *Justitia strictè ad alterum solemnissima divisione dividitur in Commutativam & Distributivam.* Ita ex Aristotele 5. Ethic. cap. 3. docent omnes Theologi, & Scotus citatus, ubi ait: si loquamur de Justitia, quæ simpliciter est ad alterum, illa dividitur in commutativam, & distributivam. Et ita distinguitur justitia in nobis, ut patet per Philosophum 5. Ethic. In distributiva requiritur æqualitas proportionis, non quantitatis. In commutativa secundùm aliquos æqualitas quantitatis, non tantùm proportionis. Ista exponuntur ibi. Probatur conclusio hoc discursu: In omni Republica tres tantùm possunt considerari habitudines & relationes ad se invicem, prima est totius ad partes, secunda econtra partium ad totum, tertia partis ad partem; impossibile enim est servare jus in Republica, nisi vel tota Respublica reddat partibus quod suum est, vel partes toti, vel pars toti; si Respublica reddat jus suum partibus tunc

Justitia distributiva & commutativa.

tunc ſervatur Juſtitia diſtributiva, diſtribuendo ſcilicet onera & commoda civibus juxta cujusvis capacitatem & meritum : ſi partes ſervant toti Juſtitiam, tunc eſt Juſtitia legalis ſeu univerſalis, ſi denique pars parti tunc eſt Juſtitia commutativa, ut ſit in contractibus, ergo Juſtitia particularis bene diſtribuitur in commutativam & diſtributivam. Itaque Juſtitia commutativa habet locum in rebus privatis, ſeu quæ verſatur circa contractus & rerum æqualium permutationes, juxta proportionem Numericam & Arithmeticam, cujus iterum tot ſunt ſpecies, quot ſunt genera diverſorum contractuum. Diſtributiva eſt conſtans & perpetua &c. habens locum in rebus publicis & procedens juxta proportionem Geometricam habito perſonarum reſpectu, unde eſt paradoxum commune, *ſi duo faciant idem, non eſt idem.* Utramque hanc juſtitiam Ariſtoteles recenſet lib. 5. Ethic. cap. 3. Juſtum dicens diſtributivum conſiſtit in proportionalitate Geometrica, ſed juſtum commutativum in proportionalitate Arithmetica.

DICES: Præter has duas ſpecies dantur adhuc aliæ, nempe Juſtitia præmiativa & vindicativa, ergo. Reſpond. neg. antec. Quia præmiativa ad diſtributivam, & vindicativa ad commutativam referri poteſt, vel etiam utraque ad juſtitiam commutativam; Quia & Præmiativa eſt commutatio laboris in præmium, & vindicativa eſt commutatio culpæ in pœnam : Aut utraque ad Juſtitiam diſtributivam, quia utraque ſecundùm proportionem meriti vel demeriti decernit pœnam aut præmium.

4 Differentiæ inter utramque Juſtitiam.

Differunt autem Juſtitia Commutativa & Diſtributiva in pluribus: Primò, quòd Juſtitia Commutativa diſponat privatum hominem ad privatum & ſimiliter agat in civicis quibusvis actionibus. Juſtitia diſtributiva diſponit Rempublicam vel eum qui Rempublicam repræſentat ad privatum, nam Reſpublica poteſt reſpici à membris tanquam totum aliquod, & membra omnia viciſſim reſpiciuntur à Republica veluti à ſuo toto quod conſtituunt vel ut talis eſt, vel ut privatus eſt, unde quando Respublica ſe habet & gerit ut partem inter ipſam, & quemlibet privatum poteſt etiam eſſe Juſtitia commutativa. Secundò Juſtitia commutativa dirigit commutationes, altera diſtributiones. Tertiò, Commutativa conſiderat conditionem alterius rei, ut ei æquale reddat, Diſtributiva penſat conditionem perſonæ, an ſit nobilis vel ignobilis, doctus vel indoctus, qualificatus aut non, meritus vel demeritus ut ſecundùm has proportiones formet diſtributiones. Denique ad Commutativam ſpectat conſtituere æqualitatem inter datum & acceptum ſecundùm quod prudens dictaverit. Ad Diſtributivam verò, ut ponat æqualitatem inter conditionem perſonæ, & portionem eidem juxta proportionem conditionis, & rei conferendæ, ita ut quo dignior ſit perſona, quo majora habeat merita majores etiam conferantur honores, gratiæ, dignitates, vel ſtipendia.

Quæſtio III.

Inter quos poſſit & intercedat Juſtitia Virtus.

DOctor ſubtilis ut hanc quæſtionem reſolvat, oſtendatque in DEO eſſe Juſtitiam generaliſſimam ponit ejusdem definitionem in 4. d. 46. q. 1. §. Hic primò, quam deſumpſit ex D. Anſelmo lib. de Verit. cap. 12. *Juſtitia eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſervata.* Unde hæc definitio indubitanter DEO convenit, qui habet rectitudinem voluntatis imò voluntatem inobliquabilem & indefectibilem, quia prima regula eſt, & *ſervata propter ſe*, non prout ſervata dicit ſuſceptionem vel paſſionem, reſpectu alicujus obſervantis ; ſed ſervata propter ſe, id eſt ſpontaneè propter ſe ſemper habita. Verùm quia Juſtitia ordinariè dicitur eſſe ad alterum, nam Ariſtoteles 5. Ethic. cap. 3. addit illam particulam *Ad alterum* ideo difficultas eſt, an in DEO ſit Juſtitia etiam reſpectu ad alterum ſcilicet creaturam angelicam videlicet & humanam ? Deinde an etiam Juſtitia intercedat inter Angelos & homines, inter Dominum & Servum, Patrem & Filium, &c.

2 Juſtitiæ generaliſſima definitio.

Pro quo Notandum, quod in DEO Juſtitia commutativa propriè reſpicit punitionem & præmiationem, ut ſcilicet pro meritis quaſi commutando reddantur præmia, & pro peccatis ſupplicia. Diſtributiva reſpicit quaſi naturas & perfectiones ſuperadditas, ut ſcilicet naturæ diſtribuatur perfectio ſibi proportionata. Sicut noſtra in Republica, perſonis ſecundùm gradus ſuos, proportionaliter diſtribuuntur bona pertinentia ad gradus eorum : ſicut in Hierarchia univerſi naturæ nobiliori ab Hierarchia, id eſt principe DEO, diſtribuuntur perfectiones nobiliores ſeu convenientes tali naturæ, & naturæ inferiori diſtribuuntur perfectiones ſibi convenientes. Prima illarum non poteſt ſimpliciter eſſe in DEO reſpectu creaturæ, quia non poteſt eſſe ſimpliciter

3 Commutativa & Diſtributiva in DEO explicatur.

æqualitas: sed potest esse aliqualiter secundùm proportionem; sicut inter Dominum & Servum, Dominum enim liberalem decet retribuere majus bonum, quàm servus possit mereri, dum tamen sit talis proportio, quòd sicut servus facit, quod suum est, ita Dominus retribuat quod suum est & eodem modo puniendo citra condignum.

1 DEUS quomodo sit justus.

DICO 1. *In DEO est Justitia distributiva, non tamen commutativa, neutra propriè & rigorosè.* Ita Doctor supra citatus. Et Probatur 1. pars Ex Scriptura Daniel. 3. *Quia justus es in omnibus, quæ fecisti nobis, & universa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia judicia tua vera.* Psal. 47. *Secundùm nomen tuum DEUS, sic & laus tua in fines terræ: justitia plena est dextera tua.* Et in pluribus aliis locis 2. Timoth. 4. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddit mihi Dominus in illa die justus Judex: non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt adventum ejus.* Ita quòd hæresin saperet, qui in DEO justitiam negaret.

Probatur 2. Ex Patribus Augustino lib. 22. Civit. cap. 1. *Justitia DEI non solùm qua ipse justus est, dicitur, sed illa etiam, quam in homine, qui ab illo justificatur facit.* Et lib. 12. cap. 27. *Cùm scriptum sit universæ viæ Domini misericordia & veritas: nec in ista ejus gratia, nec crudelis potest esse justitia.* Elegantissimè autem Serm. 16. de verbis Apostoli cap. 1. *In his quæ jam habemus, laudemus DEUM largitorem: in his, quæ nondum habemus, tenemus debitorem, Debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo. Aliter enim dicimus homini, debes mihi, quia dedi tibi: & aliter dicimus, debes mihi, quia promisisti mihi. Quando dicis, debes mihi, quia dedi tibi, à te processit beneficium, sed mutuatum non donatum. Quando autem dicis, Debes mihi, quia promisisti mihi, tu nihil dedisti, & tamen exigis.* Ac tandem concludit: Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus, Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti, & hoc tamen fecisti, quia laborantes adjuvisti. D. Bernardus Serm. de Annuntiat. de hac re quoque videri potest.

Probatur 3. Ratione ex Scoto desumpta: Tum, quia simpliciter potest dare naturis perfectiones debitas, vel convenientes eis secundùm gradus perficientes: Tum, quia Justitia generalissimè accepta est Rectitudo voluntatis propter se servata, sed hæc rectitudo in DEO est secundùm se absolutè considerata, ut patet ex ingressu ad quæstionem, & etiam quoad alterum, ergo in DEO est justitia secundùm utrumque respectum. Probatur. min. Quia primo modo in DEO est rectitudo voluntatis in ordine ad condecentiam voluntatis divinæ: Alio modo rectitudo voluntatis: in ordine ad exigentiam ejus, quod est in creatura, & illa distinctio potest haberi ab Anselm. Prosol. 10. ubi loquens ad DEUM dicit: *Cum punis malos, justum est, quia illorum meritis congruit:* quantum ad secundum membrum, subdit statim: *Cum parcis malis, justum est, non quia illorum meritis sed quia tuæ voluntati, & bonitati concedens est.* Quantum ad primum membrum. Et tanta est illorum membrorum distinctio, quod DEUS contra primam justitiam operari non potest, nec præter eam, sed præter justitiam secundam potest operari, licèt non universaliter: quia non potest damnare justum, vel beatum. Hæc Doctor. Est itaque in DEO justitia secundùm condecentiam voluntatis divinæ, & secundùm exigentiam operum suorum, quæ ipsemet facit, reddens unicuiq; quod justum est, Justum enim est, quòd aqua sit frigida, ignis calidus, ignis quod feratur sursum, deorsum terra, quia natura creata id exigit tanquam sibi conveniens & congruens.

Probatur 2. pars: Quia Justitia commutativa respicit præmiationem bonorum & malorum punitionem, sed hæc in rigore non potest esse in DEO, quia nulla potest esse simpliciter æqualitas, nec redditur aliquid, quod antecedenter datum fuisset, *quid enim habes, quod non accepisti?* 1. Corinth. 4. Potest esse minus rigorosè, videlicet secundùm aliquam proportionem sicut inter Dominum & Servum, Dominum enim liberalem decet retribuere majus bonum, quàm servus possit mereri, dummodo servus faciat quod suum est, tunc idem faciet liberalis Dominus, quod suum erit, & similiter discurre de pœnis, quia ex misericordia punit peccatores citra condignum. Sed in contra

OPPONITUR authoritas Aristotelis 5. Ethic. cap. 11. dicentis, Domini ad Servum nullam esse Justitiam, quia nulla æqualitas, ergo à fortiori nulla DEI ad Creaturam: Tum quia non est æqualitas: Tum, quia DEUS nulli potest esse debitor Respond. distinc. antec. & consequ. Non est æqualitas inter DEUM & creaturam simpliciter secundùm naturam, conced. Non est æqualitas aliqualis, qualis esse potest Domini valde excedentis ad servum excessum, neg. consequ. unde

etiam

Digitized by Google

etiam non potest esse Justitia ad alterum propria & rigorosa, bene tamen ad se tanquam alterum, quia sibi suæque Essentiæ valde conveniens, quòd malis parcat, & justis præmia abundanter largiatur. Et hinc dico ad alteram consequent. probationem, DEUM non posse esse debitorem nisi suæ bonitati ut diligat eam, creaturis autem non est debitor, nisi ex liberalitate sua, ut communicet eis, quod natura sua exigit.

INSTATUR: Non est temperantia in DEO, ergo nec Justitia. Respond. neg. consequ. Disparitas est: Quia temperantia supponit in natura, quam moderatur, posse esse delectationem immoderatam, quod est imperfectionis: In Justitia autem non requiritur talis excessus in passione, nec talis imperfectio, quia ipsa est rectitudo voluntatis propter se spectata, adeoque Justitia in DEO poni potest & debet, non sic temperantia. Vide dicta de Satisfactione CHRISTI in Tom. 3. Sent.

4 Angelos inter & homines potest esse Justitia.

DICO 2. *In Angelis tam inter se quam quoad homines, & vicissim hominum erga Angelos potest intercedere Justitia propria:* Ita Suarez, de Lugo & Probatur I. de Angelis inter se quia in Epistola Canonica Judæ. *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ: sed dixit imperet tibi Dominus.* Si diabolus Michaëli blasphemiam intulisset, eò quòd non voluerit permittere, ut manifestaretur corpus Moysi, utique ei injuriam fecisset; imo si illi duo Angeli boni Princeps regni Persarum, & Princeps Græcorum sibi resistentes, calumniam aliquam sibi invicem intulissent, aut unus alterius populum concreditum durius tractasset invito illo altero, injuriam sibi fecissent, ergo inter Angelos potest esse Justitia. Similiter Jus Angeli læderetur, si unus manifestaret secretum sibi ab altero concreditum, ergo. Probatur 2. de Angelis erga homines & vicissim, quia si Sathan illa mala; quæ Job. cap. 1. enumerantur, intulisset Jobo sine facultate & DEI dispensatione utique injuriam illi fecisset; similiter si ille Angelus bonus absque particulari concessione occidisset asinam Baalam fecisset illi injuriam, ergo inter illos potest intercedere Justitia. Econtra si homo malediceret Angelo suo Custodi, & illi improperaret, aut calumnias impingeret, faceret illi injuriam, nam si homo mortuo homini detrahendo injuriam facit, & ad restitutionem teneretur, cur non etiam Angelo, ergo inter illos potest intercedere Justitia.

5 Patrem inter & filium quoad sit Justitia.

DICO 3. *Inter Patrem & Filium sub relatione Paternitatis & filiationis & juribus his propriis, non intercedit rigorosa Justitia, bene tamen præcisa illa ratione:* Ita de Lugo, Molina, Suarez, Vasquez, quos ibi citat. Probatur 1. pars: Quia ad Justitiam strictè dictam requiritur alteritas, seu quod sit ad alterum, sed inter Patrem & Filium non est propria alteritas, quia Pater cum Filio censetur unum esse, pars patris aut fructus ab ipso abscissus, in quo natura paterna conservatur, unde filius est alter ego Patris, ergò cùm tanta sit inter ipsos unio, non potest intercedere rigor Justitiæ, hinc fit, si Pater non debitè alit Filium non tenetur ad restitutionem, similiter si Filius neglexerit patri egenti succurrere ad nullam restitutionem obligatur, bene tamen ad emendationem, & peccavit contra quartum præceptum & Pietatem. Probatur 2. pars: Præcisa relatione filiationis & illius juribus annexis Pater & Filius possunt habere distincta alia jura, ut si Filius sit emancipatus, non amplius in patris potestate, habeat bona Castrensia vel quasi Castrensia, ergo in his potest intercedere rigorosa justitia, si jura illa lædantur. Hinc si pater filio emancipato notabilem quantitatem furaretur, & econtra, peccarent contra justitiam. Similiter si pater filii famâ læderet, vel eum graviter vulneraret, vel occideret, & viceversa si filius idem faciat, gravem in justitiam committerent, & ad restitutionem tenentur, quia in vita & fama jus habet filius contra omnes homines, & etiam pater, unde filius lædens, vulnerans, vel contumeliis afficiens patrem tenetur hoc in confessione exprimere, quia & contra Pietatem ex quarto præcepto debitam, & contra Justitiam peccavit.

6 Dominum inter & servum est justitia.

DICO 4. *Inter Dominum & servum sub hac servitutis relatione non datur Justitia rigorosa, bene tamen illâ præcisâ, ut quidam duo sunt homines.* Hæc sequitur ex priori, & primam partem tenet Aristoteles 5. Ethic. 11. Quia servus est aliquid Domini, & instrumentum illius atque illius possessio, ergo non potest fundare strictam Justitiam, maximè si perfectus sit servus, nam perfecti servi omnia sunt Domini, omnesque actiones servi talis ad Dominum pertinent, easque potest vendere, permutare, donare &c. Unde si Dominus neglexisset hodie pascere servum, non tenetur pro omisso labore aliquid recompensare. Probatur 2. pars: Quia Dominus servo graviter detrahens, vel scelus aliquod imponens, eumque graviter vulnerans, vel occidens peccat contra Justitiam, similiter famulus peccaret hæc faciens, vel etiam si à Domino auffugeret. Item peccarent utriusque si paciscerentur

de redemptione vel de lucris, in his enim tenentur ſtare pactis. Et idem eſt, ſi Dominus aliquid ſervo relinqueret, non poteſt poſtmodum illud ſibi uſurpare absque injuria, ergo.

7 Maritum inter & uxorem eſt propria Juſtitia.

DICO 5. *Inter maritum & uxorem intercedit propria Juſtitia, quamvis ob unitatem carnis non ſit tam rigida.* Hæc ſequitur ex prioribus. Probatur: In bonis fortunæ maritus & uxor habent diverſa & propria jura, ergo intercedit etiam propria juſtitia vel injuſtitia, ſi illa lædantur. Antec. patet: Quia uxor habet & habere poteſt dominia & terras, quæ ſibi ex hæreditate obvenerunt, quæ maritus illi tollere nequit absque gravi injuria, ergo.

Quæſtio IV.

De Objecto Juſtitiæ.

1 Objectum Juſtitiæ eſt Jus.

UNanimis conſenſus Theologorum eſt, *Jus* eſſe Juſtitiæ objectum, & patet: Tum, quia Juſtitia definitur per ordinem ad Jus, atque eſſentialiter illud includit, unde Juſtitia eſt virtus, & Jus eſt hujus virtutis objectum, ac proinde virtute cognita objectum quoque eſt examinandum, & ſic clariora evadent dicta. Quare

2 Jus multipliciter accipitur.

NOTANDUM 1. *Jus* multipliciter accipi poſſe. Primò Culinariè, & ad Coquinariam artem pertinet pro liquore eorum, quæ coquuntur, unde dicitur Jus inſulſum, Jus bene conditum. Et Cicero 5. Tuſcula: *Quid victum Lacedæmoniorum in Phiditiis nonne videmus? ubi Tyrannus cùm cœnaviſſet Dionyſius negavit ſe jure illo nigro, quod caput cœnæ erat, delectatum.* Sed hoc mitto. Secundò, pro *Lege*, ſic præcepta divina dicuntur Jus Divinum, Conſtitutiones Eccleſiæ dicuntur Jus Pontificium, & Decreta Imperatorum Jus Civile, vel Imperatorium, de quibus infrà, Tertiò, pro *Loco*, ubi Jus dicitur appellatione collata ab eo quod fit, in eo in quo fit, quem locum definiunt Legiſtæ, quod ſit illud ubicunque Prætor ſalvâ Majeſtate Imperii ſui, ſalvóque more majorum jus dicere conſtituit; Et vocantur Curiæ, Parlamenta. Quartò, pro ſcientia Juris, unde Pomponius *l. 2. Poſt Originem ff. de origine Juris*, dicit: *Parum eſt Jus eſſe in Civitate, niſi ſint, qui jura reddere poſſint.* Et idem conſtare non poteſt jus, niſi ſit aliquis Juris peritus, per quem poſſit quotidie in medium produci. Quintò, pro viciſſitudine & amicitia, ut eſt mihi cum illo Jus cognationis & amicitiæ. Sextò, accipitur Jus non pro illa poteſtate, ſed pro *æquali*, quod eſt alteri debitum, Jus enim & Juſtum ſtrictè ſumptum hac tria, importat *Æqualitatem*, *Debitum*, & ad *Alterum*, ſic ordinariè dicimur, Jus alteri reddere, cùm facimus ad quod tenemur. Septimò denique capitur, prout eſt ad propoſitum pro *Authoritate, Poteſtate*, & *Libertate*, quo ſenſu Cicero pro Archia dicit: *Quare ſuo jure noſter ille Ennius ſanctos appellat Poëtas*, id eſt, ſua quadam authoritate, & pro libertate ſibi omnium conſenſu, ut graviſſimo Poëtæ conceſſa. Hinc *ſui juris dicuntur, qui nullius imperio ſunt ſubjecti.* Et econtra hac ratione pater dicitur habere jus in filium, rex in ſubditum, quia illis ſunt ſubjecti; ſic etiam quilibet homo dicitur habere jus in famam ſuam, in res quascunque naturales & temporales.

3 Jus definitur.

Ad propoſitum autem maximè pertinent ex omnibus tres acceptiones, ſecunda videlicet, quando Jus accipitur pro lege: Sexta accepta pro juſto & debito æquali, ſive poſtmodum ſit æqualitas Arithmetica, ut eſt in Juſtitia commutativa; ſive Geometrica, ut eſt in Juſtitia diſtributiva. Et ſeptima quando accipitur pro Poteſtate & Authoritate aliquid faciendi ſeu præſtandi, quod proinde definiri poteſt, quòd ſit *Poteſtas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad functionem vel quaſi functionem, cujus violatio injuriam conſtituit.* Ita Leſſius. Dicitur *Poteſtas* id eſt habitudo ad aliquid unde dicimur aliquid poſſe, vel aliquid nobis competere tanquam debitum æquale per Legem aliquam divinam vel naturalem, aut humanam, nam hæc poteſtas pro formali dicit relationem moralem & reſpectum, qui fundatur in illo, qui dicitur habere tale jus, & terminatur ad rem, ad quam jus habere perhibetur tanquam ad terminum remotum, & ad actionem quam poteſt exercere in & circa talem rem, tanquam ad terminum proximum, Ratio autem fundandi hanc relationem eſt aliqua perſonalis præeminentia hujus individui præ altero propter particularem connexionem quam habet res cum illo, qui jus habere dicitur. Hinc adjungitur Poteſtati to *Legitima*, ſi enim nullam connexionem cum illo res habet, qui poteſtatem exercet, & illa à nulla lege fuerit conceſſa, non erit poteſtas ſed vis & injuria. Dicitur *ad rem aliquam* ut ad obtinendam hæreditatem per teſtamentum, vel aliam quamcunque per donationem, contractus, & aliàs juris vias. Additur *ad functionem*, ut denotetur liber uſus membrorum, rerum, &c. limitatur etiam per ly *quaſi functionem*, quando acquiritur poſſeſſio, retinetur dominium, ſtatus & conditio in quo eſt. Denique *cujus violatio eſt injuria.* Injuria enim nihil aliud eſt quàm alieni Juris violatio, dicitur autem violari non quando aliquis privatur ſuo jure, ſed quando jure manente contra illud agitur. His prænotatis

DI-

4 Jus usum est regula Justitiæ.

DICO 1. *Jus sumptum pro Lege ut in secunda acceptione non est objectum Justitiæ virtutis, sed potius Regula.* Ita Lessius & Probatur: Quia Justitia & quælibet virtutes debent in functionibus dirigi juxta præcepta legum, si enim non fuerint actiones earum conformes legi æternæ, & humanæ, non erunt virtuosæ, & honestæ & laudabiles, ergo.

5 Jus ut æqualitatem significat, est objectum.

DICO 2. *Jus ut significat æqualitatem debitam alteri est objectum formale particularis Justitiæ.* Ita idem Lessius. Probatur: Quia justus est, qui hanc æqualitatem & debitum amat, præstat, & intendit, & injustus, qui non servat, ut patet in contractibus, ergo hæc æqualitas quatenus debita, est Objectum formale. Probatur consequ. Quia Objectum formale cujuscunque virtutis est: illud bonum honestum, quod per virtutem aliquam intenditur, atqui justitia intendit illam æqualitatem, sive sit Arithmetica, id est, secundùm numerum & quantitatem, sive Geometrica secundùm proportionem meritorum, qualitatem & conditionem uniuscujusque in conferendis dignitatibus, honoribus &c. vel in imponendis oneribus & gravaminibus, ergo: Ita æqualitas inter rem & rem est objectum formale Justitiæ commutativæ. Geometrica verò seu proportionis est Objectum formale Justitiæ distributivæ, ut si quis haberet merita ut quatuor, & acciperet 20. aureos in distributione præmiorum, & alter haberet octo, hic ex Justitia distributiva deberet acquirere quadraginta servata debita meritorum proportione.

6 Potestas est Objectum cui Justitiæ.

DICO 3. *Jus sumptum pro potestate non est Objectum formale quod Justitia intendit, est tamen aliquid ad quod Justitiæ objectum dicit intrinsecum ordinem, adeóque ut possit dici Objectum formale cui.* Ita idem Lessius lib. 2. de Virtut. cap. 2. dubit. 1. Probatur: Quia licèt Justitia non intendit jus alterius, intendit tamen id quod juri alterius est debitum, ergo intendit aliquid quod dicit intrinsecum ordinem ad jus alterius. Probatur consequ. Quia Justitia quòd intendit est æqualitas debita alteri, sed nihil potest esse debitum alteri sine Jure alterius, nullus enim potest esse actus Justitiæ sine Jure in altero cui fit Justitia, ergo Objectum Justitiæ dicit intrinsecum ordinem ad Jus alterius, & consequenter potest dici objectum cui Justitia æqualitatem intendit.

7 Juris realis multiplices divisiones.

Jus Reale (de Legali agam in sequenti quæstione) prima sui divisione dividi potest juxta principia, unde Jus illud nascitur; hinc aliquando aliquid competit homini Jure naturali, & tali ratione, competit cuilibet usus membrorum suorum, jus ad vitam per cibum & potum sustentandam, ad matrimonium ineundum, ad vim repellendam vi, & alia, sic Christianus habet Jus ad Sacramenta percipienda ex Lege divina. Item habet Jus ad percipiendam successionem, præscriptionem, ad possidendum, retinendum, alienandum, ex lege positiva humana, tot enim sunt jura quot genera legum, quæ jus tribuunt.

Secundò dividitur ex parte subjecti in *Jus Reale* & *Personale*. *Reale* est Potestas immediata in rem secundùm se, ut scilicet illam vindicare possit ubicunque erit, vel quando erit: *Personale* est Potestas immediatè ad solam personam, ut rem vel actionem exhibeat.

Secundò dividitur in *Jus in re*, & *ad rem*. *Jus in re* est potestas circa rem existentem actu secundùm se debitam, quod superaddit Juri reali, quòd sit circa rem existentem, quare Dominus arboris habet Jus reale ad fructus nascituros, non tamen in re, nisi quando existunt. *Jus ad rem* est potestas circa rem vel nondum natam, seu existentem, vel non secundùm se obligatam immediatè, sed tantùm mediante altera persona, & hoc jus quoad ultimum idem est cum Jure personali, unde à multis etiam pro eodem accipitur: Diversitas autem inter utrumque est, quòd qui habet Jus in re, vindicatione rei seu actione reali agere potest contra quemvis, qui eam rem habet, qui verò tantùm habet Jus personale, seu ad rem, tantùm potest agere contradictione seu actione personali v. g. adversùs venditorem, ut rem exhibeat, vel satisfaciat. vide *L. Officium 9. ff. de rei vendicatione.*

Jus in re dividitur in *Perfectum* & *Imperfectum*. *Perfectum* quod dominium dicitur, duplex est, *Jurisdictionis* & *Proprietatis*. *Jurisdictionis* est potestas moralis gubernandi & regendi personas non liberas, & non exemptas, & aliud est Ecclesiasticum, aliud Politicum & Civile. Dominium *Proprietatis* bene describitur, quòd sit *Jus seu Potestas de re liberè & perfectè disponendi, nisi id Jure vel conventione prohibeatur.* Ita Digest. de acquir. Rer. dom. lib. 41. tit. 1.

Quæstio V.
De
Regula Justitiæ, quod est Jus Legale.

IN superiori Quæstione dixi primò Jus accipi pro lege, adeóque multipliciter partiri posse, in naturalem scilicet, divinam & humanam: Dixi pariter taliter sumptum non esse objectum Justitiæ, sed Regulam ejus, eo quòd omnes actiones humanæ, si non fiant conformiter ad legem æternam, divinam, naturalem & humanam

1. Jus sumptum pro Lege est regula Justitiæ.

humanam, non sint virtuosæ, honestæ & laudabiles, cùm igitur Justitia ab hoc Jure legali dependeat, ad pleniorem notitiam oportet in hac quæstione aliquid breviter subjungere per modum anacephalæosis quoniam post tractatus de Justitia, & ejus partibus, alium subjungam fusum de natura legum, & aliis eò pertinentibus, nunc solùm referam aliquot quæstiones de multiplici divisione, nam cùm per hunc tractatum nihil sit quod frequentius citetur, necesse est & scire jura, & modum eadem citandi, in his enim Legisperiti magnam ponunt energiam. Itaque

2 Jus dividitur in naturale & positivum.

DICO 1. *Jus prout Legem & Regulam dirigentem actiones liberas hominis significat, primo dividitur in Naturale & Positivum.* Ita omnes Theologi & Juristæ contra Pythagoram, & Atheos. Et Probatur 1. ex Scriptura ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt Lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Quem textum Sancti Patres communiter interpretantur de Gentibus in Gentilismo viventibus, qui piè & sanctè in lege Naturæ DEO servierunt, quales fuerunt Job, Jetro, Melchisedech, Naaman, Syrus & alii, unde etiam notanter textus Græcus loco τὸ *Cogitationibus* habet λογισμῶν, id est, ratiocinationib9, & disceptationib9 accusantibus hominem malè, & defendentibus bene agentem. Probatur 2. Ex *L. 1. §. 3. 4. ff. de Just. & Jur.* in qua allegatur ratio, cùm enim homo multas habeat actiones liberas & indeterminatas, necessarium est, ut habeat aliquam regulam dirigentem suas actiones, ut sint rectæ & rationi conformes, & consentaneæ, ergo. Probatur 3. Ratione. Quia videmus, quòd homines bene & honestè educati habeant quendam horrorem circa quospiam actus tanquam intrinsecè malos, & econtra magnum affectum sæpiùs & inclinationem ad alios actus honestos tanquam bonos. Item videmus plures etiam flagitiosos sentire in malè factis suis interiorem remorsum, conscientia stimulante, & universaliter ex natura habent omnes, quòd licèt flagitiosi sint & scelerati, quòd tamen actus virtutum laudent, hinc lascivi continentiam, iracundi mansuetudinem extollunt & deprædicant, quæ omnia signa sunt, quòd omnibus hominibus quædam lex de his sit indita, & ex eo, quòd talis lex sit in hominibus, sequitur optimè Jus primo dividi in Naturale & Positivum.

3 Juris Naturalis definitio.

Jus Naturale definit Imperator Justinianus ex Ulpiano *L. 1. §. 3. de Justit. & Jur.* quòd sit illud, *quod natura omnia animalia docuit.* Verùm existimo cum S. Thoma hanc esse subdivisionem Juris naturalis, in quantum versatur circa sensitiva, non verò in quantum versatur circa ea, quæ sunt purè naturæ, ut suum tueri & curam habere, & circa ea quæ sunt naturæ ut rationalis, unde videtur mihi convenientius posse definiri, quòd sit *Lumen naturale dictans ea, quæ fieri vel omitti debent, prout natura rationalis exigit.* Vel si non placet ista, dic cum Covarruvia in *cap. Peccatum p 2. relect. §. 11. n. 4.* quòd sit *Instinctus naturæ ab hominibus constituto jure receptus formaliter in ratione juris solis hominibus conveniens, licèt materialiter quoad actus externos etiam brutis sit communis.*

4 Juris Naturalis divisio.

Jus Naturale aliqui dividunt in *Naturale absolutum*, & *Jus Gentium*: Primum suprà definitum est, secundum esse dicunt, quod omni humano generi commune est, seu, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit *§. 1. de Jure Natur. & Gent.* unde duo ad Jus Gentium requiruntur: Primò ut dictet naturalis ratio non depravata; Secundò quòd sit apud omnes homines. Verùm existimo hanc divisionem non esse admittendam, vel ad minus non differre realiter, sed ad summum ratione, maximè si Jus propriè sumatur; Et Probatur 1. Quia in textibus Juris hæc duo Jura promiscuè sumuntur, ut patet ex *§. pent. De Jure Natur. & Gent. §. singulorum II. de rerum divisione §. 1. de oblig. quæ ex delict. nasc. L. 3. ff. de Just. & Jur. L. 4. ff. ad L. Aquile. L. Indebitam 47. ff. de Condit. Indeb. Et L. Omnes populi. ff. de Legib. §. 2. de Jur. Nat. &c.* ubi dicitur Populum Romanum partim proprio, partim omnium hominum Jure uti. Probatur 2. Quod Jus Naturale vocetur Jus, hoc totum provenit à recta ratione, sed Jus Gentium provenit ex eadem, ergò Jus Naturale & Gentium non differunt, saltem propriè & realiter.

5 Enumeratio eorum quæ sunt naturalis juris.

QUÆRES. Quæ sint Juris Naturalis & Gentium? Respond. Primò esse Matrimonium si consideretur, ut est conjunctio maris & fœminæ absolutè, & quoad finem nempe ad sui conservationem animorúmque consensum. Si verò consideretur quoad formam à Lege præscriptam est Juris positivi humani, quoad statum in Paradiso est Juris Divini, & quoad gratiam quam confert est Sacramentum. Secundò est liberorum procreatio & educatio, ut habetur *L. un. §. Taceat. C. de rei uxor. act.* ubi dicitur, quòd naturalis stimulus hortetur nos ad liberorum educationem, & licèt sint naturales tantùm *L. si quis §. 1. juncta auth. licet C. de natur. liber.* durat autem hæc obligatio naturalis educandi, quamdiu se ipsos alere non possunt. *d. l. si quis §. sed si filius 7.* ubi glossa addit, & ingrati non sint. Sicut autem liberi educandi sunt à Parentibus, ita parentes à liberis, si parentes pauperes sint.

L. 1.

Digitized by Google

L. 1. C. de alend. liber. Si autem quis haberet pauperes parentes & filios, magis teneretur filiis ſubvenire, quàm parentibus, quia per filium conſervatur memoria patris. *L. liberorum 220. in fin. ff. de v. ſ.* & charitas incipit à ſe ipſo. *L. præſes. & C. de ſervit. & Aq.* unde & dicimus amor non aſcendit, ſed deſcendit. Tertio eſt defenſio ſui, vim enim vi repellere, & naturalis ratio, *L. 4.* Et omnes Leges, ac Jura permittunt. *L. 45. §. 4. ff. ad Leg. Aquil.* Quartò Religio erga DEUM *L. veluti 2. ff. de inſt. & Jure*, quia ut Cic. ait. lib. 2. de Nat. Deor. *Omnibus innatum eſt & in animo quaſi inſculptum eſſe Deos.* Quintò Pietas erga parentes & patriam. *L. veluti*, ſuprà, cùm quis non tantùm parenti ſed & patriæ naſcatur. *L. 1. §. & generaliter. ff. de vent. in poſſ. mitt.* Et perſona patris ſancta filio videri debeat. *L. liberto 9. ff. de obſ. parent. & pat. præſt.* licèt pater perſona vilis ſit. *L. finali C. qui & adv. quos in integ. reſt. non poſſ.* ſicut & patriarum proditores in læſæ Majeſtatis crimen incidunt *L. penult. ff. quisquis 5. C. ad L. Jul.* Et patriæ potius quàm parenti parendum eſt. *L. Poſtlimium 19. §. filius. ff. de capt. & Poſtl. reverſ.* Sextò bellum juſtum, id eſt legitima authoritate & juſta de cauſa inceptum, ſi enim utrumque non adſit, naſcitur obligatio ad reſtitutionem: Deinde, ſine tamen obligatione ad reſtituendum, ſi adſint, requiritur tamen ut ſit recta intentio, & debitus modus; Item ut fiat denuntiatio: & hinc Jure gentium introducta eſt ſervitus, captivitates, & manumiſſiones &c. Tandem ex Jure naturali & gentium omnes ferè contractus ortum & obligationem habent, ſunt tamen quoque multi, qui non niſi ex jure poſitivo ſuam vim habent. Itaque hoc

6. Jus poſitivum deſcribitur.

Jus poſitivum eſt id, *quod ex libera DEI vel hominis voluntate dependet*, quod aliter Philoſophus definit, nempe *Quod ab initio an hoc vel illo modo fiat nihil refert, cùm verò conſtitutum fuerit, tunc demum refert:* quia ſcilicet ejus obligatio non ex natura rei præceptæ, ſed ex præcepto & voluntate præcipientis oritur & derivatur ad objectum, quo fit ut mutari poſſit, etiamſi maneant omnes circumſtantiæ, cum quibus ante obligabat, per quod diſtinguitur à naturali, ſicut & in eo quod quæ jure naturæ ſunt prohibita, prohibita ſint quia mala, quæ verò poſitivo prohibita, mala ſint, quia prohibita.

7. Jus poſitivum aliud divinum aliud humanum.

Jus poſitivum dividitur in poſitivum *Divinum* & *Humanum*; hoc ex libera hominis, illud ex libera DEI voluntate dependet. *Poſitivum Divinum* ſubdividitur in *Vetus*, & *Novum*; illud quod DEUS in veteri teſtamento condidit ipſe, angelorum vel hominum miniſterio, maximè per Moyſen *Can. Moyſes diſt.* 7. unde & lex Moſaica dicitur, quod habuit triplicia præcepta, prima fuerunt hominem dirigentia ad ſe, & ſunt *moralia*, ad morum honeſtatem pertinentia. Secundò ad DEUM, nempe *Cæremonialia* ad cultum DEO debitè exhibendum. Tertia ad Rempublicam, ſcilicet *judicialia*, quæ ad juſtitiam adminiſtrandam ſpectabant. Jus divinum novum eſt, quod Verbum Caro factum in terris ambulans DEUS conſtituit, & continet alia præcepta, alia conſilia.

8. Jus Humanum aliud Pontificium, aliud Cæſareum.

Jus poſitivum humanum dividitur in *Pontificium*, & *Cæſareum*. *Pontificium* etiam dicitur *Canonicum*, vel à nomine græco Κάνον, quod regulam ſignificat, unde idem eſt ac Jus regulare; Vel à verbo *condendo*, quod ſint Patrum, & antiquorum Conciliorum, & Pontificum conſtitutiones, quibus actiones hominum regulantur, & ordinantur in ordine ad ſalutem æternam conſequendam.

9. Jus Canonicum dividitur in quatuor partes.

Jus Canonicum dividitur in quatuor partes, nempe in *Decretum*, *Decretales*, *Sextum*, & *Clementinas*. *Decretum* dicitur volumen illud, quod ex multis SS. Patribus, eorumque Decretis collegit Gratianus, Monachus Benedictinus circa annum Domini 1150. & Eugenius III. approbavit, ac tandem Gregorius XIII. recognovit, & in lucem dari juſſit. Hic liber Decreti dividitur in tres partes. Prima continet centum & unam diſtinctionem, & citatur per numerum diſtinctionum, & textum initalem capitis, & canonis hoc modo; *Canone, ſi quis poſt baptiſmum. diſt. 51. vel diſtinct. 30. ſi quis propter DEUM.* Secunda pars Decreti habet 36. cauſas, quarum ſingulæ in quæſtiones, quæſtiones in capita partiuntur, ubi tamen notandum has cauſas in modo partitionis non continuari usque in finem, ſed interrumpi in cauſæ XXXIII. quæſtione tertia, quæ continet tractatum de pœnitentia qui in ſeptem diſtinctiones per capita dividitur. Hæc pars Decreti excepto tractatu de pœnitentia citatur per ſolum numerum, ubi ſubintelligi debet *Cauſa*, deinde additur quæſtionis numerus, & tandem initium capitis, vel econtra hoc modo: *Si quis ſuadente diabolo. XVII. 9. 4.* id eſt: *quæſtione 4. cauſa 17. capite ſi quis ſuadente.* Tractatus verò de pœnitentia ſic citatur: *Si quis pulſatus. De pœnitentia diſt. 1.* id eſt, *cap. ſi quis pulſatus, tractatu de pœnitentia. diſt. 1.* Tertia pars Decreti continet tractatum de conſecratione, qui in quinque diſtinctiones diſtribuitur, & citatur appoſito nomine tractatus de conſecratione, diſtinctionis & capitis. v. g. *Canone, ſi quis Baſilicam, de conſecratione. diſt. 1.* id eſt: *Can. ſi quis Baſilicam, tract. de conſecratione, diſt. 1.* Hanc partem Decreti ſequuntur canones Pœnitentiales, & hos, canones Apoſtolorum.

10. Decretales explicantur.

DECRETALES dicuntur conſtitutiones variæ, quæ à diverſis ſummis Pontificibus diverſis temporibus emanarunt, maximè verò ab Innocentio III. & Gregorio IX. qui eas in quinque libros diſtribuit, à quo etiam Decretales Gregorii IX. ap-

pellantur, & citantur hoc modo: *A crapula, de vita & honestate Clericorum lib. 3. t. 1. Item omnis utriusque sexûs, de pœnitentiis, & remissionibus. lib. 5. tit. 38.* hoc est: *Can. A crapula. in lib. 3. Decretalium tit. 1.* qui incipit de vita & honestate Clericorum. In primo libro Decretalium agitur de summa Trinitate & fide catholica, quæ credere & profiteri debeant veri Christiani & Ecclesiastici; item de Personis Clericorum, de modo quo eligantur, transferuntur, vel ab officiis dimoventur. In secundo agitur de actibus & judiciis ecclesiasticis; In tertio de vita & honestate Clericorum, item de Sacramentis & eorum ministris. In quarto tractatur de statu laicorum, & de iis, quæ concernunt matrimonium, antecedenter, concomitanter, & subsequenter. In quinto agitur de criminibus, & eorum pœnis.

11. Sextus quis sit.

SEXTUS, sunt constitutiones & ordinationes Bonifacii octavi, pariter in quinque libros distributi, libri in titulos, & tituli in capita. Dicuntur autem *sextus*, quia sunt libris quinque Gregorii IX. superadditæ, & citantur hoc modo. *Exiit qui seminat, in 6to. de verborum significatione. lib. 5. t. 12.* id est, in libro dicto sexto Decretalium tit. 12. cap. quod incipit: Exiit &c. ubi nota Primò, quòd Sextus licèt habeat tot libros, quot Decretales, tamen non habet tot titulos, nam Decretales habent titulos 185. & Sextus non nisi 76. Secundò notandum quòd frequenter contingat plura capita eodem modo incipere, ad quod dignoscendum additur numerus denotans, aliquod esse caput primum, quod sic incipit, aliud secundum, sic caput quartum, octavum, & vigesimum septimum in titulo de appellationibus incipiunt *Consuluit*, hinc citantur hoc modo: *Consuluit. 1.* de appellationibus, id est capite Consuluit, quod Primò sic incipit.

12. Clementinæ unde ortum habeant.

Clementinæ sunt constitutiones Clementis V. & Concilii Viennensis ipso præside celebrati, quas ipse compilavit & edere voluit, sed morte præventus non valuit, fecit tamen ejus successor Joannes XXII. Hæ constitutiones dividuntur quoque in libros & 52. titulos, citantur hoc modo: *Exivi de paradiso. Clementina. lib. 5. tit. 11. de verborum significatione &c.*

13. Extravagantium origo.

Præter has quatuor partes Juris canonici extant adhuc aliæ. & Prima est constitutionum Joannis XXII. quæ appellantur *Extravagantes* Joannis XXII. & continent titulos 14. & citantur brevitatis causa per literam X punctulatum v. g. X *ad Conditorem Canonum tit. 14. de verborum significatione Joann. XXII.* id est: Extravaganti quæ incipit Ad conditorem Canonum tit. 14. ubi notandum 1. Has constitutiones vocari Extravagantes, eò quod olim extra corpus Juris vagarentur, licèt modo sint insertæ. Notandum 2. Per totum corpus Juris caput ultimum alicujus tituli vel libri semper citari per to, *Cap. Finali.*

Sexta pars Juris canonici est *Extravagantium communium*, quæ sic appellantur, quòd sint constitutiones plurium Pontificum, & non sint attributæ uni soli, citantur sicut X Joannis XXII. excepto quòd loco Joannis XXII. addatur & ponatur *communium* v. g. *Salvator noster*, X *Commun. de Prabendis. lib. 3. tit. 2.* &c. Hæc pars dividitur pariter in quinque libros & 36. titulos, quartus autem liber in hac parte vacat.

Tandem prodiit etiam septima pars Decretalium, quæ sicut aliæ dividitur in libros, libri in titulos, tituli in capita. Et hæc est tota ordinatio Juris Pontificii seu Canonici.

14. Jus Civile quale.

Jus imperatorium, quod vulgo *Civile* appellatur, olim continebatur in 2000. libris, in quibus erant 300000. Periodi, seu Paragraphi, sed quia tanta legum amplitudo confusionem peperit, Imperator Justinianus in 4. tomos aliorum & suas constitutiones redegit circa annum Christi 533. imperii sui septimum, nempe *Institutiones*, *Pandectas*, seu *Digesta*, *Codicem*, & *Novellas*, quæ constituunt totum corpus Juris Civilis.

15. Institutiones unde ortæ.

Institutiones, authoritate dicti Imperatoris compositæ sunt per Tribonianum, Dorotheum, & Theophilum, quorum primus fuit Magister & Exquestor, seu Quæstor sacri Palatii, id est, qui leges dictabat, precesque, & responsa notabat, Posteriores verò viri illustres erant & in magna dignitate, ut in proemio institutionum habetur. Sunt autem institutiones. Prima Elementa & Principia scientiæ Juridicæ, divisæ sunt autem in quatuor libros ut ars imitetur naturam, ubi Notandum Primò: licet institutiones sint elementa Juris, & primo loco ponantur, eas tamen non fuisse primò compositas, sed esse posteriores Digestis, quod probant Juristæ ex eo, quòd Institutiones remittant ad Digesta, aliàs remitterent ad non ens, si ante non fuissent, attamen Institutiones prius fuerunt editæ nimirum 11. Calend. Decemb. Anni Christi 533. Digesta verò 17. Calend. Januarii eodem anno, simul tamen omnes suum vigorem & robur sortitæ sunt, nempe 3. die Calend. Januarii eodem anno, ut dicitur *L. 3. C. de veter. Jur. enucl. §. Penult.* Notandum hinc secundò Novellas derogare Codici, Codicem Digestis, & Institutionibus, cùm posterior voluntas, quæ in Novellis continetur deroget priori *L. fin. ff. de Constit. Princip.* Notandum 3. Institutiones citari per *J. vel Inst.* nominando titulum, qui nihil aliud est, nisi Index rei subjectæ, & deinde Paragraphum, qui est nota quædam margini adscripta, per quam sententia subsequens distinguitur à præcedenti, & exprimitur per §. quamvis olim

olim aliqui exprimerent per *ſc.* ut indicaretur eſſe ſub capite.

16. Digeſta quid ſint.

DIGESTA ſunt quinquaginta libri, in quibus principaliter continentur reſponſa Juris Conſultorum, ſeu in quibus omne Jus antiquum collectum eſt. Et dicuntur *Digeſta* quòd ex multitudine confuſa Veteris Juris Prudentiæ præcipua capita in hoc opus ſint digeſta. Aliter nominantur *Pandectæ*, quòd omnem antiquam Juris prudentiam contineant. Digeſta vel Pandectæ citantur per *D.* vel græcum π, nunc ordinariè per ff. quia literæ iſtæ geminatæ denotant Pandectas factas, ſeu perfectas eſſe. Alii putant eas debere citari per geminatum *PP.* ſed apud Theologos hoc non valet, cùm ipſi Patres ſic citent. Alii per *dd.* vel *ll.* volentes librum legum vel leges ſignificare, & hi exiſtimabant literas *ll.* per imperitos Amanuenſes fuiſſe in *ff.* depravatas. Alii autem putant ideo citari per *ff.* quia hi libri ſecundario per duos Imperatores Fridericos fuerunt digeſti, à cujuslibet nomine ſumptâ primâ literâ. Ubi notandum, quòd ſi titulus quispiam citetur non addito an in Digeſtis, Codice, vel Inſtit. contineatur, v. g. L. 1. de Judic. tunc intelligi Digeſta.

17. Codex quid ſit.

CODEX eſt Volumen continens principaliter Conſtitutiones Imperatorum, & eſt diviſum in duodecim libros, ſolentque citari per *C.* vel *Cod.* Et hic Codex ab ipſo Juſtiniano renovatus fuit, cùm enim videret in prima ſui editione multas conſtitutiones ſupervacuas & alias utiles extravagari, magis abſolutum reddidit, qui nunc ſolus in foro regnat, & vocatur, *Repetita Prælectionis.* Et ne ſæpius Codex retractaretur, novis, prout uſus poſtulabat, Conſtitutionibus, conſtituit, ut quæ deinceps ederentur conſtitutiones, in ſingulare volumen redigerentur, quæ dicuntur

18. Novellæ explicantur.

NOVELLÆ, quæ ſunt quarta pars Juris Imperatorii, continens recentiores & poſteriores Conſtitutiones Juſtiniani, quibus accedunt Novellæ Leonis VII. & citantur per *N.* vel *Novell.* Adjunguntur quoque novem collationes Novellarum, ſeu Authenticarum, quæ ideo dicuntur Authenticæ, quia cùm liber iſte græco ſermone, aſiaticâ luxuriâ, ſcriptus eſſet, fuit in latinum translatus à Juliano Patritio compendioſius, & ſtylo, prout tunc tempora poſtulabant, non ineleganti, qui liber adhuc extare, & Novellæ titulo circumferri dicitur, quem tamen Doctores ut ſpurium rejecerunt, maluitque Acurſius Barbaram, & Bulgari tempore factam translationem interpretari, quòd uberior ei videretur, ideoque authenticam appellavit, quoniam ex ipſo græco originali translata eſſet. Vel dicuntur Authenticæ, quòd Juſtinianus eas tales dixerit, quòd Jus earum ratum cuperet. Sunt in Jure Civili plures aliæ acceſſiones & Extravagantes ſicut in Jure Canonico, ſed earum diſcuſſionem Juriſtis relinquo, ego ad veram & ſolidam progredior materiam, pro qua ſit

DISPUTATIO II.

De

Juſtitia in Rerum Temporalium Dominiis & Poſſeſſionibus.

JUſtitia Commutativa principaliſſima Species hujus Virtutis particulariter verſatur ad diſtribuendum cuilibet quod ſuum eſt in rebus hiſce corporalibus, nam eſt actus vel habitus volendi dare ſuum jus quod cuilibet debetur, propter *MEUM* & *TUUM* frigidum hoc verbum, id eſt propter dominium quod quisque habet, nam omne jus oritur ex dominio rerum; unde Jus ut eſt objectum Juſtitiæ non poterit perfectè cognoſci, niſi etiam cognoſcatur Dominium, quod eſt ejus ſpecies, in quibus reperiatur ſubjectis, & quomodo transferantur Dominia; & quidem in hac ſecunda Diſputatione potiſſimum agam de ſubjecto Dominiorum. Sit igitur

Quæſtio I.

Quid ſit Dominium & Poſſeſſio? Quid Uſus, Uſusfructus? Quid Habitatio & Servitus.

1. Suum quid ſit explicatur.

PRæliminaria præmitto, ut ſequentia evadant clariora, unde plura iſta congero ad ſingulorum explicandos terminos; Dominium itaque Perfectiſſima Juris Species, nihil eſt aliud, quàm jus gubernandi vel diſponendi de re tanquam ſuâ, ſuum autem dicitur quod alicui eſt proprium, ſibique conjunctum & annexum, unde Cicero pro Roſcio dicit: *ſua quemque fraus, & ſuus error maximè vexat, ſuum quemque ſcelus agitat*; & Plautus, *Quibus ſui nihil eſt niſi una lingua*, quæ eſt analogica fœminarum proprietas. Imò ſuus etiam idem valet quod ſui Juris. Unde idem Cicero 4. de finibus ait. *Semper ſuus erit in diſputando ſuus*, id eſt ſui capitis, vel ſuorum argumentorum, eò quòd non utetur alienis, unde communiter dicitur nomen

Digitized by Google

Relativum Reciprocum, quia pronomina unde prodeunt eò revertuntur. Hoc prænotato

2. Dominium Proprietatis deſcribitur.

DICO I. *Dominium Proprietatis deſcribitur bene, quòd ſit Jus ſeu poteſtas de re ſua liberè & perfectè diſponendi, niſi id jure vel conventione prohibeatur.* Ita ff. De acquirendo Rer. Domin. Eam amplectuntur tam Jurisperiti, quàm Theologi, quam probo, dum explico; Dicitur *Jus*: quia Dominium eſt perfecti juris ſpecies, ſive Jus accipiatur pro eo quod derivatur à juſto, ſeu à jubeo & juſſo. Dicitur *de Re* ſupple corporali vel ſpirituali, quia non ſolùm temporalium ſed & ſpiritualium rerum quis dominium habere poteſt, ut DEUS Angelorum & Animarum, Angeli & animæ ſuorum actuum ſpiritualium, famæ, &c. quamvis negandum non ſit Dominium ſtrictius definiri per ſolam rem corporalem, ob quod Bartolus in dicta definitione addit: *De re corporali:* Dicitur *libere & perfectè disponendi*, in quo eſt vera ratio dominii cùm in re ſua quilibet ſit Moderator & Arbiter. *L. 21. C. Mandati.* Per quod differt à Poſſeſſione, quæ eſt Jus proviſionale donec deDominio conſtet, vel Dominus, qui abſolutum dominium habet eum de poſſeſſione deturbet. Unde Legiſtæ dicunt Poſſeſſionem non tribuere Jus disponendi, ſed tantùm inſiſtendi. *L. 1. ff. de acquiren. poſſ. ff.* Ad particulam *liberè* additur *Perfectè*, quia de eſſentia Dominii eſt, ut poſſit dominus disponere in omnem prorſus uſum, etiam cum abuſu dummodo id lege vel conventione non prohibeatur, per quòd à Procuratore differt, quia hic liberam quidem ſed non perfectam habet diſpoſitionem, Dominus verò perfectè disponere etiam abuti & relinquere poteſt. text. *in L. Sed etſi Lege ff. §. Conſuluit. ff. de hæreditat. petit.* Dicitur tandem. *Niſi id Jure vel conventione prohibeatur.* Quia Jus & Lex aliquando juſta de cauſa hanc diſpoſitionem impediunt, idque vel ob qualitatem Perſonæ v. g. Pupillis, de quibus ad Gal 4. Paulus ait: *Hæres quanto tempore parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cum ſit Dominus omnium.* Et habetur in Jure Inſtit. *Quibus alienare non licet. §. 2.* Vel ob qualitatem rei. *lib. 1. §. 3. in prin. ff. & C. de fundo dotal.* Vel ob cautionem teſtamentariam, v. g. Si quis in teſtamento caveat ut prædium aliquod penes familiam maneat. *L. 114. §. 14. ff. de Legat. 1.* Deinde per conventionem prohibetur Dominus quandoque de re disponere, ſi contrahentes in id paciſcantur, nam Pacta dant Legem contrahentibus & contractibus. *L. Contractus 23. ff. de Reg. Juris.* Ubi tamen

3. Alienans contra Legem facit actum nullum.

Notandum differentiam hanc eſſe, quòd aliquid Lege, & aliquid conventione prohibeatur, quod contra Legem alienans faciat actum nullum, id eſt nullius valoris & roboris ut tradunt Doctores ad L. *Quoties. 15. C. de rei vindic.* qui verò alienat contra pactum non facit actum nullum, niſi Lex ſpecialiter concurrat, ut *in L. Si Creditor §. final. ff. de diſt. pign.* Et Ratio Disparitatis eſt; quia pacta nonniſi contrahentes ligare, Leges verò ipſas res afficere poſſunt. Sed contra Concluſionem

ARGUITUR. Particula *Niſi* in deſcriptione Dominii poſita facit exceptionem, ergo quando quis prohibetur non habet Dominium. Reſpond. negando Antec. Quia particula *Niſi* non eſt exceptiva Dominii, ſed executionis in actu ſecundo ſuſpenſæ propter legem, ſicut in oculo diſtantia objecti impedit viſionem non tollit potentiam. Hinc particula illa facit exceptionem tantùm, quoad actualem liberam & perfectam diſpoſitionem, non verò quoad ipſum Jus disponendi, mox ut prohibitio ſublata fuerit.

NOTANDUM adhuc in definitione data definitum eſſe dominium, plenum dictum à Legiſtis, ſcilicet illud quod complectitur directum & utile ſimul, quæ ſi ſeparatim ſumantur dicuntur non plenum, & ego cum Aretino voco Jus imperfectum ut mox dicam: Patet ulterius Dominium Jurisdictionis multùm differre à dominio pleno, quia illud eſt tantùm gubernandi jus, non verò perfectè diſponendi; differt quoque Dominium plenum à dominio proprietatis, quod dicitur non plenum ex parte ſubjecti, tale eſt dominium quod eſt cum conſorte hærede in hæreditatem indiviſam. Vide *L. Si ad Certa.*

4. Dominium aliud directum & utile.

JUS IMPERFECTUM, ſeu Dominium non plenum ſubdividitur in *Directum* & *Utile.* Directum eſt quod habet is, penes quem manet ſola rei proprietas ſine uſu & commodo ad tempus, nam ſi nunquam haberet commodum quodpiam ſaltem recognitionis, confirmationis &c. diceretur dominium inutile. Dominium Utile eſt, quod habet is, qui habet uſum, uſumfructum, & omnem utilitatem ex illa re provenientem, quale habet Vaſallus, Emphyteuta, remanente Dominio directo penes eum qui dedit rem in Feudum Emphyteuſim, &c. Et eſt aliud Dominium directum *In re*, & *in Spe*, cujus termini de ſe patent. Item eſt Dominium *ſummum*, *majus*, & *altum*, quale eſt id, vi cujus poteſt Princeps uti bonis Civium in neceſſitate pro bono publico. Et aliud privatum quo quisque Cives utitur rebus & actionibus ſuis. Aſſeruntur à Jurisperitis etiam aliæ diviſiones Dominii, ut *Naturale* & *Legitimum*, ſeu Jus Quiritum, ſed hæc per Juſtinianum ſublata ſunt *L. Un. C. de nud. Jur. Quir. tolle.*

5. Poſſeſſionis derivatio.

POSSESSIO, quæ inter Juris ſpecies enumeratur à pluribus, etymologicè derivatur vel à pedisſpoſitione, vel à poſſe ſedem ponere, ut habet *L. 1. ff. h. tit.* Jure autem variè à diverſis definitur. Alciatus definit quod ſit *Uſus rei alicujus à proprietate & jure ſeparatus*, ſed eſt obſcura, nec ſatis Eſſentiam Poſſeſſionis explicat, quia ipſa

ipsa non est usus, sed potiùs dat jus utendi. Zoesius *tit. de Possess. X. & ff.* definit Possessionem, quòd sit *detentio rei animo affectionéq; possidendi, sive sibi, aut nomine suo habendi*: Quæ est bona quidem, sed claritatis majoris gratiâ Vallensis *X. de Causa Poss. ff. & Propriet.* docet dupliciter Possessionem considerari posse semel pro actu ipso possidendi, quæ dicitur *Possessio facti*; & secundò pro jure possidendi, quæ possessio Juris vocatur, & hinc quoque duplicem tradidit Possessionis definitionem, cum quo

6. Possessio Juris describitur.

DICO 2. *Possessio Juris est Jus reale insistendi & incumbendi alicui rei tanquam sua non prohibita possideri.* Ita Vallensis supra, quem sequuntur plures Juristæ & Canonistæ. Probatur explicando singulas partes: Dicitur *Jus reale* ut excludatur possessio facti, quæ est formaliter ipsa occupatio & detentio actualis; item ut excludatur *detentio*, quia Detentores non habent jus reale insistendi in re, sed tantùm Jus personale; nempe ex contractu competens, ut inquilinus. Dicitur *insistendi vel incumbendi alicui rei* ad distinctionem dominii, quod est formaliter & per se tantum jus disponendi de re, Possessio autem consistit tantùm in eo, quòd Possessor possit rem pacificè tenere, & Juris remediis, quandoque etiam armis adversus turbantes se tueri. Dicitur *tanquam sua*. Quia si insistat nomine alterius non erit vera Possessio, sic inquilinus non possidet sed Locator per eum, modò is habeat animam detinendi nomine locantis, quòd si autem vellet eam detinere tanquam suam dicetur Possessor sed Injustus. Ubi tamen nota quòd hic animus non requiratur in servis & Filiis familias, quia hi per ordinationem Juris Patri & Domino possident. Dicitur tandem *non prohibita possideri*, quia si jus prohibeat res illa non poterit dici possideri, ut si Laicus vellet possidere rem sacram, nulla esset ex *L. Qui universas 30. ff. de acquiren. vel amitt. Possess.*

7. Possessio facti explicatur.

DICO 3. *Possessio facti est detentio rei corporalis, sive mobilis sive immobilis, Corporis & animi, & Juris adminiculo.* Ita Idem Valensis. Probatur. *Detentio* est Genus, omnis enim Possessio est detentio, non tamen è converso, sic potest res sacra detineri non possideri. Dicitur *rei corporalis*, quia res incorporalis non verè, sed quasi possidetur *L. 43. §. 1. ff. de acquir Rerum Domin.* Dicitur *Corporis* supple adminiculo, quia is qui vult rem possidere debet eam aliquo modo corporaliter apprehendere apprehensione vera per manus, pedes, oculos: Vel ficta per traditionem Clavium ad Domum, Merces, per consignationem authenticarum scripturarum, per ostensionem fundi, vel per alias Legum dispositiones juxta usum cujuslibet Provinciæ. Dicitur *Animi*: Quia debet apprehendi animo possidendi, nam animo & corpore acquiritur Possessio, & ob hoc Depositarius, Commodatarius non dicuntur Possessores, sed Detentores. Dicitur quoque *Juris*: Non quòd omnis Possessio facti justa sit, cùm fur verè possideat rem furtivam, licèt injustè, sed quia Jus facit, ut talis detentio sufficiens censeatur ad constituendam Possessionem, sicut facit ne Detentio rei sacræ, vel loci religiosi, aut liberi hominis censeatur esse Possessio, ex *L. Qui Universas* supra.

8. Possessio in multifariam dividitur.

POSSESSIO FACTI multipliciter subdividitur, Alia enim est *Propria*, nempe ea quæ est detentio rei corporalis? Alia *impropria*, seu *quasi possessio*, quæ est rei incorporalis. Secundò. Alia est Possessio *Justa*, alia *Injusta*: *Justa* est, quæ habet justum titulum seu causam possidendi, nempe Emptionis, Hæreditatis &c. *Injusta* est, quando quis talem titulum vel causam non habet, uti Fur &c. Tertiò dividitur Possessio in *Naturalem* & *Civilem*, quæ membra diversissimas habent acceptiones ex materiæ subjectæ diversitate; nam Naturalis quandoque dicitur simplex rei detentio, qualem habet Conductor, aliquando pro possessione corporali seu *Facti*; Propriè autem & ordinariè inter Scholasticos Naturalis dicitur ea, quâ possidetur res quoad Usum, Usumfructum, Habitationem, Pignus vel alia jura à Dominio diversa juxta *L. naturaliter. 12. ff. de Rerum poss.* *Civilis* verò dicitur ea quâ possidetur res quoad dominium directum. Hinc *Naturalis Possessio* definitur, quòd sit *detentio rei animo affectionéq; possidendi citra tamen animum Dominii*, qualem habet Creditor in Pignore, quod naturaliter possidere dicitur *L. 40. in fin. de pignorat. act.* Item habens precariò. *L. 4. §. 1. de Precario.* Fructuarius. *L. Possessio de acquirend. vel amitt. poss.* Vi vel clam habens respectu ejus, à quo vi vel clam non habet. *L. 1. in fin. ff. uti possid. Naturalis* verè & *Civilis* (Civilis tantum, probabiliter non datur) definitur, quòd sit *Detentio & Insistentia rei quæ constat jure & animo Dominii.* patet.

9. Commoda possessionis.

QUÆRES 1. Quæ sint commoda Possessionis? Resp. Plura esse, quæ proinde gravissimas ordinariè excitant contentiones. Primum est, quia acculatus ut reus ab altero volente eum exturbare, quod ipsi non incumbat probatio, & Actore non probante absolvatur *L. 2. C. de Probat.* Secundò, Facit fructus percipiendo suos, si bona fide possidet. *L. Bonæ fidei. 28. ff. de Jure Possessionis* & alibi prout copiosè citabo agendo de acquirendo rerum Dominio publica authoritate. Tertiò Facit Possessorem per Usucapionem Dominum si reliqua adsint. Ex *L. Traditionibus. 20. C. de pactis.* Quartò quod in pari causa pro Possessore judicari soleat, est enim potior possidentis conditio *L. 128. De R. ff.* Quintò si rem immobilem possideat quòd

non teneatur ſatisfacere *L. pen. uls. in prin. ff. qui ſatisd. cog.*

10. Poſſeſſio quomodo acquiratur.

QUÆRES 2. Quomodo acquiratur, retineatur, & admittatur Poſſeſſio? R. Acquiri animo & corpore, videlicet animo poſſidendi & corporali apprehenſione. *L. 3. §. 1. §. Neratius* & *L. 8. ff. de acq. & retin. poſſ.* Retinetur autem ſolo animo *L. licet. 4. C. de acq. & retin. poſſ.* Amittitur autem ſicut acquiritur animo & corpore, non verò ſolo corpore, ſic qui rem deſerit ſinè animo, relinquendi poſſeſſionem adhuc habet, licèt corpore non inſiſtat, tametſi eſſet occupata ab alio quàm diu occupatam ignorat *L. ſi id. 25. § fin.* & *L. quamvis 46. ff. de acqui. rer. poſſ.* unde L. 8. ibidem clarè dicitur. Quemadmodum nulla Poſſeſſio acquiri niſi animo & corpore poteſt, ita nulla amittitur niſi in qua utrumque in contrarium actum eſt.

QUÆRES 3. Quomodo probetur Poſſeſſio? R. Primò. Per Inſiſtentiam rei. Secundò Per Culturam. Tertiò Per fructuum perceptionem. Quartò. Per ſolutionem Penſionum, qui & ſimiles Poſſeſſionis actus, ſi per teſtes probati fuerint, probabitur Poſſeſſio.

11. Dominium & titulus non ſunt idem.

QUÆRES 4. An Dominium & titulus ſit idem? Affirmat Gerſon, Negat Aretinus & cum ipſo Reſpond. negativè, Et dico quòd titulus Dominii diſtinguatur à Dominio, ſicut fundamentum à Relatione; Dominium enim eſt quædam habitudo inter Dominum & rem poſſeſſam, fundamentum autem ratione cujus in Domino talis habitudo exiſtit, eſt titulus (ſeu Cauſa) qui eſt quaſi radix & origo Dominii v. g. Electio in Epiſcopatum, Emptio, Donatio, Nativa hæreditas &c, Titulus autem duplex eſt, *verus* & *præſumptus*, ut ſi rem bona fide accepiſſet dono, emiſſet ab eo, cujus ante non erat.

USUS, Dominii ſpecies, communiter definitur, quòd ſit *Jus utendi re aliqua, ſalvâ ipſius ſubſtantiâ*, quam inferiùs debitè explicabo, quæſt. 7. cùm agam an Fratres Minores ſint Dominii panis quem mandunt, ſeu an Uſus diſtinguatur à Dominio.

12. Uſusfructus deſcribitur.

DICO 4. *Uſusfructus bene deſcribitur, quòd ſit Jus utendi & fruendi re aliena, ſalvâ ejus ſubſtantiâ.* Ita habetur *L. 1. ff. De Uſufructu*, & Declaratur. Dicitur primo *Jus*, quia agimus de Uſufructu, ſumpto pro Jure, non pro ipſo actu fruendi re conceſſâ ad fruendum, hoc enim ceſſante, poteſt manere Jus uſu fruendi. Additur *utendi & fruendi*, in quo diſtinguitur Uſusfructus à nudo uſu, nam Uſufructuarius non ſolùm habet jus ad integrè fruendum rebus, in quibus eſt Uſusfructus conſtitutus, ſed etiam ad percipiendos omnes earum fructus, ita ut eo ipſo quòd ipſos percipit, dominium eorum acquirat, in quo multùm excedit ſimplicem Uſuarium. Per fructus autem in pecoribus & aliis animantibus intelliguntur non ſolùm lana, & lac, ſed etiam fœtus omnes & partus. Hinc ponitur ulterius *Re aliena*, quia nullus propriè dicitur habere Uſusfructum rei, cujus ipſe eſt Dominus plenus. Additur denique *ſalvâ rei ſubſtantiâ*; Quia Uſusfructus propriè ſolùm eſt circa res, quæ uſu non conſumuntur, ut ſunt ager, Domus &c. Circa res verò quæ uſu conſumuntur, ut vinum, oleum, panis, non poteſt eſſe Uſusfructus.

13. Fructus induſtriæ ſunt Uſufructuarii.

Hinc ſequitur 1. Ad Uſufructuarium non autem ad Proprietarium pertinere quidquid vel caſu, vel induſtriâ creſcit ex re uſufructuaria, abſque jactura tamen ſubſtantiæ illius rei; Unde habens Uſumfructum in pecoribus, jus habet in eorum fœtus, lanam, lac, ut habetur *L. Pecudum. ff. de Uſuris.* Item habens Uſumfructum Civitatis, aut Villæ, habet jus in Piſcationem, Venationem, aucupium. Et habens Uſumfructum terræ, habet jus in Piſcationem, Venationem, aucupium. Et habens Uſumfructum terræ, habet jus in Paſcua, olera, triticum &c. Econtra verò quidquid non creſcit, nec fructum fert, non ad Uſufructuarium, ſed ad Proprietarium ſpectat, ut ſunt lapides, arena, mineræ. *L. Divortio §. ſi fundum.*

14. Uſufructuarii obligationes.

SEQUITUR 2. Uſufructuarium teneri primò ad reſtitutionem rei transacto tempore Uſûs fructûs, & ſi ſit res uſu conſumptibilis debet reddere cautionem. Secundò tenetur ad expenſas & ſumptus modicos pro refectione rei, quâ fruitur, non tamen ad magnos, eosque qui ſpectant ad perpetuam utilitatem rei, quos tamen ſi faciat rationabiliter, datur ei actio Negotiorum geſtorum, contra Proprietarium, ut eos recuperet. Tertiò, ſi Uſusfructus ſit gregis, vel armenti, poteſt quidem frui lacte, lana, fœtu, ſed in locum mortuorum debet ſubſtituere alia capita, quæ cedunt in Dominium Proprietarii §. *Sed ſi gregis. Inſtit. de Rerum divis.* Similiter ſi Uſusfructus ſit vineæ vel arborum, debet loco demortuarum alias ſerere, niſi fortuitò vel per tempeſtatem fuiſſent everſæ.

15. Uſusfructus duobus modis conſtituitur.

Uſusfructus duobus modis conſtituitur; Primò per Legem; Secundò, per privatam hominum diſpoſitionem: Unde etiam prior vocatur *Legalis*, poſterior *Conventionalis*: *Legalis* eſt, qui conceditur Patri in bonis adventitiis Filiifamilias, præterquam in bonis Caſtrenſibus, vel Quaſi caſtrenſibus, Ex *Lege quacunque loco cit. de bono. Conventionalis* autem aliquando conſtituitur ultima voluntate, ut cùm teſtator legat alicui uſumfructum alicujus rei, relictâ ſubſtantiâ hæredi; Interdum etiam Venditione, Donatione, Permutatione, aut alio contractu, ut docet Sylveſter. Verb. Uſusfructus.

16. Uſusfructus quod modis finitur.

QUÆRES. Quot modis finiatur Uſusfructus? R. finiri primò 1. Uſufructuarius cedat Proprietario Uſumfructum. 2. Si Uſu-

Usufructuarius acquirat dominium rei, & hoc vocatur Consolidatio. 3. Si Usufructuarius re non utatur tempore ad præscribendam proprietatem necessario, quod tempus communiter est decem annorum inter præsentes, & 20. inter absentes. 4. Si destruatur res in qua est Ususfructus. 5. Finitur per maximam vel mediam capitis diminutionem: Est autem maxima Capitis diminutio, secundùm Juristas, quando aliquis simul & Civitatem, & libertatem amittit, quod fiebat tribus modis; Primò per condemnationem ad metalla, vel ad bestias, vel generatim ad mortem, ut patet ex *L. Quotiens 2 9. ff. de pœnis.* & *L. Quod ad statum, 12. ibidem.* Secundò quando libertus ingratitudinis in Patronum condemnabatur, ideòque rursus in servitutem redigebatur. Et Tertiò, quando se patiebatur vendi ut esset particeps pretii, ut habetur *Instit. de Capitis diminut. §. 2.* Media autem Capitis diminutio vocatur, quando Civitas amittitur, manente tamen libertate. Sextò finitur Ususfructus, si Pater fiat hæreticus, hoc enim ipso amittit usumfructum in bonis filii adventitiis, ut docet Molina disp. 9. & alii. Septimò denique finitur morte naturali vel Civili Usufructuarii. Ratio est, quia si extenderetur ultima ejus voluntas, posset contingere ut Dominus rei quoad substantiam nunquam posset frui commodis ejus. Et hinc si Ususfructus communicatur Communitati, quæ non moritur, finitur spatio centum annorum, ut habetur *L. Usufructus ff. de Usufructu*, cujus ratio ibidem subditur; *Quia is finis vitæ longævæ est hominis.* Dicitur verò quis civiliter mortuus, quando quis vel Civitate vel libertate privatur, sive hoc fiat per exilium, vel servitutem, vel voluntariam renuntiationem omnis Juris possidendi aliqua bona, quia hic habetur à Republica ac si fuisset naturaliter mortuus, utpote incapax Juris & proprietatis, vide desuper Lessium. Ex Occasione hujus

QUÆRES 2. Si Usufructuarius Religionem aliquam profiteretur, cujus sit futurus Ususfructus? Ad quæsitum hoc communiter Respondetur cum distinctione: Quia si talis ingrederetur Religionem quæ non est capax Dominii & proprietatis nec in communi nec in particulari, ut est nostra Religio Seraphica, sub qua comprehenduntur tam Patres Capuccini, quàm fratres de Observantia, tunc certum est, Usumfructum non manere penes Religiosum professum, nec penes monasterium, cùm uterque sit incapax proprietatis, sed dicò tunc devolvi ad ipsum Proprietarium, & absolutè finiri Usumfructum, quia Ususfructus, ut dictum est, finitur morte civili Usufructuarii, talis autem Religiosus civiliter mortuus est, cùm nec in se, nec in suo monasterio sit capax ullius juris. Sunt tamen nonnulli qui existimant, tunc Usumfructum devolvi ad hæredes Religiosi professi durante ejus vita, sed resolutio mea est verior, nunc

Respondeo quoad secundam distinctionem, & dico si talis Religiosus profiteatur & ingrediatur Ordinem capacem Dominii in communi, tunc Usumfructum devolvi ad monasterium durante ejus vitâ, quia Religiosus & Monasterium censentur quid unum esse, ergo sicut Monasterium est capax Ususfructus, ita & Religiosus in eo professus loquendo in communi, & ita tenet Navarrus Commentario 2. de Regularibus n. 70. Molina tract. 2. disp. 9. Sanch. lib. 7. Moralium & alii.

DICES. Talis est Civiliter mortuus cùm sit incapax proprietatis, ergò per ejus professionem exspirat Ususfructus. Resp. Esse quidem civiliter mortuum, quatenus est particularis persona, non autem quatenus est unus cum suo Monasterio, quia Monasterium est capax ejusmodi juris. Ex quo deducit Rodriquetz cum Sanchetz & aliis talem Religiosum ante emissam professionem posse legare Usumfructum hæredibus durante ejus vita.

Ad Usumfructum spectant Emphyteusis, feudum, & Superficiarius Contractus, sed de his infra.

HABITATIO est quidam specialis usus, v. g. domûs vel alterius rei ad habitandum factæ, vel aptæ, in hac etiam est parum Juris, & nihil dominii, est tamen plus quàm in usu simplici, nam qui habet jus habitandi potest etiam locare alteri, & acquirere pretium locationis, ut habetur §. *Sed si cui. Instit. de Usu & Habitat.* at qui habet tantùm usum domûs, ipse solus potest in ea habitare, cum uxore, liberis & familia, nec potest alteri illud jus concedere, ut habetur loco citato. 17. Habitatio est species Usus.

SERVITUS prout ad præsens spectat dupliciter accipitur à Jurisperitis. Primò pro onere illo, seu obligatione, ratione cujus una res alteri Domino subjicitur. Secundò pro Jure quod illi oneri respondet; sicut etiam Ususfructus non solùm pro actu accipitur quo quis fruitur re aliqua concessa, sed pro jure fruendi; Est itaque Servitus *Jus fruendi vel aliquo modo utendi re aliena, vel aliquid circa eam impediendi*: Si autem accipiatur primo modo, tunc est *obligatio realis quâ res alteri manet obstricta, ut possit ex ipsa percipere fructum, vel aliquo modo uti, vel impedire aliquid circa illam.* Est autem Servitus triplex *Personalis*, *Merè Realis*, & *Mixta*. *Personalis* est ea, quæ à persona debetur personæ, ut si mihi usum servi tui ad tempus vel ad vitam meam concesseris. *Merè Realis* est, quæ à re debetur immediatè alteri rei, talis est, quæ respondet jure agrorum, Domorum, & similium rerum. Dixi *immediatè*, quia hæc servitus debetur etiam à re personæ, sed mediatè tantùm, scilicet ex eo quod fiat ipsis talis rei Dominus, vel conductor V. g. ager meus habet jus ut 18. Servitutis natura & ratio.

per

per tuum agrum poſſit iri, vel jumentum duci in meum, ager tuus ſervit meo, eſtque hæc ſervitus realis, quia à re immediatè debetur rei, & conſequenter hoc jus tranſit ad eum ad quem tranſit ager meus. *Mixta* eſt, quæ à re immediatè debetur perſonæ, talis eſt, qua poſſumus uti re, vel frui ipſa immediatè, & hæc deprehenditur in Uſu, habitatione, vel Uſufructu, & extinguitur cum perſona.

SERVITUS Realis ſubdividitur in *Ruſticam* & *Urbanam: Urbana* eſt, quæ adhæret Prædio Urbano, ſeu habitaculo exiſtente in horto vel in Villa cauſa amœnitatis ibi ædificato, & tales ſervitutes ſunt v. g. ut tuæ ædes non poſſint extolli, nè impediatur lumen vicinis; quòd ad tuos parietes poſſit vicinus ædificare, &c. quòd tenearis alterius pati ſtillicidium &c. *Ruſtica* eſt quæ adhæret ſtabulo, horreo, agro &c. & tales quòd poſſit per tuum agrum iri, jumenta agi, aqua duci &c. Vide ſi plura cupis *Inſtitut. de Servitutibus.* & *lib. 8. Digeſto. tit. 1. 2. 3. 4.* qui ſunt de ſervitutibus.

Quæſtio II.

Quarum rerum juſtum homo habeat Dominium?

COelum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum, Pſal. 113. quando Geneſis 1. *Benedixit eis & ait: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Verumtamen Omnis uſus Dominiumque rerum temporalium refertur ad fructum pacis terrenæ, in Civitate terrena, debent igitur omnia fieri moderatè; *Immoderata enim dominandi libido*, ait S. Auguſtinus lib. 3. Civil. cap. 14. *magnis malis agitat & conterit genus humanum*; unde in lib. 5. cap. 19. ſubjungit: *Quis contemptor gloriæ, Dominationis eſt avidus, beſtias ſuperat, ſive crudelitatis vitiis, ſive luxuriæ. Tales quidam Romani fuerunt, non enim curâ æſtimationis amiſſâ Dominationis curâ caruerunt. Multos tales prodit Hiſtoria &c. Etiam talibus dominandi poteſtas non datur, niſi ſummi DEI providentia, quando res humanas judicat talibus Dominis dignas.* Verùm hoc dominium hominis eſt valde limitatum, reſtrictum, & miſerum, quia non obſtante hoc rerum dominio pluribus eget homo etiam dominans, quare elegantem differentiam Divus Auguſtinus Enarrat. in Pſalm. 69. affert, Cur DEUS abſolutè ſit dicendus Dominus, non verò homo, dicens: Ille non eget noſtri, nos egemus ipſius: ideo verus Dominus. Nam tu non valde verus Dominus ſervi tui: ambo homines, ambo egentes DEO. Si autem putas egeri tui ſervum tuum, ut das panem, eges & tu ſervi tui, ut adjuvet labores tuos. Uterque veſtrùm altero veſtrùm indiget. Itaque nullus veſtrùm verè dominus, & nullus veſtrùm verè ſervus. Audi verum Dominum, cujus verus es ſervus. Dixi Domino, DEUS meus es tu. Quare tu Dominus? Quoniam bonorum meorum non eges. Hæc ille, unde tanquam indubitatum

1. Libido dominandi vitioſa.

SUPPONO 1. Deum verum habere Dominium Univerſorum à ſe conditorum, omniumque operationum cujuscunque creaturæ juxta illud Pſal. 23. *Domini eſt terra & plenitudo ejus.* & Sapient. *Dominus Univerſorum tu es.* Unde Judith. 9. dicit *Dominus nomen eſt tibi.* Eſt autem hoc Dominium DEI inabdicabile ſimpliciter, & hoc formaliter non ratione Creationis aut conſervationis, ſed ratione Divinæ Excellentiæ; quia eſſet utrumque imperfectionis ſive abdicare poſſe, ſive indigere titulo extrinſeco, ratione cujus non poſſit abdicare dominium in creaturas, Et econtra magna eſt excellentia non poſſe abdicare; patet namque imperfectionem redolere maximam, quòd aliquod creatum ſit totaliter à ſuo jure & jurisdictione exemptum. Nec refert DEUM ex obligatione & Juſtitia teneri homini juſto ad retribuendum præmium ſuorum meritorum de condigno, nam licèt ita ſit adhuc tamen præmium datum eſt ſub dominio DEI nec inutiliter aut fruſtra DEUS dicitur illius dominus, cùm teneatur recipiens non aliter de ea disponere, quàm DEUS velit.

1. DEUS eſt abſolutus Dominus.

SUPPONO 2. Solam Creaturam rationalem eſſe capacem Juris & dominii, quia hæc ſola habet intellectum & voluntatem liberam, ratione quorum poteſt actus Juris & dominii exercere, v. g. alienare, dare, repetere ut debitum ſibi, hinc ſi quis bruto aufferret pabulum, non propterea ſtatim peccaret, quod tamen fieri deberet, ſi brutum haberet dominium, cùm alienum tolleret, brutoque injuriam faceret. Nec refert *L. 1. §. 11. Si quadrupes Pauperum*, in qua dicitur, quòd ſi arietes inter ſe commiſerint, & unus perierit, nullam competere actionem, ſi provocans perierit, quaſi naturali jure, vim vi repellere licet, quod eſt juris & Dominii. Non refert inquam, quia hæc propulſatio eſt tantùm materialis, non formalis. His præſuppoſitis pro reſolutione quæſtionis

4. Creatura rationalis ſola poteſt habere dominium.

PRÆNOTANDUM 1. Rem ſignificare omne Ens, quod vel exiſtit vel exiſtere poteſt, adeò ut acceptum hoc vocabulum Juridicè, & perſonas & actiones comprehendat. *L. 4. §. 6. ff. de V. S.* ſtrictiùs autem accipitur prout eſt Juſtitiæ objectum à perſonis & actionibus diſtinctum.

3. Res ſignificat omne ens.

NOTANDUM 2. *Res* alias eſſe *In commercio* noſtro, alias *Extra*. *Extra* cen-

6. Res variè dividuntur

2. DEUS cur abſolutè ſit dicendus Dominus.

Digitized by Google

cenſentur eſſe quæ ſunt nullius. *Intra* verò, quæ cadunt ſub jure emendi vel vendendi, & tales ſunt in quadruplici differentia nempe *Communes, Publicæ, Univerſitatis*, & *Singulorum. Res communes* ſunt, quarum uſus eſt omnium hominum, Proprietas autem actu nullius; Dicitur autem notanter *actu*, quia per apprehenſionem alicujus fieri poſſunt alterius, & ſic adhuc dicuntur eſſe in commercio, & à rebus extra commercium diſtinguuntur, & tales ſunt *Aër, Aqua profluens, Mare, & propter hoc littora maris*, nam cùm uſus maris ſinè littore habere non poſſet, debebat commune manere usque dum per ædificia, vel alio modo apprehendatur & occupetur. *Inſtit. lib. 2. §. 1. tit. de rerum diviſ.* Et *L. 4. ff. ſub eodem titulo. Res Publicæ* ſunt, quarum uſus eſt omnium hominum de uno populo, proprietas verò illius populi tantùm, tales ſunt *Flumina perennia*, ac proinde ab aqua profluente diſtinguuntur. *L. 1. §. 3. ff. de flumin. Portus, Ripæ, jus ibidem piſcandi, viæ publicæ &c.* quamvis jus piſcandi, vel per conſuetudinem, vel per præſcriptionem prohibitum ſit omnibus. *Res Univerſitatis*, quæ ſtrictiùs patent, quàm publicæ, ſunt eæ, quarum uſus eſt omnium de aliqua Univerſitate, Collegio, ſeu Corpore, vel Civitate, Proprietas verò illius Collegii, vel Communitatis tantùm, tales ſunt Curiæ, Scholæ, plateæ, Balnea publica, Campi Martii, Paſcua, Nemora, Sylvæ cæduæ, Aquæductus &c. Nota autem Univerſitatem dici Corpus ex pluribus hominibus conſtans, ſic tres dicuntur facere Univerſitatem ſeu Collegium, quamvis in uno Jus conſervetur *L. 7. ff. quod cujusque Univerſitatis.* Duo rixam, Decem turbam, ſeu populum, ut tenent Doctores communiter ad *L. 3. ff. de Abigeis. Res Singulorum* ſunt, quarum dominium à ſingulis acquiri poteſt. *Res verò nullius ſunt*, quæ nec actu, nec poteſtate regulariter ſunt in alicujus commercio, ſeu quæ in nullius hominis bonis ſunt, cùm ad DEUM ſpectent, tales ſunt res ſanctæ, ſacræ, religioſæ, & hæ propriè & *cenſurâ* dicuntur eſſe nullius; Animantia fera, quæ *naturâ* nullius ſunt, hæreditas jacens quæ *eventu* nullius ſunt; theſaurus qui *tempore*, & bona derelicta, quæ *facto hominis* nullius ſunt. His prænotatis

7. Res Univerſitatis.

1. Homo habet naturale in res inferiores dominium.

DICO 1. *Homo habet naturale dominium in omnes res ſeſe inferiores.* Ita communis Sententia omnium. Et Probatur 1. authoritate Scripturæ Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis terræ.* Et alibi ſuprà in principio quæſtionis. Pſal. 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus oves & boves & univerſa.*

Dices. Hoc dominium non eſſe naturale, ſed gratuitum, & à Deo homini datum. Reſpond. negando Antec. quia illa donatio non fuit tanquam gratuita datio, ſed debiti naturæ explicatio, quia aliàs ſequeretur etiam nullum dari dominium civile, ſed tantùm Divinum, quia omnis poteſtas à DEO eſt.

Probatur 2. Tum authoritate Chryſoſtomi & aliorum Patrum id docentium; Accipe S. Auguſtinum lib. 19. de Civil. cap. 15. ubi dicit: *Rationalem factum ad imaginem ſuam, noluit niſi irrationabilibus dominari: non hominem homini, ſed hominem pecori. Inde primi juſti, paſtores pecorum magis quàm Reges hominum conſtituti ſunt, ut etiam ſic inſinuaret DEUS, quid poſtulet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum.*

2. Diviſio rerum quo jure ſit introducta.

DICO 2. *Jure gentium & poſitivo ac etiam naturali poteſt homo habere dominiũ Jurisdictionis, & Proprietatis in hominem.* Ita Doctores communiter poſt D. Auguſtinum, qui graphicè hanc veritatem demonſtrat, lib. 1. quæſtionum in Geneſim quæſt. 153. ubi dicit: *Commendatur in Patriarchis quod pecorum nutritores erant à pueritia ſua & à parentibus ſuis. Et meritò nam hæc eſt ſinè dubio juſta ſervitus & juſta dominatio, cùm pecora homini ſerviunt, & homo pecoribus dominatur, quod probat ex Geneſi 1. Ubi inſinuatur rationem debere dominari irrationabili vitæ, ſervum autem hominem homini, vel iniquitas, vel adverſitas dominari fecit. Iniquitas quidem ſicut dictum, Maledictus Chanaan erit ſervus fratrum ſuorum. Adverſitas verò ſicut accidit Joſeph, ut venditus à fratribus ſervus alienigenæ fieret. Itaque primos ſervos, quibus hoc nomen in latina lingua inditum eſt, bella fecerunt. Qui enim homo ab homine ſuperatus jure belli poſſet occidi, quia ſervatus eſt, ſervus eſt appellatus, inde & mancipia, quia & manu capta ſunt. Eſt enim ordo naturalis in hominibus, ut ſerviant fœminæ viris, & filii parentibus, quia & illic juſtitia eſt hæc, ut infirmior ratio ſerviat fortiori. Hæc igitur in Dominationibus & ſervitutibus clara juſtitia eſt, ut qui excellunt ratione, excellant Dominatione.* Hæc ille.

Probatur 1. de Dominio Jurisdictionis ex jure naturali & poſitivo, quia ſervitus hominis ſine naturalis, ſine legalis poteſt eſſe juſta, ergo unus poteſt habere alterius dominium. Probatur Antec. de naturali: Homo propter inopiam & defectum rationis ſemetipſum gubernare non valens jure naturæ ſubjectus eſt alteri homini, cujus conſilio regatur, ſicut pars ſenſitiva jure naturæ ſubjecta eſt rationi. Confirmatur. Quia Pater habet dominium Jurisdictionis in filium, & maritus in uxorem. Probatur. Antec. de ſervitute Legali: Tum ex conſuetudine variarum Gentium & Nationum: in quibus ſervitus inducta fuit & acceptata tanquam juſta: Tum, Quia homo ſeipſum liberè alteri ſubjicere & vendere poteſt, quod probatur tum exemplo S. Pau-

lini Epiſcopi Nolani: Tum *ex L. 21. ff. de Jure perſonarum*: Tum quia homo poteſt committere aliqua peccata, ob quæ poteſt morte puniri, ergò multò magis ſervitute.

Probatur Concluſio 2. De Dominio Proprietatis: Quia Parentes habent tale jus in filios, ita videlicet, ut filius quam diu eſt ſub poteſtate Patris, nullum jus habeat à Patre independens. Et ècontra. Pater poteſt filios vendere, & pignori dare, ut habetur L. *2. C. de Patribus, qui filios ſuos diſtraxerunt.* Hoc autem jus habere Patrem ex natura ſatis colligitur, ex illo Exodi 21. *Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam*, & Deuteron. 15. *Cum tibi venditus fuerit frater tuus &c.* Deinde Juriſperiti communiter concedunt ſervos ſeu natos, ſeu factos poſſe vendi, pignori dari, ſed hæc ſunt actus & exercitia dominii; ergo. Probatur major, quia ſicut in Juſto bello hoſtes poſſunt occidi, ita ex benignitate poteſt hæc pœna in ſervitutem mutari, unde ſervi apud Legiſtas dicuntur etymologicè derivari à ſervando, quòd capti ſerventur & non occidantur, & aliter vocantur Mancipia, quia ab hoſtibus manu capiuntur, ut habetur *Inſtit. Lib. 1. de Jure Perſonarum. §. 3. & l. 4. §. 2.* ſub eodem titulo, vel quod vendi & alienari ſolerent, ſicut res mancipari. Fateor tamen quòd hodie non ſint amplius tales ſervi ut olim fuerunt, maximè in Chriſtianitate, & hæc quidem in Orbe Chriſtiano circa annum 781. imminui cœpit, circa annum 1200. verò totaliter defiit, imò Cornelius Tacitus de moribus Germanorum dicit ſervitutem apud Germanos nunquam fuiſſe. In Bohemia eſt quoddam genus ſervorum, qui vocantur proprii homines, qui ex ſervis Colonis, Adſcriptitiis, Originariis, & Cenſitis quandam ſpeciem faciunt de omnibus aliquid participando, ſed non totum. Fateor ſecundò Dominium libertatis in homines non eſſe tam perfectum, ut eſt de equo vel aſino, quia revera nemo privatâ authoritate alteri vitam adimere poteſt. Sed in contrarium

Opponitur Authoritas Juris, *L. Libertas ff. de ſtatu hominum*, dicitur ſervitutem eſſe contra naturam, quæ fecit homines liberos, ſed nihil contra naturam ſubſiſtit, ergo. Deinde *L. Liberis 7. ff. de Liber. cauſ. §. 2.* dicitur, *ſi quis ſciens liberum emerit, non denegatur vendito in libertatem proclamatio* &c. quia *non eſt venià dignus qui emit*, ergo cùm natura omnes produxerit liberos, nemo in ſervum vendi poteſt, conſequenter nullum poteſt eſſe in homines dominium. Reſpond. negando conſequentiam. Quia prima Lex tantùm vult ſervitutem eſſe contra naturam, ſi præcisè natura conſideretur, non verò prout juſta cauſa ſubeſſe poteſt; Vel ad ſummam probat ſervitutem non eſſe præcisè naturalem, ſed etiam legalem, vel mixtam. Ad ſecundam dico Legem concedere vendito libero proclamationem in libertatem, ſi ab alio venditus fuit ut ſervus, cùm revera eſſet liber, non verò ſi ſeipſum venderet, & ratio eſt, quia emens fuit in dolo.

10. Vendere ſeipſum an liceat.

Arguitur 2. Ex ratione. Libertas eſt res inæſtimabilis, ergo nemo poteſt fieri ſervus per venditionem; patet Antec. ex vulgato *Non bene pro toto libertas venditur auro.* Reſpond. Negando Conſeq. Quia eo ipſo quòd ſe velit quispiam vendere, in odium degeneris animi puniri & vendi poteſt. Reſpond. 2. negando Conſequ. quia jus cenſet libertatem eſſe pretio æſtimabilem, ſic Pater dum diſtrahit & vendit filios, libertatem æſtimat; poſſe autem Patrem vendere & diſtrahere Filios, patet *ex C. de Patribus qui fil. diſt.* ratio tamen adeſſe debet, nempe nimia paupertas. Ubi etiam nota, quòd plures conditiones requirantur ut quis ſeipſum licitè vendere poſſit, aut ut patiatur ſe vendi. Primò ut ſit major 20. annis. Secundò. Ut ſciat ſe eſſe liberum ante venditionem. Tertiò ut permittat ſe ab alio vendi. Quartò ut intendat eſſe particeps pretii, & reipſa particeps fiat. Quintò ut venditor ſciat ipſum liberum, & emptor liberum credat. Quòd ſi una ex dictis conditionibus deficiat datur emptori actio in factum ad id, quod intereſt, in taliter venditum. L. *Rectiſſimè, 14. ff. de liber. cauſ.*

11. Servi qui poſſint fugere à Dominis.

QUÆRES. An ſervus licitè poſſit fugere à Domino ſuo? Reſpond. non poſſe illum, qui eſt talis ex nativitate, id eſt, qui natus eſt de ancilla, de quibus agitur *L. 7. C. de rei Vend.* Vel per emptionem, aut aliàs ex Jure Civili, bene tamen bello capti, ſed ad ſuos, contra Navarrum, & alios, & probatur Hæc ultima pars Reſolut: primæ ex *Inſtit. lib. 1. tit. de rerum divi. §. Item ea*: ubi dicitur: *liberi homines capti in bello juſto, in ſervitutem noſtram reducantur, qui tamen ſi evaſerint, ad ſuosque reverſi fuerint, priſtinum ſtatum recipiant.* Et ex *L. Nihil ff. de captivis*, ubi ſic habet: *Nihil intereſt quomodo captivus reverſus ſit, utrum dimiſſus, an vi, vel ſallaciâ hoſtium poteſtatem evaſerit &c.* Sed hoc Leges non paterentur, niſi juſtè quis fugere poſſit, ergo. Probatur hæc pars 2. Quia hæc ſervitus communi conſenſu gentium eſt introducta, ergo non debet magis onerari, quam conſuetudine totius orbis ſit præceptum, ſed oneraretur ſi non poſſent fugere; ergo &c. Probatur ſubſumptum: Quia conſuetudo habet, quod tales ſervi ſinè conſcientiæ ſcrupulo ad ſuos poſſint fugere, niſi fortè dediſſet fidem de non fugiendo, & hac conditione fuiſſet ei vita donata, tunc enim teneretur ſtare promiſſis. Confirmatur. Quia hæc ſervitus cæteris nobilior eſt, minusque probroſa, unde etiam in Nobiles viros cadit,

ergo

ergo non est stringenda ad illas extremitates sicut aliæ servitutes. Probatur Responsio de servis natis ex *L. 1. de serv. fugitiv.* ubi dicitur servus fugiens furtum sui facit, & ratio additur, quia servorum fuga non debet esse Domino damnosa, cùm quilibet obligatus sit servare jura aliorum illæsa. PROBATUR de servis emptis vel qui sese ad actum gerendum elocavit; Quia non servans pacta & conventiones peccat, ergo. Excipitur casus de servis emptis, nisi perpetuò à Domino sollicitaretur ad peccatum, quia solus animæ præponderat: De servis conductis excipitur etiam nisi Dominus non servaret pacta, aut non daret quæ deberet, vel non doceret quæ teneretur, aut etiam si esset nimis asperus in percutiendo. Sed contra ultimam partem & primò probatam sic

ARGUITUR. Qui damnatus est ad exilium ad certum locum non potest fugere, ergo nec servus fugere poterit. Respond. transeundo. Antec. negando Consequ. Quia tales servi non damnantur ut Malefactores in Judicio, sed nobiliori quodam modo, & minùs ignominioso cum jure gentium privilegium hoc sit eis concessum.

ARGUITUR 2. Servi capti in bello solent à Dominis suis graviter puniri si fugientes deprehendantur; ergo non licet eis fugere, quia aliàs injustè punirentur. Respond. Privilegium fugiendi concessum esse servis talibus, retento onere alicujus pœnæ, si deprehendantur in fuga, sicut fit in legibus pœnalibus, quæ sinè peccato violantur, dummodo transgressor, si deprehendatur, paratus sit pœnam subire.

DIXI in Responsione *sed ad sint.* Quia sic habet textus *infra. tit.* quare qui ad alienos fugit tenetur reverti, aut ulteriùs fugere ad suos & quidem ea mente ut ad hostes non revertatur, nec enim satis est corpore domum rediisse, si mente alienus sit. *d. L. Nihil interest. 26. ff. de Captiv. & postlim. reverf.*

Quæstio III.

An Imperator vel Pontifex sit Dominus totius Orbis?

1. Bartolus fuit Imperatori.

DIfficultatem hanc excitat D. Lucas cap. 2. Evangelii, sui dicens: *In diebus illis exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Hic Bartolus de Saxo Ferrato à Carolo IV. Pragam vocatus *in L. Hostes ff. de captiv. & postlim. reverf.* Baldus in *L. Cunctos Populos C. de sum. Trinit.* Hostiensis, & Itali, ut refert Soto, tenent, Imperatorem esse totius Orbis Dominum, ita ut Bartolus audeat dicere, forsan qui negaverit hæresim incurrere. Econtra Ultramontani & Faber contrariam tuentur sententiam: unde Faber, & Burgensis, ac plurimi Doctores Juris Canonici Summo Pontifici dominium totius Orbis attribuunt addentes Imperatores Imperialem, & omnes Reges Regalem ab eo accipere potestatem. Pro cujus Resolutione

2. Regum & Principum dominium unde.

NOTANDUM. Legitimum Dominium Imperatorum & cæterorum Principum habuisse originem ab ipsis hominibus immediatè, instinctu tamen naturæ ad id motis, nam cùm natura dederit hominibus appetitum se conservandi & naturalis ratio dictaverit homini ad sui conservationem fore opportunum, & esse quasi necessarium, ut multi essent simul & cohabitarent, ut commodiùs unus ab alio juvari possit, hinc visum est hominibus, ut plures simul convenientes, Communitates & Respublicas instituerent. Rursus homines sic congregati viderunt se non posse pacificè cohabitare sinè superiore, qui cunctos in officio contineret, & singulis jus administraret, hinc de communi consensu plerique populi unum assumpserunt qui sibi præesset, instar Judicis & Principis, quare si qui Principes aliquod regnum invaserunt injustè, non erant legitimi, sed tyranni, nisi postmodum libero consensu fuerint acceptati.

NOTANDUM 2. Quoad Pontificiam dignitatem, Dominium aliud esse *Directum*, aliud *indirectum*. *Directum* est, quando quis ob Civilem titulum in rem potest de ea disponere ad libitum suum. *Indirectum* est, quo quis potest disponere de re, ratione alicujus alterius, cujus dispositio directè ad ipsum pertinet. v. g. Quia Romanus Pontifex habet dominium spirituale in totum orbem, & cum temporalia debeant servire spiritualibus, hinc de temporalibus potest disponere in ordine ad spiritualia, quando bonum spirituale id necessariò exigit, & sic dicitur habere dominium indirectum in temporalibus. His præmotatis de sæcularibus Principibus

3. Imperatoria dignitas est DEI ordinatio.

DICO 1. *Imperatoria Dignitas, cæterorumq; Principum non est inventum hominum, sed sanctissima DEI ordinatio.* Est communis. Et Probatur ex Scriptura, nam Danielis 2. dicitur: DEUM cœli Regnum & Imperium tradidisse Nabuchodonosor: Sic & Christus docet *Cæsari reddendum quod Cæsaris est &c.* Et Joan. 19. ad Cæsaris Præsidem ait, *Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Et D. Paulus ad Rom. 13. admonet: *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à DEO ordinata sunt, quicunque ergo Potestati resistit, DEI ordinationi resistit.* Idem docet ad Titum 3. ac tandem Sap. 14. dicitur: *Tua Pater Providentia ab initio cuncta gubernat.* subintellige tam per Leges naturales quas etiam rebus irrationabilibus indidit ut mari, & ventis, quàm per illas, quas indidit homi-

Digitized by Google

nibus, ut dictum eſt in Notabili. Sed in contra

ARGUITUR. In tota Scriptura non legitur præter Saulem & Davidem aliquem fuiſſe à DEO conſtitutum Principem, unde nec ante nec poſt diluvium, usque ad Nemrod mentio alicujus fit, hic tamen Nemrod per tyrannidem & vim regnandi poteſtatem invaſit, ergo Principes ſunt commentum hominum. Reſpond. Negando Conſeq. imò commentum eſt negare. Reſpond. 2. negando Antec. Nam Auguſtino teſte lib. 15. Civit. Patriarchæ illic recenſitæ probabiliter fuerunt Principes, & quamvis non habuiſſent modum gubernandi Monarchicum, potuerunt tamen habuiſſe Ariſtocraticum. Ad Davidem & Saulem dico eos fuiſſe à DEO ordinatos jure poſitivo divino, reliquos verò ordinatos à DEO jure naturæ per inſtinctum nominibus inditum, ut iis defunctis alii eligerentur. De Nemrod & aliis Tyrannis pariter dico eos fuiſſe à DEO non præcipiente, ſed in pœnam peccatorum populi permittente, ut expreſsè dicitur Job. 34. *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi* & Proverb. 28. *Propter peccata terræ multi Principes ejus*: cæteroquin tamen dixit: *Per me Reges regnant, & Principes imperant.* Proverb. 8.

INSTATUR. Chriſtus Dominus interrogans Petrum Matth. 17. *Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum?* & reſpondente Petro *ab alienis* inſulit, *ergo liberi ſunt filii*; Ergo ad minus Chriſtiani non debent eſſe ſubjecti, ſed liberi. Reſpond. Apoſtolos neutiquam contradixiſſe ſuo Magiſtro, cùm ergo Petrus & Paulus tam firmiter inculcent Principibus obtemperandum, ſignum eſt Chriſtum non voluiſſe eos à Principum poteſtate eximere. Intelligendus eſt ergo ille textus particulariter de Sacerdotibus.

4. Imperator non eſt Dominus Orbis.

DICO 2. *Neque Imperator neque alius Princeps ſæcularis eſt Dominus Proprietarius totius mundi.* PROBATUR. Quia licèt Populi tranſtulerint in unum aliquem Imperium ac Juriſdictionem, non tamen tranſtulerunt ſuas facultates, & conſequenter nullius earum eſt Dominus, nec eas ſibi uſurpare, niſi tuendæ & adminiſtrandæ Reipublicæ causâ neceſſe foret, poteſt; unde graviter DEUS punivit Achab & Jezabel propter occupatum vineâ Naboth. Et D. Chryſoſtomus acriter redarguit Auguſtam propter acceptum Viduæ agrum.

5. Nemo habet dominium in totum mundum.

DICO 3. *Imperator non eſt Dominus Juriſdictionis in totum orbem.* Ita Canoniſtæ &c. contra Baldum &c. ſuprà citatos. Probatur 1. *Ex Can. Per venerabilem. Qui filii ſint legitimi.* Ubi Innocentius III. fatetur Regem non habere ſuperiorem in temporalibus; quod licèt gloſſa de facto intelligat, non autem de jure, profectò non probat, quia quod citat *cap. In apibus* id non concludit. Et quamvis Interpretes textum hunc peculiariter intelligant de Rege Franciæ, textus tamen hunc non patitur limitem, ſed abſolutè loquitur de Rege, quatenus Rex eſt; negari quidem non debet Imperatorem Chriſtianis Principibus & Regibus eſſe ſuperiorem, eſt enim Advocatus Eccleſiæ, Fidei Protector & Propagator ad hoc ſpecialiter coronatus, & ideo in cauſis Fidei tam quoad inimicos Crucis Chriſti arcendos & debellandos, quàm ad ſedanda ſchismata Reges Chriſtianos convocare poteſt, quod autem in ordinariis cauſis ad illam fiat provocatio, non eſt in uſu.

PROBATUR 2. Ratione. Quia ſi Imperator eſſet Dominus totius Mundi, aut hoc haberet ex Jure Divino vel naturali, aut Civili & humano, neutrum dici poteſt; ergo. Non divino, quia ante Chriſtum non legimus DEUM quenquam ordinâſſe in Principem terræ alicujus præter Saulem & Davidem, minùs aliquem in Principem univerſæ terræ. Chriſtus verò de Civilibus Monarchis nihil diſpoſuit aut mutavit. Non etiam jure naturali; quia in talem electionem omnes Populi vel ſaltèm major pars conſentire debuiſſet, ſed certum eſt, quòd nunquam omnes conſenſerint, nam Chaldæorum, Perſarum, & Græcorum Monarchia non fuit niſi circa Regna circum vicina, Romanorum autem licèt fuerit amplior, nunquam tamen ad Inſulares & Antipodes pervenit. Nec denique Jure Civili hoc ſtatuitur, nam tale jus rationabile eſſe debet, ut ſit legitimum, rationabile autem non eſſet ſi unus totum Mundum regere deberet, quia eſt quædam moralis Impoſſibilitas; quia revera Reſpublica non eò melior, quò major. Deinde dicitur Regem eſſe animam Regni; ergo quemadmodum Anima non quodcunque corpus magnum informare nata eſt, ita nec Rex vel Imperator quamcunque amplitudinem hominum. Sed in contrarium

OPPONITUR Scriptura *Gen.* 2. Adam. Et *Gen.* 9. Noè accepit dominium totius mundi; ergo etiam Imperator poterit habere, quod probatur & inſinuatur Lucæ 2. ubi dicitur à Cæſare Auguſto exiiſſe edictum, ut deſcriberetur orbis univerſus. Reſpond. negando Conſeq. & diſparitas eſt, quia tempore Adæ & Noè homines fuerunt pauci, & omnibus noti, ideoque bene ab uno regi poterant, non ſic modò eſt, ergo &c. Ad D. Lucam dico eum accipere partem pro toto, ut frequenter facit Scriptura, ſicut etiam dicere ſolemus totam Civitatem confluere ad aliquam ſolemnitatem, cùm tamen in rei veritate potior pars non veniat; Totus ergo Orbis qui Auguſto parebat deſcriptus fuit, non verò quoad ſingulas partes in individuo.

6. Cæſar quomodo habuit Dominium.

OPPONITUR 2. Authoritas Legum, tam Canonicarum quàm Civilium, *Can.* *In*

in Apiom 7. q. 1. ex D. Hieronymo dicitur: *Quod sunt in apibus unus est Princeps, & inter Graes una est dux, sic Imperator unus.* Et *cap. de bonis quæ &c. L. Cum multa*, habetur: *Imperialis fortuna omnes superemineat alias.* Et ad L. Rhodiam de Jactur. L. Deprecatio ait Antoninus Imperator: *Ego mundi Dominus.* Et Extravag. *Ad reprimendum* in fine Majest. dicit Henricus Cæsar: *In tranquillitate Romani Imperii totum orbis regularitatem requiescere*; quæ omnia denotant Imperatorem totius Mundi esse Dominum de jure, quamvis per præscriptionem, aut consuetudinem, aut per privilegium etiam alii Reges habeant dominium. Respond. negando Conlequ. Exdictis Legibus nequaquam sententia opposita deducitur; nam neque in toto Mundo omnium apum unus est princeps, sed tantum unius alvearis, sic enim totius Christianismi unus est Imperator, ad quem omnes terræ etiam per Saracenos & Turcas occupatæ spectant de jure. Ad secundam legem dico, verum esse Dignitatem Imperialem supereminere omnibus, ex quo tamen non sequitur eum esse omnium Dominum, nam etiam Dignitas Regalis supereminet Ducibus & Marchionibus, non tamen est eorum Dominus, nisi in Regno suo vivant. Ad dictum Antonini Respond. illud esse arrogans, vel die eum intelligendum in sensu quo Justinianus *L. Cunctos Populos C. de sum. Trinit. & fid. Cath.* dicit se esse Dominum cunctorum populorum, *quos Clementia nostra regit Imperium*, qui etiam *in L. in Nomine Domini C. de off. Præf. Præt. Afr.* terminos nominat suarum Regionum. Ad *X.* Henrici dico Imperatorem tantum velle in tranquillitate Imperii consistere orbis regularitatem, quia ejus potentia alii Principes territi quiescebant in pace. Sed ex ratione

ARGUITUR. DEUS per naturalem instinctum hominum ordinavit optimam formam Regiminis in Mundo, sed hæc est Monarchica residens in uno Superiore, quia alius esse nequit quam Imperator, cum id fatetur D. Augustinus lib. 5. Civit. cap. 12. & 15. dicens: DEUM Romanis totius Orbis Imperium contulisse in præmium, quod tam exacti essent æquitatis naturalis observatores; ergo. Respond. dist. min. Monarchica est optima respectu multitudinis proportionatæ, conc. min. respectu totius orbis, nego min. Ex terminis enim apparet, quod totus orbis per unum non possit commodè & utiliter regi. Ad D. Augustinum dico Romanos Principes tantum accepisse Monarchiam quantam Chaldæi, Persæ & Græci habuerunt, cum ergo nec illi habuerint in totum Mundum ea nec Romani. Sed contra solutionem superiorem

INSTATUR. Pontifex in spiritualibus regit totum mundum commodè & utiliter; ergo etiam Imperator in temporalibus id præstare potest. Probatur consequentia, quia X *De Majo. & obe. cap. solita*, ubi Pontifex ait, Pontificem & Imperatorem esse duo luminaria magna, quæ præstant toti Orbi, Pontificem esse solem, qui præsit diei spiritualium, & Imperatorem lunam, qui præsit nocti temporalium: ergo. Respond. negando consequ. Disparitas est; Tum, Quia Pontifex habet infallibilem assistentiam Spiritûs Sancti, atque eo commodius regit & suavius quàm Imperator. Tum, Quia propter unitatem fidei per totum orbem regulæ ad regendum sufficiunt, cum autem in politicis idem modus omnibus Gentibus non sit congruus, idem Rector non sufficit. *Cap.* ergo *Solita* intelligendum est, de Dictionibus Imperii &c.

DICO 4. *Summus Pontifex non habet dominium directum Proprietatis aut Jurisdictionis in totum orbem.* Hæc est communis Theologorum. Corduba in quæstionario quæst. 51. Conclus. 3. Victoria Recolectione de Potestate Ecclesiæ, Sanderus lib. 2. cap. 4. Bellarminus lib. 5. de Rom. Pontifice cap. 6. Probatur 1. Authoritate Patrum, Nicolaï I. *Qui in cap. Cum ad verum* dicit: *Mediator DEI & hominum homo Christus JEsus actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque* (scilicet Pontificiæ & Imperatoriæ) *discrevit.* Gelasius Papa *in Cap. Duo sunt*, ita Imperatorem alloquitur: *Duo sunt quippe Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas.* Ambrosius relatus *in Cap. Convenit dist. 23. quæst. 8. Ad Imperatores*, dicit, *fallacia, ad Sacerdotes pertinere Ecclesias.* Fusè autem & nervosè proponit S. Bernardus Eugenio suo consideranda ad Pontificem non pertinere judicari sæcularia, sed ad Reges & Principes lib. 1. Consid. cap. 6 ubi post multa concludit sic; *Ego in terminibus, non in possessionibus potestas vestra, quantam propter illa, non propter hæc accepisti claves regni cœlorum, prævaricatores utique excludunt, non possessores. Ut sciatis quia filius hominis ait, habet potestatem in terra dimittendi peccata &c. quonam tibi videtur major dignitas, vel potestas, dimittendi peccata, vel prædia dividendi? Sed non est comparatio. Habent hæc infima & terrena judices sui. Reges & Principes terræ. Quid sibi alios invaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Non quia indigui vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe portionibus occupatis. Hactenus.*

7. Pontifex non est Mundi Dominus.

PROBATUR Ratione Primò. Quia Christus non fuit Dominus temporalis totius Mundi, ut ipse fatetur *Regnum meum non est de hoc mundo* Joan. 18. ergò nec Pontifex. Quia Vicarius non plus habet, quàm Principalis. Secundò. Quia ex nullo jure constat ipsi tale dominium competere,

re, & quidem quoad dominium Proprietatis patet, quia ipſi ſummi Pontifices fatentur ſe accepiſſe aliquarum rerum dominium ab aliis, nempe ab Imperatoribus ut patet ex *Cap. Futurum*, & *Cap. Per Venerabilem* &c. Tertiò Papa non habet dominium Proprietatis aut Juriſdictionis in terris infidelium, ut conſtat ex illo 1. Corinth. 5. *Quid mihi eſt de his quæ foràs ſunt judicare*; ergò nec in terris Principum fidelium, cùm horum conditio non debeat eſſe deterior, imò melior, nam fides naturam non deſtruit ſed perficit. Sed in contrarium

OPPONITUR 1. Authoritas S. Scripturæ Luc. 22. ubi Chriſtus Petro dedit duos gladios: Ecce duo gladii, qui ſignificant poteſtatem ſpiritualem & temporalem, ut exponit D. Bernardus in lib. de Conſid. ergo ſicut Pontifex habet dominium ſpiritualium directum in totum orbem, ita etiam temporalium. Reſpond. negando Conſequ. Quia S. Bernardus aliud non vult, quàm Pontificem habere alterum gladium evocando Principes fideles contra eos, qui ſpirituali obtemperare nolunt, quod aliud non ſignificat quàm dominium indirectum; Vel ſi vellet denotare directum, dic eum habere illum in ſuis terris, non in alienis. Porro ut cognoſcatur apertius S. Bernardum aliud non velle niſi indirectum dominium, & gladium alterum non Pontifici eſſe datum, ſed Eccleſiæ, nec manu Sacerdotis, ſed manu militis exercendum, adduco ejuſdem Melliflui Doctoris dulciorem doctrinam ex fonte, nam lib. 3. de Conſiderat. cap. 3. Sic Eugenium alloquitur: *Quid tu denuo uſurpare gladium tentes, quem ſemel juſſus es ponere in vaginam? quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis ſic, Converte gladium tuum in vaginam: Tuum ergo & ipſe fortean nutu tuo, etſi non tua manu evaginandum. Alioquin ſi nullo modo pertineret ad te & ii, dicentibus Apoſtolis, Ecce duo gladii hic, non reſpondiſſet Dominus ſatis eſt, ſed nimis eſt. Uterque ergo Eccleſia, & Spiritualis ſcilicet gladius, & materialis, ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò & ab Eccleſia exercendus eſt. Ille Sacerdotis, is militis manu, ſed ſanè ad nutum Sacerdotis, & juſſum Imperatoris.* Hæc ille.

Eodem modo intelligendus eſt Nicolaus Papa in cap. 1. diſt. 22. ubi dicit Chriſtus Petro æternæ vitæ Clavigero jura terreni ſimul & cœleſtis Imperii contulit. Et Bonifacius VIII. in *Extravag. Unam Sanctam*, dum ait: Qui in poteſtate Petri temporalem gladium eſſe negat, malè verbum attendit Domini proferentis, Converte gladium tuum in vaginam &c. Oportet gladium ſub gladio eſſe, & temporalem authoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati, ſcilicet quoad directionem, & dominium indirectum.

OPPONITUR 2. Authoritas Juris in *cap. Solitæ ſupràcit.* ubi Pontifex dicit ſe eſſe ſolem, Imperatorem Lunam; ergo ſicut Luna accipit ſplendorem & lucem à Sole, ita Imperator accipit dominium à Papa. Quod confirmatur exemplo Leonis III. qui Imperium Romanum tranſtulit à Græcis ad Germanos circa Annum Chriſti 800. nempe ab Irene Matre Conſtantini ad Carolum Magnum natum Franconem. R. negando Conſequ. Nam licèt Pontifex Sol, Imperator Luna dici poſſit, hoc tantùm probat, utramque dignitatem eſſe à DEO, non verò temporalem proficiſci à Spirituali, nec hoc ullus Imperatorum recognovit, quin potiùs frequenter & longo tempore habuerunt Inveſtituras ſupra ipſum Pontificem, ut patet ex Hiſtoricis; Itaque illa Tranſlatio Leonis III. probat Pontificem habere dominium, nam ideo tranſtulit à Græcis in Germanos, quia Græci Italiam negligebant, & à Longobardis devaſtari permittebant, quare Principes & Populi pro remedio apud Pontificem inſtabant, & alium Imperatorem poſtulabant, adeòque hoc totum factum eſt à conſenſu & electione Populorum.

INSTATUR. Pontifex frequenter Imperatores & Reges depoſuerunt, ut Gregorius VII. Henricum IV. Innocentius III. Ottonem IV. Innocentius IV. Fridericum II. ut videre eſt apud Bellarminum lib. 5. de Summis Pontificibus, ergo. Reſpond. negando Conſequentiam. Quia hoc totum factum eſt ad deprecationem & poſtulationem populorum volentium Pontifices Executores Pontifices, & ut Cenſuris Eccleſiaſticis contra malè Regentes procederent.

DICO 5. *Probabile eſt Pontificem habere dominium indirectum in omnes Principes Chriſtianos.* Probatur: Tum ex objectionibus jam factis. Tum ex Lateran. Concilio ſub Innocentio III. ubi habetur: *Si Dominus temporalis monitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit à pravitate hæreticâ per Metropolitam excommunicetur, & ſi ſatisfacere neglexerit infra annum, ſignificetur hoc ſummo Pontifici, ut Vaſallos ab ejus fidelitate denuntiet abſolutos & terram exponat Catholicis occupandam.* Tum quia Pontifex habet dominium ſpirituale Juriſdictionis in omnes Principes Chriſtianos, ut eſt de fide; ergo & indirectum in bona eorum temporalia, quando ſcilicet neceſſe eſt, ad bonum eorum ſpirituale. Probatur Conſequentia; Tum quia Chriſtus alioquin non contuliſſet Papæ ſufficientem poteſtatem ad Eccleſiam ovesque ſibi commiſſas debitè gubernandas, ſi eorum exceſſus circa temporalia corrigere non poſſet, quando id exigeret eorum ſpirituale bonum. Tum etiam, quia *L. 2. ff. de Juriſdictione* dicitur, *Cui Juriſdictio data eſt, ea quoque data videntur, ſinè quibus Juriſdictio explicari non potuit.* Et *cap. Præterea, de Officio*

8. Pontifex habet dominium indirectum in Principes.

Officiis Delegat: Ex eo quòd cauſa alicui committitur ſuper omnibus quæ ad cauſam ipſam ſpectare noſcuntur, plenariam recipit poteſtatem.

Quæſtio IV.

An licita, & quo jure introducta ſit Dominiorum diviſio?

2. Jus naturæ triplicis differentiæ.

QUæſtio hæc potiſſimùm procedit de rebus corporalibus, & iis non quibuscunque, ſed immobilibus, nam quòd quilibet jure naturæ famam poſſideat, & eam tueri, ac defendere teneatur, nemo ambigit, quodque aliquis gemmâ in littore maris absque alterius diſpoſitione ex jure naturali uti poſſit, etiam clarum eſt ad reſolvendam ergo quæſtionem

Notandum 1. Ea, quæ de jure naturæ ſunt, eſſe in triplici differentia, quædam enim ſunt prohibita, quædam præcepta, & quædam demonſtrationes, nam in libro legis naturæ, ſeu in Intellectu triplicia ſunt dictamina, aliqua ſunt præcipientia, ut eſt illud: *Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, hoc facite illis.* Quædam ſunt prohibentia, ut, *Quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris*: Quædam ſunt demonſtrativa, id eſt quæ nec præcipiunt nec prohibent quid agendum ſit vel non agendum juxta diverſitatem caſuum emergentium, & ſtatuum; ut eſt illud *vim vi repellere licet*, quæ dictamina appellari poſſunt *conceſſiva*. Et hæc ſunt adhuc duplicia, quædam enim concedunt aliquid tanquam utile, & talis fuit illa ſanctio, quæ conceſſit pro ſtatu Innocentiæ rerum communitatem, eò quòd illa communitas conferat pro illo ſtatu ad finem fœlicitatis humanæ: quædam autem concedunt aliquid tanquam expediens, ut ordinatio illa quod res pro ſtatu naturæ lapſæ ſibi appropriarentur.

2. Lex juſta quæ requirat.

Notandum 2. Legem poſitivam, ut juſta ſit, requirere in Legislatore Prudentiam & authoritatem: Prudentiam, ut ſecundùm rationem dictet & ordinet quid agendum vel omittendum. Authoritatem, quia Lex à ligando deſumitur, ligare autem non poteſt quispiam alterum quantumcunque prudens ſit, ſi non ei authoritativè ei præſit: Hinc nec modo, nec olim reſponſa Prudentum vim legis habuerunt, usque dum D. Auguſtus authoritatem traderet.

3. Authoritas præſidendi duplex.

Notandum 3. Authoritatem præſidendi duplicem eſſe, Paternam & Politicam: Paterna juſta & ex lege naturæ, qua omnes filii tenentur obedire Parentibus, nec iſta eſt per legem aliquam Moſaicam vel Evangelicam revocata, ſed potiùs confirmata. Politica juſta eſt ex conſenſu Populi authoritatem ſuam in alium vel alios transferentis.

Notandum 4. Authoritatem Politicam triplicem ſeu ut alii volunt quadruplicem eſſe, nempe *Monarchicam*, in qua unus ſolus præſidet, de qua extat *tit. 1. lib. Digeſtorum*, cujus prima Lex eſt: *Quod Principi placuit, Legis habet vigorem. Ariſtocraticam*, quæ eſt Optimatum Principatus, quare Leges quæ ab illis conduntur vocantur *Senatus Conſulta*, id eſt conſtitutiones, quas Senatus nempe Romanus conſilio habito, ſtatuit. *L. penult. ff. de* LL. Tertia ſpecies eſt *Oligarchia*, id eſt paucorum, divitumque ac potentum Principatus, & ſecundùm hanc conſtitutiones ab eis editæ dicuntur *Jus Prætorium* ſeu honorarium, eò quòd illi, qui honores gererent, id eſt Magiſtratus occaſionem huic Juri dederint, nam olim dum Conſules eſſent occupati in bello, Prætores populo præficiebantur ut habetur L. 2. §. 27. *ff. de Orig. Jur.* Eorum authoritas fuit tanta, quòd eorum edicta vim legis haberent, quæ per Salvium Julianum ſub Adriano Imperatore collecta in unum volumen redacta fuêre, ex quibus hodie ſunt Pandectæ L. *ſi quis. 10. Cod. de Condict. indeb.* Quarta ſpecies eſt *Democratia*, id eſt popularis & vulgi Potentia, cujus ordinationes dicuntur *Plebiſcita*, quæ ad initium vim legis non habuerunt, utpote cùm par in parem non habeat authoritatem, minùs ergò inferior in ſuperiorem, ſed acceperunt eam vim per Legem Hortenſiam; Quintus enim Hortenſius Dictator eam legem tulit, ut eo jure, qvod plebs ſtatuiſſet, omnes Qvirites uterentur. L. 2. §. 8. *ff. de Orig. Juris.* His prænotatis

4. Gubernium politicum triplex.

5. In ſtatu Innocentiæ fuiſſent omnia communia.

DICO 1. *Nec Lege Divina, nec lege naturali prout Juſtinianus in largiori acceptione definit, ſunt diſtincta pro ſtatu Innocentiæ rerum dominia, imò tunc fuiſſent eis omnia communia, uxoribus exceptis.* Eſt communis & ultima particula contra Platonem & Socratem. Probatur per illud Decretorum d. 8. cap. 1. *Jure naturæ omnia ſunt omnibus communia.* Et ad hoc adducit D. Auguſtinum ſupra Joan. cap. 2. dicentem: *Quo jure defendis villas Eccleſiæ, divino an humano? Unde quisquam poſſidet, quod poſſidet? Nam jure divino Dei eſt terra & plenitudo ejus, jure ergò humano dicitur hæc villa mea eſt, hæc domus mea eſt, hic ſervus meus eſt.* Item ibidem: *Tolle jura Imperatorum, quis audet dicere hæc villa mea eſt;* & paulò poſt: *Per jura regia poſſidentur poſſeſſiones.* Probatur 2. *Ex cap. Dilectiſſimus. XII. q. 1. Communis Uſus omnium quæ ſunt in hoc mundo omnibus eſſe debuit.* Probatur 3. Quia uſus rerum ſecundum rectam rationem ita debet competere hominibus ſicut congruit ad congruam & pacificam converſationem, & neceſſariam ſuſtentationem, ſed in ſtatu Innocentiæ ſinè diviſione bonorum utrumq; fuiſſet, nempe neceſſaria ſuſtentatio, quia nullum fuiſſet periculum ne fructus terræ & alimenta deficerent, nam ut etiam Ethnicus Poëta cecinit.

Ipſa

Ipſa quoque immunis, raſtroq; intacta, nec ullis
Saucia vomeribus per ſe dabat omnia tellus:
Contentiq; cibis, nullo cogente, creatis.

Deinde non fuiſſet quoque læſa pacifica converſatio, quia tunc nullus occupâſſet, quod fuiſſet alteri neceſſarium, & ſic non fuiſſet neceſſarium ab ipſo per juſtitiam extorqueri.

6. Uxores in ſtatu Innocentiæ non forent communes

Dixi autem *Exceptis Uxoribus*: Quia revera charitas Parentum ad proles & è contra deperiret; nam ſequeretur, quòd omnes fœminæ eſſent unius pueri Matres, & una fœmina haberet tot Filios, quot fuiſſent ipsâ juniores, quo poſito exiguam imò nullam charitatem ad illos habere potuiſſent, ſicut exigua quantitas mellis magnam aquam dulcorare non valet. Imò promiſcua Uxorum permixtio ipſa prima apprehenſione turpis apparet; Nec refert quod bruta ſeſe promiſcuè commiſceant; Jus autem naturæ eſt, quod natura etiam animantia docuit; Non refert inquam, quia definitio illa Juſtiniani eſt valde laxa, animantia enim propriè non habent jus, ſicut nec habent rationem; Et ſi inſtes, Quomodo ergo jus naturale à jure Gentium differat? Reſpond. ſi jus naturale ſumatur laxè realiter differre, ſi verò ſumatur propriè non differre realiter, ſed penes connotata, ut ſuperiùs dixi ex Chriſtophoro Schambogen, nam jus naturale ſtrictum eſt, quod eſt inſculptum absque ratiocinatione, jus Gentium cum ratiocinatione.

7. Lex de rebus in communi unde revocata.

DICO 2. *Illud præceptum de habendis omnibus in communi pro ſtatu naturæ lapſæ rationabiliter revocatum eſt propter humanam negligentiam & cupiditatem.* Ita Scotus & Doctores communiter. Probatur, quia ſtante negligentia humana in colenda terra, quæ poſt lapſum ſpinas & tribulos germinat, quæque ſemper vult coli, ut fructus debitos proferat, & ſtante humana cupiditate quæ ſatiari nequit, non potuit ſubſiſtere rerum communio, ergo &c. Probatur Antec. Quia vel tunc fuiſſent fundi communes, fructus verò proprii, vel è contra fundi proprii, fructus communes, aut quòd & agri & fructus eſſent communes, ſed ſtantibus illis duobus neutrum ſubſiſtere poteſt, ergo: probatur min. nam ſi dicatur primum, nemo vellet agrum colere, & omnes vellent fructus participare: ſi ſecundum tunc labores eſſent diſpares, & fructus æquales, unus enim tantùm laborare deberet, & alter tantùm frueretur; Et utrumque ſequitur ſi tertium admittatur, ergo.

8. Rerum diviſio ex lege Poſitiva orta eſt.

DICO 3. *Prima Dominiorum diſtinctio potuit eſſe juſta, à Lege poſitiva juſta, ſive lata à Patre, ſive Principe, ſive Communitate juſtè regente & præſidente, & ita probabiliter factum eſt.* Ita Scotus. Ita etiam S. Auguſtinus lib. 19. Civil. cap. 16. ubi longum de ſervitute diſcurſum formar, quomodo ſit introducta, tandem concludit: *Quocirca etiamſi habuerunt ſervos juſti Patres noſtri, ſiquidem adminiſtrabant domeſticam pacem, ut ſecundùm hæc temporalia bona filiorum ſortem, à ſervorum conditione diſcernerent.* Nunc ulterius

Probatur. Nam ſtatim ab expulſione ex Paradiſo Abel & Cain habuerunt particularia & propria peculia, Cain enim obtulit de fructibus terræ, Abel de optimis gregis ſui, quòd ſi autem non fuiſſent illis propria, nec Abel laudem, nec Cain vituperationem mereretur; Et hanc diſtributionem feciſſe ipſum Adam probabile eſt: Tum quia fuit Paterfamilias, unde potuit ſubſtantiam ſuam, quam habuit copioſam diſtribuere Filiis; Tum quia probabiliter fuit Princeps totius Mundi, nam cùm Mundus propter hominem factus ſit, Mundi totius Dominus dici potuit, nec hìc currit aliqua inconvenientia, quia cùm eſſent numero pauci & nondum diſperſi facilè ab uno regi poterant. Poſt diluvium verò Noë diſtribuit Filiis ſuis terras, ut legitur Geneſ. 10. *Ab his diviſa ſunt Inſulæ Gentium in Regionibus ſuis &c.* Et c. 11. legitur disgregata progenies Nemrod, & eorum multitudo qui cum eo conſpiraverant ut turrim ædificarent: Sic cap. 13. legitur Abrahamum & Loth de mutuo conſenſu terras ſibi diviſiſſe, utpote exiſtentes Principes Familiarum ſuarum. Unde dicit S. Auguſtinus lib. 16. de Civil. cap. 20. *Hinc fortaſſe facta eſt inter homines pacifica conſuetudo, ut quando terrenorum aliquid partiendum eſt, major dividat, minor eligat.*

Opponitur 1. Authoritas D. Clementis *Epiſt. 4.* & refertur *12. q. 1. can. Dilectiſſimis* dicentis, *Communis uſus omnium omnibus eſſe debuit, ſed propter iniquitatem, alius hoc dixit eſſe ſuum, & alius iſtud, & ſic facta eſt inter Mortales diviſio*; ſed quod ſit ex iniquitate, nequid eſſe juſtum, ergo. Confirmatur. Lex Naturæ non poteſt revocari, ſed lex naturæ eſt ut ſint omnia communia ex dictis ſupra, ergò. Reſpond. Sanctum Clementem aliud non velle, quàm iniquitatem nempe peccatum originale, ob quod diſſoluta libertas contineri nequit, occaſionem præbuiſſe, ut fieret bonorum diviſio, non verò vult ipſam diviſionem eſſe iniquitatem. Ad Confirm. Reſpond. diſt. maj. Lex naturæ non poteſt revocari quæ eſt præcipiens vel prohibens, concedo: quæ eſt demonſtrans nego maj: & conſequ. Itaqve per bonorum diviſionem Jus naturæ non eſt mutatum, ſed res ſubſtrata Juri, unde Jus etiam aliud demonſtrabat, rem hanc optimè declarat exemplo D. Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. dicens: *Eſt Medicinalis regula Vinum eſſe hominibus congruum, hæc autem minimè derogatur dum infirmo potus vini interdicitur, ſed mutatio ſit in homine, cui perpetua illa Regula non congruit.* Ita hic

Opponitur 2. Authoritas ſcripturæ Matt. 19. *Facilius eſt camelum per foramen acûs tran-*

tranſire, quàm divitem intrare in regnum cælorum, & alibi divitiæ vocantur *mammona iniquitatis*. Luc. 14. *Niſi quis renuntiaverit omnibus quæ poſſidet non poteſt eſſe meus diſcipulus*; ergo diviſio Dominiorum non eſt juſta. Reſpond. negando Conſequentiam, & ad primum locum dico illum textum ſolum probare difficile eſſe divitem ſalvari, quia tales ordinariè ſunt avari, luxurioſi, improbi, nimium divitiis ſuis confidentes, & moraliter loquendo, ſinè magna DEI gratia, quaſi impoſſibile ſit eos ſalvari; & hinc divitiæ rectè vocantur mammona iniquitatis, quia occaſionem præbent multarum iniquitatum non ex ſe, ſed ex prava diſpoſitione poſſidentis. Ad tertium locum dico Chriſtum ibi loqui de iis qui volunt aſcendere ad ſtatum perfectionis, perfectique Diſcipulatûs, qualem profitentur Religioſi. Deinde, ſi Chriſtus ibi loquitur de omnibus indifferenter, tunc debet ſic intelligi; Quod ſi alteruttum oporteret eligi, aut renunciare Chriſto, aut divitiis, tunc debere quemvis potius reſignare divitiis, quàm Chriſto.

ARGUITUR 3. Omnes homines poſt peccatum etiam naturâ ſunt æquales, ergo unus non poteſt habere dominium in alterum hominem. Reſpond. Negando Conſequentiam. Licèt enim natura generet æquales quoad ſubſtantiam, non tamen ſunt omnes æquales quantum ad dona Intellectûs & Prudentiæ, unde natura dictat ut inſipientes à ſapientibus regantur, hoc enim eſt eorum felicitatis, ut D. Auguſtinus atteſtatur, quòd à ſapientibus regi poſſint & ad vitam æternam perduci. Deinde poſito, quòd ſint omnes æquales quoad poteſtatem politicam, taliter, ut natura non præcipiat vel conſtituat dominium aut poteſtatem politicam, nihilominus natura ejuſque Lex pro ſtatu naturæ lapſæ permittit ejuſmodi dominium tanquam valde conſonum huic ſtatui, quod ſufficit ut Lex humana diſtinguat juſtè rerum dominia & poſſeſſiones.

ARGUITUR 4. probanda per oppoſitum diviſionem bonorum eſſe introductam jure naturali, ſic: *Inſtitut. de Rerum diviſ. §. Ferè*, dicitur: Id quod ante nullius eſt, naturali ratione conceditur occupanti; ergo jure naturali facta eſt rerum diviſio per primam earum occupationem. Reſpond. negando Conſequentiam. Quia inde tantùm colligitur ejuſmodi modus appropriandi res, ſcilicet per occupationem, eſſe conformem rationi & legi naturæ, pro hoc ſtatu, non tamen quod ipſa actualis diviſio executivè facta ſit jure naturæ, ſed humano, ſequente tamen dictamen rationis naturalis.

Inſtatur. Furtum eſt contra jus naturæ, ergo de jure naturæ ſpectat dominium ad illum à quo res aufertur. Reſpond. negando conſequ. Nam etiam non obedire Magiſtratui eſt contra jus naturæ, & tamen conſtat poteſtatem Magiſtratûs non eſſe jure naturali introductam, ſed jure divino, & hominum conſenſu & electione, & ita ſicut jus naturale præcipit eſſe obediendum ſuperiori à quocunque inſtituatur, ita etiam præcipit non aufferendum alteri quod ſuum eſt, quocunque demum jure poſſideat.

ARGUITUR 5. Quod eſt ratio naturalis in ſuo lumine naturali, hoc eſt Lex naturalis, ſed recta ratio dictat hoc complexum: *Hominibus pro ſtatu naturæ corruptæ ſunt res appropriandæ*, ergo illud complexum eſt Lex naturalis diſponens diviſionem bonorum, ergo ex Lege naturæ ipſa eſt. Reſpond. diſt. min. Recta ratio dictat &c. directivè & diſpoſitivè concedo min. effectualiter & executivè nego min. & conſequentiam.

Inſtatur. Omnis Lex civilis eſt dictata ratione, ergo omnis Lex Civilis eſt naturalis, & per conſequens cùm diſtinctio dominiorum ſit per legem poſitivam & civilem, erit per legem naturalem. Reſpond. negando Conſeq. quia non ſufficit, quòd aliquod complexum ſit lex naturalis, quòd ſit dictatum à recta ratione, aliàs nulla lex eſſet purè poſitiva, ſed ultra hoc requiritur, ut ſit evidens ratio aliquid de ſe dictans, aut ſaltèm ex evidentibus immediatè deducta, quod non evenit in quacunque Lege Civili. Pro Corrolario totius quæſtionis Infero, Diviſionem bonorum factam eſſe partim occupatione partim ſorte, partim authoritate, divinâ, vel paternâ, vel politicâ, & ſic inducta eſt occaſionaliter ex peccato, dictativè à Lege naturæ, executivè à communi hominum conſenſu, modificativè à Lego Imperatorum.

Quæſtio V.

An & quorum bonorum Epiſcopi ac reliqui Clerici poſſint eſſe Domini.

1. Clericorum circa dominium difficultas.

QUæſtio hæc ſi maturè & diligenter examinetur, quemcunque Conſcientioſum poteſt reddere perplexum; Nec dum quispiam Epiſcopis & Clericis favere cogitat, Pauperibus juſtas Eleemoſynas ſubtrahat, aut illos de mala adminiſtratione redarguere cogatur, cùm praxis eorum contrarium clamat: Duplex namque extrema eſt ſententia circa præſentem quæſtionem, utraque argumentis & rationibus fulcita. Prima eſt Alexandri de Ales, Richardi, Panormitani, Archi-Diáconi, Thomæ Valdenſis & potiorum Doctorum Juris Canonici, qui expreſsè docent Epiſcopos & Clericos ſolum habere uſum & nullam proprietatem aut dominium fructuum provenientium ex bonis Eccleſiaſticis. Secunda ſententia eſt D. Thomæ, Soti, Leſſii, Vaſquez, Molinæ &c. aſſerentium Epiſcopos & Clericos verè eſſe domi-

nos fructuum Eccleſiaſticorum etiam ſuperfluorum, ita ut non teneantur ſuperflua dare pauperibus ex Juſtitia, ſed ſolùm ex charitate. Cajetanus mediâ incedit viâ, dicit enim quòd ſi proventus Epiſcoporum ſint mediocres, & non multùm redundantes, aut etiam tenues, nihil eos teneri dare pauperibus, in quo tenet cum ſecunda ſententia; ſi verò redditus ſint multùm redundantes tunc teneri eos, ipſos redditus in tres partes dividere, unam pro ſe, alteram pro Eccleſiæ fabrica, tertiam pro pauperibus; ego etiam mediâ incedam viâ, ſed ex alio Principio. Pro cujus Reſolutione

1. Bonorum temporalium genera plura.

Notandum, Plura eſſe bonorum genera, quæ in peculio Epiſcoporum conſiderari poſſunt. Primò ſunt ea, quæ eis ex patrimonio vel hæreditate aut aliunde ex liberali donatione proveniunt, quæ dicuntur *Patrimonialia*. Secundò ſunt *Quaſi Patrimonialia*, quæ eis proveniunt ratione alicujus Eccleſiaſtici oneris, & officii v. g. ratione celebratæ Miſſæ, vel perſolutarum horarum, quæ dicuntur *Quotidiana Pitantia*. Tertiò, in primordiis Eccleſiæ fuerunt bona illa, quæ fideles in commune conferebant, ut inde tam Clerici quàm pauperes alerentur, de quibus agitur Actor. 4. *Nec quisquam egenus erat inter illos . . . . Dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat.* Nam ut dicit Melchiades Papa *Can. futuram 12. q. 1.* Quòd cùm Apoſtoli Eccleſiam futuram in Gentibus prævidiſſent, idcirco prædia in Judæa minimè ſunt adepti; *Videntes autem*, verba ſunt Urbani Pontificis in Canone proximè ſequente, *ſummi ſacerdotes plus utilitatis poſſe conferre, ſi hæreditates & agros* quos vendebant, Eccleſiis, quibus præſidebant Epiſcopi, traderent eò quòd ex ſumptibus eorum tam præſentibus quàm futuris temporibus plura, & elegantiora miniſtrare poſſent fidelibus communem vitam agentibus, quàm ex pretio eorum, cœperunt prædia & agros, quos vendere ſolebant, matricibus Eccleſiis tradere. Quartò, ſunt bona & fructus, qui ex illis agris & villis ac prædiis proveniunt, & de his potiſſimùm controvertitur. Quintò, ſunt Decimæ juri Clericorum addictæ, ut patet *ex Can. Decimas XVI. q. 1. & X. de Decimis per totum.*

2. Simplicius Pontifex diſtribuit bona communia in 4. partes.

Notandum 2. In principio Eccleſiæ omnes Clericos in communi vixiſſe, & tunc Epiſcopos fuiſſe bonorum adminiſtratores, ita quòd ſibi, quæ neceſſaria erant, ſumerent, & pro indigentia diſtribuerent tum pauperibus, tum Clericis ſecundùm cujuslibet neceſſitatem, ſervata parte pro Eccleſiæ indigentia, & decenti adminiſtratione divinorum, ut habetur tum Canon. *Videntes*, tum, *Canon. Epiſcopus XII. q. 1.* cùm autem Clericorum numerus excreſceret, amplius commodè per omnia vita communis durare non valuit, & plures ſeſe ſeparagent, quo facto cœperunt etiam pro humana fragilitate & cupiditate, Epiſcopi bona infideliter diſtribuere, quod videntes ſummi Pontifices bona illa diviſerunt in quatuor portiones, unam pro Epiſcopo, alteram pro Clericis, tertiam pro pauperibus, & quartam pro Eccleſia aſſignantes, & hoc circa tempora DD. Auguſtini & Hieronymi, circa annum videlicet 470. ſedente Simplicio Pontifice, cujus eſt canon. *de redditibus XII. q. 2.* ubi habetur hæc diviſio, & poſt 20. annos ſedit Gelaſius, cujus ſunt canones *Vobis enim* &c. *Quatuor* &c. & anno circiter ſex centeſimo ſedit Gregorius, qui in Can. *Cognovimus* & *mos*, eandem partitionem confirmat. His prænotatis

4. Epiſcopi ſunt Domini Patrimonialium.

DICO 1. *Epiſcopi & Clerici ſunt veri domini ſuorum bonorum patrimonialium.* Eſt communis omnium, & Probatur 1. *Ex Can. Epiſcopi XII. q. 1.* ex Concilio Agathenſi, ubi habetur, *quòd Epiſcopi de rebus propriis vel acquiſitis, vel quidquid de proprio habent hæredibus ſuis, ſi voluerint, relinquant.* Probatur 2. ad ea quæ ſupererogationis ſunt, nemo niſi ſeſe voto adſtringat, obligatur, ſed vivere ſine omni proprio eſt actus ſupererogationis, ergo non tenetur aliquis privare ſe dominio, ſed Epiſcopi & Clerici particulari voto non ſe adſtrinxerunt ad paupertatem ſervandam, ergo non tenentur abdicare dominium bonorum patrimonialium: major eſt D. Auguſtini in epiſt. ad Paulinum & Armentarium dicentis, *Quia jam vovisti, jam te obſtrinxiſti, & aliud tibi facere non licet, priusquam eſſes voti reus, liberum fuit &c.* Probatur etiam minor, quia Matth. 19. per modum conſilii adjecit ad neceſſitatem obſervantiæ præceptorum divinorum *ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia &c.* ergo. Sed in contrarium ex eodem textu ſic

ARGUITUR. Epiſcoporum ſtatus eſt perfectior ſtatu Monachali, ſed ex textu allegato abdicatio omnium temporalium eſt neceſſaria ad perfectionem, ergo etiam id facere tenentur Epiſcopi, & conſequenter nullum habent dominium etiam rerum patrimonialium. Reſpond. diſt. min. abdicatio rerum temporalium eſt neceſſaria ad perfectionem aliquam, conc. omnem generaliter, & in quocunque ſtatu, nego min. & conſequ. Itaque ad perfectionem religioſam neceſſaria eſt voluntaria paupertas, quia

Digitized by Google

quia profitentur perfici, hoc eſt perfectionem diſcere & comparare, Epiſcopi autem non profitentur perfici, ſed perficere, quare etiam adoleſcenti non dictum eſt: *Si perfectus es*, ſed *ſi vis perfectus eſſe, vade &c.* à Petro verò dum inſtituitur paſtor non requiritur paupertas, ſed dilectio *Petre amas me* &c. *Paſce oves meas* &c. quia culmen perfectionis in copia dilectionis conſiſtit.

Inſtatur CHRISTUS Matth. 10. dicit Apoſtolis: *Nolite poſſidere aurum vel argentum &c.* unde Petrus audacter oſtendit ſe obſecutum dicens: *Ecce nos reliquimus omnia &c.* ſed Epiſcopi ſuccedunt in locum Apoſtolorum, ergo etiam ipſi debent relinquere omnia. Reſpond. 1. cum D. Auguſtino lib. de conſenſ. Evang. illud *Nolite* non habere vim præcepti, ſed permiſſionis, quaſi diceret: Non opus eſt vobis auro & argento, permittitur enim vobis tanquam operariis victum neceſſarium ſuſcipere. Reſpond. 2. diſtin. min. Epiſcopi ſuccedunt in locum Apoſtolorum, ut Apoſtoli fuerunt, conc. ut religioſi & tales, qui tria vota emiſiſſent, neg. Itaque D. Thomas tenet Apoſtolos probabiliter tria vota emiſiſſe, uti religionum futurarum exemplaria.

Nota autem Clericum ordinatum in ſacerdotem ad titulum patrimonii, non poſſe id ſine licentia Epiſcopi alienare, donec beneficium, vel alia bona unde honeſtè vivere poſſit, obtinuerit. Ita habetur in Trident. *ſeſſ. 21. cap. 2.* decreti de Reform. & idem dic. de bonis quaſi patrimonialibus

5. Epiſcopi bonorum Eccleſiaſticorum ſunt adminiſtratores

DICO 2. *Epiſcopi & alii Clerici non ſunt domini bonorum Epiſcopalium, nec aliorum beneficiorum, vel Præbendarum, aut collegiorum, vel canonicatuum, puta agrorum, prædiorum, Caſtrorum &c. ſed tantùm adminiſtratores.* Hæc eſt certa apud omnes & Probatur 1. ex jure canon. *can nulli licet XII. q. 2. & 1. can. expedit & can. multi, eâdem cauſâ & q. & can. Poſſeſſiones 16. q. 1. & X. de rebus Eccleſ. Non alien. per totam.* Ubi id clarè determinatur, & inhibetur ne bona Eccleſiaſtica alienentur, quia Epiſcopi & ſacerdotes non ſunt abſoluti domini; unum canonem refero cum textu, nempe ultimum II. q. 1. ex D. Auguſtino ad comitem Bonifacium ubi ſic habetur: *Si primatum poſſidemus, quod nobis ſufficiat, non illa bona noſtra ſunt, ſed illorum, quorum procurationem gerimus, proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicemus.* Et tract. 6. in Evang. S. Joannis circa finem dicit: *Noſtis fratres mei, quia villæ iſtæ non ſunt Auguſtini. Et ſi vos non noſtis, & putatis me gaudere in poſſeſſione villarum, DEUS novit, ipſe ſcit, quid ego de illis villis ſentiam, vel quid ibi ſufferam.*

PROBATUR 2. Quia Epiſcopi nec vendere, nec alienare poſſunt niſi de conſenſu Capituli, & eorum quorum intereſt, imò ſæpe niſi accedente conſenſu Romanæ ſedis, & hoc in bonum, & perpetuitatem Eccleſiæ, ergo.

6. Eccleſia habet dominium Poſſeſſionum.

QUÆRES: Ad quem ſpectet dominium talium bonorum? Navarrus exiſtimat dominium talium bonorum eſſe penes ſolum CHRISTUM; verùm Reſpond. cum Cajetano, eſſe penes Eccleſiam, quod probari poteſt ex communi uſu loquendi, quo dicuntur talia bona eſſe Eccleſiæ; Tum ex intentione dantium, qui illa Eccleſiæ dederunt, quamvis propter CHRISTUM: Tum, Quia bona Religionum (quibus licitum eſt habere) ſunt penes ipſam religionem quoad dominium, ergo multò magis dominium erit penes Eccleſiam, quia homines ex quibus Eccleſia conſtat non ſunt obligati voto paupertatis, quia per Eccleſiam hic intelligo communitatem eccleſiaſticam cujuscunque Diœcelis, aut Territorii exempti.

DICES: Reſolutio videtur eſſe contra *Can. Nullius inſtitutione*, in quo dicitur res ſacras & religioſas nullius eſſe, ergo Reſpond. Canonem illum ſolùm velle res ſacras nullius eſſe perſonæ ſingularis, nec etiam communitatis laicæ. Et ſi dicas, hujuſmodi bona patrimonia CHRISTI appellantur, ergo penes CHRISTUM tantùm erit dominium. Reſpond. Canones tales bona Eccleſiæ vocare patrimonia CHRISTI, quia ad gloriam CHRISTI data, & ad hunc finem danda, & expedenda ſunt.

7. Clerici ſunt Domini eorum quæ ex obſequio acquirunt.

DICO 3. *Epiſcopi & alii Clerici veri domini ſunt eorum proventuum, qui eis obveniunt, ratione alicujus obſequii clericalis annexi Eccleſiæ, v. g. capellaniæ, aut anniverſarii, ſicut & quotidianarum pitantiarum, quæ eis promiſſis, & aliis officiis divinis præſtantur.* Eſt etiam communior. & Probatur 1. Tum, quia pauperes ſunt domini eleemoſynarum ſibi datarum, ergo etiam clerici mercedis, quæ ſibi ex onere annexo obtingit: Tum, Quia translatio

dominiorum fit per liberam dationem unius & liberam acceptionem alterius, ſed faciens dici miſſam pro defunctis v. g. liberi dat, & alter acceptat, ergo. Nec refert quòd tales eleemoſynæ ſint temporaneæ vel perpetuæ, quia ex intentione dantis vel fundantis dijudicari debet; ſi ergo pro ſolo obſequio & officio vult præſtitum, ipſius revera dominium acquiret. Probatur 2. Stipendia quæ Magiſtratibus ſæcularibus dantur verè tranſeunt in dominium ipſorum, ergo etiam quæ dantur Clericis, cùm hi multò pretioſiùs ſerviant reipublicæ quàm illi.

8. Epiſcopi ſunt Domini Proventuum ab agris &c.

DICO 4. *Epiſcopi reliquique Clerici beneficiati ſunt veri domini omnium proventuum eccleſiaſticorum bonorum, tam eorum qui ſunt neceſſarii ad honeſtam ſuſtentationem, quàm etiam ſuperfluorum, dummodo portio pauperum non ſit immixta portioni clericali, vel epiſcopali.* Hæc quoad primam partem eſt communis omnium: quoad ſecundam eſt D. Thomæ &c. ſupra. & quoad tertiam eſt mea limitatio. Probatur ergo prima pars: Quia hæc portio fuit eis adjudicata per Simplicium, Gelaſium &c. in canonibus ſupra citatis Notabili 2. idque per modum ſtipendii ſuorum laborum, ſicut fuit adjudicata pauperibus ſua portio, ergo ſicut pauperes fiebant domini ſuæ perceptæ portionis, ita dicendum eſt de Epiſcopis, & aliis clericis.

PROBATUR 2. pars primò ex *Can. Unico. de Clerico non reſident. 6.* ubi dicitur, quòd qui divinis officiis non interſunt niſi infirmitas, ſeu juſta & rationabilis Neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas relevet, non ſunt domini quotidianarum diſtributionum, nec faciunt eas ſuas, ſed ad reſtitutionem ſic perceptorum obligantur, ergo econtra reſidentes ſunt domini, & faciunt eas ſuas, nec ad reſtitutionem tenentur. Confirmatur ex Concilio Trident. *ſeſſ. 24. cap. 12.* ubi dicit de Beneficiatis eorum, que fructibus, eos ratione præbendæ facere ſuos. Probatur 2. Tum, quia dividere bona eccleſiaſtica in quatuor portiones nihil aliud eſt, quàm facere & adjudicare cuilibet ſuum, ergo ſicut fabrica, & pauperes acquirunt dominium ita Epiſcopi, & clerici: Tum, Quia illarum rerum eſt quis dominus de quibus poteſt ſatisfacere creditoribus, ſed de fructibus & redditibus bonorum eccleſiaſticorum poteſt quis ſatisfacere, ut tenet gloſſa in *cap. Duo ſunt XII. q. 1.* & ipſum *cap. Pervenit. X. de fidei juſſ.* Tum, Quia ſi Epiſcopi & Clerici tenerentur de ſuis redditibus diſtribuere pauperibus partem, & aliam fabricæ, fruſtra fuiſſet facta bonorum diviſio: Tum à paritate de magiſtratibus ſæcularibus & civilibus: Tum, Quia pater verè dominus eſt eorum, quæ tribuit filiis & ſæculares potentes domini ſunt eorum, quæ tribuunt pauperibus, ergo poſito quòd Epiſcopi teneantur magis dare pauperibus quàm ſæculares, cùm ſint Patres pauperum, adhuc tamen dant de ſuo, ita quòd ſi non facerent, ad reſtitutionem non tenerentur.

Probatur 3. Quarta portio attributa Epiſcopo per canones ſupra, ſit 20. millium aureorum, vel decem millium, quo poſito ſic argumentor, vel Epiſcopus poteſt totum hoc quantum abſumere, vel non? ſi poteſt, ergo verus eſt dominus: ſi non poteſt, aſſigna regulam quantum poſſit: ſi dicis, poteſt tantum abſumere quantum authoritas & majeſtas illius Eccleſiæ requirit: nihil dicis quia frequenter evenit, quòd Eccleſiæ majeſtas magna ſit, proventus exigui, & econtra proventus copioſiſſimi: & eccleſiæ dignitas non eſt tanta, ut patet de Archi Epiſcopatu Pragenſi, & Epiſcopatu Uratislavienſi, & univerſaliter quaſi omnes Epiſcopi Germaniæ & Hiſpaniæ in redditibus excedunt Italos, quorum tamen maxima eſt dignitas, ut patet de illis ſex Epiſcopis Cardinalibus, &c.

Probatur 4. Et ponatur Epiſcopum nulla habere bona patrimonialia, nec tamen eſſe dominum proventuum Epiſcopalium; quo poſito ſic arguo, quicunque non eſt dominus alicujus rei, & eam retinet, aut alienat, vel conſumit, tenetur ad reſtitutionem, ſed poteſt Epiſcopus habere redditus decem millium, cui pro honeſta ſuſtentatione ſufficiunt octo, & omnia decem vel conſumere, vel alienare, ergo tenebitur ad reſtitutionem quatuor millium; ſubſumo ſed ad hoc non videtur poſſe obligari Epiſcopum, quia ſi reſtituat & det pauperibus altero anno quatuor non habebit ſatis pro honeſta ſua ſuſtentatione: ſi autem ſecundo anno & tertio pariter omittat, nihil ei manebit, ad quas extremitates adigendi non ſunt, quamdiu non conſtat de præcepto & obligatione gravi.

Pro-

Probatur tertia pars concluſionis: Quia in diſtributione bonorum Eccleſiaſticorum una portio fuit adjudicata pauperibus tanquam ſua, ergo ſi ipſa immixta eſt portioni epiſcopali, tenebitur Epiſcopus eam dare cujus eſt, ita quòd ſi non det, alienum retineat, & ad reſtitutionem teneatur. Dixi autem notanter *Si*, quia incertum eſt, utrum ſit admixta; quòd ſit, dijudicant aliqui ex copia proventuum: Sed hoc non conſtat, quia illa copia per induſtriam Epiſcoporum accreſcere potuit. Deinde poteſt eſſe, quòd portio pauperibus debita ſit mutata in alia beneficia eccleſiaſtica, idque per authoritatem ſummi Pontificis: Imo poſſunt ex illis eſſe erectæ ſcholæ pauperum, quales in Germania ordinariè ſunt penes Eccleſias cathedrales: ultra potuit illa portio pauperum eſſe applicata pro publicis neceſſitatibus, alendis magiſtratibus, & Sotus dicit in Hiſpania bonam portionem pro Regibus accipi, Cùm ergo iſtud non conſtet, Epiſcopi & Clerici manent in poſſeſſione bonæ fidei. Sed in contrarium

OPPONITUR 1. Nam CHRISTUS Matthæ. 10. dicit: *Dignus eſt operarius cibo ſuo.* Et Paulus 1. ad Timoth. 6. ait: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*, ergo Clerici & Epiſcopi nihil poſſidere debent præter ea, quæ ad victum ſunt neceſſaria. Reſpond. neg. conſequ. Quia licèt dignus ſit operarius mercede ſua, hoc non tollit, quin ſit Dominus illius mercedis, quam acquirit. Ad textum autem D. Pauli dico eum non ſolùm loqui de Clericis, ſed etiam de omnibus univerſaliter, & quàm maximè de divitibus hujus ſæculi, quos redarguere voluit, ne in multitudine divitiarum gloriarentur, aut ne ſuum cor apponerent.

INSTATUR: Chriſtianus populus non tenetur quidquam Sacerdotibus præterquam eos alere & ſuſtentare, ergo eà omnia, quæ ſunt ultra neceſſariam ſuſtentationem pauperibus debentur, & conſequenter non ſunt Domini. Reſpond. 1. Retorquendo argumentum, Chriſtianus populus nihil tenetur magiſtratibus & Regibus præter ſuſtentationem, ergo magiſtratus & Reges non ſunt Domini bonorum, quæ ſuperfluunt. Reſpond. 2. verum eſſe, ex hoc tamen non ſequi, quin verum acquirant Dominium ſuperfluorum, quia ratio prudentiæ dictabat, quòd illis deberet attribui una portio pro eorum ſuſtentatione & neceſſitate, cujus tamen eſſent Domini.

OPPONITUR 2. authoritas Juris Canonici, nam contra concluſionem numeroſiſſimi textus afferuntur. *Can. ſicut bi d. 47. Can. Expedit. XII. q. 1.* dicitur ex Proſpero facultates Eccleſiæ non eſſe proprias, ſed in communi poſſidere: Et prior vetat ex Ambroſio *Nemo aliquid proprium dicat.* Et *can. Epiſcopi 1 eadem* cauſa, ex Concilio Agathenſi dicitur: Quòd quidquid de proviſione Eccleſiæ fuerit, ſive de agris, ſive de fructibus, ſive de oblationibus in jure Eccleſiæ ſunt ſervanda; Et Urbanus ibidem in can. *Res*, ait, non in alios uſus quàm in præfatos, & in ſubſidium pauperum eſſe diſtribuendas, quod etiam habet *Can. Epiſcopus*, ibidem & in eadem cauſa ac quæſtione *Can. Quia*, dicunt Imperatores Carolus & Ludovicus, *juxta ſanctorum Patrum traditiones novimus res Eccleſiæ vota eſſe fidelium, pretia peccatorum & patrimonia pauperum*, unde Auguſtinus in can. 10. ait: Qui decimas dare noluerit, quanti pauperes in locis ſuis, ubi ipſe habitat, illo decimas non dante fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante æterni Judicis tribunal apparebit. Et alii quàm plurimi Canones in contrarium adducuntur. Sed: Reſpond. 1. Omnes Canones veros eſſe, nec tamen cogere quòd Epiſcopi & Clerici plus teneantur dare pauperibus ex juſtitia, quàm alii ſæculares, aut quòd non acquirant dominium ſuæ portionis. Reſpond. 2. Intelligendos eſſe de bonis quæ portionem pauperum admixtam habent. Reſpond. 3. Canones loqui de bonis ſecundùm illam habitudinem temporis, quando nondum erant in quatuor portiones diſtributa. Reſpond. 4. Canones eſſe per modum conſilii non præcepti: licet propter exaggerationem præcepta eſſe videantur. Reſpond. 5. Canones, & SS. Patres dicentes rapinam eſſe pauperibus eleemoſynas denegare, intelligere hyperbolicè de rapina, quæ eſt contra liberalitatem, & miſericordiam, dupliciter enim rapina ab eis ſumitur, Primò ut opponitur juſtitiæ, ſecundò ut opponitur miſericordiæ, de hac igitur loquuntur non de prima

Reſpond. 6. particulariter ad quemlibet Canonem. Primi itaque duo loquuntur de rebus immobilibus, ut poſſeſſionibus & agris. Pertius ex Proſpero agit de tempore ante factam diviſionem. Similiter Can. *Res*, Canon. *Epiſcopus*, intelligitur bona eſſe Patrimonia pauperum non ex juſtitia, ſed ex miſericordia. Can. autem ille ex D. Auguſt. aſſumptus loquitur univerſaliter tam de Clericis, quàm ſæcularibus, ſed adhuc

ARGUITUR. Clerici nec quidem in pias poſſunt teſtari cauſas de fructibus beneficiorum, ergo non ſunt Domini: patet antec. ex Canone *Quia nos*, de teſtationibus, quem Paulus III. aliique Pontifices confirmârunt. Reſpond. negando conſequ. quia illa eſt peculiaris prohibitio ideo facta, nè Clerici differant ſua dare pauperibus, dum vivunt, ex quo tamen non habetur eos eſſe obligatos ex juſtitia. Reſpond. 2. negando antec. quia conſuetudo jam obtinuit eos poſſe teſtari ſaltem de licentiâ Epiſcopi. Reſpond. 3. Canonem illum intelligendum eſſe, Clericos non poſſe teſtari in perſonas quaſcunque profanas, & uſus quoslibet, non verò quin licitè & validè teſtari poſſint in cauſas pias.

9? Epiſcopi ex charitate tenentur dare Eleemoſynas.

DICO 5. *Epiſcopi & Clerici ex titulo Charitatis, & miſericordiæ plus tenentur cæteris Chriſtianis ad eleemoſynas pauperibus erogandas de redditibus ſuis ſuperfluis.* Ita Leſſius, Sotus, & ferè omnes, qui tenent, eos eſſe dominos ſuperfluorum. Probatur 1. Quia Epiſcopi ſunt & eſſe debent ſpecialiter Patres pauperum, unde ait Hieronymus ad Nepotianum, & refertur. *XII. q. 2. Gloria Epiſcopi eſt, pauperum opibus providere: ignominia Sacerdotis eſt propriis ſtudere divitiis.* Et confirmari poteſt ex Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 1. Reform. ubi Epiſcopis inhibetur *Nè ex redditibus Eccleſias conſanguineos familiares ſuos augere ſtudeant: cum & Apoſtolorum Canones* (nempe 59. & 75.) *prohibeant, nè res eccleſiaſticas, quæ DEI ſunt, conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſunt, iis ut pauperibus diſtribuant.* Et poſt paululum ſubdit: *Quæ de Epiſcopis dicta ſunt, eadem in quibuſcunque beneficiis eccleſiaſtica &c. obtinentibus obſervari &c. decernit.* Probatur 2. Quia Epiſcopi ſunt paſtores gregis Chriſti, & animarum curam habentes, ergo magis tenentur ad eleemoſynas quàm alii probatur conſequ. Quia ex defectu rerum temporalium ſæpè pervertuntur homines, & maximè periclitatur ſalus animarum, unde Salomon petiit: *Nec divitias nec paupertatem dederis mihi:* Tertiò Quia Epiſcopis eſt interdictus ſuperfluus victus & mundanus luxus, tum ex Canonibus, tum ex Concilio Trident. cit. ergo quæ redundant, pauperibus dare debent, unde ait D. Hieronymus: *De altari illis vivere fas eſt, non luxuriari.* Quarto. Quia fideles non ideo tantas opes in Eccleſiam contulerunt, ut ſoli Eccleſiaſtici illis uterentur, ſed potius ut iis in obſequium & honorem Chriſti uterentur ſuccurrendo pauperibus, & alia pia opera exercendo, &c.

Quæſtio VI.

An & quarum rerum dominium habere poſſint Religioſi?

REligioſi alii ſunt, qui per ſolemnia vota, alii qui per ſimplicia vota ſunt tales, hi ſunt Jeſuitæ dicti ſcholaſtici, reliqui ſunt omnes alii in Eccleſia DEI militantes, de quibus, præſciendo à Minoribus Obſervantibus, & Capucinis. 1. Religioſi in communi poſſunt habere bona.

DICO 1. *Religioſi omnes ſolemniter etiam profeſſi poſſunt habere dominium bonorum temporalium in communi. ita aut Congregatio qualibet verè bona ſua tradita, vel empta poſſideat.* Eſt communis contra Navarrum exiſtimantem Religioſos non eſſe dominos, ſed adminiſtratores ſuorum bonorum, ſed dominium eſſe penes Chriſtum. Probatur 1. ex X Nicolai III. ubi docet dominium, quibus Franciſcani utuntur ad Papam pertinere, non autem ad eorum Congregationem, ſicut in aliis Congregationibus, quibus licet habere bona in communi, in illis enim pertinet dominium ad eorum congregationes. Probatur 2. ex Concilio Trident. ſeſſ. 25. cap. 3. ubi conceditur omnibus monaſteriis tam virorum quàm mulierum etiam mendicantium (minoribus exceptis) ut deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat; ſed non propriè dicitur poſſeſſor, qui non dominium, ſed ſolam habet adminiſtrationem

DICES. In his & ſimilibus locis per dominium intelligi jus adminiſtrandi, ergo &c. Sed Contra 1. Sedes Apoſtolica non poteſt ſinè peccato injuſtitiæ pro ſuo libitu bona Religionum aliarum auferre, & aliis dare, ſicut poteſt diſponere cum bonis mobilibus & immobilibus Eccleſiarum Fratrum Minorum, ſed hujus alia ratio non eſt, quàm quòd aliæ Religiones habeant verum dominium, & non puram adminiſtrationem. Contra 2. Vulgatum eſt dictum Doctorum, quòd Monachus acquirat monaſterio, quidquid lucratur, hoc autem impropriiſſimè diceretur, ſi monaſterium ſolam haberet adminiſtrationem. Contra 3. Si Religiones aliæ non haberent dominium ſuorum bonorum hoc proveniret

ret vel ex ordinatione Ecclesiæ, vel ex voventium intentione, vel ex intentione donantium, sed ex nullo horum capite provenit; ergo. Probatur minor. Non ex primo; quia nulla talis ordinatio constat, imò ejus potiùs oppositum ex Concilio citato. Nec ex secundo, quia quilibet vovens non excludit & spoliat communitatem omni dominio, sed tantùm seipsum. Nec denique ex tertio, quia neque hi habent intentionem transferendi dominium in quemcunque alium quàm in Communitatem, sicut non intendunt ad alium transferre, dum dant Eleemosynam pauperi; fateor tamen habens Religiones non habere tam perfectum dominium, quàm habent sæculares, nam non possunt ea pro suo libitu alienare, nisi in commodum Religionis: Tum quia hoc Canones decernunt: Tum ut Religiones perseverare possint. Sed in contra

ARGUITUR 1. Matth. 4. Legitur quòd Apostoli relictis retibus secuti sint Christum; & cap. 19. Christus ipsemet juveni postulanti sibi ostendi modum vivendi respondit, *si vis perfectus esse vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus*, sed Religiosi profitentur vitam perfectam, ergo videtur quod nec in communi aliquid debeant habere proprium. Respond. negando Consequentiam. Quia licèt Apostoli relictis retibus secuti sint Christum, tamen leguntur aliquid habuisse in communi, nam Joan. 12. dicitur quòd Judas loculos habebat; *& ea quæ mittebantur portabat*, unde etiam Venerabilis Beda lib. 4. cap. 54. in Lucam dicit: Ubi non hoc præceptum esse putandum est, ut nil pecuniæ reservetur à Sanctis, vel suis scilicet, vel pauperum usibus suggerendæ; cùm & ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam Ecclesiam suam loculos habuisse legatur, & à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens. Ad secundum locum Respondeo cum Doctoribus communiter ibi Christum præscribere Juveni illi, & cuicunque Religioso modum vivendi in particulari.

ARGUITUR 2. Ad statum religiosum essentialiter pertinet repellere omnem humanarum rerum sollicitudinem, ut dicit Christus Matth. 6. *Nolite solliciti esse in crastinum* & 1. Corinth. 7. *Volo vos sine sollicitudine esse*, sed divitiæ & possessiones in communi causant magnam sollicitudinem & abstrahunt mentem à contemplatione divinorum; ergo non licet etiam in communi habere ejusmodi proprietatem: Respond. dist. maj. Ad statum religiosum pertinet nimiam & superfluam sollicitudinem repellere, concedo, adeoque contra statum eorundem est habere immoderatas, & nimis abundantes divitias, quod tantùm intenduot loca adducta: Repellere moderatam sollicitudinem, & quæ non impedit debitam divinorum contemplationem, nego maj. Religiosi autem ut suppono, non habent tantas divitias, ut eos impediant à cœlestium rerum contemplatione; Et licèt sint aliqui quandoque multùm distracti circa illa bona, ut superiores, & qui habent curam administrandi, tamen in Conventibus manent plurimi, qui continuò vacant sanctis exercitiis, & tam pro se quàm pro illis, qui circa talia temporalia occupantur; apud DEUM plenè satisfaciunt. Nec refert quòd S. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 24. laudet Isaac Monachum, quod discipulis petentibus aliquas possessiones responderit, *Monachus qui in terra possessiones quærit Monachus non est.* Quia vel loquitur S. Abbas de possessionibus immoderatis, vel timuit ne ex moderatis ad superfluas perveniretur: Vel certè de quolibet Monacho in particulari.

INSTATUR. Si habere proprium in communi non est contra perfectionem status Religiosi ad quid ergo aliqui renuntiant ejusmodi proprietati, ut faciunt fratres Minores de Observantia. Respond. Perfectionem status Religiosi etiam quoad vota essentialia non consistere in indivisibili, sed habere latitudinem intra quam manente substantia perfectionis, unus status est in perfectori gradu quàm alius, & in aliquo excedit, & in alio exceditur, licèt enim quoad substantiam perfectionis religiosæ sufficiat abdicatio proprietatis in particulari, nulli tamen dubium est, quin paupertas tam in communi, quàm in particulari perficiat multò magis hunc statum, quoad hunc punctum, unde in Evangelio passim legimus Christum & Apostolos aliquando nihil habuisse in communi, vel particulari, ut Matth. 8. Luc. 9. *Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque duas tunicas habeatis.* Et Matth. 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum.* Aliquando etiam legimus eos aliquid habuisse in communi, ut suprà ostendi, per quod insinuabant non esse contra perfectionem status Evangelici aliquid habere in communi.

DICO 2. *Religiosi solemniter professi in particulari sunt incapaces omnis dominii.* Est communis. Et Probatur ex Concilio Trident. sess. 25. cap. 2. Ubi sic habetur. *Nemini igitur Regularium tam virorũ quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscunq; qualitatis fuerint, vel etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiã nomine Conventûs possidere, vel tenere, sed statim Superiori tradantur,* Con-

2. Religiosi solemniter professi non sunt capaces dominii.

Conventuique incorporentur. Item ex *Cap. Non dicatis XII. q.1.* ex Regula S. Auguſtini deſumpto, ubi dicitur: *Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia.* Unde poſtea idem Sanctus de eadem re ſermonem apologeticum habuit ad Populum Hipponenſem, qui eſt numero 50. de Diverſis in tom. 10. Et Probatur 2. Quia Religioſus ſolemniter profeſſus non ſolùm ſe ſpoliat omni dominio, ſed etiam ſe reddit incapacem omnis dominii & juris temporalis, ergo. Nota tamen hanc exſpoliationem ab omni dominio non eſſe ex natura voti, nam Jeſuitæ Scholaſtici vovent etiam paupertatem, & tamen ſunt capaces, cum eorum votum in ratione voti, æquè ſit factum DEO, ſicut aliorum Religioſorum: Nec etiam eſſe ex intentione voventis, nam ſi quiſpiam profiteretur paupertatem in aliqua Religione non approbata, quantumcunque intenderet ſe obligare, attamen non fieret omnis dominii incapax: itaque hoc provenit ex ordinatione Eccleſiæ, & jure poſitivo Canonico, quod ordinat ut profeſſio ſolemnis in Religione approbata hunc effectum habeat: Et ſi dicas, ergo etiam ex ordinatione Eccleſiæ tantùm, tales ſunt incapaces ad matrimonium. Reſpondeo omnino eſſe paritatem, quod patet etiam ex conſvetudine, quia voventes ſimpliciter validè contrahere poſſunt, ſolemniter autem nec licitè nec validè.

ARGUITUR 1. Ex *Cap. Viduæ diſt. 27. q.2.* ubi dicitur, quòd virgo poſſit velari, & fieri Religioſa, & tamen manere in ædibus ſuis, quod fieri non poteſt ſinè aliquo proprio, quo ſuſtentetur, ergo poteſt quis eſſe religioſus, & habere proprium in particulari. Reſpond. negando Conſequentiam. Quia Jus ibi loquitur univerſaliter de iis Religioſis, qui vota tantùm ſimplicia emittunt uti ſunt noſtræ Tertiariæ, & Tertiarii, ac Societatis JESU Scholares, qui retinent quidem dominium & proprietatem, ut dicit Leſſius, non tamen uſum, niſi dependenter à nutu ſuperioris. Vel ſi Jus loquitur de ſolemniter profeſſis, dicendum eſt tales quidem poſſe retinere uſum facti, & dependentem, non autem dominium.

ARGUITUR 2. Ideo aliqui Religioſi ſunt incapaces dominii in particulari, quia Religioſi ſunt, & voverunt DEO paupertatem; & ex alia parte votum ſolenne, & privatum non differunt, niſi accidentaliter, ergo vel omnes æquè ſunt incapaces dominii etiam in particulari, vel nulli. Item, ergo ſunt æquè incapaces dominii in communi, ac in particulari. Reſpond. negando Antec. pro prima partè; Non enim ideo reſiduntur incapaces præcisè, quia Religioſi ſunt, aut quia profeſſi ſunt paupertatem, ſed quia ſolemniter profeſſi ſunt. Pro quo ſciendum Votum ſolemne & ſimplex in hoc differre, quod ſolemne ſit de ſe irrevocabile tam ex parte voventis, quàm ex parte acceptantis, ſcilicet DEI, qui mediante Eccleſia, ſeu Prælato acceptat illud votum irrevocabiliter, & conſequenter conſtituit voventem in ſtatu ſimpliciter permanenti & perpetuo. Votum autem ſimplex licet ex parte voventis ſit irrevocabile, ex parte tamen DEI acceptantis non eſt; hinc ſæpe videmus Eccleſiam in hujuſmodi votis ſimplicibus diſpenſare, quia Eccleſia non acceptavit illa ex parte DEI ut irrevocabilia, & ſic cùm Eccleſia non acceptet votum paupertatis Scholarium v.g. Societatis JESU, quoad effectum privandi voventem proprietate Dominii, hinc quousque ſuperior non acceptet totalem expropriationem per profeſſionem ſolemnem, non cenſetur per votum ſimplex amittere ſimpliciter & perpetuò Dominium ſuarum rerum. Similiter Prælati Religioſorum habentium bona in communi, [non acceptarunt votum ſolemne paupertatis ſuorum Religioſorum, niſi quantum ad effectum privandi eos proprietate in particulari, non autem in communi, & ſic utraque conſequentia argumenti eſt neganda.

1. Votum ſolemne inter & ſimplex diffe.

DICO 3. *Regulares cum ſimplici profeſſione & voto paupertatis, qualis ſunt Scholaſtici Societatis JESU poſſunt habere dominium rerum ſuarum circa quas validè ad libitum diſponere poſſunt, etiam ſinè licentiâ ſui Superioris.* Et Suarii lib. 4. Relig. cap. 4. n. 6. Sanchez lib. 7. de ſtatu Relig. cap. 18. n. 28. ubi dicit; *De bonis, quorum dominium ante hæc vota, ſecunda, acquiſierunt, vel de bonis Parentum, in qua poſt hæc vota jure hæreditario ſucceſſerunt, vel de bonis Conſanguineorum in qua eodem jure ſucceſſerunt ab inteſtato,* habere dominium Societatis JESU Scholares, Contra Leſſium & Molinam. 4. Regulares cum ſimplici voto poſſunt habere dominium.

PROBATUR. Tum quia Gregorius XIII. qui eos declarat veros Religioſos tantùm prohibet eis diſpoſitionem rerum, non autem invalidat factam. Tum quia nullum Jus pro hujuſmodi Religioſis extat, quia ſi aliquod eſt maximè illud, quod eſt de pupillis, ut vult Leſſius, exiſtimatus ſeſe ipſos habere ad inſtar pupillorum, ſed hoc non eſt, quia in odioſis non valet argumentatio ex uno jure ad aliud, ſed requiritur ſpecifica expreſſio: Tum quia ex conſvetudine videtur, quòd non permittant ſuos Scholaſticos ad Domos profeſſis, quàm diu ſpem habent acquirendæ hæreditatis, ut ex ipſis Patribus Societatis audivi.

OPPONITUR, Contra hanc Concluſionem: *Cap. Cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monach.* ubi dicitur, *Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia Caſtitatis adeò eſt annexa Regulæ Monachali,* ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere, ergo non poteſt ſtare proprietas in particulari, cum hoc quod quis ſit Religioſus, & conſequenter Scholares Societatis JEſu, vel non ſunt Religioſi, vel ſi ſunt, erunt

erunt incapaces Dominii in particulari, quorum neutrum est verum. Respond. Per *ly Monachum* non intelligi quemcunque Religiosum, sed tantùm solemniter professum; Vel si Canon loquatur de quocunque Religioso, dicendum cum Lessio lib. 2. cap. 4. dubit. 5. per proprietatem ibi intelligi Jus, vel usum juris independétem à consensu Superiorum, cujusmodi non stat cùm statu Religionis, nec talem habent dicti Scholares societatis JEsu.

INSTATUR. Repugnat Statui Religionis habere uxorem etiam dependenter à consensu Superioris, quoad usum Matrimonii, ergo etiam habere dominium licet cum dependentia à Superioribus quoad usum. Respond. dist. Antec. Repugnat &c. reduplicativè, concedo; Specificativè, nego; nam legitur Pontifices cum multis solemniter professis dispensâsse ad contrahendum Matrimonium ut ostendi tum in 4to tum in 2. in Tractatu de Usu probabilitatum. Unde pro secundo absolutè potest negari Antecedens, præsertim de Religiosis simplici voto tantùm adstrictis, ut patet de multis Ordinibus militaribus S. Jacobi, Calatravæ, &c. qui secundùm communiorem, & probabiliorem Navarri opinionem, sunt veri Religiosi etiam solenniter professi, cum quibus tamen dispensavit Pontifex, ut non teneantur nisi ad Castitatem Conjugalem. Hoc posito quod Papa non posset dispensare in voto solemni quoad ejus substantiam, potest tamen illud limitare quoad certum modum, & tempus, salvâ essentiâ & substantiâ voti. Denique quòd possit stare verum Matrimonium etiam consummatum cum statu Religionis, patet alio exemplo, v. g. si duo Conjuges post consummatum Matrimonium mutuo consensu profiterentur solemniter manent veri Religiosi, & tamen non dissolvitur vinculum Matrimonii consummati cùm sit indissolubile, quamvis amplius illi Conjuges non possent uti jure Matrimonii, utpote cui renuntiarunt. Idem dicendum est in propositio de Paupertate. Lessius ut suprà in Conclusione dixi concedit Scholares Societatis JEsu habere dominium negat tamen habere usum unde dicit, hoc Dominium quod habent Scholares Societatis JEsu esse parvi momenti, nec tollere essentiam paupertatis Religiosæ, utpote cùm usus ejus sit impeditus, dependens à Superiorum voluntate, & insuper obstrictus, ut etiam dominium resignare debeat quando superior mundaverit, utpote cùm illi nonnisi ad tempus concedatur, nam dominium rerum non æstimatur nisi propter usum & potestatem disponendi, unde si potestas utendi & disponendi ita impediatur in aliquo per votum, ac si non esset dominium, talis adhuc religiosæ paupertatis cultor censendus est, nihil enim amplius habet in rebus temporalibus potestatis, quæ in actum possit exire, quàm is qui dominio caret.

Scholarii Pauperes Societatis Jesu explicatur.

DICO 4. *Quilibet Religiosus etiam Minorita habet dominium naturale suarum actionum naturalium.* Patet; Quia est causa naturalis, ac proinde habet in eas dominium naturale, ita ut eas dispertiendo non peccet contra paupertatem, & hoc verum est sive sit sermo de actionibus internis, ut intelligere, velle, &c. sive externis, ut videre, audire.

Religiosus habet dominium naturale suarum actionum.

DICO 5. *Religiosus habet dominium suorum manuscriptorum, directum quoad formale eorum, indirectum quoad materiale eorum.* Probatur. Quia esse formale manuscriptorum aliud nihil est quàm idea extrinseca correspondens ideæ intrinsecæ, sive formali, aut objectivæ in mente studentis latenti, materiale autem in quo idea illa delineata est & picta, sed ista imago & idea non est alicujus alterius quàm studentis, Philosophantis, vel Theologizantis, ergo est ipsiusmet studentis.

Religiosus habet dominium in sua scripta.

DICES. Hinc sequeretur, quòd Imperator esset Dominus directus in picturam sui, quæ est in officina artificis, sed hoc est falsum; ergo. Probatur sequela: Totum esse picturæ qua talis est esse imaginem, sed hæc pictura non est ullius imago nisi Cæsaris, ergo ipse erit Dominus, & consequenter si Imperator aliquid solveret pro tela & coloribus posset eam sibi tollere sinè injuria artificis, totum enim id commutaretur quod est in tabula, præter solam imaginem, quæ est Cæsaris. Respond. negando sequelam, & probationis minor. nam in rigore loquendo illa pictura non est imago Cæsaris sed ideæ pictoris intrinsecæ, sive hæc sit actus formalis, sive objectivus, quia hujus ideæ est imago, perfecta & naturalis, Imperatoris verò largo quodam modo, quare in rigore justitiæ dominium picturæ habet pictor, quia est dominus non solùm materiæ, sed & formæ quà talis, cujus totum esse est ad ideam artificis.

DICES: Ergo qui contemplatur picturam fit Dominus picturæ, sequela est inconveniens, ergo: probatur tamen, quia pictura quà talis est similis ideæ contemplantis, ergo totum suum esse habet ad talem ideam & consequenter pictura quoad formale pertinebit ad mentem contemplantis, sive ad contemplántem. Respond. negan. primam consequ. cujus probationis antec. distinguo, pictura quà talis est similis ideæ contemplantis ut causa, concedo, ut effectus, nego & similiter distinguo consequens, ergo totum suum esse habet ad talem ideam ut causa, concedo, ut effectus, nego: eodem modo distinguo secundum consequens, ergo picturæ forma pertinebit ad contemplantem ut ad effectum, concedo, ut ad causam, nego. Itaque cùm idea contemplantis sit effectus imaginis & non causa, nullum habet dominium in ipsam, imo si pictura esset capax dominii haberet verum Dominium in ideam contemplantis quà talem, quatenus nimirum causa illius est, omnis enim causa, si alioquin

quin capax eſt, accipit Dominium in effectum.

Confirmatur concluſio ex Bulla Clementis VIII. aſſerentis monachos poſſe alienare ſua manuſcripta absque peccato contra Bullam de largitione munerum, quam ante publicaverat, atquí ſi non pertinerent ad ſcribentem Pontificis aſſertio eſſet falſa, ergo : minor patet. Quia ſecundùm Bullam Clementis, Religioſus rem parvi etiam momenti non poteſt elargiri, manuſcripta autem ſæpe ſunt maximi valoris, ergo cùm Pontifex dicat, quòd Author poſſit alienare, ſequitur quòd habeat verum & directum dominium in illa.

Probatur 2. pars concluſionis. Ad illum extenditur dominium indirectè quibus dominium directum indiget ad ſui conſervationem, atquí talis idea indiget charta & atramento ad ſui conſervationem, ut de ſe patet, ergo qui habet dominium directum in hujusmodi ideas, habet etiam indirectum in chartam & atramentum.

6. Lectores qua ratione habent dominium in diſcipulos.

DICO 6. *In diſcipulos quà tales habet verum dominium Juriſdictionis Religioſus.*

Hæc ſequitur ex præcedenti. Probatur: Quia non ſunt communitatis, nec Prælati, ergo Lectoris. Deinde diſcipuli quâ tales ſunt effectus ſolius directivæ cauſæ, & illam tantùm reſpiciunt, ergo directiva cauſa qualis eſt Lector habet verum dominium in ſuos diſcipulos. Hinc ſequitur Lectorem etiam indirectum habere dominium in illos non qua corporeos, ſed qua ſpirituales, quia ideæ quas Lector delineavit in intellectu eorum velut in charta non egent corpore ad ſui conſervationem, ſed animâ & intellectu hominis.

Dices: Quidquid acquiritur à Religioſo, monaſterio acquiritur, ergo. Reſpond. neg. antec. univerſaliter prolatum, dantur enim plurima quæ acquiruntur à Religioſis, quorum tamen incapax eſt monaſterium aut communitas, cùm enim Petrus intemperantiâ acquirit capitis dolorem non acquirit communitati ſed ſibi, ſic ſimiliter cùm incumbit & inſudat ſtudiis & difficultatibus penetrandis, reddit ſe dominum earum, quas penetravit non verò communitatem aut ullum alium, unde ſicut in priori caſu communitas non dolet capite, ſic ſimiliter communitas non erit magiſtra nec doctrix Theologiæ ex eo quòd aliquis particularis talis ſit.

Quæſtio VII.

An Fratres Minores ſint Domini panis quem mandunt?

1. Minores Fratres nec in communi poſſideant.

EX Concilio Trident. ſupra citato Fratres minores Obſervantes & Capucini, nec in communi quidem poſſe poſſidere aliquid, minus ergo in particulari patet, verumtamen, quiaquotidie manducant & bibunt, quamvis non poſſideant bona immobilia, ut reliquæ Religiones, non videtur, quomodo non habeant dominium cibi & potûs, cùm tunc temporis rem abſumant, alienent, deſtruant &c. quod ſine Dominio fieri nequit, nam uſus non dat facultatem deſtruendi, abſumendi, ſed ſalvâ rei ſubſtantiâ utendi, hinc ab aliis quæſtio iſta proponitur hoc modo, an in rebus unico uſu conſumptibilibus diſtinguatur uſus à Dominio? pro cujus reſolutione

2. Uſus deſcribitur.

Notandum 1. Uſum communiter definiri, quòd ſit *Jus utendi duntaxat alienâ re, ſalvâ ejus ſubſtantiâ.* ita ex ff. de uſu & habit: lib. 7. t. 8. C. de uſu fruct. & habit: & Inſtit. lib. 2. t. 5. & ponitur *Jus* loco generis, id eſt *facultas.* Dicitur *utendi* per quod excluduntur alia jura, quæ non ſunt ad utendum, ut jus deſpoſitarii reſpectu depoſiti, & creditoris comparatione pignoris, quibus deſpoſitarius & creditor non modo non poteſt uti, quin peccet, ſed & ſi uſus fuerit valorem uſûs reſtituere teneatur: Per particulam, *duntaxat* excluditur uſus fructus, qui non eſt ad utendum tantùm ſed etiam ad fruendum. Additur *alienâ re*, quia jus quod Dominus habet ad utendum re, quodque cum Dominio eſt conjunctum, & ab eo derivatur, non eſt uſus hìc deſcriptus, nam ut præclarè notat Chriſtophorus Schambogen tit. 4. lib. 2. cum juris peritis aliis, duplex eſt uſus & uſus fructus, *Cauſalis* qui proprietatem conjunctam habet, vel qui cauſæ ſuæ cohæret, & ſic dicitur Dominus rei, uti & frui re ſua, non tamen jure ſervitutis, quia res ſua nemini ſervit. *L. 5. ff. ſi uſusfr. pet.* Sed jure Dominii, & ſic intelligendæ ſunt leges in quibus uſus, aut uſus fructus pars Dominii eſſe dicitur, ſcilicet *Cauſalis*, uti L. 4. ff. de uſu fru. L. 21. §. de Except. rei judic. L. 58. L. 126. §. de v. o. Alius eſt uſus *formalis*, qui à proprietate ſeparatus, & hic definitus eſt: In qua tandem additur *ſalvâ rei ſubſtantiâ*, & hinc putant juriſperiti illarum rerum, quæ uſu conſumuntur non poſſe dari uſum ſine Dominio, quia non manet ſalva ſubſtantia: Sed hoc nihil obſtare infra videbitur. Quare

3. Uſus duplex eſt facti & juris.

Notandum 2. Uſum formalem eſſe duplicem nempe dependentem & revocabilem, ſeu *Facti*; & eſt ille, quem quis habet dependenter à voluntate concedentis, ita ut quovis momento poſſit eum revocare ſine ulla injuria uſuarii. Alius eſt independens & irrevocabilis, & vocatur à Nicolao III. *uſus Juris*, & eſt, quem quis habet independenter ab alterius voluntate, non quomodocunque ſed ita, ut ſine injuria eo privari non poſſit, cum enim ſupponat Jus, violari non poteſt ſine alterius injuria.

Notandum 3. Res quarum quis poteſt habere uſum eſſe quoque in duplici diffe-

differentia, aliæ enim sunt, quibus si homo utatur, statim absumi necesse est, & sunt panis & vinum, quorum usus proprius alius non est, quàm comestio & hibitio: Aliæ sunt, quæ per unum usum non destruuntur, ut usus domus, ædium, servi & jumentorum, de quibus hic non est controversia, certum enim est apud omnes in his dominium ab usu distingui. De prioribus itaque

Usus juris non potest separari à Dominio.

DICO 1. *Usus independens, seu usus juris non potest separari à Dominio in rebus unico usu consumptibilibus.* Est communis. Et Probatur: Quia habens hujusmodi jus ad tales res, eo ipso habet jus disponendi de ipsis tanquam de suis, ita ut absque ulla injuria non possint ab illo auferri, sed habens tale jus habet dominium, ergo.

Usus dependens non potest separari à Dominio.

DICO 2. *Usus dependens seu facti in rebus unico actu consumptibilibus distinguitur à Dominio apud Fratres minores, ita ut nec quidem panis, quem manducant, sint domini.* Ita Doctor in 4. d. 15. q. 2. a. 2. & Recentiores passim tam ex juris peritis, quàm Theologis. & Probatur 1. ex Regula Fratrum minorum approbata à sede Apostolica, quæ in rebus fidei & approbatione hujusmodi Religionum errare non potest, in qua cap. 6. sic habetur: *Fratres nihil sibi approprient, nec domum nec locum, nec aliquam rem &c.* ergo nec aliquam rem unico usu consumptibilem, sed non obstante hac omnimoda & rigida expropriatione, quam Seraphicus Pater ipse vocat *Cæstitudinem altissimæ Paupertatis*, concedit eadem regula & Breviariorum & victualium usum, ergo talis usus distinguitur à proprietate & dominio.

Probatur 2. ex authoritate Pontificum Nicolai III. *in cap. Exiit de V. S. in 6. Clementis V. in Clementina unica.* & ante ipsos Innocentius IV. Alexander IV. Gregorius IX. qui omnes Fratribus minoribus usum solum concessêre, & ad se dominium omnium rerum atraxerunt, quarum ipsa vellent ipsi concedentes habere, ergo.

Probatur 3. ex authoritate Sanctorum Regulæ expositorum, quales fuerunt quatuor Magistri, S. Bernardinus &c. & præclarissimum Ecclesiæ lumen D. Bonaventura, qui in expositione super cap. 6. Regulæ ait: *Duplex est usus rerum, quidam enim utuntur rebus authoritate propria ut domini, quidam alienâ ut servi . . . . quia ergo fratres minores pro Christo serviles effecti sunt, utuntur rebus, quæ usu consumunt, nec tamen eis dominantur, & in hoc ipso Dominum imitantur, qui cibo vescebatur alieno, in alienis domibus contentus hospitando.*

Probatur 4. ex pluribus constitutionibus religionis generalibus & hisce temporibus, Toletano Anno 1606. Romano 1612. Toletano 1633. per sedem Apostolicam approbatis, & novissimè Romano Anno 1688. & Victoriensi in Hispania Anno 1694. quibus in persona Ministeri, & ut Cultos interfui, in quibus semper determinatum fuit, Religionem non velle aliquid habere proprium nec in communi, nec in particulari.

Probatur 5. Rationibus à priori: Primò, quia non repugnat aliquem accipere facultatem à Domino utendi re aliqua unico usu consumptibili, & tamen accipere hanc facultatem revocabilem semper, & dependentem à voluntate ejusdem domini, tunc autem ille qui habet talem facultatem non potest dici habere dominium, cum semper dependeat à voluntate alterius potentis pro suo libitu prohibere illum, toties quoties voluerit, sed Fratres minores profitentur tam in communi quàm particulari se nec in judicio de rebus hujusmodi ablatis contendere posse, nec eis ullam fieri injuriam, si ab eis, dum actu utentur, auferantur, ergò. Secundò: dominium non acquiritur per solam alicujus dationem, sed etiam ultra requiritur acceptatio, sed Fratres minores, licèt eis dentur & liberè offerantur panis, vinum, & fructus, &c. quibus uti necesse habent, non volunt acceptare dominium, sed solum petunt usum, ergo non sunt domini eorum, quæ manducant.

Probatur 6. à Posteriori: Tum, Quia ipsi Adversarii fatentur Religiosos alios non habere dominium ullo modo in particulari, licèt habeant in communi: Ex quo sic argumentor: Potest Religiosus in particulari vesci pane sibi proposito absque eo quòd ipse habeat ullum dominium, licèt dominium sit apud communitatem, ergo etiam potest integra communitas, & Religio vesci pane sibi elargito absque eo quòd habeat ullum dominium: Tum, Quia servi filifamilias, & convivæ habent usum ciborum sibi appositorum, & tamen non habent dominium, ergo etiam integra religio sic esse potest, maximè cùm dominium semper maneat apud dantes, aut si ipsi nollent apud se retinere, susceperint in se summi Pontifices, qui licèt omnium, singulariter tamen Fratrum minorum Patres pauperum, sunt, ut ait Nicolaus III.

Probatur 7. Quia huic assertioni & scriptura & jus favet, Nam olim in Deuteronomio cap. 23. concedebatur, quòd quis vineam alterius ingredi potuit, & ex illa vesci absque ullo dominio: Ingressus, textus est, *vineam proximi tui, comedas uvas, quantum tibi placuerit, sed non efferas secum*, ergo non fiebat uvarum dominus. Item Act. 2. dicitur: omnes credentes Jerosolymis habuisse omnia communia etiam usque ad alimenta & indumenta. Tandem *Instit. de usu & habit.* Ei, qui fundi nudum habet usum, nihil ulterius conceditur, quàm

ut oleribus, pomis, & floribus ad quotidianum uſum utatur, ergo videtur jus uſum à dominio diſtinguere. Sed in contrarium

Opponitur 1. authoritas Joannis XXII. in *X. Ad Conditorem*, & *Cùm inter non nullos*, & *Quia quorundam*, *de V. S.* ubi abſolutè tenet in rebus uſu conſumptibilibus, uſum minimè à Dominio diſtingui, nec ab eo poſſe ſeparari, ergo aſſertio eſt contra Pontificem, & conſequenter Fratres minores ſunt veri Domini panis, quem mandunt, quod ulterius probatur ex eodem, quia Pontifex poſtquam ex jure civili, & aliunde per illas tres *X.* probaſſet uſum non poſſe ſeparari à Dominio, tandem ut ſe ſe immunem à Dominio rerum Fratrum minorum redderet, idem abſolutè reſignat & rejicit tanquam fictitium, ergo Dominium manet penes Fratres Minores. Reſpond. 1. Si ex hac Pontificis authoritate aliquid deduci valet, plus deducetur ex Pontificibus pro ſententia noſtra allatis: Tum, Quia & Joannis XXII. anteceſſores, & ſucceſſores poſtmodum illud Dominium receperunt, & à Joanne abjectum reſumpſerunt, ergo. Reſpond. 2. Cum Dominico à Soto Dominicano lib. 4. de Jure & Juſtit. q. 1 a. 1. Non multùm movere debent verba Joannis XXII. dicéntis ſe abdicâſſe tale Dominium. Primum, quia id non fecit legitimè, & ſi fas eſt dicere, nec juſtè, ſed certè in odium forſan Occam, & aliorum ſui ordinis, qui fuerunt ei infeſtiſſimi. Deinde quia ſuam renuntiationem ſucceſſores ejus in eadem ſede non probârunt, ſed exemplo ſuorum anteceſſorum idem retinent Dominium. Verum, quia prior Soti reſponſio mihi nimis dura eſt propter reverentiam quam ſupremæ & Apoſtolicæ ſedi debeo, ideo Reſpondeo 3. Joannem XXII. vel locutum fuiſſe ut privatum Doctorem, unde etiam rem hanc non decidit, quòd uſus diſtinguatur à Dominio, ſed in *X X* præmittit multa ex jure civili oſtendens ſuam doctrinam tanquam præliminaria ad intentionem ſuam, & ejus executionem; ſuppoſito enim quòd verum eſſet uſum non diſtingui à Dominio, rectè infert, ergo gratis Eccleſia Dominium ſuſcipit, quia ſuſciperet non ens, & conſequenter illud reſignat. Deinde quòd reſignet illud dominium per hoc non facit nos Dominos, quia invitis Dominium obtrudi non poteſt, imò eò quòd illud reſignet, ſupponit aliquod eſſe; & ſi tunc quæras apud quem ergo erit, ſi Pontifex illud non vellit in ſe ſuſcipere; Reſpond. vel fore apud Eccleſiam, vel apud dantes: vel futura vaga, iis ergo uteremur propter neceſſitatem, non propter proprietatem, vel ſi hac interpretatio ad Joann. XXII. non placet, dicito eum locutum fuiſſe de uſu juris, rationes enim ejus non videntur aliud probare, nos verò agimus de uſu facti. Reſpond. 4. Joannem XXII. ut refert Wadingus ad annum 1333. n. 14. & ex eo Marchant: in fundamentis duodecim tit. 10. fundam. 10. §. 4. ante mortem ſuam illam determinationem revocâſſe hiſce verbis: *Ac prædicta omnia & alia quæcunque dicta, prædicata, & ſcripta per nos de quacunque materia . . . . . ſubmittimus determinationi Eccleſiæ, & ſucceſſorum noſtrorum.* Succeſſores autem iisdem ſuis conſtitutionibus derogârunt, nam Paulus IV. fatetur in Bulla, *Ex Clementis ſedis.* Datæ 1. Julii 1555. illis per Martinum V. Eugenium IV. Nicolaum V. & Sixtum IV. fuiſſe derogatum &c.

Opponitur 2. authoritas Legum. *L. ſi tibi vini*, & *L. Senatus Conſulto ff. de Uſufruct. earum re: quæ uſu conſum*, in quibus dicitur pecuniæ uſum fructum non poſſe legari abſque pecunia, nec vini, olei abſque illis, quia nemo poteſt his uti niſi conſummendo, cujus ratio alia non eſt, quàm quòd tales res nequeant à Dominio ſeparari. Reſpond. negando conſequ. quia leges citatæ aliud non volunt, quàm quòd non poſſit ſeorſim ſumi pretium pro uſu, & aliud pro ipſa re, non verò, quòd non poſſit ſeparari Dominium ab uſu. Vel dic eas loqui de uſu juris, quem concedo non diſtingui à Dominio. Sed

Inſtatur: Si dominium diſtingueretur ab uſu, poſſet ſeparatim vendi uſus, & ſeparatim dominium, hoc autem non modò eſt contra leges citatas, ſed etiam manifeſtè uſurarium, ergo. Reſpond. diſtingu. ſequelam, poſſent ſeorſim vendi, ita ut pro utroque non plus accipiatur quàm pro Dominio pleno, conc. maj. ita ut plus accipiatur, neg. maj. & diſtinctâ ſimiliter min. negatur conſequ. itaque non videtur implicantia quare Titius non poſſit vendere Mævio ciborum dominium, & convivis uſum prandii ex illis, ſi non plus accipiat quàm ſi cauponi directum, & utile Dominium ad omnem uſum venderet.

Arguitur 3. Ex definitione uſûs, uſus eſt jus utendi re ſalvâ rei ſubſtantiâ, ſed in rebus uſu unico conſumptibilibus non poteſt dari talis conſervatio indemnis, ergo in illis non poteſt diſtingui à Dominio. Reſpond. definitionem datam eſſe *uſûs juris*, non verò *facti*. Fratres Minores hunc, non illum habent.

Inſtatur. Uſus facti eſt ſemper illicitus, ſed fratres Minores habent uſum licitum panis, quem manduntt, alioquin deberent dici peccare manducando, ergo habent uſum juris: probatur maj. Quia fures habent *uſum facti* panis, quem furto auferunt & non juris. Reſpond. negando majo: Quia uſus facti dependens ab alterius voluntate potentis revocare toties quoties voluerit ſemper eſt licitus, fur autem utitur pane ſublato contra volun-

voluntatem domini, adeoque injustus est alius, justus autem fratrem minorum, non quòd fundetur in aliquo jure sed in legitima & libera concessione.

Urgetur: Pupillus habet usum dependenter à voluntate tutorum, & tamen adhuc est verus dominus, ergo etiam fratres minores licèt habeant usum dependenter à voluntate alterius adhuc veri erunt domini. Respond. neg. consequ. disparitas est, quia usus pupilli non dependet à tutoribus tanquam potentibus illum revocare, negare & tollere absque injuria, sed solùm potest in quibusdam impediri ex oratione legum.

Arguitur 4. Si quis furetur Fratribus minoribus usu consumptibilia, debet iisdem restituere, sed restitutio non fit iis apud quos est dominium, ergo. Respond. neg. min. sed debet restitui iis, quibus dantes concesserunt in usum, & hoc ex tacito consensu & voluntate Pontificis & dantium.

Arguitur 5. Ridiculum sanè videtur, quòd Pontifex debeat dici fieri dominus cujuslibet panis vel ovi, quod manducant Fratres minores. Respond. 1. sicut non fuit ridiculum Joanni XXII. tale dominiũ à se abdicare, ita etiam non est ridiculum, quòd alii Pontifices in se assumpserint. Respond. 2. hoc factum esse tum ad serenandas fratrum conscientias, & regulæ puram observantiam, tum ad declarandam, quàm altam paupertatem profiteantur Fratres minores.

Quæres: An in extrema necessitate Frater minor fiat dominus rerum necessariarum? Respond. videri quæstionem de nomine, & affirmativam suadere jus naturæ, quod præcipit sui individui conservationem, unde illud resignare non potest.

Quæstio VIII.

An peccatores maneant domini suarum rerum?

1. Wiclefi error circa dominium.

ERror fuit olim Wiclefii, & Joannis Hus existimantium charitatem & gratiam sanctificantem esse fundamentum justæ possessionis, & dominii, à quibus si quis excidat, dominium manere non posse. Verùm in Concilio Constantiensi sess. 8. & 18. damnatus est error eorum, ideoque ad quæstionem

2. Peccatores manent veri domini.

DICO. *Fide catholica tenendum est existentes in peccato mortali non fieri continuò incapaces dominii sive proprietatis, sive jurisdictionis.* Ita ex Concilio mox citato. Probatur 1. ex Scriptura, quæ ubique supponit peccatores veros esse dominos, & eis deberi obedientiam, nam ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* ad Tit. 3. *Admone illos Principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedientes.* 1. Petri 2. Præcepit Apostolus ut fideles *subjecti sint omni humanæ creaturæ propter DEUM, sive Regi quasi præcellenti, sive Duci &c.* & infrà: *Servi subditi estote dominis in omni timore non solùm bonis & modestis, sed & discolis*: sed certum est, quod in principio Ecclesiæ Reges & Duces fuerint peccatores & infideles, quibus tamen obedientiam esse docent Apostoli, ergo tales manent veri domini jurisdictionis secularis: de dominio jurisdictionis ecclesiasticæ clarè docet ipse Christus Matth. 23. *Omnia quæ dicunt vobis facite &c.* ubi præcipit obedientiam scribis & Pharisæis, ergo.

Probatur 2. Quia si dominia dependerent à charitate, ut à fundamento, omnia dominia essent planè incerta, quia certum non est, quando aliquis in peccato esset mortali, aut saltem in charitate, & daretur maxima occasio perditi hominibus res aliorum invadendi, & se subtrahendi ab obedientia Superiorum, ergo. Tertiò Per peccatum mortale non amittitur fides infusa, ut docet Triden. sess. 6. can. 28. neque potestas conficiendi sacramenta, ut idem Concil. sess. 7. can. 4. & sess. 14. can. 10. habet, ergo multo minus necessaria est charitas ad dominium rei. Quartò fides non destruit naturam sed perficit, ergo plebs gubernari potest & res possideri per jus sicut ante, sed ante erant veri domini, & quidem per ordinationem DEI, nam Danielis 2. legitur DEum cœli dedisse regnum & imperium Nabuchodonosor &c.

Probatur 3. Retorquendo argumentum Adversariorum, quod est hoc unicum: Homo capax est dominii secundùm quod gerit DEI imaginem; sed hanc etiam adhuc gerit secundùm potentias suas naturales, dum est peccator, ergo manet adhuc verus dominus: major est Adversariorum, probatur minor ex SS. Hieronymo & Epiphan. qui inter errores Originis referunt, quod homo per peccatum amittat imaginem DEI. Sed

Dices: Sancti Patres frequenter docent imaginem DEI perire per peccatum mortale, ergo hoc non potest recenseri inter errores, & consequenter si perit, perit quoque fundamentum dominii. Respond. negan. consequ. quia SS. Patres loquuntur de imagine accidentali gratiæ, quæ perit per peccatum, non verò de naturali, de qua agebat Origines, quæque est fundamentum dominii, quia sola creatura rationalis dominii capax est. Sed in contrarium hæretici

Opponunt aliquas Scripturæ authoritates, nam ad Rom. 13. dicitur: *Non est potestas nisi à DEO*, consonum autem non est, ut peccatoribus DEus det potestatem, utpote suis inimicis, ergo. Item exemplo 1. Regum 15. Privavit DEus Saulem regno propter peccatum. Et apud Oseam 18. DEus non vult cognosce-

re Reges & Principes peccatores. Reſpond. negando min. quia ad providentiam divinam pertinet, ut bonos per malos & diſcolos exerceri faciat, in horum majorem fortè interitum, & illorum æternum præmium, unde etiam Chriſtus Pilato dixit, eum ſuper ſe habere poteſtatem datam deſuper. Quòd autem Saul depoſitus fuit de regno, in exemplum aliorum factum eſt, ut cognoſcant ſe illa habere à Deo, nec ſeſe ideo præpoſitos aliis ut poteſtate abutantur, ſed bene regant ut ad finem ultimum pervenire valeant. Ad Oſeam dico DEUM non cognoſcere Reges & Principes peccatores ſcientiâ approbativâ.

ARGUITUR etiam ex ratione: Per quodcunque crimen læſæ majeſtatis privatur homo dominio rerum ſuarum, ſed quodcunque peccatum mortale reſpectu DEI eſt tale, ergo. Reſpond. Quod licèt peccatores ſint rei læſæ majeſtatis divinæ, & indigni omni ejus beneficio, etiam ipſâ vitâ, decet tamen divinam providentiam, quæ ſolem facit oriri ſuper bonos & malos, & liberalitatem infinitam, ut dona naturæ non ſtatim eis ſubtrahat, eisque privet, unde ſicut illis reliquit multa naturæ dona, ita quoque dominium in res externas, idque ſapientiſſimè, quia hoc ad bonam gubernationem univerſi videtur neceſſarium.

Quæſtio IX.

An Uxores, Filii-familias, parvuli, amentes, & ſervi poſſint eſſe domini?

1. Mulierum triplicia ſunt bona.

NOTANDUM 1. Bona mulierum eſſe triplicia, *Dotalia*, *Paraphernalia*, & *Receptitia*. *Dotalia* ſunt, quæ eis ex dote proveniunt. Dos autem eſt *jus quoddam in re conſtitutum marito ab uxore, vel ejus patre, aut alio mulieris nomine ad ſuſtinenda facilius onera matrimonii.* L. 3. ff. de jur. dot. & ſicut mulier marito aſſignat dotem, ita & econtra maritus, ut dos mulieris in tuto magis conſtituatur, facere ſolet, quæ contra dos dicitur, & definitur quod ſit *Contractus, quo ſponſa hypotheca conſtituitur in ſecuritatem dotis recuperandæ.* Et ponitur hypotheca, quia uxor non ſit domina hujus donationis, ſicut maritus dotis, ſed tantùm jus pignoris in ea conſequitur. *L. 29. C. de jur. dot. Novell. 61. cap. 1.* *Bona Paraphernalia* ſunt illa, quæ mulier ultra dotem adfert *L. 10. §. dotis aut. ff. de Jur. dot.* Et *Receptitia* de quibus intelligo §. *quæ mulier ſibi* reſervavit, nec in mariti poteſtate eſſe voluit.

3. Filiifamilias proprie non habent bona.

Notandum 2. Filios familias, ſeu nondum emancipatos, & ſervos proprie non habere bona, ſed tantùm peculia, quod definitur eſſe puſillum patrimonium conceſſum à Patre, vel domino filio familias, vel ſervo ſeparatum à rationibus paternis, vel dominicis, deducto eo quòd Patri vel domino debetur. Eſtque duplex *Caſtrenſe*, vel *quaſi Caſtrenſe*, illud quod quis ex militia ſagata, vel etiam intuitu militiæ à Patre (modò non ſit res immobilis) vel alio acquiritur *Inſtit. tit. ff. de Caſtr. pecul.* Hoc quod ex togata vel intuitu ejus acquirit v. g. Profeſſura. Aliud Paganum, & hoc rurſum duplex eſt, vel *Profectitium* cùm illud ab ipſo patre, vel occaſione ejus proficiſcatur; vel *Adventitium*, quod filius familias aliunde quàm ex dictis cauſis acquirit. Ad hunc eundem modum dividitur dos mulieris, in Profectitiam, & Adventitiam. His prænotatis.

DICO 1. *Uxores non habent dominium bonorum dotalium, nec contradotalium, bene tamen bonorum paraphernalium, & receptitiorum, ſed illorum non habent adminiſtrationem, bene tamen rerum.* Ita deduco ex pluribus locis Schambogen. & Probatur 1. pars *L. 30. C. de jure dotium.* Probatur 2. p. ex *L. 29. eodem tit. & Novell. 61. cap. 1.* Probatur 3. p. *Ex L. 10. §. dotis aut. ff. de jur. dot.* ex quibus etiam ſequitur quarta pars. 4. Uxores non habent dominium bonorum dotalium.

DICO 2. *Filiifamilias habent dominium plenum peculii Caſtrenſis, & etiam quaſi Caſtrenſis, nec illud aliquo modo Patri acquiritur.* Eſt communis & Probatur ex *L. cùm oportet 6. Cod. de bonis quæ lib.* Probatur 2. Quia in his bonis filiusfamilias habetur pro Patre familias. ex *L. 2. ff. ad Senatus Con. Macedonium*, ſed Paterfamilias habet plenum dominium ſuarum rerum, ergo. 5. Filiifamilias habent dominium Caſtrenſium.

DICO 3. *Filiifamilias habent dominium directum bonorum adventitiorum, uſum fructum tamen ordinariè habet Pater: bonorum verò profectitiorum & proprietatem & uſum fructum pleno jure habet pater, & nihil filius familias, loquendo de jure communi.* Ita *Inſtit. lib. 1. t. 9. §. Ipſum liberi*, ubi dicitur ſancitum eſt à nobis, ut ſi quid ex re patris ei obveniat, hoc ſecundum antiquam obſervationem totum parenti acquiratur, quæ enim invidia eſt, quod eſt patris occaſione profectum eſt, hoc ad eum reverti, quod autem ex alia cauſa ſibi filius familias acquiſivit, hujus uſum fructum Patri quidem acquirat, dominium autem apud eum remanetat, ne quod ei ſuis laboribus, vel proſpera fortuna acceſſerit, hoc in alium perveniens, luctuoſum ei procedat. Idem habetur *L. 4. 6. C. de bonis quæ liberi.* 6. Filiifamilias habent dominium adventitiorum.

Dixi autem in concluſione *ordinariè* patrem habere uſum fructum, quia ſunt quædam bona adventitia, quorum nec uſum fructum pater habet, qualia ſunt primò ea, quæ à Principe dantur filio familias, quod etiam locum habet in

in fœminis *L. 7. Cod. de bonis quæ liberi.* Secundò ea, quæ filio familias hoc pacto obveniunt, ut nec uſus fructus ad patrem perveniat. *Lege penult. eodem tit.* Tertio, ſi filius familias ſuccedat cum patre in hæreditate ſui fratris vel ſororis, *Novell. 118. cap. 2.* Quarto, ſi iniqui divortii culpa (idem dicit Leſſius eſſe ordinatum de hæreſi in pœnam) indignum patrem uſu fructu faciat. *Auth. idem eſt C. eodem.* Quintò: ſi filius ſit hæres conſtitutus, & Pater nolit, ut adeat hæreditatem, filius tamen adeat, *L. final. ſub. init. C. eodem.* quia non videtur æquum, ut pater commodum reportet ex eo, quod ipſo nolente filio obvenit. Dixi etiam loquendo de jure communi, quia de bonis adventitiis non eſt eadem conſuetudo ubique patriarum, quæ proinde conſiderari debent. Sed

7. Lucrum filiorum ex pecunia Patris, eſt Patris.

QUÆRES 1. Quòd ſi filius familias negotietur pecuniâ patris furtivè ſublatâ, cujus ſit futurum lucrum proveniens? Reſpond. cum Molina, quòd ſi negotietur nomine & periculo patris, lucrum futurum totum patris, quia cenſetur tunc ſolum agere procuratorem, unde lucrum ſit bonum profectitium. Si verò nomine & periculo ſui, tunc fieri peculium adventitium, ratio eſt, quia eſt fructus induſtriæ veluti ſi eâdem pecuniâ negotietur extraneus, aut ſi filius negotietur pecuniâ extranei etiam furtivè ſublatâ.

Quæres 2. Qualem ergo filius familias habeat utilitatem in peculio profectitio Reſpond. cum Schambogen 1. Quòd confiſcatis bonis paternis illud peculium maneat filio *L. 3. §. 4. in f. ff. de minorib.* Secundò: ſi filius familias vivente patre emancipetur, neque expreſsè peculium illud adimatur, cenſetur eſſe donatum *L. 31. §. 1. ff. de Donat.* Tertiò hoc peculium manet obligatum æri alieno etiam poſt mortem patris *L. frater à fratre 38. ff. de condict. in debit.*

8. Parvuli & amentes ſunt capaces Dominii.

DICO 4. *Parvuli & perpetuò amentes ſunt capaces dominii.* Eſt communis, & Probatur 1. ex ſcriptura ad Galat. 4. *Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cùm ſit dominus omnium.* Ratio etiam eſt, quia licet parvuli & amentes careant uſu actuali dominii, non privantur tamen principio, quod conſiſtit in natura creaturæ rationalis. Secundò nulla lex prohibet eis dominium, ergo.

Dices: Nemo poteſt fieri dominus niſi rem ab alio oblatam vel translatam, accepter, ſed pueri & amentes non poſſunt acceptare liberè, ergo. Reſpond. diſt. Niſi acceptet, ſi ſit capax, concedo: ſi non ſit, negatur; quia acceptatio univerſaliter non requiritur, quod patet ex communi ſenſu, nam parvuli fiunt domini bonorum à parentibus decedentibus relictorum, omnesque tenent amenti fieri injuriam, ſi quiſpiam ei rem ſuam auferat.

Dices 2. Dominium jure gentium & poſitivo eſt conſtitutum propter actum ſecundum & uſum, ſed parvuli & amentes non poſſunt habere actum ſecundum dominandi, ergo. Reſpond. diſt. mai: propter actum ſecundum per ſe vel per alium exercendum, conc majo: Per ſe ſemper exercendum, neg. majo: & conſequ.

9. Servi poſſunt habere dominium.

DICO 5. *Servi originarii, adſcriptitii, & conductitii verè poſſunt habere dominium rerum temporalium.* Eſt communis. Probatur: Tum, Quia tales ſervi cenſentur liberi eſſe: Tum, Quia admittuntur ad actus legitimos: Tum, Quia poſſident villas & agros ac pecora, nec lucrantur omnia dominio, ſed ſibi exceptis quibusdam laboribus, quos domino præſtare debent.

10. Mancipia quidquid acquirunt Domino acquirant.

DICO 6. *De jure communi ſervi, mancipia quidquid acquirunt ex cauſa quacunque, id dominis acquirunt, loquendo regulariter, & de bonis fortunæ.* Ita Juriſtæ, à quibus ſic limitatè loquendo nec Theologi recedunt. Probatur concluſio ex *Inſtit. lib. 2. t. 9. §. item vobis & L. final. ff. Ad Legem Juliam, ac cap. cùm ſecundum leges de Hæretic. in 6.* Et *L. Jud. veſtimentum 25. de pecul.* ubi dicitur ſervum nec quotidiani veſtimenti habere dominium, *cap. Cùm olim X. de privilegiis,* dicitur ſervum & monachum eſſe pares, quod neuter alicujus rei dominium habeat. Dixi tamen Primò, *circa bona fortunæ*, quia per Jus canonicum *X. de conjug. ſerv.* matrimonium inhiberi ſervis non poteſt. Item ſervus cenſetur habere dominium actuum ſpiritualium. Tertiò cenſetur habere dominium vitæ, membrorum, jus famæ. unde *L. 1. ff. de his qui ſui*, vel alieni juris ſtatutum, quòd ſi dominus ſervum occidiſſet, puniatur hodie ac ſi alienum occidiſſet, hinc pariter ſi dominus ſervo famam lædat, tenetur ei reſtituere, & ſi eſt in periculo vitæ poteſt fugere, ſic etiam & à fortiori fugere poteſt, ſi eſt in periculo peccati, nec tenetur reverti durante illo periculo.

Dixi 2. *Regulariter loquendo*, quia etiam in bonis fortunæ aliquarum rerum dominium habere poteſt, quia inprimis ſervo attribuitur peculium, ergo aliquod dominium. Secundò *in L. 53. ff. de judic.* datur actio ſervo contra dominum, ſi dicat ſe ſuis nummis redemptum, ergo habet ſuos nummos. Tertiò: ſi dominus conſentiat, ut acquirat. Quartò: ſi dominus ipſe det aliquid ſervo. Quintò: ſi legetur aliquid ſervo eo pacto, ut ad dominum non perveniat. Sextò: ſi lucretur aliquid pecuniâ ſuâ, vel eo tempore, quo à laboribus domini vacat. Septimò: ſi ea quæ conſumere poterat,

poterat, ſine domini incommodo ſervet. Octavò: ſi aliquid accipiat ſive ab alio, ſive ab ipſo domino ob injuriam ſibi illatam.

His tamen non obſtantibus tenet Schambogen illam regulam juriſtarum ſalvam conſiſtere, ſervum acquirere domino, quidquid acquirit, ſed omnimodè & abſolutè non ſubſiſtere patet ex tot exceptionibus caſuum, tum ipſiusmet juris, tum ipſiusmet confeſſionis, quòd poſtea ſemper concedat ſervo peculium, ergo quemadmodum filii familias ſub patria poteſtate conſtituti ſunt domini peculii Caſtrenſis ſive togati ſive ſagati, ſic erunt ſervi.

Pro fine nota: ſervos in iis, quæ acquirunt domino, etiam acquirere ipſi quamvis ignoret & nolit, dummodo per acquiſitionem hujusmodi conditio domini non reddatur deterior, aut dominus exinde obligetur, & ob id ſervus non poteſt adire hæreditatem ſine juſſu domini, Ex *L. 25. §. Juſſum ff de acquirend. hæredit.* quia communiter latent æra aliena. Nec dicas in regula juris 69. dicitur *Invito non dari beneficium*, quia illa regula loquitur, ſi procedat immediatè & directè, non verò ſi procedat indirectè.

Quæſtio X.

An duo pro eodem inſtanti poſſint ſimul eſſe domini ejusdem rei in ſolidum?

1. Dominium ſubordinatum eſt in duobus.

NOn eſt quæſtio præſens de dominiis ſubordinatis, certum enim eſt, Deum & creaturam, Regem & vaſallum eſſe dominos ejusdem rei, quamvis aliter & aliter, nam jus quod habet creatura ad aliquam rem eſt valde dependens &c. Nec ſermo eſt hic de dominio in ſolidum, quod poſſunt habere duo homines pro diverſo tempore, quo modo Titius & Mævius habent ſimul dominium unius equi, quo unus uno, alter altero uteretur die, quia hoc non modo fieri poteſt, ſed & frequenter contingit. In præſentiarum autem ſermo eſt de dominio prout eſt plena & abſoluta poteſtas diſponendi de re pro quocunque tempore, in ordine ad uſus omnes & effectus, ac etiam abuſus, hoc enim vocatur dominium in ſolidum, & quia hæc quæſtio parem habet utilitatis, ſpeculationem ejus breviter expediam. unde

2. Dico poſſunt eſſe ſimul Domini ejusdem rei.

DICO 1. *Divinitus poſſunt eſſe duo ſimul domini in ſolidum ejusdem rei.* Ita apud Comptonium plures Recentiores. Probatur. Tum, Quia non poteſt oſtendi implicantia. Tum, Quia poſſet DEUS unam navim replicare, ut eſſet in oceano Balthico, ibique eam dare Carolo, & eandem ponere ad Oceanum mediterraneum, & dare Priori Melitenſium, in caſu uterque eſſet dominus, & poſſet de ipſa diſponere in quemcunque uſum: Tum, Quia non eſſet periculum diſcordiæ, quod per negationem effugere geſtiunt Authores, cùm enim res ſit virtualiter duplex uſus Caroli non impediet uſum magni Prioris, ergo: Tum denique, Quia ſi DEus daret eundem habitum gratiæ duobus angelis, uterq; pro libitu ſuo cum illo operari poſſet, ergo.

3. Duo in actione tertii poſſunt eſſe ſimul Domini.

DICO 2. *In quibusdam rebus etiam naturaliter poteſt dari dominium ejusdem rei in ſolidum inter duos, etiam pro inſtanti temporaneo, & diuturno tempore.* Ita Comptonus tom. 1. d. 34. ſect. 2. & Probatur ponamus pro exemplo Titium & Mævium conducere unum hominem ad iter conficiendum pro ſe Romam, ita quòd alteruter ignoret de conductione alterius, in hoc caſu uterque ad iter Romanum, & ad operam hujus hominis jus habet, ita, quòd ſi Titius ſtipendium ſuum reciperet, adhuc obligaretur Mævio, quod eſt manifeſtum ſignum dominii: Nec hic erit periculum juſti belli, quia ſupponitur, quòd uterque pro tempore eodem conduxerit hominem illum ad iter Romanum conficiendum: Et ex altera parte iter utrique eſt tam proficuum, ac ſi cujuslibet in gratiam fieret particulariter. Similes plures caſus poſſunt inveniri in rebus, quarum uſus & utilitas eſt indiviſibilis, ut in duce viæ, præceptore, &c.

4. Duo ſimul nequeunt eſſe ejusdem rei Domini.

DICO 3. *In rebus quarum uſus & utilitas eſt diviſibilis non poteſt longo tempore dari dominium ejusdem rei in ſolidum inter duos vel plures.* Ita Comptonus ſupra. Probatur 1. Ex *L. ſi certo. §. ſi duobus. §. Econtrario. ff. de acquir. poſſ.* ubi ſtatuitur dominium ejusdem rei non poſſe eſſe penes duos. Probatur 2. quia tunc ſeclusâ ignorantiâ poſſet inter duos dari rationabilis & juſta diſſenſio & diſcordia, ac juſtum quoque bellum, ſed hoc eſt inconveniens, ergo: probatur ſequela, fit Titius & Mævius dominus in ſolidum ovis, vel libri pro eodem tempore poterit Titius velle vendere ovem, Mævius ſervare, vel occidere, & carnes abſumere, & ſic juſtè contra ſe altercari, quia uterque ſuum tueretur, qui autem ſuum tuetur nemini facit injuriam ex Regula Juris. Itaque

5. Nec quidem pro eodem inſtanti.

DICO 4. *Nec pro eodem inſtanti poteſt dari dominium ejusdem rei in ſolidum penes duos.* Ita Juriſtæ & Theologi plurimi, contra Lugonem, Ariagam, & alios exiſtimantes pro uno inſtanti poſſe & eſſe dominium ſimul penes duos in caſu donationis, ita quòd donans & donatarius ſemper ſint ſimul domini ejusdem rei in inſtanti donationis. Sed Probatur Concluſio. Quia in inſtanti quò Titius vult dare equum, vel ovem, aut librum Mævio, in eodem poſſet aliquid circa librum velle, quod nollet Mævius

vius acceptans librum, imò nihil impedit, quo minùs posset simul velle dare librum & retinere physicè, dare enim est alteri jus conferre seu potestatem moralem co utendi, ita ut de illo disponendo nemini censeatur facere injuriam, quo non obstante potest velle illam rem physicè detinere, vel aliud circa illam agere, quòd Mævius rationabiliter fieri nollet, in quo si difficultas est circa homines, respectu Angelorum certò nulla est, cùm instantaneè operari queant. De hac materiâ vide plura in disput. sequenti, quæstione secunda, ubi dico Donatarium in instanti Donationis fieri Dominum.

DISPUTATIO III.

De Justitia circa translationem Dominiorum authoritate publica.

Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias ait Ecclesiasticus cap. 10. Translatio Dominii juxta doctrinam Scoti in 4. dist. 15. q. 2. §. De secundo articulo, potest fieri vel authoritate publica, vel Principis, vel authoritate Legis, vel authoritate privata ipsius Domini immediatè possidentis. Porro translationem authoritate publica factam justam esse facile probo cum eodem Subtili; *quia si Lex justa potuit determinare prima dominia, & non minor est authoritas legis vel Principis, quod habet sic pro eodem post divisionem dominiorum quàm ante: ergo propter eandem causam, & eundem finem, potest justè transferri dominium, postquam fuerat alicui appropriatum.* Hæc autem translatio multis modis fieri potest, Occupatione, Alluvione, Inundatione, Accessione, Inventione, Usucapione, Præscriptione, & similibus, de quibus agit Justinianus lib. 2. Instit. tit. 1. & tit. 6. & ego in hac disputatione. Pro qua Nota propter meum & tuum, appropriatum versum

Si duo de nostris tollantur Nomina rebus,
Prælia cessarent, Pax sinè lite foret.

Quæstio I.

De iis quæ acquiruntur per Occupationem?

NOtandum 1. Animalia & bestias quasdam esse, quæ ita se habent, ut custodiri veluti propriæ à nemine possint, ut feræ ubi non manuefactæ, v. g. Lepores, grues, perdices &c. Aliæ autem sic se habentes, quæ possunt velut propria custodiri, ut animalia domestica, Oves & boves; item animalia, quæ licèt ex natura sylvestria sint, usu tamen manuescieri queunt, ut Cervi, pavones, columbæ &c.

Notandum 2. Res similiter occupabiles, quæque de novo inveniri possunt esse in multiplici differentia: Aliæ enim sunt quæ nonquam dominum habuerunt, ut Insulæ in mari, vel fluminibus de novo ortæ, Lapilli & gemmæ in littore maris &c. Aliæ sunt quæ pro derelictis habentur, & hoc vel quia Domini & hæredes jam dudum extincti sunt, & dicuntur bona nullius esse *tempore*. Vel quia Dominus rei ita se habet erga illam, ut certum sit eum deposuisse animum recuperandi eam, & vocantur nullius, facto hominum. Aliæ sunt res quæ Dominum defactò habent, ignoratur tamen invincibiliter quis sit, ut bursa pecuniis plena vel alia similis res reperta in via, vel publicis compitis. Aliæ sunt res quæ dicuntur bona vacantia, ut sunt bona eorum, qui moriuntur nullo relicto hærede, nec quidem ab intestato. Alia denique sunt bona, quæ Missilia dicuntur, ut nummi ex liberalitate per plateas projecti, ut fit in coronationibus Regum & Imperatorum, & hæc bona esse primi occupantis patet ex mente Projicientis.

Notandum 3. Quòd occupatio sit duplex, una *simplex* quæ ordinariè hoc nomine compellatur. Altera *Militaris*, quæ dicitur captivitas, quæ versatur circa res & personas hostium, prima autem circà bona, quæ nullius sunt, & circa bona vacantia, aut derelicta. Et quemadmodum res, quæ nullius sunt, vel sunt in terra, vel aqua & aëre, ita Occupatio ista tripliciter fieri potest, vel per *Venationem*, qua animalia terrestria, vel *Piscationem*, qua aquatilia: vel *Aucupium*, quo aërea occupantur. Quo præmisso

3. Occupatio est duplex.

DICO 1. *Animalia fera in naturali libertate existentia, quæ nullius sunt, fiunt primò occupantis & apprehendentis.* Est communis. Et Probatur 1. Ex *Instit. lib. 2. tit. 1. §. Feræ.* Probatur 2. Tum, quia bona ex natura rei sunt omnibus communia, quamdiu non sunt divisa, sed illorum animalium nulla facta est divisio, ergo sunt omnibus communia. Quod autem commune est, per apprehensionem dividitur, & fit illius qui apprehendit, ergo. Tum ut

2. Animalia fera quæ nullius sunt, capta fiunt occupantis.

probat Schambogen hic, quod alicui prodeſt, & nulli nocet, id facile concedendum eſt, deſumpto argumento ex *L. 9. ff. de impens. in res Dotal. facta.* in qua accipere id marito conceditur, quod per expenſas voluptuarias in re dotali fecit, ſi id Marito profit, & uxori non noceat. Dixi autem quæ nullius ſunt, id eſt quæ nunquam per aliquem fuerunt occluſæ, & occupatæ; quia ſi occluſæ & occupatæ fuerunt, manent occludenti quamdiu cuſtodiâ cœrcentur; hinc pîces in piſcina, feræ in vivario, ſeu Roborario, vel Leporio, Aves in Ornithonibus, ſeu Ornithonibus, occupanti non conceduntur, quia amplius in libertate naturali non ſunt, quam tamen ſi recuperant, tunc rurſus primo occupantis fiunt, ut habetur *Inſtit. lib. 2. & L. 5. §. 3. ff. de Rerum acqu. Dominio.* Si quæras autem, quando cenſeantur teſe in naturalem libertatem recepiſſe? Reſpond. quòd quando oculos poſſidentis evaſerant, vel ſi adhuc ſint quidem in conſpectu, difficilis tamen proſecutionis, ut habetur in *L. 5. ff. de acqu. rerum dom.* Quod prudentis judicio diſcernendum eſt. Sed in contrarium

1. Venator an aliquis ſanctus.

Opponitur Authoritas Juris Canon. nam *Can. 1. diſt. 34.* dicitur *Venatorem nunquam legimus ſanctum, & Eſau Venator erat, quia peccator erat. Can. Eſau 1. de 86.* adeò ut Venatorem viſitare & delectari grande reputetur piaculum, ſed ſi eſſet occupatio licita per Venationem, Venatores non reprobarentur per jura, ergo ſignum eſt, quòd occupatio non ſit licita. Reſpond. negando min. Quia Venatio eſt triplex: Alia *Oppreſſiva*, alia *Arenaria*, & alia *ſalutaris*. Prima illicita eſt, nam in illum textum *Coepit Nemroth robuſtus Venator eſſe coram Domino* dicit *Can. nit. d. 4. in fin.* iſt eſt hominum oppreſſor & extinctor, quod ſemper eſt illicitum. Secunda quoque qua quis pugnat cum beſtia dentata, & ad hoc operas ſuas locat, illicita eſt, & exercens eam mortaliter peccat, & qui ſpectat infamis eſt ex Gloſſa *in loc. cit.* De quibus D. Auguſtinus mentionem facit ſerm. 43. de Verbis Domini. *Non enim Deus ſic nos ſpectat pugnantes, quomodo ſpectat populus Venatores. Populus Venatori ſuo vere poteſt periclitanti adjuvare non poteſt:* id eſt gladiatori in arena cum beſtiis pugnanti, quos ibi graviſſimè reſtringuit, & cum Meretricibus comparat, de his ergo intelligenda ſunt jura illa, non verò de tertia, de qua hic eſt ſermo. Sed ex ratione

2. Principes poſſunt inhibere Venationem.

Arguitur. Si jure naturali conceſſa eſt Occupatio per Venationem aut Piſcationem ſequeretur Principes id non poſſe inhibere, & delinquentes tam graviter puniri prout per omnia Europæ Regna evenit, ita quòd etiam Jure Saxonico pœnâ capitis puniantur, atqui hoc evenit, ergo. Reſpond. Concluſionem non loqui de occupatione ferarum in territorio Summorum Principum, ſed ſolùm privatorum Dominorum, etiamſi illi inviti ſint, quia inhibitio privati Domini feram affecre non poteſt, bene tamen ſummi Principis. Ratio eſt primò. Occupatio per Venationem & Piſcationem eſt tantum Juris Naturalis permiſſivi, quod pro diverſitate circumſtantiarum & mutationum variari poteſt, & rationes eſſe poterant, ut per Venationem & Piſcationem homines non avocarentur ab agricultura, nec aperiretur campis latrociniis. Secundò. Quia Principes contra hoc præſcripſerunt, dum eam ab initio prohiberent & ſubditi non contradicerent, jus poſſeſſionis accedente tempore acquiſierunt. Tertiò videtur, quòd ab ipſis ſubditis in electione Principum talis poteſtas data ſit, tum ut in aliquo emineret, tum loco tributi, quod alioquin ad ferenda onera ipſi deberetur, quæ omnia ſufficientia ſunt, quia in jure permiſſivo non requiritur ratio neceſſitans. Sed contra ſolutionem

Inſtatur. *L. 3. §. 14. ff. de acquirend. poſſeſſ.* dicitur, quod etiam feræ in Vivariis & Piſces in piſcinis ſint primi occupantis, ergo &c. Reſpond. Legem allatam loqui æquè de Privatorum vivariis & piſcinis, ſed non de quibuscunque, ſed ubi ſtagna vocantur piſcinæ, & Sylva ſic circumſepta eſt per modum Vivarii, ut tamen adhuc feræ fugere poſſint ob magnitudinem. Sed quæres: Quòd ſi alicujus privati Domini Sylvæ fructus conſiſteret in ſola venatione, an adhuc quis poſſit eam ingredi & capere feras tutâ conſcientiâ. Reſpond. affirmativè, quia adhuc feræ ſunt in naturali ſua libertate, nec privatus Dominus eam auferre poteſt.

ARGUITUR 2. Si ingrediens alterius ſylvam, captam feram faceret ſuam, non deberet ipſi poſſe auferri, nec teneretur ad damnum reſarciendum, ſed auferetur ipſi ſi deprehendatur, & tenetur actione injuriarum ſecundum gloſſam, in *L. Divus. ff. de ſervitut. ruſtica prædi.* ſicut etiam damnum reſarcire, ut docetur in Jure *X. de injuria & damn. dat.* ergo non fit Dominus. Reſpond. Feram ipſi auferri in pœnam non verò ad culpam, quemadmodum eidem ſi deprehendatur, auferantur retia, bombardæ &c. quarum rerum tamen eſt Dominus, & ob id tenetur etiam actione injuriarum. Sed

DICES. Ad quid fuit ergo ei dominii acquiſitio? Reſpond. Quòd in conſcientia ad reſtitutionem non teneatur. Ita Schambogen. Mihi tamen hæc ſententia probabili non obſtante videtur probabilius, quòd nec defacto, vel ex conſuetudine, vel ex præſcriptione faciat aliquis feram ſuam, ſi alterius Sylvam invito domino ingrediatur; Tum ex pœnis: Tum quia actione injuriarum tenetur, ſicut etiam damnum reſarcire, ubi autem

3. Ingrediens alienam Sylvam & occupans feram peccat.

autem res nullius eſt, nulli damnum reſarciri poteſt. Tum quia frequenter evenit, quòd totus fructus fundi conſiſtat in Venatione; quando ergo dicitur, quòd fiant primò occupantis, vel intelligendum eſt de feris tranſeuntibus de loco in locum alium, quòd neuter Dominus ſylvæ ſit Dominus feræ, usque dum ipſam cœperit; Vel de feris, quæ in locis communibus & bonis univerſitatis vagantur. Tum quia ſic daretur occaſio Venatoribus feras captas Dominis ſubtrahendi, & vendendi ad libitum, nam licèt peccarent contra fidelitatem, non tamen contra juſtitiam, cùm tamen multæ timoratæ conſcientiæ cum ſimilibus negotiari emendo nolint, nè participent de peccatis. Teneat tamen quilibet quod voluerit. Interim

Quæres. Cui cedat fera vulnerata, an vulneranti, an verò capienti? Reſpond. cum diſtinctione ex *Inſtit. lib. 2. §. Illud. & L. 5. §. 1. de rerum diviſ. &c.* eſſe capientis, ſi non ſit lethaliter læſa, vel ſi vulnerans eam non proſequatur. Si verò lethaliter læſit, ut non poſſit evadere, eſſe vulnerantis; ſicut ſi in laqueum incidat, ut ſe extricare nequeat, eſt laqueum ponenti. *L. in Laqueo. ff. de rerum diviſ. & acquir.*

6. Animalia manſueta facta quam diu Domini ſint.

DICO 2. *Animalia manſuefacta tam diu Domini manent, quàm diu animum revertendi habent.* Eſt communis. Et Probatur ex *Inſtit. lib. 2. tit. 1. de rerum diviſ. & acquir. domin. & L. 5. §. ff. h. tit.* Ubi notandum, quòd tunc cenſeantur animum revertendi amittere, cùm & reverti deſinunt, & viſis conſuetis ſibi hominibus non redeunt, & talia animalia ſunt, Columbæ, Pavones, & quandoque Cervi &c. Falcones &c. quæ omnia naturâ feræ ſunt, per artem autem hominum manſueſcunt. Sed quid, ſi aliquis per ineſcationes, & aſtutias hujusmodi feras abducat, & ut non redeant, efficiat, ſitne Dominus, ſi ea capiat? Reſpond. negativè, imò etiam furti tenetur ex *L. 3. §. fam. Erciſcunda.*

7. Animalia manſueta non ſunt occupantis.

DICO 3. *Animalia manſueta naturæ, ut ſunt Gallinæ, Anſeres &c. non fiunt occupantis, ſed manent Domini, etſi ejus conſpectum effugiant.* Ita *Inſtit. ſupra §. Gallinarum, & L. 5. §. 6. eodem tit.* hinc furti tenetur, qui hujusmodi animalia capit &c.

8. Res quæ nullius ſunt fiunt occupantis.

DICO 4. *Res quæ nullius ſunt factô hominum, ſunt primò occupantis.* Ita Legiſtæ & Theologi. Et Probatur 1. ex *Inſtit. ſup. §. 47. Quæ ratione. & L. 1. ff. Pro derelict.* Probatur 2. Quia in hunc finem videtur Dominus ea abjeciſſe, quia bona nullius *facto hominum* derelicta ſunt, ergo ſicut ſi Dominus ſervis neceſſaria negando, & infirmos à ſe dimittendo, cenſetur pro derelictis habere, & cùm ſeipſos quaſi occupent, cenſentur naturalem acquirere libertatem, ita etiam bona ſive mobilia ſive immobilia, iterum fiunt communia, ſi derelinquantur. Nota tamen Ex *L. ſi quis. ff. de acqu. poſſeſſ.* Ad bonorum derelictionem non ſufficere, quod Dominus dicat ſe nolle habere, ſicut ſufficit in deſertione poſſeſſionis, ſed requiritur, ut mobilia abjiciat, & ex immobilibus diſcedat.

DICO 5. *Bona, quæ nullius ſunt tempore, licet aliquando alicujus fuerint. ut ſunt theſauri, ſecundùm ſe totum ſiunt occupantis. ſeu invententis, de jure communi, ſi inveniat in loco ſuo, ſi verò caſu & fortuitò in alieno, ſive publico ſive privato quoad medietatem.* Ita habetur *Inſtit. lib. 2. tit. de rerum diviſ. & acqu. domin. §. Theſauros*: ubi ſic habetur. Theſauros, quos quis in loco ſuo invenerit, D. Adrianus naturalem æquitatem ſecutus, ei conceſſit, qui eos invenerit . . . . . At ſi quis in alieno loco non datâ ad hoc operâ, ſed fortuitò invenerit, dimidium Domino ſoli conceſſit, & dimidium Inventori. Et convenienter, ſi quis in Cæſaris loco invenerit, dimidium eſſe inventoris, & dimidium Cæſaris eſſe ſtatuit. Idem habetur *L. un. C. hoc eodem tit.* ubi Notandum primò in §. dicto non tantùm Cæſaris locum ſpecificari, ſed & Fiſci & Civitatis. Secundò. Per locum ſuum non tantùm debere intelligi *Suus* quoad proprietatem & dominium directum, ſed & ſuus quoad utilitatem ſolam, ut ſi inveniat Vaſallus, Emphyteuta, Feudatarius, imò etiam bonæ fidei poſſeſſor ad interim: Quia pari jure, quò Dominus rem poſſident, & ad eos pertinet omnis utilitas. Econtrà verò ſi maritus in fundo dotali, vel uſufructuarius in fundo uſufructuario inveniat, tantùm medietas ad eos ſpectabit, ex *L. 7. §. 12. ff. ſolut. matri. L. ſi quis 63. §. 3. ff. de acquir. rerum domin.* Quia ad eos non niſi fructus ſpectant, inter quos non eſt theſaurus, utpote qui non naſcitur, nec renaſcitur. Et idem dicendum eſt à fortiori, ſi Creditor pignoris ſeu hypothecæ reperiat in fundo hypothecato. Ratio autem quare Leges diſpoſuerint, ut Inventori medietas & Domino altera pars tribuatur, eſt pro inventore, quod theſaurus ſit actu nullius: Pro Domino loci verò, quòd theſaurus ille à majoribus videatur provenire & locus ipſi militabat, unde etiam addunt *fortuitò*, quia datâ operâ nemini in alieno fundo quærere licet, ne detur occaſio aliena effodiendi. Quare ſi datâ operâ, invito Domino, in alieno quid quæſierit, & invenerit, totum hoc locorum Domino compellatur. *L. 1. C. eodem tit.* & veluti temerator legis ſaluberrimæ puniatur dicta Lege un: Alteram tamen medietatem non tenetur dare ante ſententiam, quia pœna eſt, primam verò ante ſententiam, & in conſcientia. Intellige omnia iſta de Inventoribus Theſaurorum abſque artibus magicis, quia ſi

9. Theſaurus qua ratione fiat invententis.

Digitized by Google

quispiam per has artes eos inveniat *dictâ L. un.* Fisco cedit.

10. Thesaurum in agro sciens licite emit.

Quæres. An quis sciens positum in agro quopiam thesaurum eundem emere possit, ut postea totum thesaurum possideat? Respond. licitè posse currenti pretio, quia thesaurus nec est pars agri, nec fructus, nec adhuc res Domini, cùm ab ipso nondum apprehendatur, nam in jure idem est, non apparere, & non esse, ex *L. in Lege 77. ff. de Contract. Empt.*

Dices. Non emitur licitè pretio currenti ager in quo latent mineralia Domino ignota, aut lapides pretiosi, ergo. Respond. negando Antec. Si nec Dominus, nec hæredes, nec alii sciant ibi latere.

11. In littore gemmæ à occupantis.

Quæres 2. An idem dici debeat de inventione gemmarum & lapidum pretiosorum in littore maris? Respond. idem & adhuc à fortiori quod talis non teneatur dimidium dare Domino, nam cùm nullius sint Inventori conceduntur. Quod si quis tamen gemmam ab alio in littore amissam inveniret, non fieret ejus Dominus, quia jam fuit alterius, nec dici potest quod gemma in suam naturalem libertatem se receperit, sicut animalia fera, quia ad hoc requiritur actus proprius, quem gemma non habet.

12. Bona vacantia spectant ad Fiscum.

DICO 6. *Bona vacantia spectant ad Fiscum.* Ita habetur *L. Vacantia C. de bon. vacant.* Talia sunt bona laicorum morientium absque hærede, ut si nulli sint testata, nec intra decimum gradum comparent Consanguineus. Excipiuntur tamen peregrini, quorum bona distribuenda sunt in pios usus per Episcopum, Authent. *Omnes Peregrini*, vel Hospitali, in quo moriuntur applicanda sunt, secundùm jura locorum.

13. Bona hostium ad milites pertinent.

DICO 7. *Bona hostium justo bello à militibus occupata fiunt capientium.* Ita *Instit. lib. 2. tit. 1. §. item cap.* Hoc tamen nota, quòd non fiant militum, quia nullius sint, cùm revera hostes sint Domini, sed quod ob injuriam quam intulerunt vel inferunt, indigni sunt, ut vitæ & rebus eorum parcatur. Accepit quòd illa militibus relinquatur, ut spe prædæ alacriores fiant.

14. Bona inventa non occupantur ab Inveniente.

DICO 8. *Bona illa quorum Dominus exitit, invincibiliter tamen ignoratur, v.g. bursa aureis plena inventa in regia via, non fiunt primò invenientis, sed in pios usus eroganda sunt.* Ita D. Thomas 2.2. q. 60. art. 5. Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2. num. 32. Navarrus cap. 17. n. 107. & est communis contra Sotum, Medinam, Probatur Prima Pars. Quia Dominus qui amisit retinet adhuc dominium illarum, ergò non sunt primò invenientis. Patet Consequentia, quia *non fiunt invenientis, nisi desinant esse amittentis:* Probatur Antec. Tum quia prior Dominus civiliter ea possidet, cùm non deposuerit animum recuperandi: Tum etiam quia si compareret post factam inquisitionem, uti facere debet inventor, teneretur eadem Domino illi restituere secundùm omnes, ergo retinet adhuc dominium. Probatur Secunda Pars ratione Scoti. Bona aliena debent restitui Domino suo, quo potest optimo modo, sed optimus modus restituendi ipso deficiente, ita ut si non possint ei temporaliter conferri, saltèm spiritualiter impendantur in usus alios pios, pro ejus vel proximorum salute, ergo &c. Minor declaratur. Quia sunt restituenda secundùm rationabilem Domini voluntatem, sed rationabilis Domini voluntas est, vel esse certò præsumitur, ut bona ipsius quæ sibi, vel suis restitui nequeunt corporaliter restituantur spiritualiter modo dicto; ergo. Sed contra

Arguitur 1. Res quæ Domino carent jure gentium sunt invenientis, nisi lex aliqua specialis aliter disponat; sed bursa sic inventa Domino caret, ergo. Respond. negando min. Habet namque Dominum licet ignoretur; Lex autem naturalis dictat ea esse restituenda dominis saltèm spiritualiter, quando aliter fieri non potest, ergo &.

Instatur. Non teneor restituere spiritualiter, quod non possum temporaliter, aliàs Debitor factus impotens ad solvendum teneretur orare pro Creditore, vel alio modo ei specialiter satisfacere; ergò non teneor saltèm de præcepto rem incertam restituere Domino spiritualiter, quando non possum corporaliter ei restituere. Respond. 1. negando Antec. nam secundùm probabilem sententiam tenetur orare pro Creditore. quando non est spes aliter satisfaciendi, sicut tenetur pauper orare pro eo, cujus subsantiis sustentatur. Respond. 2. negando paritatem, quia bonum spirituale v. g. Oratio, quam tunc redderes non est alterius propriè, sicut est pecunia amissa, & ideo de Oratione tua non teneris disponere juxta voluntatem ipsius, sicut teneris disponere de pecunia, quàm invenisti.

Arguitur 2. Melius est Domino quòd res inventa maneat in potestate invenientis, quam ut pauperibus distribuatur, ergo censetur Dominus interpretativè velle, ut potius apud Inventorem maneat, quam ut in alios usus distribuatur, si enim distribuatur inter pauperes, non potest eam Dominus amplius recuperare, bene tamen si maneat penes inventorem. Respond. argumentum bene currere in casu, quo esset aliquo spes, quod Dominus aliquando compareret, aut de hoc casu non loquitur nostra Conclusio, sed quando Dominus invincibiliter ignoratur, nec est spes Dominum aliquando compariturum.

Quæ-

Quæſtio II.

De aliis modis transferendi & acquirendi rerum dominium.

1. Adjectio quando fiat.

COmbinabo in hac quæſtione omnes illos modos, acquirendi, qui non requirunt fuſam examinationem, quales ſunt *Adjectio*, *Specificatio*, *Accſſio*, *Confuſio*, *Commixtio* in alieno fundo, vel ex aliena materia *Ædificatio*, & *Implantatio &c.* Pro quorum notitia

Notandum. *Adjectionem* tunc fieri, quando aliquid adjicitur noſtræ rei, & hoc poteſt contingere, vel per naturam, vel per artem. Quæ per naturam fit *Adjectio naturalis* dicitur, & alia eſt *Continua*, & alia *Diſcreta*. *Continua* dicitur *Alluvio*, & dicitur, quando quid adjicitur agro noſtro, ut intelligi non poſſit, quantum quoque temporis momento adjectum ſit. Ita *Inſtit. lib. 2. tit. 1.* quæ definitio ab effectu eſt. *Diſcreta* eſt illa quando id, quod adjicitur, ſecernitur ab eo, quod natum eſt, ſic quod ex animali naſcitur, ejus eſt, cujus eſt animal, licèt hoc ferum ſit. *L. 2. L. 6. de acquir. rer. dom.* ubi tamen Nota, natum animal non ſecundùm marem ſed ſecundùm fœminam computari, unde ſi equa mea ex tuo equo prægnans fiat, pullus meus eſt. *L. 5. §. 2. ff. de R. V.* Adjectionis artificialis prima ſpecies eſt *Specificatio*, quæ locum habet tunc, cum quis per induſtriam vel artificium ex aliena materia, bona fide, & nomine ſuo novam ſpeciem conficit, v. g. ex alieno argento ſtatuam, ex alieno melle & vino muſſum. Altera eſt *Acceſſio*, quæ fit, quando rei ſuæ, cujus dominium habet per laborem & induſtriam, accedit aliena v. g. gemma annulo inſeratur. Confuſio eſt conjunctio rerum liquidarum vel liquefactarum, ita ut in aliam tranſeant ſpeciem, ſic vinum & mel confunduntur, & ex auro & argento fit electrum, ſi tres partes auri, & una argenti commiſceantur. *Commixtio*, eſt conjunctio rerum ſiccarum v. g. conjunguntur triticum & hordeum &c. *Ædificatio*, patet de ſe ex termino. *Implantatio* ſimiliter, quare his prænotatis

2. Adjectionis duplex ſpecies.

3. Adjectum fit Domino cui res adjicitur.

DICO 1. *Quidquid alicujus rei adjicitur, ſive per partum, ſive per alluvionem, ejus eſt, cujus res adjectio fit.* Probatur 1. Tum ex Inſtit. *lib. 2. tit. 1.* Tum Ex *L. 5. §. 2. ff. de R. V.* Tum, Quia natura alteri appropriat, quod per voluntatem fieri non poſſet. Tum, Quia talis adjectio habet ſe ſe per modum acceſſionis, quod ſequitur ſuum principale. Tum denique, Quia illa res, quam aqua vehit, cenſetur communis, ergo is fit dominus, cujus adjicitur. Excipiuntur tamen agri limitati *L. 16. ff. de rer. acquir. dom.* quia quod his accedit illis non cedit, cùm limites aſſignatos habeant, in his enim acquiritur, adjectio Reipublicæ &c.

4. Dominus eſt qui ſpeciem facit.

DICO 2. *Quando ex aliena materia, bonâ fide, & ſuo nomine facta eſt ſpecies ab aliquo, ſi materia ad priorem formam reduci poteſt, dominus efficitur cujus eſt materia, ſi verò non poſſit, is dominus erit, qui ſpeciem fecit.* Ita Juſtinianus *Inſtit. lib. 2. tit. §. Quum ex aliena.* Et L. 7. §. 7. *ff. de acqu. R. dom.* Et L. 12. §. 3. *ff. ad Exhib.* Et ita qui fabricat ſtatuam ex auro, illius erit, cujus eſt aurum, qui muſſum conficit, erit ſpecificantis. Ubi tamen Nota quòd alteruter, qui dominus efficitur, teneatur alteri æſtimationem materiæ vel laboris præſtare, & reſarcire, ex L. *23. §. 4. ff. de R. V.* Quia nemo cum alterius jactura locupletari debet, L. *Nam hoc. 14. ff. de Condict. indeb.* Sed

Quæres: Quid ſi ſpecificans aliquid conficiat partim ex ſua, partim ex aliena materia, cujus erit? Reſpond. ſpecificantis futurum dominium, quia non tantùm operam, ſed & partem materiæ præſtat, ſubintellecta tamen diſtinctione priori & prioribus requiſitis. Ita Schambogen.

5. Acceſſio facit Dominum cujus eſt materia.

DICO 3. *In Acceſſione is fit dominus, cujus eſt materia principalis.* Ita Juſtinianus ſupra, & ex Reg. Juri: *Acceſſorium ſequitur ſuum principale*, nam in his in quibus propria qualitas ſpectatur, id eſt, quæ nomen habent proprium, & proprium corpus, ſi quid additum erit, illud toti cedit L. *26. §. 1. ff. de acq. rer. dom.* Ubi Notandum principale hic non vocari illud quod pretioſius eſt, ſed ad quod ornandum vel perficiendum homo adhibet aliud, & illud adhibitum vocatur Acceſſorium L. *19. §. Perveniamus ff. de aur. & argent. legat.* Et ita aliquando gemma, aliquando annulus acceſſorium eſt, quod ſi autem non appareat voluntas conficientis, quid pro principali adhibere voluerit, neutra materia altera cedit L. *30. §. quid ergo de Uſuris.*

6. Liquidis in confuſis neuter fit Dominus.

DICO 4. *In confuſione liquidorum, vel liquefactorum, ſive mutua ipſorum dominorum voluntate fiat, ſive fortuitò, neuter fit Dominus alterius, ſed manet maſſa utrique communis.* Ita Juſtinianus ſupra §. *ſi duorum &* L. 7. §. *8. 9. ff. de acquir. rer. dom.* Ratio prioris eſt, quia ibi eſt dominorum voluntas: Poſterioris, quia caſus fortuitus nemini eſt imputandus. Intelligi autem, ſi materiæ ſeparari nequeant, quòd ſi poſſint, communionem non inducunt, ſed cuilibet manebit ſua.

Quæres autem quomodo confuſio &

ſpecificatio differant? Reſpond. in hoc, quòd in ſpecificatione quis bona fide ex aliena re putans eſſe ſuam, ſpeciem conficiat, fiatque ejus dominus ſecundùm limitationem datam: in confuſione autem materia non ut ſua, ſed ut aliena confunditur, fitque communis.

7. Ædificans in fundo alieno non fit Dominus.

DICO 5. *Inædificans in ſolo ſuo ex aliena materia fit dominus inædificati non tamen materiæ, ex qua ædificavit, inædificans verò in alieno ſolo ex ſua materia, non fit dominus ædificii, ſed ille qui eſt dominus ſoli, alter verò ſi ſciens in alieno fundo ædificavit etiam materiæ proprietatem de rigore Juris amittit.* Ita Juſtinianus, & Juriſtæ communiter. Probatur 1. pars: Tum *ex Inſtit. lib. 2. tit. de rer. diviſ. &c. §. cùm in ſuo ſolo*: Tum ex L. *final. ff. de ſuperficieb.* L. *7. §. 10. ff. hoc eodem tit.* L. *qui domum 50. ff. ad Legem Aquiliam* L. *2. C. de R. V.* Et hoc eſt verum qualiscunq; materia fuerit ſive lignum, ſive ſaxum, aut cœmentum L. *39. in prin. ff. de R. V.* quæ materiæ in genere tignum appellantur Ex L. *1. ff. de Tigno junct.* Probatur 2. pars ſcilicet Non materiæ, quia alter dominium retinet, *nemo enim re ſua invitus privandus eſt. L. id, quod noſtrum ff. de Reg. jur.* Nec ullus nec damno alterius locupletandus L. *206. eodem tit.* Tum, Quia aliàs fierent duo domini ejusdem rei in ſolidum, quod implicat *ex* L. *5. §. 15. ff. Commodat.*

Dices: Si inædificans fit dominus inædificati ſequetur etiam quòd fiat materiæ, quia nemo poteſt eſſe totius dominus, quin etiam ſit partium, ergo. Reſpond. neg. ſequelam, cum ſua probatione: Tum, Quia ædificium eſt quoddam totum moraliter, & diſtinctum ſatis probabiliter à partibus. Deinde poteſt quis eſſe dominus totius cathegorematicè, quin ſit totius ſyncathegorematicè. Tertiò poteſt quis eſſe dominus proviſionalis, quin ſit realis & proprietatis, quia inædificans ad interim fruitur, & illæ cujus materia fuit tantiſper inhibetur, quod ideo fit, *nè ædificio reſcindi neceſſe ſit*, ait Juſtinianus.

Probatur 3. pars: Tum ex *Inſtit. lib. 2. ſup. cit. §. ex diverſo*: Tum ex L. *7. §. 12. ff. de rer. diviſ. &c.* Probatur 4. pars: Tum ex *Inſtit. & §. cit.* ubi dicitur: *ſed hoc caſu materia dominus proprietatem amittit*: Tum Ex L. *7. §. 12. cit.* ubi textus ſic habet, *materia proprietatem amiſiſſe intelligitur*, ita quòd nec diruto ædificio ad priſtinum dominum redeat, quamvis bene de naturali æquitate.

Dices: Si quis inædificet in ſuo fundo ex aliena materia, ille dominus manet materiæ, cujus ante fuit, ergo etiam manet, ejus, ſi quis in alieno fundo ædificet. Reſpond. neg. conſequ. Diſparitas eſt, quia in illo caſu nullum accedit factum domini, cujus eſt materia, hìc autem accedit, quia ipſe in alieno ſolo ædificat, & quia objici poteſt ei ſua culpa, ideo etiam cenſetur ſuâ voluntate materiam abalienâſſe.

8. Implantata arbor & radicata fit Domini cujus eſt fundus.

DICO 6. *Si quis in alieno ſolo arborem implantaverit, & ipſa radices egerit, arboris, dominus ſoli efficitur.* Ita Juſtinianus ſupra §. *ſi Titius & L. 7. §. final. ff. de acqu. rer. domin.* hinc ille antiquus verſus

Quidquid plantatur, ſeritur, vel inædificatur,
Omne ſolo cedit, adde, radices ſi tamen egit.

Quod ita verum eſt, ut quòd ſi etiam poſt actas radices denuo eruatur, prior dominus eam repetere non poſſit, quia per alimenta alia, aliam quaſi vitam accepiſſe videtur L. *26. §. 2. ff. de acquir. rer. dom.* Imo quòd ſi arbor mea in vicini fundum omnes radices egerit, vicini arbor efficitur, quòd ſi non omnes, origo attenditur *L. 6. §. 2. ff. Arbor. furt. caſ.* Quod de implantatione Juſtinianus decidit, hoc pariter determinat de ſatione in alieno agro, & ſcriptione in aliena charta (charta diſtinguitur à papyro, quòd papyrus ſit materia præparata pro charta, charta verò ſit ipſa materia perfecta L. *librorum 52. §. Chartis de legat. 3.*) vel membrana, ſecus autem ſi quis in aliena materia pinxerit, ſi hæc vilis fuerit, illa ſolemnis, ait enim ſæpe citatus §. *ſi quis in aliena*: *Ridiculum enim eſt, picturam Appellis vel Parrhaſii in acceſſionem viliſſimæ tabulæ cedere*, ex quo econtra infertur: Ridiculum eſſe materiam ſolemnem in acceſſionem viliſſimæ picturæ venire, conſiderari ergo debet utriusque valor.

9. Charta diſtinguitur à papyro.

Quæſtio III.

De acquirendo rerum dominio per poſſeſſionem.

1. Dominus non ideo eſt quia poſſidet.

NOn eſt mea mens, vel intentio quaſi per poſſeſſionem fiat quis dominus ipſius rei, ſed ſolummodo an, & quorumnam fructuum, neq; enim imaginari quis ſibi debet, quod ſtatim, ut eſt etiam bonæ fidei poſſeſſor, eo ipſo ſit dominus, nam poteſt Titius bona fide emere villam à Mævio, quæ non eſt Mævii, in caſu Titius verus eſſet poſſeſſor, non tamen dominus, quia Mævius non potuit plus juris transferre in Titium, quàm ipſe habuit Ex L. *54. de R. J.* quo ſuppoſito Quæritur, an bonæ fidei poſſeſſor ſaltem fructus faciat ſuos, pro quo

2. Fructus unde dicantur.

Præ Notandum: Fructus (à ferendo vel fruendo dicuntur) alios eſſe *Naturales*, alios *Induſtriales*, & *Civiles*. *Naturales* ſunt, qui cum nulla aut exigua ſaltem cura, & cultura proveniunt, operante ipſa naturâ, & tales ſunt poma &c. fœtus, agni, hædi,

hœdi, vituli, lac, pili, lana, & generaliter omnia, quæ sine facto hominum nascuntur & renascuntur. *Industriales* sunt, quæ ex industria, & facto hominū proveniunt, ut botri, segetes &c. *L. Fructus 45. ff. de Usur.* *Civiles*, qui non ex ipsa re, sed ex occasione rei proveniunt v. g. Pensio pro vectura, Ex *L. 24. ff. de Usuris.* quamvis etiam hic fructus industrialis compellari possit.

2. Fructus sunt duplices.

Notandum 2. Fructus alios adhuc esse *pendentes*, ii scilicet, qui adhuc fundo adhærent, cujus etiam pars esse dicuntur *L. 44. de rei Vindic.* Alii sunt *Percepti*, qui à fundo sunt separati *L. 78. ff. eodem tit.* Alii *plenè Percepti*, qui post separationem in horreum recondìti sunt. Alii *Percipiendi*, qui percepti non sunt, sed percipi potuerunt. Fructus *percepti* iterum alii sunt Extantes, qui vel in natura ipsa, vel in pretio extant, surrogatum enim sapit naturam ejus, in cujus locum surrogatum est *L. 18. ff. Quod metûs can.* Alii *Consumpti*, qui amplius nec in se nec in alio existunt. His prænotatis

4. Possessor bonæ fidei facit Fructus suos.

DICO 1. *Possessor bonæ fidei facit fructus suos industriales, civiles & etiam naturales.* Ita Legistæ communiter, & Schambogen in Institut. suis. Probatur quoad singulas partes, & Prima quidem *ex Instit. lib. 2. tit. 1. §. 35.* ubi dicitur: *Si quis à non domino, quem dominum esse credìderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliâve qualibet justa causa æque bona fide acceperit, naturali ratione placuit fructus, quos percepit, ejus esse pro cultura & cura.* Ratio enim est, quia alioquin producti non fuissent, adeoque æquum est illi eos concedere. Probatur 2. pars de Civilibus tum ex allegato textu, Tum ex *L. 39. ff. de Usur.* Probatur 3. pars cum eadem Schambogen 1. ex *L. bonæ fidei. 48. ff. de rerum divis.* in qua dicitur *bonæ fidei emptor fructus suos facit, non tantùm eos, qui diligentiâ & operâ ejus pervenerunt, sed omnes, quia quod ad fructus attinet, loco domini pene est.* Secundò ex *L. 136. ff. de Reg. Juris.* ubi dicitur: *Bona fides tantundem præstat bonæ fidei præsumi, quantum veritas, quoties lex impedimento non est.* Sed veritas, id est, verum dominium præstat omnes fructus domino, ergo. Tertiò, ex *L. qui scit. 25. §. 1. ff. de usur.* ubi dicitur bonæ fidei possessorem in percipiendis fructibus plus juris habere, quàm Fructuarium, atqui fructuarius omnes facit suos *L. 7. in prin. ff. de Usufruct.* Quartò, Ex *L. 28. ff. de usur.* ubi dicitur *in pecudum fructu etiam fœtus est, sicut lac, & pilus, & lana, itaque agni & hædi & vituli statim pleno jure sunt bonæ fidei possessoris & fructuarii &c.* vide ibi: Sed in contra

Opponitur authoritas legum; nam inprimis Justinianus in Institut. cit. nihil habet de fructibus naturalibus, sed tantùm de iis *pro Cultura & cura*: Deinde; *L. qui vas. 48. §. Ancilla ff. de usur.* dicitur, quod possessor bonæ fidei ancillæ, partum usu capere debeat, ergo non habet antecedenter dominium, sed eadem est ratio de aliis partibus, ergo. Tertio, *L. Fructum. 45. ff. de Usur.* dicitur uxorem ex re donata mariti fructus naturales non facere suos, *sicut nec quilibet bonæ fidei possessor suos facit*, quia non ex facto ejus fructus is nascitur, ergo. Respond. neg. consequ. Ad Instit. dico, satis esse, quod Justinianus alibi faciat mentionem. Ad secundam legem dico disparitatem esse, quia *Partus ancillæ in fructu non est*, ex *Inst. lib. 2. tit. 1. §. in pecudum.* Et ex *L. 28. §. 1. & L. 48. §. 6. ff. de Usur.* Quia *absurdum videtur hominem esse in fructu, cùm rerum natura omnes fructus hominis gratiâ comparârit*, dicit Justinianus cit. §. *in Pecudum.* Partus ergo ancillæ ad dominum proprietatis pertinet ex eodem §.

Ad tertiam dico, ibi non esse omnimodam paritatem, sed aliquam, ita videlicet, ut quemadmodum uxor non facit fructus suos, ita nec plenè & absolutè facit bonæ fidei possessor, quin superveniente domino restituere teneatur. Et hinc

5. Possessor non facit fructus irrevocabiliter.

DICO 2. *Bonæ fidei possessor non facit fructus suos absolutè, sed revocabiliter, & ad interim.* Hæc est communior. Probatur 1. Ex *L. 48. ff. de rei vind.* Secundo, Ex *Instit. lib. 2. tit. 1. §. 35. si quis &c.* Tertio, Ex *L. 4. §. post litem ff. final. Regund. & L. Certum 22. C. de rei vind.* ubi clarè dicitur: Certum esse malæ fidei possessorem omnes fructus præstare oportere, *bonæ fidei verò extantes*, ergo non fit absolutè dominus, sed ad interim, id est, usque dum fuerint consumpti, per quod est melior possessore malæ fidei. ubi nota per extantes secundùm æquitatem intelligi omnes fructus si adhuc sint, & existant in pretio, quamvis fortè de rigore juris in natura existere debeant, ut tenent Fachinus, & Vinnius. Notandum 2. Leges loqui universaliter de omnibus fructibus tam naturalibus quàm industrialibus, deducto tamen pretio laborum, & impensis, quia id solùm *fructus* apellatur *quod supereſt deductis expensis.* Ex *Justit. lib. 3. de societate §. 2.* Notandum 3. Leges notanter dicere bonæ fidei possessorem *facere fructus suos*, non verò *lucrari*, quia facere suos nihil aliud est, quàm fieri eorum dominum: lucrari autem est ita fieri dominum, ut nec eorum æstimationem, nec extantes restituere teneatur. Sed in contrarium contra conclusionem directè

Opponitur authoritas aliarum legum ex *L. 25. §. 1. ff. de usuris*, ubi dicitur: quòd bonæ fidei possessor plus habeat juris, quàm usufructuarius, sed hic fit absolutè dominus, ergo, deinde, *L. 45. eodem tit. & ff.* dicitur uxor fructus industriales ex re donata mariti irrevocabiliter facere suos. Et Respond. negando consequ. Quia lex prior tan-

tantùm loquitur quoad acquiſitionem, id eſt bonæ fidei poſſeſſor ſicut uſufructuarius, imò magis facit fructus ſuos ſtatim poſt avulſionem à fundo. Ad ſecundam dico diſparitatem eſſe, quia in re donata mariti adfuit voluntas domini, ſecus autem eſt in bonæ fidei poſſeſſore. Et univerſaliter, ſi quæ leges dicant, poſſeſſorem talem pleno jure fieri dominum. Reſponde intelligendas eſſe ad interim.

Quæſtio IV.

De acquirendo rerum dominio per Uſucapionem & Præſcriptionem?

1. Uſucapere & præſcribere pro eodem ſumuntur.

OLim plures erant differentiæ inter uſucapionem & Præſcriptionem, nunc autem potiori ex parte pro eodem ſumuntur, nã uſucapere nihil aliud eſt, quàm uſu vendicare, & ſibi acquirere dominium alicujus rei, ſi legitimo tempore uſus duret, ut habetur *L. Uſucapio ff. de Uſucap.* & hoc idem eſt etiam præſcribere, ſi autem exiſtimantur diſtingui, id non contingit, niſi vel ratione materiæ, vel ratione temporis, nam uſucapio eſt rerum mobilium, Præſcriptio immobilium; Uſucapio fit triennio vel quadriennio, ut habetur *Inſtit. lib. 2. de Uſucap. & L. quas actiones C. eodem tit.* Præſcriptio verò fit per longum tempus, ut habetur in *Inſtit. citatus & C. de Præſcript.* Et alia eſt longi temporis, & alia longiſſimi temporis, longi temporis eſt, quæ fit inter præſentes per decennium, & inter abſentes per vicennium; longiſſimi temporis eſt, quæ fit per elapſum annorum 30. inter præſentes, & quadraginta inter abſentes &c. Et ſic præſcribuntur ordinariè bona Eccleſiaſtica ut habetur *XVI. q. 3. & L. tit. quas actiones* et quare autem diuturnius tempus requiratur inter abſentes quàm præſentes, eſt, quia ad abſentes rerum ſuarum notitia tam citò penetrare non potuit, & ſic venia magis digni ſunt, præſentium autem negligentia tali modo juſtè caſtigatur. Pro majori intelligentia

2. Præſcriptio definitur.

Notandum 2. Præſcriptionem rectè deſcribi, quod ſit *Adjectio dominii per continuationem poſſeſſionis tempore à lege definiti:* quæ deſcriptio ſi cauſaliter accipiatur denotat, quòd Præſcriptio ſit cauſa adjectionis, & in hoc ſenſu dicitur præſcriptio *inchoari, impleri, interrumpi, ceſſare &c.* ſi verò accipiatur formaliter, tunc fit in inſtanti, & ſic pro effectu habet dominium. Et dicitur *Adjectio*, id eſt *adeptio*, ut vult Ulpianus: Dicitur *Dominii*, nempe *pleni*, nam quum dicatur ſimpliciter, ſic in dubio potior verbi ſignificatio accipienda eſt *L. Bovet §. Hoc ſermone. ff. de V. S.* & cætera patebunt ex aliis conditionibus ad legitimam præſcriptionem requiſitis. unde

3. Conditiones à Præſcriptionem.

Notandum 3. Ut aliquis legitimè præſcribat, quinque requiri conditiones, quas ſequentes verſus exprimunt:

Ut quis uſucapiat ſint illi talia quinque:
Bona fides, juſtus titulus, res non vitioſa,
Ut res tradatur, poſſeſſio continuetur.

4. Fides bona requiritur ad Præſcriptionem.

Bona fides pertinet ad perſonam præſcribentem, ut videlicet illa habeat conſcientiam illæſam, quæ excuſet poſſeſſorem ab ignorantia rei alienæ, ſeu ut eam eſſe ſuam & non alterius credat, unde qui precariò poſſidet, id eſt ad preces veri domini non præſcribit, ſimiliter nec debitor, nec Emphyteuta, id eſt, qui emit agrum pro ſua & filiorum vita, nec uſurarius, qui per aliquod tempus penſionem ſuam non ſolvit, quia hi omnes non ſunt bonæ fidei, cùm ſciant rem eſſe alienam. An autem bona fides debeat durare per totum tempus ad præſcribendum requiſitum, vel ſolùm in principio, particulariùs infrà decidetur.

5. Titulus juſtus neceſſarius eſt ad præſcriptionem.

Secundò requiritur *Juſtus titulus*, id eſt juſta & legitima cauſa, eaque vel naturalis, ut hæreditatis v. g. ſi latronis filius hæreditatem ſuam poſſideret per tempus requiſitum, verè præſcriberetur: item cauſa vel titulus jure legitimus, vel præſumptus: Et hinc uſurarius & mutuarius nunquam præſcribit, quia illi poſſidet per vim, hic verò ut mutuatum reſtituat.

6. Res non vitioſa eſſe debet.

Tertiò requiritur ut res ſit non vitioſa, id eſt, præſcribi prohibita, & ſic primò uſucapi & præſcribi non poſſunt res, quæ ſunt extra commercium, Res ſacræ, ſanctæ, religioſæ, liber homo, homo ſervus uſucapi poteſt, niſi ſit fugitivus *L. 1. C. de ſerv. fug.* Secundò: Uſucapi non poſſunt Res furtivæ, ex *Inſtit. lib. 2. tit. de uſucap. §. furtivæ & L. 12. tab. & L. Attilia*, quòd non tantùm de ipſo fure intelligendum eſt, utpote qui nullum planè habet titulum nec quidem præſumptum, ſed etiam qui emit bonâ fide talem rem furtivam, vel alio juſto titulo acquiſivit, quia furti vitium rei ſemper adhæret.

Tertiò: vi poſſeſſæ, Ex, *L. Plautia, & Julia, in Inſtit. ſupracitat:* Quartò non poteſt præſcribere ſubditus contra prælati obedientiam, ut aliquo in caſu obedire non teneatur, nec etiam ut ſtipendium viſitanti Epiſcopatum ſolvere aliquis teneatur, ut habetur Ex *cap. Cum ex officio. De Cenſibus.* Quintò non poteſt quis præſcribere, quòd Eccleſiaſticum interdictum non teneatur ſervare. Ex *Cap. Alma Mater. de ſent. Excom. in VI.* Sexto: non poteſt præſcribere laicus jus patronatûs,

natûs, aut jus exigendi decimas, ut habetur in *cap. ante de Præscript.* Septimò, non possunt præscribi limites Diœcesis unius ab alia ex *cap. super eo de Parochiis.* Octavò: viæ & plateæ, quia prohibentur *L. præscriptio de opere publico.* Nonò: non possunt præscribi pensiones & tributa, quæ Principi, aut Reipublicæ, vel Civitati solvuntur ex *cap. Placuit. XVI. q. 3.* Decimò: Res dotales & pupillorum durante pupillari ætate, quæ est usque ad 14. annum, neque bona minorum: idem dicendum de amentibus, furiosis, ignorantibus sine culpa, excommunicatis, quia his non datur actio in judicio, nisi fuerit in mora petendi absolutionem, nec bona Ecclesiæ absque consensu Capituli, neque res quæ à testatore alienari prohibentur, ut habet Glossa in *L. 1. C. de usucap.* Tandem non possunt præscribi res, quæ alieno nomine occupantur, v. g. commodato.

7. Traditio requiritur ad Præscriptionem.

Quartò requiritur: Ut res tradatur, Quia *sine possessione nulla est præscriptio.* Ex Reg. juris in VI. sed ad possessionem requiritur traditio ex *Instit. lib. 2. tit. de rerum divis. §. per traditionem.*

8. Possessio continuata præscribit.

Quintò requiritur, ut possessio continuetur, id est non interrupta per tempus à lege definitum, ut habetur *cap. illud 8. cap. auditis 15. X. de præscriptionibus*, Tempus autem requisitum ad præscriptionem olim fuit parvum. Justinianus verò *L. un. C. de transform. Usucapt.* constituit ut res mobiles per triennium, immobiles ordinariè per decennium, inter absentes per vicennium, idque ne domini rebus suis maturiùs defraudentur, seu ut lex citata loquitur, *nè possessionibus citiùs, quàm par est, cadant.* Contra Ecclesiam autem Romanam, Coronam Regni, Civitates quod bona ab eis empta, vel legata, aut donata, centum annis; censentur autem absentes ii, qui non habitant in eadem provincia, neque ibi prædia habent, Ex *L. final. de præscript. 10. vel 20. Ann.* His prænotatis

9. Præscriptio est in usu.

DICO 1. *Translatio dominii ab eo contra quem præscribitur & usucapitur in præscribentem & usucapientem, est in usu & praxi.* Est communis. Probatur. Quia translatio ista fit authoritate legis, legislator enim statuit, quòd præscribens vel usucapiens rem servatis singulis conditionibus fit dominus illius rei, servata præscriptione & completa, sed legislator talem potuit concedere legem, ergo.

10. Præscriptio est justa civiliter.

DICO 2. *Leges illa civiles concedentes præscriptionem, & usucapionem justæ sunt in foro fori, si conditiones prærequisitæ serventur.* Est etiam communis, & Probatur 1. Illud potuit justè statui à Principe & Legislatore, quod ad pacificam subditorum conservationem & conversationem est necessarium, sed leges statuentes, ut res neglectæ ab occupante debito elapso tempore pleno dominio possideantur, conducunt ad pacificam conversationem, ergo sunt justæ: probatur min. quia nisi servarentur prædictæ leges perpetuæ fierent lites, plura & immortalia odia, quia primus dominus, vel hæres posset post quodcunque tempus dominium repetere, & cùm valdè difficile, imò quasi impossibile esset probationes sufficientes adducere, etiam valdè difficile esset primo domino justitiam administrare, difficilius autem possessorem ejicere, ne alterutri injuria contingeret, & sic pluribus injustitiis via aperiretur, & odiis, ac rancoribus plenus daretur campus.

Probatur 2. Quia si illæ leges essent injustæ maximè quia talis translatio esset contra voluntatem domini, contra quem præscribitur, sed hoc non obstat quin justæ sint, ergo: probatur min. Tum, Quia talis translatio non fit simpliciter contra voluntatem suam, nam eo ipso quòd consentit quispiam in Principem legislatorem, consentit etiam virtualiter in leges ab ipso dictatas: Tum, Quia licèt fiat contra voluntatem ipsius, per hoc tamen non sequitur, quòd fiat ipsi injuria, alioquin nemo propter delictum posset privari aliquo temporali nisi consentiret formaliter & specificè de illa pœna, quod est falsum, quia pœnæ sunt de nolitis: probatur autem sequela. Quia dum contra aliquem præscribitur fit propter delictum, nempe negligentiam de tenendis & reacquirendis rebus suis. Sed in contra

Arguitur 1. Principes non sunt domini rei meæ, sed tantùm tutores & defensores, ratione cujus accipiunt & dantur eis stipendia, ergo per leges Præscriptionis non possunt transferre dominium, & illud dare alteri absque eo quod furtum committant, & mihi ad restitutionem teneantur. Respond. 1. dist. ant. Non sunt domini proprietatis, conc. antec. Non sunt domini jurisdictionis, neg. antec. & consequ. Respond. 2. distin. aliter antec. Non sunt domini ut possint applicare bona mea pro usu suo, & privata utilitate, concedo. pro bono communi, vel ad defensionem patriæ, aut ad quietam habitationem & conversationem subditorum, neg. antec. & consequ. Respond. 3. Rem transferri in potestatem & dominium alterius à priore non esse actum habentis dominium proprietatis, sed dominium jurisdictionis, & sic Principes exigente, culpa vel necessitate eum exercere possunt.

Arguitur 2. Præscriptio non est à lege introducta tanquam quid bonum, sed ad evitandum majus malum, sicut permittuntur lupanaria, non quia bona sunt, sed ad evitanda adulteria, ergo per præscriptionem non transferuntur dominia justè. Respond. negando antec. Quia ut leges infra citandæ insinuant, non ad evitanda mala, vel etiam ad punienda, sed tanquam condecens & Reipublicæ valde conveniens introducta fuit bonorum præscriptio.

11. Præscriptio valet in conscientia.

DICO 3. *Leges de præscriptione non tantùm justæ sunt in foro fori, sed etiam poli, ita ut post transactum tempus liset resciat de domino priori, verè efficiatur dominus, & ab obligatione restitutionis excusetur, sive prior dominus negligens fuerit, sive non, & sive posterior oneroso, seu gratioso acceperint titulo.* Ita Doctor subtilis in 4. d. 15. D. Thomas quodl. 12. art. 25. Sotus, Aretinus &c. Prima pars est contra Rosellam, Hugonem, & Silvestrum putantes, præscribentem etiam elapso tempore si resciat priorem dominum, obligari ad restitutionem. Secunda pars est contra Medinam, Adrianum, existimantes contra eum solùm præscribi, qui est mortaliter negligens in acquirendis & rehabendis rebus suis. Sed Probatur Prima pars ex Authoritate Canonum *Gelasii Can. Præsulum. XVI. q. 3. & Can. quicunque & Can. Placuit. ex Concil. Tolet.* Item *Can. si virgo, XXXIV. q. un.* ex D. Augustino *& can. Sanctorum*, qui omnes sine ulla limitatione præscribenti servatis conditionibus requisitis verum dominium attribuunt. Nec dicas canones illos loqui de foro fori, non verò poli : *Quia in cap. Vigilanti, & cap. finali de præscript.* irritant præscriptionem, quæ fit ex mala fide, adstruentes tales nunquam præscribere, sed quodcunque de vero domino resciverint ad restitutionem teneri, ergo à sensu contrario approbant bona fide præscribentes verum acquirere aliquando dominium. Ratio etiam est, quia si præscriptio non transferret dominium in conscientia, nunquam quietarentur animi, nec continuis litibus & rixis finis præcluderetur, ergo. Sed contra Adrianum

Probatur 2. pars : Tum, quia Pontifices leges de præscriptione approbantes nullam fecerunt mentionem hujusmodi distinctionis de leviter & mortaliter negligentibus : Tum, Quia leges de præscriptione non sunt conditæ tantum in pœnam, ita ut semper peccatum mortale requirant, quamvis vulgariter hæc ratio afferatur, sed præcisè ob bonum publicum, ut expressè habet L. *1. ff. de Usucap. Publico bono introducta est Usucapio*, ne videlicet dominia tanto tempore maneant incerta, ut error in rebus tollatur, & pax conservetur, Idem habetur *in cap. vigilanti de præscription.*

Probatur eadem pars 2. Quia si requireretur negligentia mortaliter culpabilis, ut vult Adrianus, sequeretur quòd vel leges essent absolutè iniquæ, quod tamen dici nequit, cùm sanctissimi Pontifices eas approbaverit tanquam justas : Vel quod nunquam aliquis præscriberet, quia negligentia nunquam ex se est peccatum mortale, quod patet, quia ipsa prodigalitas, cujus negligentia de retrahendis rebus suis remota est filia, ex genere suo nunquam est peccatum mortale ; Tum, Quia sine peccato potest quis omnia bona sua relinquere, & deserere, ergo. Sed pro prima parte in contra

Opponitur Authoritas Regulæ Juris. *Locupletari quæ est 48.* ubi dicitur : *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria & jactura*, sed qui elapso tempore resciret proprium dominium, locupletaretur cum alterius injuria, si non restitueret, ergo. Respond. cum Glossa : Hanc Regulam habere vim suam in aliis materiis à Præscriptione & Usucapione. Deinde dico Regulam illam intelligendam esse, nisi justa de causa per authoritatem publicam constitutum sit contrarium, prout hic evenit. Sed

Dices : fundamentum præscriptionis est bona fides, qua existimat rem esse suam & non alienam, ergo immediatè ut rescit esse alienam cessat bona fides, ergo etiam præscriptio. Respond. distin. antec. Est fundamentum ad acquirendum dominium, conc. antec. ad continuandum semel acquisitum, nego antec. & consequ. Sed Quæres : quid faciendum cum tali, qui rescens rem fuisse olim alienam, faceret sibi scrupulum, num restituere teneatur ? Respond. Talem vel teneri hunc scrupulum deponere, quia provenit ex conscientia erronea ; vel debere restituere, non quidem quòd alienum habeat, sed ut ob conscientiam erroneam peccatum evitet, quia *Omne quòd ex fide non est, peccatum est.* Ad Rom. 14.

12. Fides bona debet continuare ad præscribendum.

DICO 4. *Ut aliquis legitimè præscribat, debet rem possidere bona fide toto tempore acquisito ad præscriptionem.* Hæc est contra Juristas communiter, qui ex Legibus Civilibus quibusdam existimant sufficere bonam fidem ad inchoandam præscriptionem, sed revera in hoc passu dero-

derogatum esse Juri Civili censent omnes Canonistæ, tenetque cum eis Schambogen, & Probatur 1. Ex *Regula Juris in 6.* ubi dicitur : *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Idem habetur in *cap. ult. de Præscript.* Probatur 2. ex *cap. Sæpe X. de Restit. spoliat.* ubi dicitur : *Qui novit se rem alienam possidere, restitutioni obnoxius est.* Probatur 3. Ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ubi sic legitur : *Quoniam quod non est fide peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, cùm generaliter sit omni consuetudini & constitutioni derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari, ut oportet, ut qui præscribit in nulla temporis parte rei conscientiam habeat aliena*, quæ authoritas etiam rationem continet pro conclusione, quicunque possidet aliquam rem cum peccato malè possidet, qui possidet contra conscientiam possidet cum peccato, ergo malè possidet, consequenter nunquam præscribet. Sed cum Glossa

Dices : In præscriptionibus semper judicandum est secundùm leges civiles, sed hæc etiam malæ fidei possessori transcribunt dominium, dummodo à principio bona fide inceperit possidere, ergo non requiritur, ut currat per totum tempus præscriptionis : patet major, probatur minor ex *L. sicut 3. & seque. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.* Respond. distin. majo. In iis, in quibus non involvitur peccati periculum, conc. si adsit, neg. majo. & min. Et ad probationem Respondeo opponendo *cap. final. de Præscript. & cap. final. de consuetud. in X.* in quibus determinatur, quod mala fides etiam per elapsum centum annorum non purgetur. Sed

Instabis: Videtur, quòd Pontifex non potuerit abrogare leges, quæ de præscriptione extant, ergo manent adhuc in suo vigore. Respond. negando antec. Quia licèt potestas imperatoria sit distincta à Pontificia, nec illa sit huic subjecta, attamen in iis, quæ ad regimen animarum pertinent, omninò prælata est, hinc licet ei tollere omnes leges & eas abrogare, quæ sunt peccatorum fautrices, quales censentur illæ, quæ malæ fidei possessoribus dominium concedunt. Nec valet dicere, Pontificem tantum in suis terris abrogâsse, quia revera etiam super omnes alios Principes authoritatem habet in directione animarum, unde aliqui Doctores dicunt, ipsas leges antecedenter fuisse nullas, & solum per Pontificem declaratas ut tales: quidquid tamen sit cum de peccatis agitur, standum erit juri Canonico.

DICO 5. *Si post legitimè inchoatam Possessionem & Præscriptionem supervenit dubium an res sua sit vel aliena, potest eam continuare possidens & finaliter perficere, dummodo stante dubio moralem diligentiam adhibeat rescienti an res sua sit, vel aliena.* Ita Panormitanus, Felinus, Bartolus, Medina, Covaruvias, Aretinus, contra Sotum, Majorem, Adrianum &c. & Probatur 1. Ex Concilio Lateran. *cap. ult. de Præscript.* ubi ad continuandam præscriptionem solùm requiritur, ut is qui possidet in nulla temporis parte ad præscribendum constituti conscientiam habeat rei alienæ, item *Can. Virgo XXXIV. q. 1. & 2.* dicitur bonæ fidei possessor, qui ignorat rem alienam esse, sed qui dubitat, ignorat, ergo. Probatur 2. ex *L. 1. C. de Usucap. transform.* ubi id expresè innuitur. Probatur 3. Quia *In dubio melior est conditio possidentis.* Probatur 4. Argumento desumpto ex *Cap. Inquisitioni, & Ex cap. dominus de secundis Nuptiis*, ubi fœmina, quæ nupsit secundo viro bona fide, priore vivo, jubetur reddere debitum secundo viro, etiamsi dubium postea supervenerit, ergo multò magis in casu præscriptionis, cùm non sit tantum peccatorum periculum. Probatur 5. Qui dubitat potest rem in judicio defendere & teneri, usque dum evincatur ; imo si per sententiam ipsi adjudicetur, legitimus fit Dominus, sed hujus alia non est ratio, nisi quia dubium non tollit ejus bonam fidem, ergo: quod si autem tolleret revera nec in conscientia posset rem adjudicatam possidere & retinere. ergo. Ubi nota hoc dubium non debere esse practicum, an restituere teneatur, nec ne? sed speculativum an sua sit, nec ne? sed

13. Dubio superveniente in Præscriptione diligentia est adhibenda.

Dices: Sola litis contestatio interrumpit præscriptionem, ergo à fortiori dubium, quia litis contestatio non facit nisi dubium in foro exteriori. Respond. negando consequ. Quia quod litis protestatio interrumpat, provenit ex juris ordinatione, quod non vult dominium concedere nisi possessori pacifico, non verò interrumpit, eò quòd dubium suboriatur.

Digitized by Google

Quæſtio V.

An bona Eccleſiæ liceat juſtè transferre ad alium Dominum? ſeu an liceat ea alienare?

1. Alienatio deſcribitur

VIſa translatione rerum temporalium quæ per publicam authoritatem juſtè fieri poteſt, videndum reſtat, an etiam bona Eccleſiæ poſſint authoritate Eccleſiæ transferri ad alium Dominum, ea alienando, permutando &c. nam ut bene notat Navarrus in Comment. de alienat. Rerum Eccleſiarum, *Alienatio aliud nihil eſt, quàm Actus per quem Dominium alicujus rei transfertur in alium*: ubi Notandum 1. Per alienationem hic non ſolùm comprehendi eam, qua transfertur Dominium directum, ſecundùm quam transfertur utile dominium, ſed longum tempus, cujusmodi ſunt *Infeudatio, Emphyteuſis, Uſusfructus, Locatio longæva*, ita ut quæſtionis ſit ſenſus, an poſſit Papa, idem eſt de aliis Inferioribus, ſimpliciter res Eccleſiæ alienare transferendo earum dominium in alios, vel ſaltèm utile, uno aliquo ex modis dictis.

2. Alienatio alia valida, alia non.

Notandũ 2. Alienationem aliam eſſe validam ſed illi citã; aliam nec validã nec licitã, & aliam validam & licitam ſeu juſtam; *Valida ſed illicita eſt*, quæ fit ab habente poteſtatem alienandi, ſed Lege divina, naturali, vel humana prohibetur, ut ſi quis ex ſuo daret meretrici ob turpem finem, vel ſi Papa res unius Eccleſiæ transferret in aliam absque juſta cauſa. *Nec valida, nec licita eſt ea*, qua quis concedit alteri rem, cujus nec eſt verus Dominus, nec à vero Domino poteſtatem alienandi habet, vel ſi habet, non ſervat formam debitam in transferendo. *Licita & valida* eſt, quæ fit ab habente poteſtatem alienandi, & ex juſta cauſa, ſervatâque debitâ formâ rem de uno transfert in alium; hîc ergò quæritur quænam ſit valida & juſta alienatio, quidque ad eam requiratur. Pro quo

3. Eccleſiaſtici & Beneficiarii non poſſunt alienare bona Eccleſiæ.

DICO 1. *Papa, multominùs alii Beneficiarii, aut Prælati Regulares, ſinè juſta cauſa non poteſt, licitè ſaltèm, bona immobilia vel mobilia pretioſa Eccleſiæ, & quæ ſervando ſervari poſſunt, alienare, in laicos & profanos uſus, nec ultra triennium locare, aut in Feudum Emphyteuſim & Uſumfructum concedere.* Eſt communis apud Navarrum de alienat. & de ſpoliis, & alibi ſæpe. Dixi *ſinè cauſa juſta*, nam habita tali cauſa poteſt omnino. Dixi etiam *licitè ſaltèm*, quia controverſia eſt an etiam validè poſſit alienare, Affirmat Fillucius, Negat Navarrus, quia non accipit poteſtatem in deſtructionem, ſed in ædificationem, adeoque non accipit poteſtatem transferendi res Eccleſiæ ſinè cauſa in profanos uſus, & hoc ſentire ſanctius mihi videtur. Dixi iterum, *quæ ſervando ſervari poſſunt*, ut à contrario ſenſu detur intelligi, ejusmodi res, quæ ſervando ſervari non poſſunt, ut ſunt veſtes, fructus, & aliæ res mobiles, vel ſe moventes, & non fructificantes, poſſe in utilitatem Eccleſiæ locari, vel permutari, vel etiam alienari, hæ enim excipiuntur in Bulla *Ambitioſa*. Dixi denique *ultra triennium locare*, quia ut conſtat ex dicta Bulla *Ambitioſa*, quæ eſt Pauli II. mox alleganda, non prohibentur alienari bona hujusmodi ad tempus minus triennio; nunc

Probatur Concluſio I. de Papa, Ex *Cap. Non liceat*, ubi dicitur, *Non liceat Papæ prædium Eccleſiæ alienare; aliquo modo pro aliqua neceſſitate, nec in uſum fructum rura dare &c.* ubi declaratur Lex divina & naturalis contenta in ſeptimo præcepto Decalogi, de non furando, qua inhibitur etiam ſummo Pontifici, res ſpecialiter DEO dicatas in profanos uſus convertere.

Probatur 2. Lex naturalis ex triplici capite obligat Papam ad non alienanda bona Eccleſiæ; primò ex generali illo dictamine rectæ rationis, quæ dictat, id quod eſt ad certum & rationabilem uſum determinatum & dedicatum non debere ſinè cauſa ad alium oppoſitum converti. Secundò. Ex ſpeciali dictamine juſtitiæ, quæ dictat, res unius Domini non debere etiam ab ejus Locumtenente, in alios uſus contra intentionem veri Domini transferri, conſtat autem contra voluntatem Chriſti aut Eccleſiæ eſſe, ut res in pios uſus Deo dicatæ transferantur ſinè cauſa ad profanos. Tertiò. Obligatur ratione pacti tacitè vel expreſsè initi cum primis donantibus, qui res ſuas ea conditione DEO & Eccleſiæ donarunt, ut in pios uſus conſerventur, atqui ſervare pacta obligat ex jure naturæ.

Probatur Concluſio 3. quoad alios Beneficiarios inferiores per Extravag. Pauli II. quæ incipit *Ambitioſæ cupiditati*, in qua ſequens habetur graviſſima ordinatio, *Ambitioſæ cupiditati illorum præcipuè qui divinis & humanis affectati damnatione poſtpoſita, immobilia & pretioſa mobilia DEO dicata ex quibus Eccleſia Monaſteria, & pia loca reguntur, illustrantur, & eorum miniſtri ſibi alimoniam vendicant profanis uſibus applicare, aut cum maximo illorum aut Divini cultûs detrimento exquiſitis mediis uſurpare præſumunt &c. Occurrere volentes, omnium rerum & bonorum Eccleſiaſticorum alienationem, omneq; pactum, per quod ipſorum dominium transfertur Conceſſionem, hypothecam, locationem & conductionem, ultra triennium, nec non infeudationem, vel Con-*

tractum

tractum Emphyteuticum, præterquam in caſibus à Jure permiſſis, ac de rebus & bonis in Emphyteuſim ab antiquo concedi ſolitis, & tunc cum Eccleſiarum evidenti utilitate, ac de fructibus & bonis quæ ſervando ſervari non poſſunt, pro inſtantis temporis exigentia hac perpetua valitura conſtitutione præſenti fieri prohibemus &c. Quæ Lex obligat omnes inferiores Papâ quoad vim coactivam, & ipſum Papam quoad vim directivam, licèt enim ipſe non poſſit ſibi legem imponere, quæ habeat vim coactivam, tenetur tamen de Lege naturæ in exemplum aliorum juſtæ ſuæ legi ſeſe conformare.

4. Decretum Urbani 8. de bonis non alienandis.

Probatur 4. de Regularibus Superioribus Ex Decreto Congregationis Sacræ Concilii Interp. emanato 7. Septembris Anno 1624. de mandato piæ memoriæ Urbani VIII. quod ſic ſonat. Sacra Congregatio Concilii experimento edocta, quantum Religiones accipiant detrimentum ex bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium diſtractionibus, quas crebro faciunt Regulares Apoſtolicis Privilegiis innixi, ac proinde opere pretium putans illorum facilitatem aliqua ratione compeſcere, ſpecialiſſimo Domini Noſtri juſſu Generalibus & Provincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, & Generalibus, & quibuscunque aliis Superioribus Regularibus, cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis vel Inſtituti intra fines Europæ exiſtentibus omnium rerum & bonorum immobilium & pretioſorum mobilium alienationem, omneque pactum per quod ipſorum Dominium transfertur cenſus perpetuos, ſeu vitalitios, hypothecam, locationem, conductionem ultra triennium conceſſionem in Feudum vel Emphyteuſim, præterquam in caſibus à jure permiſſis, fieri perpetuò prohibet, atque interdicit, *abſq; ipſius Congregationis Concilii expreſſa licentia in ſcriptis & gratis concedenda* ſub pœna privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque activæ & paſſivæ perpetuæ inhabilitatis ad illa impoſterum obtinenda, quam ipſo facto abſque alia declaratione incurrant, ſublatâ etiam Generali & Protectori illam moderandi aut relaxandi facultate, pœnis nihilominus Apoſtolicarum Conſtitut. & præſertim fel. rec. Pauli II. quæ incipit *Ambitioſa* in ſuo robare permanſuris, alienationes verò pacta, cenſus, hypothecas, locationes, conductiones, & conceſſiones quascunque contra hujusmodi prohibitionem faciendas Sanctiſſimus ſua authoritate ipſo jure nullas atque irritas decrevit, *Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcunque perſonarum atq; Ordinum tam mendicantium quàm non mendicantium &c.* Sed contra Concluſionem

Arguitur. Summus Pontifex eſt abſolutus Dominus, vel ad minus Supremus DEI Vicarius in adminiſtrandis bonis Eccleſiæ, ergo poteſt de iis ad libitum diſponere, æquè ac de ſuis patrimonialibus. Reſpond. 1. Negando illum eſſe abſolutum Dominum, & dato quòd eſſet, nego quòd poſſit de iis ad libitum diſponere licitè, nam ut patet, qui patrimonium ſuum vel prodigè dilapidat, vel avarè retinet, eſto ſit abſolutus Dominus, peccat nihilominus contra Legem naturalem & divinam, & multomagis qui res alterius ſuæ curæ vel adminiſtrationi commiſſas in alios uſus, quàm in quos à Domino deſtinatæ ſunt, convertit.

Inſtatur dicendo, Quod licèt ejusmodi alienatio illicita ſit, erit tamen valida, ſicut validè quamvis illicitè patrimonium ſuum prodigendo transfert. Reſpond. negando Conſequentiam cum Navarro. Quia Papa non accipit poteſtatem in deſtructionem, ſed in ædificationem, adeoque nec poteſtatem alienandi res Eccleſiæ in uſus profanos & laicos ſinè juſta cauſa.

Dices. Hoc eſt limitare ſupremam Poteſtatem Summi Pontificis. Reſpond. negando aſſumptum, ſicut enim non limitat eius poteſtatem, qui dicit eum non poſſe Sacramenta inſtituere, vel fœminam ordinare, aut ſimilia, ita nec in propoſito, qui dicit eum non poſſe alienare res Eccleſiæ ſinè cauſa, cùm hæc poteſtas nullo modo expediat, imò ſibi & Eccleſiæ nocere poſſit.

Quæres. Quænam ſint legitimæ cauſæ alienandi bona Eccleſiæ? Aliqui quatuor aſſignant ut Bonacina, alii tres, nempe *Utilitatis*, *Pietatis* & *Neceſſitatis* ego 2. Cauſas juſtas alienandi bona Eccleſiæ duas potiſſimùm eſſe, nempe *Neceſſitatem* & *Utilitatem*; Neceſſitas eſt quando Eccleſia gravatur debitis quæ aliter ſolvi nequeunt, quàm per alienationem dictorum bonorum, aut quando Eccleſia reparanda eſt, fundus inſtaurandus, vel domus ſuffulcienda, quæ alioquin laberetur. Imò dari poſſe talem neceſſitatem, ut licita ſit alienatio, etiam ſinè ſolemnitate, ex Rebuffo & aliis teſtatur Redoan. q. 13. Molina diſp. 648. Quaranta verbo Alienatio n. 42. & P. Sopranus tract. 44. c. 5. q. 11. n. 11. de qua re alibi cum Suarez. & aliis locutus ſum. Imò Bonacina tom. 1. tract. 2. de alienatione bonorum n. 5. docet, validam eſſe alienationem, ſi Prælatus credebat cauſam eſſe legitimam, quamvis poſtea comperiat non fuiſſe legitimam. Ita Gloſſa cap. ad noſtram de rebus Eccleſiæ non alienandis. Vasq. l. cit. n. 39. & alii apud Covarr. 2. var. c. 17. n. 20. apud Molin. diſp. 468. n. 14. apud Riccium loco citato deciſ. 15. Ratio eſt, quia Eccleſia non præſumitur velle alienationem invalidam eſſe ob cauſam non legitimam, quæ legitima putabatur; comperto tamen errore privilegium reſtitutionis in integrum Eccleſiæ competit &c. Addit in dubio, an alienatio facta ſit ex legitima cauſa, præſumi factam ex legitima cauſa, & in eviden-

5. Cauſæ ſufficientes ad alienandū.

tem Eccleſiæ utilitatem quoties Commiſſarius ſeu Deputatus (Idem eſt de ſuperiori) conſenſum præſtitit; Commiſſarius enim non præſumitur deliquiſſe, conſequenter Eccleſiæ tunc incumbit onus probandi ſe læſam fuiſſe, ſi privilegio reſtitutionis in integrum uti velit. Pro hac re citat Maſcardum de probat. Concl. 488. & 1612. Redoanum quæſt. 78. P. Sopranum c. 5. q. 9. Menoch. lib. 2. præſumpt. 75. n. 18. Rotam 1. part. diverſ. deciſ. 716.

Cauſa utilitatis tunc eſt ; quando ex alienatione ſic facta conditio Eccleſiæ vel melioratur, ut cùm res utilis in utiliorem permutatur, vel ſaltèm impeditur, ne deterioretur, ut cùm ſolum ſterile vel inutile venditur, locatur, vel in Emphyteuſim traditur : vel cùm res infructuoſa & nociva propter expenſas, reparationem, & Cuſtodiam, in pretium commodum convertitur; Vel denique quando aliquid fit ex cauſa Religionis fovendæ, vel promovendæ, aut in pauperum ſuſtentationem, Captivorum Redemptionem, Templi ædificationem, aut ampliationem, quod ultimum vocant alii cauſam Pietatis.

6. Bulla Ambitioſæ non ubique eſt recepta.

Quæres 2. An Bulla *Ambitioſa*, ubique ſit recepta? Bonacina tom. 1. tract. 2. de alienatione bonorum Eccleſiæ punct. 5. n. 4. docet cum Vasquetz in tract. de Bon. Eccleſ. non alienandis D. 7. n. 32. Suarez Navarro, Sayro, Leſſio, & aliis locis citatis, eam (Ambitioſæ videlicet, & conſequenter Decretum Sac. Congr. illius confirmativum) paucis in locis receptam eſſe, non ſolùm quoad privationem beneficii, ut oſtendit in tractatu de Legibus, cum clave regia, Svarez, Molina, Henriquez & aliis, verùm etiam quoad cenſuras. Propterea inſpicienda & attenda eſt locorum conſvetudo, illique ſtandum eſt in hac re, nam fieri poteſt, ut prædicta Extravagans ſit recepta quoad unam partem non verò quoad aliam : quoad obligationem, non verò quoad pœnas, quoad nullitatem locationis, vel alienationis factæ ſinè ſolemnitate non verò quoad pœnas. Neque obſtat uſus & praxis Sacræ Pœnitentiariæ, in qua delinquentes abſolvuntur, & ad beneficia rehabilitantur. Reſpondetur enim id fieri ad pacandas conſcientias, & quia ſupponit præfatam Extravagantem receptam fuiſſe. Addit præfatam Extravagantem non videri receptam quoad aſſenſum Apoſtolicum in alienatione quorumlibet bonorum Eccleſiaſticorum; nam bona aliqua Eccleſiaſtica vendi conſveverunt de licentia Epiſcopi, non petito Summi Pontificis aſſenſu.

7. Minores Fratres non obligantur ad Bullam Ambitioſæ

Quæres 3. An Fratres Minores ſtante receptione hujus Extravagantis obligentur ad obſervantiam ejusdem *Ambitioſæ*? Reſpondetur cum Proſpero Fagnano in 3. Decretal. tom. 4. de Rebus Eccleſiæ non alienandis, cap. Nulli, *& X. Ambitioſa.* fol. 274. & ſequentibus ubi Numero 18. dicit. Hæc igitur ſit regula, quòd alienatio Bonorum Eccleſiæ immobilium, vel pretioſorum mobilium hodie prohibita eſt etiam cum cauſa, & ſolemnitate ſinè beneplacito Apoſtolico; ſed num. 27. ſtatim ſubjungit; fallit hæc regula quintò in alienatione neceſſaria, quæ fit ex neceſſitate Juris, eò quòd Jus præcipiat illam fieri: in ea enim non requiritur ſolemnitas requiſita in alienatione rerum Eccleſiæ, ſecùs ſi fiat voluntariè, licèt ex cauſa neceſſitatis vel utilitatis Eccleſiæ. Hæc eſt theorica Antonii de Butr. in Cap. Paſtoralis num. 11. verſ. Ord. attendatis, & Abbatis ibidem num. 5. ſupra de his quæ fiunt à Prælatis ſinè conſenſu Capituli. Quam theoricam ſervat Curia, ideoque à Sacra Congregatione Concilii reſponſum eſt valere legatum immobilium Fratribus Minoribus ſub modo licito nempe ut vendant, & pretium convertant in uſum fabricæ vel Sacriſtiæ, & idem ſi factum fuit ſimpliciter, quia ſub modo licito factum intelligitur, ut cap. *Exiit qui ſeminat* §. *ad hæc quia Fratribus*, de Verbor. ſignificat: lib. 6. nec in hujusmodi alienatione opus eſt ſolemnitate, quia fit ex Regulæ præſcripto. Hoc ipſum tenent Decius in Cap. in præſentia n. 69. de probat. & Socin. reg. 110. n. 3. Ad quam Fagnani doctrinam ſubſumitur. Sed Fratres Minores æquè ex Regulæ præſcripto tenentur alienare, quia retinere prohibentur mobilia pretioſa ſuperflua, inutilia, & theſaurizationem præ ſe ferentia ex eodem Cap. *Exiit qui ſeminat* §. *Quamvis etiam Paramenta.* §. *Inſuper nec utenſilia.* Et Cap. *Exivi.* §. *Quia verò libros.* Ergo pari ratione in alienatione mobilium pretioſorum opus non erit Fratribus Minoribus ſolemnitate ſeu licentia Sedis Apoſtolicæ.

8. Eccleſiæ unius bona non poſſunt transferri in aliam.

DICO 2. *Papa ſinè juſta cauſa non poteſt licitè bona unius Eccleſiæ in aliam transferre, quamvis alienatio ſic facta valida ſit.* Eſt communis apud Navarrum de Spoliis Clericorum §. 3. Et colligitur ex locis pro prima Concluſione adductis, & adhuc Probatur quoad primam partem 1. *Ex Cap. Nulli. De rebus Eccleſ. non alienand.*, & *Cap. ſinè Exceptione, eodem tit.* in quibus ſecundùm omnes alienatio rei, unius Eccleſiæ in aliam ſinè juſta cauſa & ſolemnitate debita prohibetur.

Secun-

Secundò. Non ſolùm peccat contra Legem naturalem & divinam, qui aufert alicui dominium eo invito, ſed etiam qui aufert uſum fructum, uſum, vel adminiſtrationem, quam habet in ea, ſed Eccleſia particularis, cui res aliqua applicata eſt in dotem, vel dotis augmentum, ad ſui ſuſtentationem vel decorem, habet uſum fructum, & adminiſtrationem illius rei ad ſui utilitatem, ergò contra Legem naturalem eſt aufferre ei illam rem ſinè juſta cauſa. Tertiò. Non licet Papæ aut ulli Monarchæ mutare ultimas voluntates eorum qui aliquid in certum uſum donarunt, hoc enim eſſet privare aliquem facultate ſibi à Lege naturali conceſſa, ſed prædia Eccleſiarum ſunt à fidelibus donata ad earum neceſſitatem & decorem, ergo. Confirmatur per Gloſſam *in cap. 1. diſt. 22.* communiter receptam, ubi ſic habetur: *Papa non debet uni Eccleſiæ detrahere, & dare alteri niſi ſubſit cauſa.*

Probatur 2. Pars Concluſionis à Navarro. Quia per illam alienationem non transfertur à Vero Domino, qui eſt Chriſtus, ſed ſolùm efficitur, ut manente utrobique Dominio penes ipſum inſerviat ei in alio loco, & in alios uſus, & ita licèt Papa ſic transferrendo peccet & faciat injuriam Eccleſiæ ſpoliatæ, & per hoc teneatur damnum illatum compenſare, tamen translatio facta valida eſt, adeò ut altera Eccleſia, in quam transferuntur, tutè, & in conſcientia poſſit ea retinere eisque frui, ita Navarrus. Sed in contra

Opponitur Authoritas Gloſſæ ſuper *Caput. ſi Gratioſe* ubi dicitur Quòd in Beneficialibus eſt *Papæ pro ratione voluntas*, & omnia beneficia eſſe ei manualia, ita quòd poſſit aufferre vel conferre titulos beneficiales ad libitum. Et alia Gloſſa dicit, quòd Papa poſſit aufferre Epiſcopo Epiſcopatum, & defactò Joannes XXII. diviſit Epiſcopatum Toloſanum in quatuor Epiſcopatus, & Pius IV. ademit Epiſcopatui Leodienſi quantum ſufficit poſtea pro tribus aliis de novo erigendis, ergo. Reſpond. Gloſſam illam, quatenus habet quod Papæ in Beneficialibus *ſit pro ratione voluntas*, habere locum tantùm in iis, quæ ſunt juris humani, & quæ non ſunt contra jus naturale aut divinum. Eodem modo ad aliam Gloſſam, & ſimiliter cenſendum eſt aliquos Pontifices diviſiſſe aliquos Epiſcopatus ob juſtam aliquam & rationabilem cauſam.

9. Papa poteſt etiam bona immobilia Eccleſiæ Romanæ transferre.

Dico 3. *Papa ex juſta cauſa, & ſervata ſolemnitate debita poteſt bona etiam immobilia Eccleſiæ Romanæ, vel etiam alterius cujuscunque in uſus etiam laicos & profanos quòad dominium directum & utile, licitè & validè transferre*, Ita Navarrus de Spoliis Clericorum §. 17. & 18. adducens de verbo ad verbum Bullam Pii V. quæ incipit. *Et ſi Benedictus Deus*, ubi propter bonum commune Reipublicæ Chriſtianæ, & bellum contra Turcas continuandum concedit Pontifex certis Commiſſariis plenariam poteſtatem alienandi, & etiam in laicos uſus bona quædam Eccleſiæ pro certa ſumma pecuniæ ad præfatam neceſſitatem ſublevandam. Et Ratio eſt; Quia cùm Chriſtus Dominus, vel Eccleſia, ſit abſolutus Dominus, & conſtituerit Papam ſuum in terris Vicarium, dans ei plenitudinem poteſtatis, præſertim ad ædificationem, ut poſſit de rebus Eccleſiæ diſponere, prout meliùs expedire iudicaverit, ad bonum ipſius Eccleſiæ, DEI cultum, & honorem, & ex alia parte ſæpe contingat ut bonum commune Eccleſiæ, vel ejus Miniſtrorum, aut pauperum Chriſti, exigat ejusmodi alienationem, hinc clarè conſtat poſſe Papam, vel alium Beneficiatum, de conſenſu tamen tacito, vel expreſſo Papæ, res Eccleſiæ ſuæ, ex juſta cauſa alienare. Sed in contrà

Opponitur *Cap. Non liceat Papæ*, ſupra pro prima Concluſione adductum, ubi prohibetur ne Papa aliquod pretium Eccleſiæ alienet, aliquo modo & aliqua neceſſitate, ubi videtur excludere etiam juſtam cauſam in alienando. Reſpond. cum Navarro, per ly *aliquo modo*, & *aliqua neceſſitate* intelligi neceſſitatem perſonæ, non ipſius Eccleſiæ, ut ſenſus ſit, non liceat Papæ ob propriam neceſſitatem, aut utilitatem, aut pro ſolvendis debitis, quæ pro perſona propria, amicis, aut cognatis contraxit, rem Eccleſiæ vendere, vel aliquo modo alienare, bene tamen ſi id exigat neceſſitas vel utilitas ipſius Eccleſiæ.

Digitized by Google

DISPUTATIO IV.

De

Juſtitia in transferendis & acquirendis liberaliter propria authoritate oblatis, vel donatis.

PLurimùm pollet Juſtitia in rebus ſuis temporalibus liberaliter, gratuita donatione transferrendis, unde Cicero lib. 1.Officiorum, *Juſtitiæ eſt conjuncta beneficentia, quam eandem, vel benignitatem, vel liberalitatem appellari licet*, nam ut Speuſippus loquitur, Liberalitas eſt habitus, qui in quærendis, erogandisque pecuniis decorem ſervat, hoc eſt decens ac moderata acquiſitio, & erogatio pecuniæ, avaritiæ & prodigalitatis extremis circumſepta; Nam ſi non tantum quantum oportet tribuatur avaritia eſt, ſi excedatur in dando modus, & detur plus quàm oportet prodigalitas; Juſtitia igitur moderari debet, ut in dando ſervetur medium, hinc Principes & Judices terræ multa condiderunt jura in promiſſionibus & donationibus ſervanda, ut juſtè cuilibet ſuum quod promiſſum eſt donetur, tribuatur, ſive diſtribuatur & Juſtitiâ obſervetur; quare ut Ethicus Chriſtianus ſciat, qualiter in liberalibus donationibus ſeſe gerere conveniat, in hac diſputatione declarabo ſit igitur

Quæſtio I.

Quid ſit Promiſſio, & quomodo obliget?

1. Propoſitũ & Promiſſio inter ſe differunt.

PRo reſolutione hujus Quæſtionis Notandum hæc tria, *Propoſitum*, *Promiſſio*, & *Donatio* per quæ originativè bona temporalia & externa, in alium liberaliter, ſponte, & ex propria voluntate transferuntur, multùm inter ſe differre; nam *Propoſitum* eſt, deliberata voluntas dandi aliquid, vel agendi in alterius gratiam, non pariens obligationem, ſi ſit ſimplex propoſitum, ut habetur *Cap. Litterarum, de voto*. *Promiſſio* eſt deliberata voluntas dandi aliquid vel agendi in gratiam alterius, obligationem pariens, modo infra dicendo. Propoſitum itaque eſt actus internus voluntatis, expreſſus his vel ſimilibus verbis, *Volo*, vel *Propono hoc facere*. Promiſſio verò, eſt actus internus voluntatis, qui exprimitur his verbis, *Faciam hoc*, vel *obligo me ad hoc vel illud faciendum*, aut ſimilibus. *Donatio*, dicitur quaſi *Donidatio*, Donum autem eſt datum gratuitum, quod neque ex Juſtitia debitum eſt, neque ex aliquo titulo oneroſo, neque in eo qui recipit parit aliquam obligationem; Et eſt duplex *Verbalis tantùm* & *Realis: Verbalis tantùm*, quæ ſolis verbis ſinè rei donatæ traditione completur, ut ſi de equo abſente dicatur, *Dono tibi talem equum*, in qua donatione non transfertur dominium, quia jus poſitivum ſtatuit, ut ſinè traditione rei dominium non transferatur. *Realis* & perfecta eſt, in qua res donata traditur, & conſequenter fit ſtatim accipientis. Hinc patet Donationem realem differre à Promiſſione, & Donâtione verbali, quod in reali transferatur dominium, in his verò non, ſed ſolùm ei, cui fit promiſſio vel donatio verbalis competit *Jus ad rem* ſibi promiſſam, vel verbaliter donatam, acquirendam; Ex quo fit, quòd ſi promittens vel verbaliter donans, rem promiſſam alteri tradat, vel vendat, hic, cui traditur acquirit dominium illius, ſeu *Jus in re*, alius verò cui primò fuit promiſſa, *Jus ad rem*, ut loquuntur Juriſtæ, id eſt habet actionem adversùs promittentem quoad intereſſe. Quia igitur Promiſſio eſt via ad Donationem, hinc de ea prius agendum eſt in hac quæſtione.

2. Donatio alia realis alia verbalis.

Notandum 2. Promiſſionem quoque differre aliquo modo à Pollicitatione, Stipulatione & Pacto, nam *Pollicitatio eſt offerentis ſolius promiſſum* ex *L. 3. ff de Pollicitat.* ſeu eſt nuda Promiſſio nondum ſecuta acceptatione; unde omnis Pollicitatio eſt Promiſſio, non è contra; ita Leſſius. Stipulatio autem eſt Contractus verborum, vel formula contrahendi, quæ fit præcedente interrogatione Creditoris, & ſecuta reſponſione Debitoris, ut promittis dare 100. aureos? Promitto. Fidejubes pro hoc opere? Fidejubeo &c. Pactum eſt duorum conſenſus, atque conventio, ex *L. 3. ff. de Pollicit.* unde ad rationem Pacti requiritur conſenſus duorum, ad Pollicitationem unius tantùm, tranſit autem pollicitatio in pactum, quando is cui facta eſt, eam acceptat.

Promiſſio definitur.

DICO 1. *Promiſſio gratuita bene deſcribitur, quòd ſit datio fidei deliberata, vera, ac ſpontanea de re aliqua licita vel poſſibili danda vel præſtanda.*

Ita Communior apud Bonacinnam. Probatur explicando ſingulas partes: Dicitur *Datio fidei*, ad diſtinctionem pollicitationis, & ſtipulationis, quæ ante acceptationem non habent rationem promiſſionis, nam promiſſio ante acceptationem dicitur

Digitized by Google

tur pollicitatio, si fiat verbis, si scripto cum certa forma verborum stipulatio, uti in Notabili secundo dixi, unde ut habeat veram rationem suam Promissio, acceptatio accedere debet. Dicitur *Deliberata*: Quia promissio est nata inducere obligationem, quæ non oritur nisi ex actu deliberato, & ob id promissiones amentium, ebriorum, infantium, & eorum, qui magna laborant animi perturbatione, nullæ sunt.

Dicitur *Vera* ad excludendam fictionem, qualis reperitur in eo, qui verbis aliquid videtur promittere, cùm in mente revera non habeat animum promittendi, nec se obligandi, non est tamen necesse, ut promittens expressè dicat volo me obligare, sed sufficiat, quòd promittat, & naturam promissionis sciat, quòd si non sciat naturam promissionis, dicit Bonacinna non obligari ad impletionem promittentem, quia promissio non obligat, nisi adsit intentio promittendi, & se obligandi, qui autem ignorat naturam promissionis, non videtur habere intentionem se obligandi, ergo. Hinc pariter non obligatur sciens naturam, si tamen non velit se obligare, nec verè promittere, quia nemo tenetur ultra intentionem, nisi fortè promissario ex tali ficta promissione magnum damnum eveniret, sed hoc esset per accidens: Similiter non obligatur ad promissionem, qui facit eam urbanitatis gratiâ ad affectum suum demonstrandum &c. Dicitur *Spontanea* ad denotandum, quòd omnis obligatio à voluntate promittentis proveniat, & ad excludendas promissiones per vim, dolum, metum (Bonacinna dicit etiam levem) extortas, quia per actionem injustam nemo jus acquirere debet, imò censeo etiam aliquem non acquirere jus per promissionem ad preces importunas factam, si eo animo tantùm dedit, ut se ab illis liberaret, semperque fuerit repugnans, nec ex post facto consentiat, secus est, si quis ad promittendum induceretur amoribus & blanditiis, quia hæ non tollunt voluntarium, sed tantum faciunt ut homo operetur aliquando contra rectam rationem. Dicitur denique *De re licita, & possibili*, quia promissio de re turpi & impossibili non obligat. Tum, Quia illicitum est aliquem obligare ad peccatum: Tum, Quia *Impossibilium nulla lex, vel obligatio.* Ex *Reg. 6. Furis in 6.* Si tamen promissio partim sit licita, partim illicita, tenebitur de re licita, omissâ illicitâ, si separari possint. Quia *utile per inutile non debet vitiari.* Ex Reg. 37. de reg. juris.

4. Promissio differt à stipulatione.

DICO 2. *Promissio differt à donatione reali, & à Stipulatione.* Ita Bonacinna. &c. Probatur: Tum, Quia sola promissio non transfert rei Dominium: Donatio verò transfert: Tum, Quia promissio est de futuro, Donatio realis de præsenti. De Stipulatione autem patet *ex L. 5. §. Stipulatio, De V. O. & L. 1. §. verbis ff. de actionibus & obligatio.* quia ad stipulationem prærequiritur, ut fiat præcedente interrogatione Creditoris, & responsione Debitoris, quod in promissione non evenit. Dixi notanter in conclusione *à Donatione reali*, quia à verbali modicum videtur differre promissio; per verbalem autem promissionem intelligo eam, dum quis alteri donat rem sine traditione, ut dum diceret Titius dono tibi equum meum, quem foris in villa habeo, uti ab initio annotavi.

5. Promissio solo actu interno facta non obligat.

Dico 3. *Promissio solo actu interiori facta homini nullam obligationem induxit in conscientia, sed potest eam quis celare, vel revocare prout voluerit.* Ita Doctor subtilis in 4. d. 15. D. Thomas Bonacinna, Aretinus &c. apud illos citati. Probatur 1. *Ex L. 1. de V. Ob.* ubi dicitur animum in mente retentum non inducere obligationem, sed promissio interna non est nisi affectus & animus internus, ergo. Secundò. Sicut ad hoc ut dominium transferatur requiritur acceptatio, ita etiam ut promissio obliget, ipsa acceptatio requiritur, sed acceptatio non potest esse penes alterum stante solo actu interno in translatione Dominii, ergo nec in promissione: major patet, *Ex L. Traditionibus C. de Pactis, & L. Quoties, de Rei vend.* & ex pluribus aliis juribus. Tertiò Quia lex Principis, quamdiu manet in mente ejus, non obligat, nisi fuerit ad extra promulgata, ergo nec promissio, nisi ad extra fuerit manifestata; patet consequ. Quia sicut leges in voluntate Principis conduntur, ita etiam promissiones per voluntatem cujuslibet formantur, ergo. Sed in contrarium sic

Arguitur: Promissiones DEO factæ per solum voluntatis interiorem actum obligant, ergo etiam obligat promissio facta homini solo actu interiore. Respond. neg. consequ. Disparitas est, quia DEUS omnium cogitationum & voluntatum cognitor est, non homo, qui solùm intuetur, quod foris patet, unde D. Thomas ait: Hominem per solam voluntatem non posse obligari, nisi illi, qui voluntatis est cognitor.

Arguitur 2. Voces sunt tantùm signa conceptûs, ergo si vox obligat, non est, nisi vi conceptûs internè latentis, ergo conceptus de se internè obligabit, quia signum non variat naturam rei, cujus est signum, sed tantùm illam demonstrat. Respond. neg. consequ. Quia hinc solùm sequitur originativè Promissionem esse ab actu voluntatis, completivè verò ab actu externo, nam cùm hic actus sit ad conversationem hominum ordinatus, per

ſolum interiorem ſubſiſtere nequit, ſed perfici debet, ut ſit ſenſibilis ſicut patet de formis contractuum, & ſacramentorum.

Arguitur 3. Stando ſoli juri naturæ non requiritur acceptatio, ut promiſſio ſit valida & obliget, ſed ſolo jure poſitivo introducta eſt, ergo ſtando juri naturali adhuc obligabit, licèt ad extra non ſit manifeſtata: quia jus poſitivum non poteſt ejus naturalem vim tollere, cùm ſuperveniens ſit, & promiſſio jam ſit conſtituta. Reſpond. neg. antec. Quia ſi alter non acceptet, ipſo jure naturæ nihil amplius tenetur promittens, quod patet in traditionibus & donationibus rerum ſi enim alter non velit ſuſcipere, manet res apud priorem Dominium, vel fiet vaga, Et hoc omnino contingere poteſt, quia invito non debet obtrudi dominium. Deinde licèt fortè acceptatio non requiratur, ut quid intrinſecum promiſſioni, requiritur ad minus ut conditio.

6. Promiſſio externa regulariter obligationem inducit.

Dico 4. ***Promiſſio gratuita externa & acceptata obligationem inducit regulariter ad minus ſub veniali.*** Ita Cajetanus, Armilla, Rebellus, Garzias, contra Sotum, Bonacinnam, Herinx &c. Probatur 1. pars: Quia jus naturæ dictat, non ſervantem promiſſionem delinquere: Tum, Quia non adimplens promiſſionem dicitur alterum fallere & decipere, ſed hoc illicitum eſt, ergo promittens obligabitur: Tum, Quia promittens Deo obligatur, ergo etiam homini, ſi ille acceptet. Probatur 2. pars: Quia, quæ ſolùm ſunt ex fidelitate, non inducunt gravem obligationem, ſed promiſſio ex ſola honeſtate fidelitatis provenit, ergo non obligabit ſub mortali: Tum, Quia ſcienter mentiri non eſt grave peccatum, ergo nec erit non ſervare promiſſum. Dixi autem *regulariter*: Quia ſi alteri grave damnum exinde proveniret, aut ſi eſſet materia valde gravis, omnino graviter obligaret, quia nemo alteri occaſionem gravis damni dare poteſt: Imò obligaretur quoque graviter, ſi intenderet ſe obligare, aut ſi ſibi grave dedecus exinde oriretur. Et cum hac limitatione puto Authores oppoſiti ſentire, promiſſionem obligare ſub mortali culpa. Imo ulterius

7. Promiſſio quando ceſſat obligare.

Dico 5. ***Promiſſio valida & acceptata deſinit obligare, quoties ſupervenit notabilis mutatio, quæ ſi tempore promiſſionis adfuiſſet, vel fuiſſet præcognita prudenter judicando promiſſionem impediſſet.*** Ita Bonacinna, Turrianus, Molina, &c. & Probatur: Quia promiſſio non obligat ultra intentionem, expreſſam, vel interpretativam promittentis, promittens autem non cenſetur in hoc eventu ſe voluiſſe obligare, ſed potius cenſetur voluiſſe caſum hunc excipere, ergo. Hinc non tenetur quis ſtare promiſſis, ſi res ſit facta inutilis, damnoſa, impoſſibilis, vel peccaminoſa, aut ſi ſuperveniat lex irritans, vel ſi exiſtimavit rem eſſe parvi pretii, & interea eſt magni, quòd ſi ſciviſſet, etiam non promiſiſſet, quia deficit voluntas promittendi & donandi, & ſupervenit notabilis mutatio, quâ cognitâ promittens non promiſiſſet, idem enim eſt ſupervenire, & de novo apparere, ſeu cognoſci, *cap. Paſtoralis de Except. L. ult. C. de Sponſal.* &c.

Quæres 1. An promiſſio illicita obliget? Reſp. Affirmativè, dummodo fuerit de re licita, & patet: Quia ſi quis religioſus habens præceptum inhibens promittere, promitteret aliquid, talis promiſſio eſſet illicita, quia contra præceptum, & tamen obligaret, ergo. Et ſi quæras, quid in tali caſu faciendum religioſo? Reſpondeo, eum debere petere rem à ſuperiore, quam ſi impetraverit, det, ſin, excuſatus eſt, quia in ipſius promiſſione involvitur implicita conditio, ſi licentiam habuero. Dixi autem, ***dummodo ſit de re licita***, quia de illicita non obligat, etiamſi juramentum addidiſſet; Quòd ſi tamen promiſſio facta fuiſſet ob opus aliquod illicitum patrandum ante factum, non, poſt factum tamen opus obligabitur, quia facto opere amplius non eſt malum promiſſionem adimplere. 1. Promiſſio illicita quomodo obligat.

Quæres 2. An promiſſio ſubſequens juramento firmata tollat priorem ſimplicem? Reſpond. Negativè: Quia juramentum impediens obligationem fidelitatis promiſſionis prioris eſt de re illicita, idem enim eſt ac jurare non facere illud, ad quod faciendum obligaris, quod eſt malum, ita quòd ſi etiam prior promiſſarius cederet juri ſuo, non obligaret, quia fuit de re illicita, niſi implicitam ipſe involviſſet hanc conditionem. 2. Promiſſio jurata non tollit priorem.

Quæres 3. An promiſſio merè interna juramento firmata obliget in conſcientia? Reſpond. Negativè. Quia juramentum ſequitur naturam principalis, & conditiones actus ſuper quem cadit. *L. final. C. de non numerat. pecun.* ſed promiſſio interna non obligat, ergo.

Quæstio II.

Quid sit Donatio liberalis?

1. Donatio definitur.

ARistoteles 4. Ethic. cap. 2. Definit Donationem, quòd sit *Datio liberalis irredibilis*. Etymologicè derivatur, & est quasi doni datio *ex L. 35. §. 1. ff. de mort. caus.* unde propriè definiri potest, quòd sit *Actus mere liberalis nullo jure cogente*. Ex *L. 29. ff. de Donation.*

2. Donatio inter vivos, & mortis causa.

Donatio alia est inter vivos, alia est mortis causâ, ut habetur *Just. lib. 2. t. 7.* Et hæc est, quæ fit propter mortis suspicionem, facta mentione mortis: Utraque alia esse potest *merè gratuita*, alia *remuneratoria*. Gratuita est, quæ fit solo intuitu liberalitatis, & magnificentiæ ob nullam penitus aliam causam. *Remuneratoria*, quæ etiam *antidoralis* dicitur, quæ fit ad remuneranda beneficia & obsequia præstita, & consequenter quia jam causam aliquam habet, ob quam fit, non est propriè & in rigore donatio, sicut etiam non est, si quis faciat ob antecedentem promissionem.

Deinde potest etiam donatio alia dici esse *pura*, alia *non pura*: in hac apponitur aliqua limitatio vel conditio ad tempus, locum, vel personas, non verò in illa. His præsuppositis quæritur an donatio transferat dominium? &

3. Donatio realis transfert dominium

DICO: *Per donationem realem verè transferri potest dominium in alium.* Est communis & Probatur 1. Ex *L. 20. C. de Pactis*, ubi habetur traditionibus & usucapionibus dominia transferri non verò pactis. Probatur 2. Quia si immediatus Dominus privata authoritate non posset transferre Dominium in alium, hoc esset: Aut quia fieret injuria primo Domino cedenti dominium: aut secundo accipienti dominium, aut ipsi rei transferendæ: Aut legi superioris prohibentis cessionem priori Domino, & receptionem ab alio, sed contingere potest, quòd nihil horum adsit, ergo in casu tali verè poterit transferri dominium; major patet, quia non videtur alia causa, ob quam inhiberi possit translatio talis: probatur min: quia stat, quod prior Dominus nolit amplius esse Dominus rei suæ possessæ, ut velle potest, stat etiam, quòd secundus ipsam velit accipere, & consequenter non fiet ipsi injuria, cùm sit volens: stat etiam quòd res transferenda non sit prohibita, aut quòd aliqua lex donare prohibeat, ergo.

4. Donatio facit Dominum accipientem in illo instanti.

DICO. 2. *In instanti donationis res est accipientis tantùm, & non dantis vel donantis.* Hæc est contra Ariagam, & omnes eos Authores, qui existimant, quòd connaturaliter duo simul in solidum esse Domini possint ejusdem rei, quod proinde adstruunt continuò fieri in donationibus, in quibus eodem instanti simul Dominus est donans, & donatarius. Sed Probatur 1. Christus Dominus in instanti conceptionis suæ fuit Rex omnium, ut habetur in materia de Incarnatione, ergo & homo fieri posset in primo instanti productionis Dominus, si DEUS illi concederet. Confirmatur: Quia sacerdos in primo instanti ordinationis accipit characterem, ita ut si moreretur, verè moreretur sacerdos, similiter in instanti emissionis voti sit aliquis religiosus &c. ergo etiam in instanti, quo alicui donatur prædium, fit Dominus.

Probatur 2. Dominium proprietatis est jus disponendi de re tanquam sua, sed in instanti, quo Petrus dat Mævio librum, Petrus nequit disponere de libro sine injuriâ Mævii, nisi Mævius consentiat, ergo Petrus non est Dominus in illo instanti: probatur min. In illo instanti Petrus abjicit & abdicat dominium libri à se, & transfert in Mævium consentientem & acceptantem, ergo non manet Dominus illius, alias esset, & non esset, quia abdicavit Probatur ant. sicut per suspensionem & denegationem concursûs physici, res perit physicè, ita per denegationem concursûs moralis (quæ est volitio rem illam possidendi & retinendi) res illi, qui eam possidebat, perit moraliter. Sed qui donat, denegat vel saltem suspendit volitionem rem illam possidendi, dicit enim nolo hanc rem possidere, & volo ut alius possideat, ergo. Probatur 3. Donationes se habent veluti generationes ordinatæ, quæ habent rationem conversionis, in quibus duæ reperiuntur mutationes, corruptio scilicet formæ antecedentis, & introductio subsequentis, sed in illis illæ duæ formæ pro nullo instanti reali insunt simul; ergo etiam in donatione nunquam est simul dominium penes donantem & donatarium.

Probatur 4. Qui vovet, eo instanti, quo vovet, obligatur, & qui se alteri in servum tradit, eo instanti, quo se tradit, amittit libertatem, ergo eodem etiam instanti, quo manumittitur, est denuo sui juris & liber, & consequenter is, qui manumittit in instanti manumissionis non habet illius dominium, quia non potest quis esse Dominus sine servo, ergo idem dicendum est de quacunque alia donatione.

Et ſanè mirum videtur, quod is, qui juri ſuo ad aliquam rem ſin inſtanti cedit, quod pro eodem etiam ſit dominus, & plenam retineat poſſeſſionem & dominium. Sed in contrarium

Arguitur 1. Dare rem alteri ſive donando, ſive vendendo eſt actus & exercitium dominii proprietatis, ergo pro illo inſtanti, quo dono librum Petro, ſum dominus libri, ſed Petrus acceptans librum etiam eſt dominus pro illo inſtanti donationis, ergo uterque, & non ſolus acceptans. Reſpond. dilt. antec. eſt actus & exercitium dominii manentis ſimul cum actuali donatione, ſeu eſt actus conſervativus dominii, neg. antec. eſt actus dominii immediatè procedentis, ſeu eſt actus deſtructivus dominii, tranſeat antec. & neg. conſequ. nam licèt corruptio formalis alicujus rei ſit corruptio, non tamen ſimul rei exiſtentis, hoc enim implicat, ſed immediatè præcedentis, ſic eſt in propoſito.

Inſtatur: In hoc inſtanti, quo quis rem alteri donando dominium illius deſtruit, eſt potens pro aliquo priori non ſolùm illud non deſtruere, ſed etiam actus poſitivos circa rem illam exercere, ergo pro aliquo priori inſtantis habebat donans dominium illius rei, ſed quidquid eſt, pro aliquo priori naturæ in aliquo inſtanti, non poteſt in eodem inſtanti deſtrui aliàs ſimul eſſet & non eſſet, ergo donans toto illo tempore habet rei datæ dominium. Reſpond. neg. antec. ut enim res deſtruatur debet fuiſſe, & ut juſtè deſtruatur debet illius eſſe, qui deſtruit, & tamen in illo inſtanti, quo deſtruitur non eſt illius, ergo. Deinde quod additur in inſtantia, quod pro aliquo priori illius inſtantis potuiſſet donans exercere actus poſitivos circa rem, quæ donatur, concedi poteſt, hinc tamen ſequitur haud quaquam, actu tunc habere illius rei dominium, ſed potuiſſe habere, ſi per donationem non deſtruxiſſet; itaque illa poteſtas, quam pro illo priori habet, eſt remota tantùm, non verò proxima, hæc enim eſt ipſum dominium, & poteſtas disponendi, illa verò tantùm eſt poteſtas ad poteſtatem habendam.

Urgetur: Ergo nec juſtè de re ſua quis disponere poteſt in ordine ad deſtructionem, cùm in inſtanti donationis ſecundum nos non habeat dominium, ſed &c. ergo. Reſpond. negando illatum, ad juſtam enim rei deſtructionem ſufficit, rem illam immediatè ante fuiſſe deſtruentis, hoc enim ad denominationem moralem ſatis eſt, ut patet in occidente hominem injuſtè, qui non peccat contra jus, quod habet alter in inſtanti occiſionis, ſed quòd immediatè antecedenter habuit.

Arguitur 2. Donatarius in inſtanti donationis rem habet dependenter à voluntate alterius, ergo in illo inſtanti non habet illius rei dominium, quia dominium eſt poteſtas utendi re aliqua independenter ab alterius voluntate, ergo vel illud quod datur adhuc eſt in poteſtate dantis, vel nullius. Reſpond. 1. Si argumentũ aliquid probaret, probaret nimium, nam ſequeretur, quòd nec in inſtanti ſequenti donatarius eſſet dominus, quia omnibus ſubſequentibus inſtantibus habet dependenter à voluntate donantis. Reſpond. 2. diſtin. antec. habet dependenter à voluntate alterius revocabiliter, nego. irrevocabiliter accipiendo ab ipſo dominium, conc. Antec. ſed nihil eſt contra nos.

Arguitur 3. Nemo dat, quod non habet, ergo quando quis dat librum v. g. alteri, habet ejus dominium, ergo. Reſpond. negando conſequ. Quia antecedens intelligendum eſt in ſuppoſitione ampliativa, diſtrahente ſignificationem verbi ab uno tempore per copulam verbalem importato ad aliud, ſicuti dicitur, quòd juſti peccent, cæci videant, ſic etiam reſignans dominium dat, & transfert in alium.

Arguitur 4. Dominium eſt poteſtas utendi & disponendi de re tanquam ſua, ſed donans habet pro illo inſtanti donationis talem poteſtatem, ergo habet tunc dominium. Reſpond. negando min. quia donatio eſt actus ablativus dominii & poteſtatis, ejuſque corruptio &c.

Quæſtio III.

An Donatio, quæ fit per metum, aut ignorantiam realiter transferat dominium rei in alterum?

PRo hujus quæſtionis, ſicut etiam earum, quæ de contractibus per metum celebratis agunt majore dilucidatione Notandum 1. Metum ſemper habere admixtum aliquid de involuntario, quod patet tum exemplo Ariſtotelis de projiciente merces in mare: Tum ex ipſa hominis conſtitutione, quia metus ſemper affert triſtitiam, mox ut res ex metu facta eſt. 1. Metus habet admixtum Voluntarium.

Notandum 2. Metum rectè deſcribi, quòd *ſit præſentis, vel imminentis periculi, vel mali causâ mentis trepidatio.* Ex *L. 1. ff. quod metûs causâ geſtum lib. 4. t. 2. C. de his quæ vi metuq; causâ l. 20.* hoc eſt, metus eſt timor mali inſtantis, vel imminentis, vel veriſimiliter mox futuri (periculi remoti futuri non eſt juſta formido) quia hæc omnia mala creduntur animam commovere, perturbare, & deterrere poſſe. 2. Metus deſcribitur.

Notandum 3. Metum alium eſſe *ab intrin-*

Intrinſeco, alium *ab Extrinſeco*. Ab *Intrinſeco* dicitur ille, qui eſt à cauſâ naturali v. g. à morbo, tempeſtate, ab inſpirationibus divinis, metu gehennarum & pœnarum &c. ab *Extrinſeco* eſt, qui provenit à cauſa libera v. g. ab homine, Et hic iterum alius eſt, quando quis ei anſam dedit ex ſua culpa, ut ſi quis ob adulterium commiſſum metu occiſionis det pecunias, promittat cum conſanguinea matrimonium, & hic ordinariè dicitur juſtè incuſſus: Alius autem eſt, quando quis nullam culpam, vel anſam ex culpa dedit, ut ſi quis iter agens in latrones incidat, quibus promittit metu mortis pecunias, &c.

3. Metus multiplicitèr dividitur.

Notandum 4. Metum ab extrinſeco adhuc eſſe in quintuplici differentia, nam alius dicitur *Reverentiæ*, quando quis ob reverentiam aliquid facit, aliàs non facturus, v. g. filius propter patrem, Clericus propter Epiſcopum, religioſus propter Prælatum, libertus propter Patronum, cives propter Magiſtratum, conſanguinei minores propter majores, ſub quorum illi ſunt poteſtate & patrocinio. Secundus eſt *Potentiæ*, dum quis propter potentiam alterius facit v. g. Titius propter Mævium, qui in Aula potens eſt ære, famâ, & opinione. Tertius eſt *Perfidiæ* qualis præſumitur ſi Advocatus à Cliente, Medicus ab ægroto aliquid petant *L. 3. ff. de extraord. Cognit. L. Archiatri. C. de Profeſſorib. & med. lib. 10.* Quartus eſt *minarum*. Quintus eſt *Atrocis facti*, quod verſatur circa ſalutem & cruciatum, vel mutilationem, aut occiſionem corporis, aut circa ejectionem, captivitatem, exilium, ſervitutem, amiſſionem omnium bonorum, vel aliquorum propriorum, vel etiam conſanguineorum ad quartum gradum &c. Notandum 5. Metum ab extrinſeco injuſtè incuſſum adhuc dupliciter dividi ſcilicet in *metum cadentem in virum conſtantem, & cadentem in virum inconſtantem*: prior eſt ille, quando quis prudenter & viriliter agens judicat eligendum eſſe minus malum relicto majore, quod metu imminebat, vel minabatur mox futurum; & hic metus pluribus compellatur titulis, dicitur enim in jure aliquando *juſtus*, quia Leges & jura excuſant, quamvis contra eas aliquid agatur: aliquando *Probabilis*, quia factum eædem leges approbant & jura: aliquando *gravis*, quia eſt alicujus magni periculi vel mali futuri formido. *Metus cadens in virum inconſtantem* eſt, quando quis ob malum minoris momenti exponit ſe malo majoris periculi vel mali, & hic dicitur non probabilis, non juſtus, vanus, & levis &c. maximè ſi veriſimile ſit, quòd minans nec velit, nec poſſit illud malum inferre, &c. Ad

4. Metus cadens in Conſtantem virum.

prioré metum reducitur probabiliter metus Reverentiæ, ſi habeat minas adjunctas, ſecus eſt, ſi fiat ſine minis, ſimiliter ſi fiat tantummodo ex blandimentis & adulationibus &c. Imo metus gravis non ſolùm dici debet is, qui cadit in virum conſtantem ex magno malo imminente, ſed etiam proportionatè debet extendi ad ipſas perſonas, quibus incutitur metus, v. g. ſi fœmina, puer, ſenex, infirmus, nam quod viro conſtanti, formidabile non eſt, his omnino cenſetur formidandum. His breviter prænotatis, quia plura ſuppono ex tract. de Act. hum.

DICO 1. *Promiſſiones & donationes, quæ fiunt per metum levem obligant & tenent.* Eſt communis conſenſus omnium & de ſe clara. 5. Donatio metu facta tenet.

DICO 2. *Promiſſiones & donationes, quæ fiunt ex metu divino cadente in virum conſtantem valida ſunt.* Probatur: Quia aliàs Petrus dans eleemoſynam præcisè ex metu ſolvendæ alicujus pœnæ in purgatorio, quam non daret, ſi talem pœnam ſolvere non deberet, tali datione eleemoſynæ non ſe redimeret ab illa pœna, cujus metus cadit etiam in virum conſtantiſſimum, eò quod talis translatio non eſſet vera donatio, quod eſt falſum, ergo. Probatur 2. Sequeretur, quòd qui in gravi infirmitate conſtitutus, ut mortem evitaret à ſolo DEO inferendam aliquid voveret, non teneretur adimplere votum, quod ſimiliter eſt falſum, ergo eodem modo, ſi aliquis ex tali metu transferret rem aliquam in dominium alterius, eſt vera translatio & valida 6. Promiſſio ex metu divino valida eſt.

DICO 3. *Promiſſiones & donationes, quæ fiunt ex metu humano cadente in conſtantem virum, in quam quis incidit ex culpa ſua, validæ ſunt, & dominii tranſlativæ.* Probatur ex *L. ſi mulier, in princip. ff. de his quæ vi, metuſve &c.* & *cap. ex litt. de ſponſal. & matrim.* ubi agitur de quodam, qui juravit, à ſe defloratam velle ducere in uxorem, quòd Epiſcopus poſſit illum compellere ad matrimonium per excommunicationem, ita quòd poſtmodum contractum matrimonium ſit validum & legitimum, ſed excommunicationis metus eſt, qui in virum quemcunque conſtantiſſimum cadere poteſt, quia excommunicatio eſt maxima pœna, quæ in Eccleſia habetur, ut dicitur *cap. Corripiamur. XXIV. q. 3.* nam diabolus utitur excommunicato, ut ruſticus aſino, ut dicitur *in cap. ſi quis Presbit. de bonis Eccleſiaſt. non alienand.* 7. Donatio ex metu & ſua culpa eſt valida.

8. Donatio ex metu gravi ſinè ſua culpa invalida eſt.

DICO 4. *Promiſſiones & donationes facta ex metu humano cadente in conſtantem virum invalida ſunt, nec juſtè & in rei veritate dominium transferunt.* Hæc eſt communis Theologorum contra Juriſtas, & Probatur 1. Ex *cap. Veniens 13. X. de Sponſal.* ubi irritatur matrimonium metu initum, ſed matrimonium non eſt niſi traditio & translatio corporum, ſi in ipſo invalida eſt translatio, quæ fit per metum, etiam invalida erit, quæ fit per alias translationes, & dationes. Secundò. Ex *L. Eleganter 7. ff. de dolo malo*, & *L. 3. in fin. ff. pro ſocio*, ubi dicitur quòd contractus aut donatio per dolum facta ſit nulla, ſed dolus & metus comparantur quoad conſenſum, ex *L. Nihil. 116. ff. de reg. juris.* ergo. Tertiò. *L. 1. ff. de his quæ vi, metusq; &c.* ubi Prætor dicit: *Quòd metûs causâ geſtum erit, ratum non habebo*, ergo. Sed pro juris peritis.

Dices: Allegata jura potius favere ſententiæ oppoſitæ, quia Prætor dicit ratum non habebo, id eſt, irritabo, ſed irritari non poteſt, niſi quod antecedenter ratum fuit, & conſequenter vera fuit dominii translatio. Secundò *cap. ſi verò de jurejurandi* dicitur juramentum metu factum debere obſervari, niſi vergat in detrimentum ſalutis æternæ. Tertiò: Donanti ex metu datur exceptio contra Donatarium, ergo donatario datur actio, & conſequenter donatio eſt valida. Sed Reſpond. neg. antec. Quia illud quod Prætor dicit *ratum non habebo*, non eſt intelligendum, quaſi judex faciat, non eſſe rata, quæ ante rata erant, ſed ſolùm quòd declaret non eſſe rata. *Ad cap. ſi verò* dico illud eſſe verum, ex illò tamen non ſequitur, quòd translatio illa dominii ſit valida, quia jurans vi juramenti quidem tenetur acceptans autem eſt incapax ſuſceptionis, quia ut quis validè det, & alter validè acceptet, dans non debet eſſe per legem ſuperioris prohibitus dare, & acceptans non debet eſſe prohibitus accipere, ſed lex dicit, quòd illud, quod fit per metum, non ſit ratum, ſicut prohibet, quod acceptatio à prodigo non ſit rata, ergo. Quòd autem donanti concedatur exceptio, ſolùm fit ad poſtulandam declarationem per judicis ſententiam, ne ſibi quilibet propria authoritate rem ſuam vindicet, cùm ex hinc majora mala oriri poſſent.

9. Ignorantia perſonæ non facit donationem.

Quantum ad alteram partem tituli de ignorantia Reſpondeo, quòd ſi ignorantia ſit perſonæ non transferri dominium per donationem, v. g. volo dare Petro, & interea eſt ille Paulus, cui do, quia ſicut error perſonæ in matrimonio invalidat translationem corporum, ita etiam in aliis rebus temporalibus. Quòd ſi verò ſit ignorantia qualitatis perſonæ, v. g. ſcio hunc, cui dono rem meam, eſſe Petrum, quem exiſtimo pauperem, eique confero titulo paupertatis aliàs non daturus, & revera Petrus non eſt pauper, tunc reſpondet Alexander de Ales donationem hujusmodi eſſe nullam, ſed donatarium obligari ad reſtitutionem, quia donans non intendit dare niſi pauperi. Addit tamen donatarium hujusmodi non teneri reſtituere donanti, ſed aliis pauperibus, quibus donans eam dediſſet. Verùm hæc opinio Alexandri non placet Almaino, eamque proinde ſic oppugnat, quia vel donans dat donatario, quem credit pauperem, realiter abdicando dominium à ſe, vel non? ſi donat, & non abdicat dominium, tunc manet apud ipſum, & donatarius tenetur donanti reſtituere, & non pauperibus: ſi verò donans realiter abdicat dominium, ita ut apud ipſum non maneat, quæro ad quem tranſeat, vel ad donatarium, qui accipit, vel ad nullum, ſi ad nullum, ergo quilibet habet in rem illam dominium naturale, & nullus civile, & tunc erit primò occupantis, adeoque donatarii, cùm primò illam acceperit: Dicit itaque Almaynus, quòd ſicut ſimilis ignorantia non impedit matrimonium, ita nec invalidat donationem, peccat tamen donatarius ſimulatione, quia accipit, quod non debet ipſi dari tanquam eleemoſyna, ſit nihilominus dominus rei donatæ, nec tenetur illam ulli reſtituere, quæ ſententia eſt probabilis, in uſu practica, & donantem nullo ſuo merito fraudat.

Quæ-

Quæſtio IV.

De Donatione inter vivos.

1. Donare poſſunt qui habent earum rerum diſpoſitionem.

SUppono materiam donationis eſſe omne id, cujus dominium transferri poſſit, ſive ſint bona mobilia ſive immobilia, ſive actiones, & quæcunque alia, quæ in commercio hominum ſunt. quo præmiſſo

DICO 1. *Omnes illi donare poſſunt, qui habent bonorum dominium, eorumq; liberam adminiſtrationem, & non ſunt à jure impediti.* Ita Doctores communiter, & patet de ſe, & quia difficultas eſt, qui ſint jure prohibiti donare

2. Amentes donare nequeunt.

DICO 2. *Amentes, furioſi, & omnes qui non ſunt ratione compotes non poſſunt donare pro tempore amentiæ.* Ita Azorius, Filliucius, Bonacinna &c. & Probatur Tum, Ex L. *Julianus ff. de Curator. furioſè dandis.* Tum, quia non habent naturalem adminiſtrationem bonorum & defectum rationis & libertatis.

3. Minores dare non poſſunt.

DICO 3. *Prodigi, Minores exiſtentes ſub Curatoribus, Impuberes ſub Tutoribus, donare nequeunt ſine conſenſu tacito, vel expreſſo Curatorum & Tutorum.* Ita Authores ſupra. Probatur de Prodigis ex *L. 2. ff. de Curato. furio. dand.* Probatur de Minoribus ex *L. 1. C. ſi Major. factus.* Limita tamen exceptis iis, quæ ipſe Minor accepit, & quæ alii ſuæ conditionis donare ſolent. Probatur de Impubere, Ex *L. Pupillus. ff. de acquir. rer. dom.*

4. Religioſi prohibentur donare.

DICO 4. *Religioſi ſubditi nihil poſſunt donare ſine tacito, vel expreſſo conſenſu Superiorum, bi verò nihil niſi quod ipſis ex conſtitutionibus Religionis, vel conſuetudine permittitur.* Ita Molina, Leſſius, Bonacinna. Probatur 1. pars ex motu proprio Clementis VIII. edito anno 1594. Bulla incipit, *Religioſæ Congregationis*, in qua inhibetur donatio & largito munerum Regularibus utriusque ſexûs, ſub pœna amiſſionis officii & dignitatis &c. atque in eadem præſcribitur, ut accipiens non abſolvatur niſi facta reſtitutione. Probatur 2. pars. Ex *cap. Abbati. d. 54.* & Ratio eſt, quia ipſi non habent omnimodam adminiſtrationem bonorum in quemcunque uſum, ſed in melioracionem. &c.

Excipe tamen primò, ſi talis Religioſus ſit adminiſtrator bonorum, hic enim pro ratione adminiſtrationis poteſt moderatè donare tum ſubditis, tum extemis ad conſervandam benevolentiam, & ob gratitudinem, habito tamen reſpectu ad ſtatuta & ordinationes Monaſterii, & Superiorum. Item poſſunt & debent ex ſuperfluis Conventus Eleemoſynas & expenſas in pios uſus facere. Idem dicit Navarrus de Inferioribus Officialibus Monaſterii, ut Procuratore, Cellario, & ſimilibus. Excipe 2. Niſi eſſet à Religione ejectus, talis enim quamvis obligetur ad votum paupertatis, careatque dominio, hoc tamen ipſo quod ſit ejectus, conceditur illi tacitè uſus, & commoditas rerum quas ſuo labore & induſtria acquirit, adeoque quòd poſſit ex iis in cauſas pias erogare, ut docet Fillucius tract. 34. cap. 3. Idem dicit de Religioſo extra Monaſterium de licentia Superioris, propter ſtudia, vel negotia, degente, hic enim ex portione illa bonorum, quæ ipſi ad ſuſtentationem conceditur poteſt competentes eleemoſynas facere, & donationes, quæ in ſe illicitæ non ſunt. Excipe 3. Niſi quantitas rei donatæ eſſet adeò levis, ut aliàs non eſſet materia peccati mortalis, aut ſufficiens ad votum paupertatis violandum, habitâ ratione perſonæ donantis, Conſtitutionis, aut Conſuetudinis Religionum, ad quarum Prælatos pertinet determinare, quæ ſit in hac materia gravis vel levis quantitas.

5. Viſitator non poteſt accipere munera.

DICO 5. *Non poteſt viſitatus donare Viſitatori.* Ita expreſsè prohibet Gregorius X. cujus decretum eſt hodie in 6. lib. Decretal. ubi habetur, *Viſitantes à Viſitatis nulla recipiant munuscula, & ſi receperint, tenentur duplò reſtituere, vel non abſolvantur à maledictione, quam ipſo facto incurrunt.* Et Innocentius IV. in Novis Conſtitutionibus *Caveat* inquit, *ne inſuper, ne ipſe*, ſcilicet Viſitator, *nec quiſpiam ſuorum aliquod munus quodcunque ſit, & qualitercunque offeratur, præſumat recipere, ut non quæ ſua ſunt videatur quærere, ſed quæ JEſu Chriſti. Quod ſi fecerit contra præſumptum, recipiens maledictionem incurrat, à qua nunquam, niſi duplum reſtituat, liberetur.* Gratianus tamen putat, & probabiliter quidem, præfatam pœnam non habere locum, ſi modicum tantùm eſculentum, vel poculentum, etiam ſecum portandum recipiat Viſitator.

7. Impotens non poteſt donare.

DICO 6. *Impotens ad ſolvendum creditoribus, & illi, quorum bona adjudicata ſunt fiſco poſt ſententiam condemnatoriam, non poſſunt donare, bene tamen ante condemnationem.* Ita Turrianus, Navarrus, Bonacinna & Probatur de Impotentibus ad ſolvendum ex *L. Quod autem §. 9. ff. quæ in fraud. Credit.* & *L. ult. §. 2. C. de jure deliberandi.* Probatur 2. pars *L. Donation. §. ult. de donat.* Probatur 3. pars *L. Poſt contract. C. de donation.*

8. Filius familias quibus dare & non dare poſſit.

DICO 7. *Filius familias non poteſt dare extraneis ſine licentia patris, niſi habeat bona Caſtrenſia, vel quaſi, ex quibus etiam patri donare poteſt.* Ita Azorius, Julius Clarus, Bonacinna. & Probatur 1. pars. Quia filius non poteſt dare bona profectitia, quia eorum nec habet uſum, nec dominium, nec poteſt quoque dare bona adventitia, quia uſus fructus horum pertinet ad Patrem, de quo proinde disponere non poteſt ipſo invito. Probatur. 2. pars ex *L. Filiusfam. ff. de*

ff. de donation. Probatur 3. pars nempe poſſe dare patri, ex *L. Cùm oportet §. Excepto. ff. de bonis quæ liberis.* & Ratio eſt, quia horum bonorum habet adminiſtrationem, hinc nec patri dare poteſt bona profectitia vel uſum fructum adventitiorum, niſi hæc eo pacto eſſent ipſi relicta, ut uſus fructus non acquiratur patri ex *Auth. Idem eſt C. de bonis quæ liberis.*

9. Pater qua ratione poſſit dare filio.

DICO 8. *Pater de jure communi non poteſt ita donare filio legitimo non emancipato regulariter loquendo, quin ſemper pro libito ſuo revocare poſſit donationem, niſi facta ſit cum juramento de non revocanda.* Ita Azorius, Molina apud Bonacinnam. Et Probatur Tum ex *L. cum de bonis C. de donation.* & *L. ult. C. de Impub. & aliis ſubſtit.* Tum ex ratione, quia filius ſub patria poteſtate conſtitutus cenſetur una perſona cum patre, ſicut autem nullus poteſt ſibi ipſi donare ita nec pater filio. Ex quo infertur Matrem, Avum, & Aviam donare poſſe filio, vel nepoti, quia jura tantùm loquuntur de donatione patris, Item patrem eſſe donare filio illegitimo, quia jure cæſareo non cenſetur eſſe ſub patria poteſtate. Item emancipato legitimo ob eandem rationem. Dixi autem regulariter loquendo, quia licitè & validè donare poteſt pater, cauſa dotis & nuptiarum, *L. Pomponius Philadelphus. ff. Familiæ erciſcundæ* Item titulo remunerationis, & quando donat bona immobilia eunti ad Caſtra. *L. Filius familias C. Familiæ erciſcundæ.* Item quando pater remittit uſum fructum bonorum adventitiorum, quia tunc tantùm cenſetur non gaudere de bonis filiorum, ex *L. cùm oportet §. ſin autem ff. de bonis quæ liberis.*

10. Sponſalitia largitas quo modo ſubſiſtat.

DICO 9. *Sponſalitia largitas inter ſponſos de futuro valida eſt, & donata quoad totum acquiruntur donatario, ſi matrimonium ſequatur, & conſummetur, aut ſi donans ex ſua culpa matrimonium omittat, quod ſi abſque ullius culpa non ſequatur, & poſt Sponſalia Sponſa ſponſus oſculum dederit vel carnaliter cognoverit dimidium acquirit ſponſa, & dimidium amici ſponſi, ſi ſponſus ſponſæ dederit, ſecus ſi ſponſa ſponſo, qui tunc totum ſponſæ acquiritur.* Ita Molina, Sanchetz, Gometz, Turrianus apud Bonacinnam. Probatur concluſ. quoad 1. partem Ex L. *cum veterum. C. de donat. ante nupt.* ubi dicitur ſponſalitiam largitatem tam inter ſponſum & ſponſam, quàm èconverſo ſubſiſtere. Probatur 3. pars: Quia per non eſt, ut donator ex ſua culpa commodum percipiat, hinc ſi ſponſus dedit ſponſæ donum etiam ſolemne, & ipſe in cauſa ſit, quod matrimonium non ſequatur, totum donum ad ſponſam pertinet, & èconverſo. Probatur 4. pars, Ex *L. ſi à ſponſo. C. de donat. ante nupti*: ubi dicitur: *Si à Sponſo rebus ſponſæ donatis interveniente oſculo ante nuptias, hunc vel illam mori contingat, dicendum partem rerum donatarum ad ſuperſtitem pertinere, dimidium ad defuncti vel defunctæ hæredes.* Probatur 5. pars: Quia ſponſa ob oſculum, vel copiam ſui corporis, ruborem, verecundiam, & dedecus patitur, ſponſus verò ob id nihil amittit, nullumque gravamen ſubit, nec ob id difficiliùs nubet, adeoque non eſt cenſendum diſſolutis ſponſalibus nihil ad ipſum vel hæredes pertinere. Probatur ſecunda pars, quæ ſupra amiſſa fuit, nempe totum eſſe donatarii, ſi matrimonium ſequatur &c. Ex *eadem L. veterum. & L. ſi à ſponſa C. de donat. ante nupt.* Sed

11. Arrha & Sponſalitia largitas non eſt idem.

Petes: Utrum ſponſalitia largitas, & arrha ſint idem? Reſpond. negativè. Quia ſponſalitia largitas traditur ſimpliciter propter nuptias futuras, Arrha autem debet expreſsè tradi in ſignum, & pignus futuri matrimonii, ſicut in aliis contractibus, ut in emptione ſolet aliquid dari & tradi in ſignum, & pignus firmitatis contractûs, ita ut ſi emptor à contractu diſcedere velit (ſicut re ipſa diſcedere poteſt, dum arrham tradidit ante perfectum contractum) amittat arrham venditori, & ſi venditor ipſe à contractu diſcedat, amittat arrham quam accepit, & tantundem de bonis ſuis reſtituat emptori *L. contract. §. ult. ff. de fide inſtrum.* Et hoc etiam currit in ſponſalibus, ex L. *final. C. de ſponſal.* nec in hoc jus civile eſt correctum jure canonico, Gemma de ſponſal. quia in eo capite ſolùm prohibetur adjectio pœnæ, non verò arrharum traditio.

12. Conjuges regulariter donare ſibi non poſſunt.

DICO 10. *Donatio inter conjuges vivos etiam ſolo matrimonio rato & non conſummato ſtante, invalida eſt de jure communi, regulariter loquendo, adeò ut ſemper à donatore revocari poſſit.* Ita Gomez, Julius Clarus, Sanchez, Filliucius &c. Probatur Ex *cap. final. de donat. inter virum & uxor.* & *L. 1. ff. eodem tit.* ubi habetur hoc conſtitutum fuiſſe, nè conjuges mutuo amore ſeſe ſpoliarent. Item *L. 2. & 3. eodem tit. & ff.* Quòd ſi tamen Donatio facta fuerit, & à donatore non revocata ante mortem, tunc intercedente morte res manet donatario, Ex *L. ſi enim ff. de donat. inter. vir. & uxor.* Item *L. Papinian. & L. fin. eodem ff. & tit.* quod non ſolùm verum eſt de morte naturali intercedente, ſed etiam civili per ingreſſum religionis, quæ incapax eſt bona ſuſcipere; vel per exilium, &c. ex *L. ſed ſi mors. ff. & titulo ſæpe citato.* Imò ſi donatio fiat causâ mortis, aut per modum

dum legati, ſemper valida eſt, quia talis non cenſetur eſſe inter vivos, ſed refertur ad tempus diſſoluti matrimonii, Ex *Cap. ſi pater. de Teſtam. in 6.* notandum autem, quòd quamvis conjuges donare inhibeantur, non prohibentur tamen alios contractus facere, quia jura tantùm prohibent donationes, & habetur expreſsè *L. ſi Sponſus. ff. citato.* Quòd ſi tamen ita contraherent, ut poſtea debitum vellent remittere, non tenerent ſic contractus, quin revocari poſſint. Dixi autem in concluſione de jure communi, & regulariter loquendo: Quia primò causâ mortis donare poſſunt, ut viſum eſt, Secundò ob remunerationem propter obſequia aliàs indebita præſtita, ut ſi puella ducat ſenem, morbidum, &c. quia jura tantùm inhibent donationem merè gratuitam, qualis non eſt remuneratio. Tertiò: ſi maritus ſtante matrimonio remittat dotem, aut fateatur ſe accepiſſe, cùm revera non acceperit, ex *L. ſi conſtante C. de donat.* Quartò: ſi donator non fiat per talem donationem pauperior, & donatarius non fiat locupletior, *L. ſi Sponſus 5. verſu conceſſa donatio: ff. de donat. inter vir. & uxor.* Quintò: Si uxor donet marito causâ ſtudiorum, ludorum publicorum, honoris vel nobilitatis acquirendæ, *L. quod adipiſcenda, & ſeq. ff. citato.* Sextò ſi maritus donet uxori quid annuum, vel menſtruum ad eam ſuſtentandam. L. *ex animo eodem ff.*

13. Caſus in quibus Conjuges donare poſſunt.

14. Donatio quando revocari poſſit.

DICO 11. *Donationes, revocari poſſunt ob ingratitudinem donatarii quoad totum, quoad partem verò ob prolem ſubſecutam non præcognitam & præviſam, vel etiam ſi donatio fuerit inofficioſa.* Ita Doctores communiter, & Probatur quoad ſingulas partes, nam de ingratitudine habetur, L. *final. C. de revoc. donat.* Ingratitudo autem cenſetur tunc eſſe, ſi donatarius donantem gravi afficiat injuria in præſenti vel abſentia, ita in dicta lege. Secundò: ſi impias, & injurioſas ei manus injiciat. Tertiò: ſi ſubſtantiæ donantis magnam injuriam & jacturam faciat. Quartò: ſi vitæ inſidietur. Et Quintò: ſi non ſervet pactum, vel conditionem appoſitam, quas cauſas ſequentibus verſibus Juriſperiti exprimunt:

Ingratum faciunt, atrox injuria, damnum,
Impia dextra, fides fracta, pericla necis.

Extra quas cauſas probabilius eſt, non poſſe revocari donationem: Tum, Quia in citata, *Lege finali. C. de revoc. donat:* habetur hæc particula *Ex his tantummodo cauſis*: Tum, Quia in pœnalibus non valet argumentum à ſimili, vel majori, ex *Cap. in pœnis de Reg. Jur. in 6.* Notandum tamen revocationem hanc debere fieri per ſententiam Judicis, L. *fin. §. ex his enim*, & ab ipſo donatore, quia hæredi hæc revocandi licentia permiſſa non eſt, ſive donator, ut docet Schambogen contra Bonacinnam, ingratitudinem commiſſam eſſe ſciverit, ſive ignoraverit, L. 1. 7. *final. C. de revocand. donat.* favet & ratio, quia revocatio eſt actus vindictæ hæredi non permiſſus, *arg. non ſolum Inſt. de perfect. & tempo act.*

Probatur concluſio quoad 2. partem de prole ſuperveniente, Ex L. *8. C. de revoc. donat.* & ratio eſt, quia nemo præſumitur poſteritatem ſuam poſtponere voluiſſe alienæ, ex L. *Cum avus, 102. ff. de condit. & dem.* & ſemper ſubintelligitur hæc conditio: niſi proles ſupervenerit, ubi tamen notandum 1. donatarium non teneri rem donatam reſtituere antequam à donante repetatur. 2. Si donatio facta ſit extraneo revocari quoad totum, ſi avo, filio emancipato, nepoti, quoad partem, quatenus ſcilicet opus eſt ad ſupplendam legitimam portionem filiorum, qui nati ſunt L. *Totas, C. de revoc. donat*: Item quoad partem ſolùm revocantur, ſi donatio facta ſit monaſterio, vel Eccleſiæ, aut aliis piis cauſis, quia Eccleſia habetur loco filii, & non minùs favendum eſt cauſæ piæ, quàm filio, *auth. ſi qua mulier. C. de ſacro ſanct. Eccl.* Imò ſi etiam ingratus fuerit Prælatus, vel Præpoſitus Eccleſiæ, vel monaſterii, quia hæc donatio cenſetur facta DEO, qui eſt gratiſſimus & liberaliſſimus omnium gratiarum largitor.

Probatur concluſio quoad 3. partem, ex L. *2. 3. C. de inoffic. donat.* cenſetur autem inofficioſa donatio ea, quando pater tantùm donat, ut non remaneat tantum quantum poſtulat legitima portio filiorum, & dicitur inofficioſa, quia eſt contra officium pietatis, cùm officium pietatis ſit relinquere filiis legitimam portionem.

14. Donatio omnium bonorum eſt valida.

DICO 11. *Donatio omnium bonorum ſive in cauſas pias, ſive ad alios donatarios inter vivos valida eſt.* Ita Baldus, Alciatus, Covarruvias, contra Bonacinnam. Et de cauſis piis patet, de aliis ergo Probatur 1. ex L. *ſi quis 35. §. Etſi C. de donat.* ubi univerſitatis bonorum donatio tenet. modò non obſit inofficioſitas. Item L. *8. C. de revoc. donat. in verbo omnia bona.* Item L. *omnis §. Lucius, ff. qua in fraud. Credit.* Probatur 2. Quia quilibet Dominus de rebus ſuis diſponere poteſt pro libitu, ſive res præſentes ſint, ſive futuræ, dummodo lex non prohibeat, ſed lex non prohibet talem donationem omnium bonorum, ergo: probatur maj. ex L. *ſed etſi. Lege §. Conſulit. ff. de hæredit. petit.* & quoad res futu-

futuras ex L. *fin. C. quæ res pign. oblig. poſſ.* probatur etiam minor, quia ſi lex obſtaret maximè L. *ſtipulatio hoc modo. ff. de V. S.* quæ dicit, quòd per hujusmodi donationem aufferatur ei facultas teſtandi, ſed hæc non obſtat, quia illa facultas tantùm indirectè ei auffertur, & ex conſequenti, ſicut ſolet evenire iis, qui omnia conſumunt, ergo.

Quæſtio V.

De Donatione mortis causâ & ultimis voluntatibus.

1. Donatio mortis causâ differt à Donatione inter vivos.

DOnatio mortis causâ differt à donatione inter vivos, quòd res donantis primò fiant & obveniant donatario poſt mortem donantis, ita quòd usque ad mortem ſemper revocari poſſit, & hæc donatio poteſt fieri tam ſcripto, quàm vocaliter ad modum legatorum, & teſtamentorum, unde quantum ad modum & formam donatio hæc annumeratur contractibus, quoad effectum autem ſemper ultimis voluntatibus, ob quam cauſam ego in hac quæſtione de donationibus mortis causâ ſic agam, ut etiam pertractem quæ de ultimis voluntatibus dici breviter poterunt à Theologo, fuſiorem diſcuſſionem Juriſperitis relicturus. Itaque

2. Voluntas ultima hominis deſcribitur.

Notandum 1. Ultimam voluntatem hominis deſcribi, quòd ſit diſpoſitio hominis mortis causâ facta, cujus primaria ſpecies eſt teſtamentum. Dicitur autem *ultima voluntas*, non quòd homo poſt illam diſpoſitionem factam nihil amplius velle poſſit, ſed quia ultimò adimpleri debet, & ſuum effectum non ſortitur niſi poſt mortem.

3. Teſtamentum unde dicatur.

Notandum 2. Teſtamentum quoad etymon derivari, & dici *teſtatio manens*, ſeu mentis teſtatio, quoad rem verò bene deſcribitur à Doctoribus juris, & Theologiæ in L. *1. ff. de Teſtament.* Quod ſit *noſtræ voluntatis juſta ſententia de eo, quòd quis vult fieri poſt mortem, cum directa inſtitutione hæredis.* Dicitur *Noſtræ voluntatis*, quia ad arbitrium alterius conferri expreſsè nequit, L. *illa inſtitutio 32. 32. l. ſi quis 68. ff. de hæredib. inſtit.* Dicitur *Juſta*, id eſt, ſolemnis, ſeu ordinata & facta ſecundùm regulas Juris civilis, vel etiam conformis juri naturali. Dicitur *Sententia*, id eſt ſeria & bene deliberata voluntas. Dicitur *de eo*, id eſt de univerſo patrimonio; dicitur *quod quis poſt mortem* &c. in quo convenit teſtamentum cum aliis ultimis voluntatibus, & differt ab actibus inter vivos factis, qui immediatè ſuum ſortiuntur effectum, teſtamentum verò non niſi poſt mortem, quia *viventis nulla eſt hæreditas*, L. *qui ſuperſtit. 44. ff. de acquir. hæred.* Tum, Quia usque *ad extremum Spiritum eſt ambulatoria hominis voluntas. L. 4. ff. de adimpl. & transf. Legatis.* Dicitur *cum directa hæredis* &c. per quod differt teſtamentum à Codicillo, & Legato, quæ non continent directam hæredis inſtitutionem.

4. Teſtamentum ſcriptum & clauſum.

Notandum 3. Teſtamentum aliud eſſe *ſcriptum* & *clauſum*, alterum eſt *nuncupativum*, quod etiam *apertum* dicitur: *Scriptum* & *clauſum* eſt, quod teſtator ſua vel alterius manu conſcribit, L. *Antiqui. in fin. C. de teſtam.* & confectâ ſcriptura neceſſe eſt, ut ſeptem adhibeat teſtos idoneos, maſculos, puberes, liberos ad hoc rogatos & vocatos, & coram iisdem indicet, hanc eſſe ſuam ultimam voluntatem, quod propria manu ſubſcribere debet, ſi novit, ſi non novit, octavum adhibeat teſtem, qui pro eo ſubſcribat, L. *in hac conſultiſſima C. qui teſtam. fac. poſſ. & authen. non obſerv. C. de teſtamen.* Deinde neceſſe quoque eſt, ut eodem tempore omnes teſtes ſe ſe ſubſcribant, ſi norint, poterit unus pro alio ſubſcribere, L. *ſingulos ff. de teſtam. &* L. *fin. C. de teſtam.* non eſt tamen opus, ut ſubſcriptio fiat eodem tempore phyſico vel mathematico, ſed tempore eodem morali, dummodo nullus actus extraneus interveniat, unde aliquid manducare, bibere, vel medicinam ſumere non impedit. Deinde ulterius requiritur, ut teſtamentum omnes teſtes annulo (nunc valet etiam quocunque alio ſigneto) ſignent, quòd ſi quis autem annulum aut ſignetum non haberet, poteſt alieno (imò omnes uno, etiam ipſiusmet teſtatoris) ſignari, *Inſtit. Lib. 2. tit. 10. §. poſſunt* & L. *22. §. 2. & 5. ff. de teſtam.* Tandem debet in teſtamento ſubſcribi annus, menſis, dies &c. ſi fiat coram tabellione, ſecus ſi fiat privatâ ſcripturâ, quia in L. *In illa conſultiſſima*, id non requiritur.

5. Teſtamentum nuncupativum

Teſtamentum nuncupativum eſt, quod coram ſeptem teſtibus talibus, ut priores fuerunt, teſtator facit declarando coram eis ſcripto, vel voce articulata, quid fieri velit poſt mortem ſuam, & hoc jure civili ſufficit, ut ſit perfectum & valorem ſuum habeat, ex L. *In conſultiſſima. §. Per nuncupationem. L. Iubemus. L. Quoniam indignum. C. de teſtam.* Quamvis ordinariè ſoleat modò tale teſtamentum etiam coram Notario ſcribi, hoc tamen non pertinet ad ſubſtantiam actûs, ſed ad meliorem ſecuritatem, ut res memoriâ non excidat, ſicut ſolet etiam conſuetudo ſcribi, quæ tamen jus ſcriptum non vocatur.

Notan-

6. Codicillus ſpecies ultimæ voluntatis.

Notandum 4. Secundam ultimæ voluntatis ſpeciem eſſe Codicillum, derivatum à codice, & in genere ſignificat quamcunque epiſtolam, vel ſcripturam, hic autem ſignificat *minus ſolennem voluntatem de eo, quòd quis poſt mortem ſuam fieri velit.* Differt itaque Codicillus à teſtamento, Primò quòd in teſtamento conſtituatur hæres, in Codicillis verò nec conſtituitur, nec adimitur. *Lib. 2. Inſtit. de Codicillis.* §. *Codicillis*, niſi adſit particulare privilegium, quale ſentiuntur habere milites, *L. milites. ff. de milit. teſtam.* Secundò in teſtamento ſeptem requiruntur, in Codicillis quinque ſubſciunt teſtes *L. fin. C. de Codicill.* Tertiò in teſtamento requiritur ſubſcriptio teſtium cum ſigillis: in Codicillis ſufficit absque ſigillis. Quartò poteſt plures facere Codicillos non ſibi repugnantes, non tamen plura teſtamenta. Quintò qui moritur facto teſtamento ſine Codicillis dicitur mori teſtatus, qui verò moritur absque teſtamento, factis ſolis Codicillis moritur inteſtatus, & ſuccedunt hæredes venientes ab inteſtato, *L. Conficiuntur. ff. de Codicillis.*

7. Legatum ſpecies ultimæ voluntatis.

Notandum 5. Tertiam ultimæ voluntatis ſpeciem eſſe *Legatum*, quod verbum multipliciter accipi poteſt, nam aliquando ſignificat ipſam hæredis inſtitutionem *L. verbis Legis ff. de V. S.* aliquando rem legatam, aliquando titulum & cauſam, prout autem hic accipitur, ſignificat ipſum factum & actum, quo res legatur, & ſic definitur à Juſtiniano Inſtit. Lib. 2. t. 20. quòd ſit *Donatio quædam à defuncto relicta ab hærede præſtanda.* Dicitur *Donatio*, id eſt, mera liberalitas, per quod differt ab hæreditate, quia hæc eſt multùm onerosa, Frequenterque damnoſa, *L. ſi hæreditatem 32. mandat.* L. *hæreditat: 119. de V. S.* Dicitur *quædam*, quia legatum eſt ſpecies quædam donationis habens aliquid, quod non habent aliæ, nam legatum ſola teſtatoris voluntate perficitur, in aliis autem requiritur etiam donatarii acceptatio. Dicitur *à defuncto relicta* per quòd à donatione inter vivos diſtinguitur, quæ à defuncto non relinquitur. Item à donatione, quæ fit mortis causâ, nam hæc obvenit donatario adhuc in vita, quòd ſi tamen donans ſic donaret, ut primò acquirat dominium poſt mortem, tunc talis donatio tranſiret ad naturam legati, per quod patet, quàm parum iſta inter ſe differant, ita quòd rationabiliter de iis ſimul agatur.

8. Fidei commiſſum quarta ſpecies ultimæ voluntatis

Notandum 6. Quartam ſpeciem ultimæ voluntatis hominis eſſe *Fidei commiſſum*, & eſt, quando teſtator non directè, ut in vulgari, pupillari, & exemplari hæredis ſubſtitutione, ſed in obliquo, & obliquis verbis alicui quidpiam relinquitur, ita ut primò directè gravetur hæres miniſterio, cujus poſtmodum Fidei commiſſarius ſuam partem & quotam acquirit. Eſtque duplex Fidei commiſſum, unum *Univerſale*, aliud *ſingulare. Univerſale* eſt, quando hæreditas vel portio hæreditaria verbis obliquis alicui relinquitur, v. g. Si teſtator diceret: Inſtituo Titium filium meum hæredem, quem tamen rogo, ut hæreditatem, vel hanc partem Mævio relinquat. *Particulare* eſt, quando res particularis, vel ſingularis in obliquo relinquitur, quod etiam multùm convenit cum Legato, & ut Layman dicit, non niſi formâ verborum inter ſe differunt, nam dum teſtator dicit, lego Titio mille aureos, dicitur *legatum*, dum verò verba referuntur ad hæredem, ut Titio det mille florenos v. g. rogo hæredem meum, ut Titio det mille florenos, fidei commiſſum dicitur, unde etiam in *Inſtit. lib. 2. tit. 20. §. Sed non usque*, & Gloſſa in L. *1. ff. de Legatis.* Dicuntur *omnia legata fideicommiſſis exæquare ut nulla ſit interea differentia, ita Inſt.* cit. In Germania autem, & Bohemia eſt uſuale fidei commiſſum perpetuum erectum ad conſervationem & ſplendorem Familiarum, ad quod conſtituendum requiritur authoritas & conſenſus ſupremi Principis, ejusdemque confirmatio.

9. Fiduciarius plus dicatur.

Notandum 7. Hæredem rogatum, ut reſtituat Titio vel totam vel partem hæreditatis *Fiduciarium* appellari: cui verò reſtitutio facienda eſt *Fidei commiſſarius hæres* dicitur. Item in commiſſo ſemper ſubintelligi clauſulam: *Si hæres inſtitutus ſine liberis moriatur*, id eſt, hæredem non teneri tertio reſtituere, ſi relinquat poſt ſe hæredes, juxta mentem Papiniani in L. *cùm Avus. 102. ff. de condit. & demonſtrat.* & Juſtiniani approbationem in L. *cum acutiſſimi 30.* C. *de fidei commiſſ.* quia non eſt veriſimile teſtatorem, ſi de nepotibus cogitâſſet, fuiſſe gravaturum filium reſtitutione, & alienas ſucceſſiones ſuis præpoſiturum. Addendum quoque hæredem fiduciarium non poſſe alienare res fidei commiſſo obnoxias, excepta parte Trebellianica, dicta à S. C. Trebelliano, à quo conceſſum fuit, quòd ſi hæres fiduciarius fidei commiſſo gravatus eſſet ſupra legitimam, quæ gravari non potuit, ut habetur *ff. & C. ad 5. C. Trebell. & Inſtit. de fidei commiſſariis hæredit.* ac *cap. Raynaldus, &c. Raynuntius, de teſtam.* His

prænotatis plures in hac quæſtione difficultates reſolvendæ ſunt, unde

10. Teſtamentum requirit ſolemnitates.

DICO 1. *Teſtamentum hominis ſæcularis ad cauſam profanam, & non privilegiatum de jure communi ſolemnitates in notabili tertio contentas requirit, ut ſit validum.* Ita eſt communis Conſenſus Legiſperitorum omnium, Ex L. *In illa Conſultiſſima*, ibidem citata. Dixi autem *de jure communi*, quia in multis provinciis etiam Imperialibus numerus teſtium moderatus eſt, quilibet ergo attendere debet ad jura municipalia cujuslibet Patriæ.

11. Teſtamentum abſque ſolemnitatibus non ligat in conſcientia.

DICO 2. *Teſtamentum hominis ſæcularis ad ſimiles cauſas ordinatum præ allegatis ſolemnitatibus deſtitutum, non obligat in conſcientia hæredes ad implendam voluntatem Teſtatoris.* Hæc Covarruvias, Gomez, Salas, Menochius, eámque tenet Schambogen in Inſtit. ſuis, & eſt contra Molinam, Molfeſium, Clarum, Malderum, &c. apud Bonnacinam. Et Probatur 1. Quia Leges tale teſtamentum irritantes, ut L. *21. C. de teſtam.* L. *29. C. de fidei Com.* ſunt juſtæ, & ad Reipublicæ, ut tutiùs gravis teſtandi actus celebraretur, inſtitutæ, ſed quod eſt juſtum ex lege nullam obligationem contrariam inducit *Can. quo jure diſt. 8.* ergo. Secundò judex aufferendo hæredi conſtituto per tale teſtamentum imperfectum hæreditatem, licèt adhibeas duos teſtes omni exceptione majores, juſtam ſert ſententiam, quia authoritate divina judicat judex, ut notatur in *cap. omnis anima X. de Cenſibus. cap. 2. de Majorit. obedien.* ergo ille cui adjudicata eſt hæreditas, eſt tutus in conſcientia. Tertiò, Ad omnem actum non tantùm requiritur voluntas, ſed & poteſtas, *cap. cum ſuper, X. de off. Delegat* L. *nemo poteſt. ff. de Legat. 1.* Sed condens teſtamentum ſine debitis ſolemnitatibus non habet poteſtatem, licèt habeat voluntatem, ergo. Quarto: Jure canonico, ſi non adſit præſentia parochi, teſtamentum eſt nullum ex *cap. cùm eſſes. 10. n. 12. & ſeq. de Teſtam.* & hæredes ab inteſtato ſuccedunt, ſed jus canonicum nulli hæreditatem adjudicat, ſi non ſit quis tutus in conſcientia; uti evenit in præſcriptione, ergo. Quintò Matrimonium juxta *Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. Matri*, abſque præſentia Parochi initum eſt nullum, etiam in conſcientia, non ob aliam rationem, quàm quòd non adſint ſolemnitates requiſitæ, ergo etiam idem dicendum de teſtamentis hujusmodi, cùm Leges in prima probatione citatæ, ea irrita declarent. Probatur 6. Hæredibus ab inteſtato eſt jus ad bona defuncti, ſed hoc non debet eis auferri, niſi legitimis modis, qualis non eſt voluntas ſolemnitatibus deſtituta, ergo: Probatur min. quia aliàs ſequeretur, quòd filius proprius in teſtamento præteritus absque cauſa, vel injuſtè exhæredatus, certò tamen voluntatem patris ſciens teneretur ſcripto hæredi bona relinquere ſaltem præter legitimam, & poſſet hæres ſcriptus bona illa tuta conſcientia retinere, ſed hoc eſt contra S. Auguſtinum, refertur in cap. fin. XVII. q. 5. dicentem: *Quicunque ex haredato filio vult haredem facere Eccleſiam, quærat alterum qui ſuſcipiat, non Auguſtinum, imò DEO propitio nullum inveniet*, ergo. probatur ſequela: Nam quòd teſtamentum ſit nullum ex præteritione hæredis filii, vel quòd detur querela inofficioſi teſtamenti, eſt præcisè ex diſpoſitione juris civilis, ergo. Tandem Confirmatur hæc ſententia ex praxi probatiſſimorum virorum, qui hujusmodi teſtamenta ſine ſolemnitatibus facta, etiamſi teſtes omni exceptione majores adſint, impugnant, quos redarguere peccati mortalis nimis durum eſt. Ex concluſione ſequitur hæredem inſtitutum in teſtamento non ſolemni, non eſſe per omnia tutum in conſcientia per omnia, & probabiliter reſtitutioni obnoxium. Imo plura alia corrolaria ex hinc deduci poſſunt; ſed pro contraria ſententia

Opponitur Authoritas legum L. *non dubium 17. C. de Teſtam. &* L. *Paulus fin. ff. de rebus cor. qui ſub tutel.* in qua Paulus reſpondet, *Curatores poſſe finè decreto prædium minoris alienare, ſi Pater in teſtamento conſenſit, licèt teſtamentum fiat irritum.* ergo ſufficit ſola Patris voluntas. Et L. *final. C. de fidei Com.* ubi habetur valere tale fidei commiſſum, &c. ergo. Reſpond. negando conſequ. nam prima lex tantum dicit, legata in ſimili teſtamento facta ſolvenda, *ſi ſua ſponte agnoverit*, id eſt, ſi ſponte conſenſerit, non verò ex vi voluntatis teſtatoris. Secunda etiam nihil concludit, quia in hoc caſu, quo Pater aliquid relinquit filio, non requiritur iſta tanta ſolemnitas, ſed ſola patris voluntas, Ex L. *3. C. Quando decreto non eſt opus.* Tertia denique loquitur etiam de caſu ſpeciali, quando hæres ſcilicet negavit aliquid legatum eſſe legatariis, vel fidei commiſſariis, tunc enim convictus tenetur ad ſolutionem in pœnam negationis. Sed

DICES.

Digitized by Google

Dices: In L. *2. C. de fidei Com.* dicitur eum, qui ex teſtamento imperfecto fidei commiſſum ſolvit, ſolutum non condicere, ſeu non poſſe repetere, ergo ſignum eſt, quòd valuerit. Reſpond. Legem illam noncedere condictionem iis, qui per errorem juris fidei commiſſum, ſolverunt, non verò qui illud ſolverunt per errorem facti, nam L. *7. Cod. de condict.* indebiti dicitur: *Fidei commiſſum vel legatum per errorem facti ſolutum repeti poſſe explorati juris eſt.* Dicitur ergo error facti, quando hæres exiſtimavit teſtamentum eſſe factum cum ſeptem teſtibus: Error juris, dum quispiam credit teſtamentum ſine ſolemnitatibus factum eſſe validum, & hi poſtmodum non audiuntur.

Arguitur 2. Solemnitates teſtamentorum tantùm introductæ ſunt ad evitandas fraudes, ut habetur *Inſt. lit. 2. tit. 10.* §. 4. ſed lex ceſſat ubi ceſſat finis, & ratio legis, & ceſſant etiam fraudes vel periculum fraudum, ſi per teſtes conſtet de voluntate teſtatoris, ergo. Reſpond. neg. majo. Reſpond. 2. diſt. min. Ceſſante fine legis in univerſum, & in communi ceſſat lex, tranſeat min. Ceſſante tantùm in aliquo particulari caſu, neg. min. & conſequ.

Dices: Quòd hæredes ab inteſtato hæreditatem habere debeant, provenit ex præſumptione voluntatis teſtatoris, L. *ult. C. de fideicom.* ſed hæc præſumptio ceſſat, quando per teſtes contrarium conſtat, ergo. Reſpond. negando ſuppoſitum min. quia non ſola voluntas ſufficit, ſed etiam requiritur potestas, qualis hîc in hærede inſtituto deeſt.

Ut igitur hunc difficultatem in praxi frequentem conſcientioſè quilibet reſolvere poſſit, hanc puto ponendam regulam, ut videlicet tale teſtamentum ad forum civile delatum abſolutè reſcindi poſſit per Judicem, quia Judex non de legibus, ſed ſecundùm leges judicare debet, *can. 3. d. 4. Quibus modis teſtam. infirm.* nec hæredem ab inteſtato teneri relinquere hæredi inſtituto hæreditatem, nec ſolvere legata vi legum, ſed ad ſummum vi alicujus honeſtatis moralis: hæredem autem inſtitutum vel legatarium, ſi hæreditatem vel legatum jam acquiſivit, non teneri eam reſtituere, ante condictionem, vel evictionem.

12. Teſtamentum ad pias cauſas valet.

DICO 3. *Teſtamentum ad pias cauſas; Patris & matris vel aliorum aſcendentium ad libros; Militum: factum coram ſupremo Principe & ruſticorum, validum eſt, etiamſi prædictis ſolemnitatibus juris ſit deſtitutum.* Hæc eſt communior apud Authores paſſim, Et Probatur quoad 1. partem: Tum ex *cap. Relatum. XI. de teſtam.* ubi tantùm duo, vel tres teſtes requiruntur, quia ſcriptum eſt: *In ore duorum vel trium ſtat omne verbum;* ulterius ſi conſtet de ſcriptura teſtatoris, etiam ſine ullo teſte valebit. *arg. L. hac Conſultiſſima.* §. *ex imperfecto. C. de teſtam.* Tum, Quia jura ſæcularia cauſis Eccleſiaſticis ſive ad finem ſupernaturalem directè ſpectantibus nullum præjudicium adferre poſſunt, niſi à ſummo Pontifice ſint approbata, ex *cap. Eccleſia. de conſtit.* ſed ſolemnitates civiles circa cauſas pias ab Eccleſia receptæ, non ſunt ex *cap. Relatum*, citatum, ergo. Hinc validum eſt teſtamentum, ſi fiat coram Parocho & duobus teſtibus, ſeu viris, ſeu fœminis. Item ſi incepit facere, & finire non valuit, licèt aliàs irritum ſit, L. *ſi is, qui ff. qui teſtam. fac. poſſ.* ſimiliter validum eſt, quamvis alterius arbitrio committatur, etſi in cauſis profanis factum ad arbitrium tertii ſit nullum. L. *Illa Inſtitutio.* L. *ſi quis Simpronium. ff. de Hared. Inſtit.* Pariter validum eſt teſtamentum ad pias cauſas, ſi ſolo nutu voluntatem ſuam teſtator declaret, cùm tamen lege civili inſtitutio hæredis nuto facta nulla ſit. L. *Jubemus. C. de teſtam.*

Probatur 2. pars de teſtamento Patris & Matris: In quibus poſito & inſtituto hærede per ſcripturam Patris vel ejus ſubſcriptionem non requiritur teſtium convocatio, ex L. *ult. C. Famil. herciſcunda.* & L. *hac Conſultiſſima* C. *de Teſtam.* dummodo tempore teſtamenti nomina filiorum & portiones adnotatæ fuerint, ex *Auth. de imperf. teſtam.* ſi autem teſtamentum tantùm ſit nuncupativum ſufficiunt duo teſtes maſculi vel fœminæ, ut docet Gloſſa in dicta *Auth. ver. Relinquant.*

Probatur 3. pars de teſtamento militum ex L. *milites. junct. Gloſſ. ver. ſub ipſo tempore* C. *de teſtam. milit.* & L. *Lucius. eodem* C. unde valet teſtamentum ſi tantùm in vagina aut clypeo, ſanguine ſcribat, vel in arena gladio, tempore conflictûs, dummodo id per duos teſtes probari poſſit. Et hoc privilegio gaudent etiam milites limitanei, ſtationarii, Prælidiarii, & Laymann. ex L. *un. ff. de bonorum poſſeſſ. & teſtum militis*, id etiam extendit ad eos, qui in hoſtili loco detinentur, ſi ibi decedant.

13. Militum Teſtamentum quomodo valeat.

Probatur 4. pars ex L. *Omnium.* C. *de teſtam.* dummodo ſupremo Principi libellum offerat, in quo ſua voluntas ſcripta eſt, & conſtet ipſum poſtmodum ſuam voluntatem non mutâſſe.

Probatur ultima pars ex L. *ult.* C. *de teſtam.* Et hæc omnia ſunt de jure communi, quilibet tamen attendere debet ad municipalia loci, in quibus degit.

14. Teſtari omnes poſſunt.

DICO 4. *Quilibet jure non prohibitus poteſt facere teſtamentum, codicillare, & legare.* Hæc eſt communis, & extra controverſiam ex L. *1. C. de SS. Eccleſiis.* Et ratio eſt : Quia quilibet poteſt de re ſua diſponere prout voluerit & libuerit, quia tamen non ſcitur, qui ſint illi, qui jure prohibentur, hinc

15. Filiusfamilias nequit teſtari.

DICO 5. *Teſtamentum facere, codicillare, & legare prohibentur Filius familias ſub patria poteſtate conſtitutus, niſi habeat bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, Impubes, Furioſus, Prodigus, Surdus, Mutus, Servus, Captus ab hoſtibus, obſes, damnatus ultimo ſupplicio, Excommunicatus ob cædem Cardinalis, Uſurarius manifeſtus, Dubius de ſuo ſtatu, Religioſus.* Hæc eſt communis, & Probatur quoad ſingulas partes & quoad 1. partem habetur, in L. *Filiusfam. §. 1. C. Qui teſtam.* diciturque indubitati juris, L. *3. §. 1. eodem* C. unde nec Codicillos poſſunt condere, ex *L. Divi 6. §. pen. ff. de Jur. Codicill.* idque de jure communi verum eſt, etiamſi Paterfamilias conſentiat, niſi ad cauſas pias, quia hic conſenſus eſt privatus, qui non poteſt mutare jus publicum de teſtam. L. *3. cit.* In pluribus tamen provinciis licitum eſt teſtamentum factum de conſenſu Parentum, uti in Bohemia. Item jus commune limitatur ad bona Parentum tantùm, nam de Caſtrenſibus & quaſi Caſtrenſibus teſtari poſſunt, quia in his habetur pro Patrefam. L. *2. ff. ad S. Conſ. Macedonium. &* L. *4. ff. de Judice.* De bonis tamen profectitiis & adventitiis, in quibus Filiusfam. hodie non acquirit pleno jure peculium, teſtari non valet, L. *29. ff. Regl. juris.* An autem de bonis adventitiis, quæ pleno jure ad filiumfam. pertinet teſtari poſſit, diſputatur pro & contra & negativam partem eſſe communiorem, ait Schambogen, videatur ipſe in ſuis Inſtit. Hæc pars adhuc limitatur etiam quoad bona parentum, nam de ipſis teſtari poſſunt, ſi Parens fiat hæreticus, quia tunc filius liberatur à patria poteſtate : Item ſi Parens ſit captus ab hoſtibus, quia exiſtens in captivitate, fictione Legis Corneliæ cenſetur mortuus.

16. Impubes teſtari non potest.

Probatur 2. pars de Impube ex L. *final. C. de Teſtam. milit.* quia non habent adhuc ſufficiens judicium ; Dicitur autem Impubes donec ultimum diem decimi quarti mas, duodecimi fœmina expleverit, vel ſaltem attigerit L. *5. ff. de Teſtam. &* L. *frater* C. *eodem.* neque hic, an malitia ſuppleat ætatem, attenditur, ſicut in matrimonio, quia nullum hic eſt peccati periculum. Imò Jus Civile nec in matrimonio malitiam ætatem ſupplentem attendit. Ad pias autem cauſas Impuberem poſſe teſtari exiſtimat Bonacinna contra Clarum.

17. Furioſus & prodigus teſtari non poſſunt.

Probatur 3. pars de furioſo : qui lucida intervalla non habet, ex L. *Furioſum. C. Qui teſtam. fac. po.* debet tamen attendi, an verè ſit furioſus, & non tantùm lepidus : Item an dum fecit teſtamentum vere habuerit lucida intervalla.

Probatur 4. pars de prodigo, cui bonorum ſuorum interdicta eſt adminiſtratio ex *Inſt. lib. 2. §. Furioſus. tit. 12. &* L. *1. ff. de Curat. furioſ.* ſi tamen ante interdictionem fecit, valet, ſicut etiam, ſi teſtetur ad pias cauſas, ut tenet Bonacinna cum Leſſio.

Probatur 5. pars de Surdo-Muto. Intellige utrumque ſimul eſſe debere, idq; à nativitate ex *Inſtit. lib. 2. tit. Quibus non eſt permiſ. teſtam. fac. §. Idem Surdus. &* L. *6. §. ff. hoc tit.* ſi tamen eſſet tantùm Surdaſter, vel ſurdus ex accidente, facere poteſt, ſicuti etiam ſemper ad cauſas pias.

Probatur 6. pars de ſervo proprio, Quia talis nec habet velle & nolle, & quidquid acquirit Domino acquirit, nec poteſt contrahere, ut patet ex *Inſtit. lib. 2. tit. Per quas perſonas. §. item vobis.*

18. Teſtari non valentes enumerantur.

Probatur 7. pars de Capto ab hoſtibus, ex L. *29. ff. de Reg. Juris.* quod tamen limita, ſi in captivitate fecerit, quia ſi antè fecerit, ſi redierit, valet ex jure Poſtlimii : Item ſi ibi deceſſerit ex L. *Cornelia. &* L. *8. ff Quibus teſtam. fac. non eſt. &c.*

Probatur 8. pars de Obſide, L. *Obſides 11. ff. eodem* niſi ibi ſit conceſſum teſtamentum condere, quoad bona ibi ſita ex dicta lege. & L. *ſed ſi 32. ff. de juribus fiſci.*

Probatur 9. pars de Damnato ultimo ſupplicio, ex L. *8. §. 1. & 4. Quibus non eſt permiſ.* niſi locorum conſuetudo ferat aliter.

Probatur 10. pars, de Excommunicato ob cædem Cardinalis, ex *cap final. de pœn. in 6. &* idem eſt de hæreticis, ex *Auth. Credendes* C. *de hæret.*

Probatur 11. pars de Uſurariis, ex *cap. final. de Uſuris in 6.*

Probatur 12. pars de Statûs ſui dubio, ex L. *15. ff. Quibus non eſt permiſſ.*

Probatur ultima pars de Religioſo. Ex *Auth. Ingreſſi* C. *de SS. Eccleſ. & cap. Quia Ingredientibus. XIX. q. 3.* Novitius tamen teſtari poteſt etiam non petitâ licentiâ, ex *Auth. Nunc autem.* C. *de Epiſc. & Cler. c. & cap. ſi qua Mulier. XIX. q. 3.* quod etiam de Novitiis noſtris verum eſt, qui adhuc ſunt ſui juris, & bonorum ſuorum domini. Item poſſunt Clerici ſæculares teſtari de bonis ſuis Patrimonialibus, & quaſi patrimonialibus, imò etiam de iis quæ ſibi Clericus ſubtraxit neceſſariæ ſuſtentationi &c. Memoriæ juvandæ gratiâ, omnes qui teſtari non poſſunt ſequentibus exprimuntur verſibus :

Teſta-

Testari nequeunt, Impubes, Religiosus,
Filius, Infamis, morti Damnatus, & Obses,
Prodigus, ac Stultus, Dubius, Servus, Furiosus,
Crimine Damnatus, cum Muto Surdus & ille.

Et quæ dicta sunt de testamento faciendo currunt etiam de Legatis, quia hæc non fiunt nisi in testamentis, vel Codicillis, idem proinde est de Codicillis, quia in *L. Divi. §. Codicillos. ff. de jure Codicill.* Nemo facere potest Codicillum, nisi qui potest testari.

19. Hæredes qui esse nequeunt.

DICO 6. *Hæredes instituì non possunt, sicut nec Legatarii esse hostium Civitates, Judæorum communitates, Collegia profana publica authoritate non erecta, deportati vel damnati ad metalla, Hæretici & Apostatæ, nati ex damnato & punibili concubitu, Occisores testatorum & ob crimen commissum dicti intestabiles.* Hæc etiam est communis, & Probatur quoad 1. partem de hostium civitatibus ex *L. omnium ff. ad S. C. Trellianum.* De Judæorum Communitatibus, ex *L. 1. C. de Judæis.* De Collegiis illicitis, ex *L. Collegia §. in summa ff. de Colleg. illicit. & L. Collegium C. de hæredibus instituendis.* Dictum autem fuit Collegia profana, quia si fuerint etiam privata authoritate instituta ad pias causas possunt instituì, ut habetur *L. 1. ff. cit.* Probatur de Deportatis & Damnatis &c. ex *L. 3. ff. de his, qui pro non scriptis habentur. & L. 1. C. de hæred. instit.* Probatur de hæreticis & *L. Manichæos, & L. ult. C. de hæred. L. 3. C. de Apostatis.* Probatur de Spuriis ex *Auth. Licèt in fin. C. de natural. Liber. Auth. Quibus modis naturales. §. ult. & Auth. Ex Complexu. C. de incestu. nupt.* Nota tamen hanc prohibitionem esse tantùm respectu parentis, nam Avus spurium instituere potest, dummodo non fiat intuitu Parentis, ut docent Doctores communiter. Notandum iterum, differentiam esse inter spurium, & filium naturalem, hic enim dicitur is, qui natus est ex parentibus non conjugatis sed liberis nullum habentibus impedimentum dirimens tempore conceptionis; Spurius verò, qui ortus est ex Parentibus habentibus tempore conceptionis impedimentum dirimens, ut vult Bonacinna, & Covaruvias. Probatur de Occisoribus testatorum, hi enim per sententiam judicis hæreditate privari debent, ut docent Doctores communiter. Probatur tandem ultima pars ex *L. 18. ff. Qui testam. fac. poss* ubi inhibentur testari damnati ob crimen famosum: Et *L. Quisquis. C. Ad L. Jul. Majest.* ubi inhibentur filii reorum læsæ Majestatis: Et *cap. Felicis. de pœnis in 6.* ubi post judicis sententiam inhabiles dicuntur, & intestabiles persequentes Cardinalem Ecclesiæ Romanæ.

20. Spurius & filius naturalis quomodo differunt.

21. Qui possint hæredes & Legatarii instituì.

DICO 7. *Hæredes & Legatarii instituì possunt alii omnes non solùm privati, sed etiam communitates tam seculares, quàm Religiosæ, virorum vel mulierum, exceptis Fratribus Minoribus eorumq; domibus de Observantia, & Capucinorum.* Hæc pariter est communis, & patet; Quia isti omnes nullo jure prohibentur, & sunt capaces dominii exceptis Fratribus Minoribus, ut docent Trident. *sess. 25. cap. 3. de regula*, ubi excipiuntur soli Fratres Minores, sicut etiam in *X. Extvi. de v. s.* antecedenter dominii incapaces declarati sunt. Et quia res nobis domestica est, remitto Lectorem ad dictam Bullam & *§. Quia igitur §. Verum etiam*, ubi etiam executiones testamentorum nobis inhibentur. Item remitto ad *X. Exiit Nicolai III. §. Ad hæc quia. §. Si verò modum. §. Si verò Fratribus.* ubi nobis modus præscribitur qualiter aliquando fratres pro necessitatibus proximè futuris & præsentibus quædam legata pia susçipere possint, & dicitur: *Quòd si testator modum, secundùm quem Fratribus, eorum inspecta conditione, recipere non liceret, exprimat in legando . . . à tali legato, & ejus receptione peromnem modum fratres abstineant.* Hactenus de his, qui instituì possunt hæredes. Nunc

22. Hæredes qui necessarii.

DICO 8. *Hæredes necessariò instituendi sunt filii descendentes sub potestate constituti, vel ascendentes, ita quòd his expressè non exhæredatis, & præteritis testamentum sit nullum.* Ita habetur *in Instit. lib. 2. tit. 13. §. 1. & L. 30. ff. de Exhæredat. lib.* Et Ratio est, Quia aliàs sequeretur, duos posse esse simul ejusdem rei dominos in solidum, nam cùm sui hæredes vivo etiam patre sint dominì quodammodo, patre mortuo lex dominium illis mox appropriat totum, L. *in suis. 11. ff. De exhæred. lib.* quibus si accedat hæres institutus ex voluntate testatoris, tunc duo erunt domini. Inter descendentes etiam computantur Posthumi, qui sunt illi, qui post humatum patrem nascuntur, L. *3. §. 1. ff. de injustè rupt.* Et quasi posthumi, id est Nepotes & Neptes ex filio emancipato & præmortuo, si sint tempore conditi testamenti. Filii adoptivi, quamdiu sunt sub potestate adoptantis pariter instituì debent, si autem emancipati sint tam hi quàm illi non sunt necessarii hæredes, similiter necessarium non est hæredes instituere expressè liberos Matri, vel Avo materno, ex *Instit. cit.* quia cùm liberi isti non sint in eorum potestate, adeoque nec cen-

Digitized by Google

cenſentur eſſe ſui, & conſequenter ſi prætereantur, ſtabit teſtamentum jure Civili, quia Præteritio tantùm operatur quantum Exhæredatio.

In Aphorismum & Materiam præcedentem ſit *Quæſtio Ethica.*

In quibus ſubjectis Juſtitia ſit illuſtrior?

1. Principes juſti Jovis filii.

RESpond. Illum tanto illuſtriorem eſſe, quanto illuſtrior eſt perſona, cui ineſſe neceſſaria eſt, ad juſtitiam debitam aliis adminiſtrandam, quod potiſſimùm convenit Regibus, Principibus, Prælatis Eccleſiæ, aliisque Magiſtratibus, unde Homerus apud Gellium 15. 21. dixit, Reges Jovis eſſe alumnos non ratione quâ prædiți ſunt unà cum aliis hominibus, ſed propter officium juſtitiæ, quod ipſi adminiſtrant, unde illemet ſtatuit Principes juſtos, & juſtitiæ Patronos Deorum, filios eſſe nuncupandos. Et Plato lib. 4. dicit: *Maximum ſummumq; donum, quod à Diis acceperunt homines, ut cùm adeò fragiles & imbecilles ſint, juſtitiâ gubernarentur.* Atque Principes eandem adminiſtrent, quod Salomon quoque docuit Proverb. 29. *Rex qui judicat in veritate*, juſtitia, *pauperes, thronus ejus in æternum fundabitur*, & viciſſim ait Eccleſiaſt. cap. 10. *Rex inſipiens*, ſeu injuſtus & iniquus, ut habet Tugurina, *perdet populum ſuum.* Sententiam Platonis conſiderans nolter Guevarra in horolog. lib. 3. cap. 2. exclamat, atque utinam qui hoc legerint mentem Platonis aſſequerentur! Niſi enim rationem homo naſcendo acciperet, juſtitiaque regeretur, nulla inter beſtias æquè foret inutilis. Tollat quis ab homine rationem, cum qua naſcitur, tollatque juſtitiam qua regitur, & qualis ſit vita illius videbitur. Nam his duabus præciſis nec more elephantum pugnare poterit, nec tigridum inſtar ſe tueri, nec veluti leones venari, nec ut boves arare poterit, ſed erit ſicut nunc eſt vermium eſca luporum & urſorum.

2. Juſtitia eſt animalis reipub.

Et ut hoc confirmem, videtur mihi eſſe juſtitia in Republica inſtar animæ in corpore, ſicut enim hac diſcendente cadaver eſt, & inutile terræ pondus, ita ubi apud Principes exulat juſtitia, ibi in Regno, Republica, Civitate, & Religione interitus proximus eſt horror & fœtor. Quod multis confirmari poſſet exemplis, ſed ſufficiant ſoli Romani, qui quamdiu juſtitiam coluerunt fortunati felicesque extiterunt, nam ut teſtatur Auguſtinus propter juſtitiam ipſorum tot tantisque victoriis & triumphis fuiſſe ornatos. licèt aliunde ſciamus plures eorum fuiſſe adulteros impudicos, ambitioſos, aliisq; vitiis deditos, Rempublicam tamen dilexerunt, maximamque adminiſtrârunt juſtitiam, *Veteres*, inquit S. Doctor lib. 5. Civit. cap. 12. *primiq; Romani, quantum eorum docet & commendat hiſtoria, quamvis ut aliæ gentes, exceptâ unâ populi Hebræorum, deos falſos colerent, & non DEO victimas, ſed dæmonis immolarent, tamen audax avidi, pecunia liberales erant, gloriam ingentem, divitias honeſtas volebant: hanc ardentiſſimè dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac & mori non dubitaverunt. Cæteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate preſſerunt. Ipſam denique patriam ſuam, quoniam ſervire videbatur inglorium, dominari verò atque imperare glorioſum, prius omni ſtudio liberam, deinde dominam eſſe concupierunt.*

Elegantem ad propoſitum Plinius lib. 2. cap. 7. refert Democriti ſententiam, illum videlicet dixiſſe, duos eſſe deos, qui in mundo univerſas res gubernent, atque adminiſtrent *Beneficentiam* & *Pœnam*, quorum utrumque ſola poteſt præſtare Juſtitia in Principibus reſidens, unde jure diis comparantur: *Ego dixi dii eſtis.* idem eſt, quod Principes, Judices, Beneficentiâ juſtis & bonis præmia largiendo, & improbos ſine pœna non relinquendo, alioquin verum erit, quod Auguſtinus lib. 4. Civit. dixit: *Remota juſtitia regna non erunt niſi magna latrocinia*, nam niſi peccantibus flagella ſint parata, blaſphemis forcipes ad extrahendas, ſerpentinas linguas, perjurii equulei, hæreticis ignes, homicidis gladii, furibus patibula, ſeditioſis carceres, plures in urbibus ſceleratos, quàm in ſylvis urſos & beſtias invenies, frequenter in communitatibus obvenit annonæ penuria, vini, carnium, piſciumq;, aſt nunquam invenietur, malos in humana ſocietate deeſſe. pulchrè proinde admonet Salomon Sap. 1. *Diligite juſtitiam qui judicatis terram, ſentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum.*

3. Beneficentia, & pœna neceſſaria.

Plinius epiſtola quadam dicit: cum proviniciæ cuidam in Africa præeſſet, interrogatum à ſe virum natu grandem, & in gubernatione ſpectatum, quidnam ad bene adminiſtrandam juſtitiam factu opus eſſet, reſpondiſſe: Si bonus juſtitiæ miniſter eſſe cupis, in te ipſam exerce. Boni enim judicis eſt rectâ vitæ ſuæ virgâ metiri Rempublicam: & porro addidiſſe: Si adversùs homines rectus, adversùs Deos purus eſſe vis: munere nè inſoleſcas cave. Et idem in Panegyrico ad Trajanum dicit: *Nihil eſt præſtabilius & pulchrius Deo munus erga mortales, quam juſtus, caſtus, ſanctus & Deo ſimillimus Princeps.*

4. Gubernanti quid incumbat.

& Plutarchus in Numa; *Cùm Reges sapientes sunt* justi & *sancti, tunc Respublica maximum quoddam ac divinum donum à DEO accepisse existimet*, adeoq; in Principibus justitia illustrissima est.

Horum omnium ratio est: Tum Quia Principes & Magistratum habentes, sicut dominatione & authoritate alios excellunt, ita justitiæ officia actu exercere in subditis possunt, & opere præstare, quod inferiores solo valent affectu & habitu desiderare: Tum, Quia Principum hæc est conditio, ut sint positi omnibus inferioribus veluti in Specula, qui omnes videant, & ab omnibus videantur. *Vita* enim, ut dicit Plinius in cit. Paneg. Trajani *Principis censura est, eaq; perpetua; ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperis nobis opus est quàm exemplo.* & S. Hieronym. ad Heliodorum: *Domus*, inquit, *Episcopi & conversatio in speculo posita, magistra est publicæ disciplinæ, quid quid fuerit, id sibi omnes faciendum putant.* Et hanc ob causam admonet Timotheum suum, epist. 1. cap. 4. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum;* quem locum sic glossat S. Chrysost. id est: *exemplar vitæ atq; morum: ipse est tanquam imago præpositus, tanquam animata lex, velut regula & norma bene rectèq; vivendi.* unde nonnemo Principis personam in triangulo repræsentavit, perpendiculo directè defluente, cum inscriptione: *Judico non judicor*, indicare volens, Principem solùm Deum habere pro judice, atq; adeò ut rectè alios judicet, se prius DEO per omnia in æquitate & justitia aliisque virtutibus conformare debere; unde Basilius Imperator in exhortat: ad filium cap. 20. dicit: Manus meæ imposuerunt capiti tuo coronam imperii à Deo delatam tibi: Redde ergo donatori munus eo dignum. Honora DEum qui te honoravit per honorem, quem patri tuo defers: me autem honorabis, non eodem penitus modo, quo subjecti faciunt, nempe aut genuflectens, aut latus meum stipans, aut mihi bene precans: ista enim principe viro & rege non satis digna sunt: sed potius virtutem omnem exercens, temperantiam colens; mores tuos exornans, litterarum studia capessens, quibus animi juvenum excoli debent: & ut in summa dicam, ita te comparans, ut terreno hoc imperio dignùs habeare, & imaginem regis cœlorum in terris referas. Is enim solus meritò vocabitur imago DEI, à quo in regni solio collocatus es, qui omnimodam virtutem amplexatur, Isq; optimo jure secundo loco post DEum à subjectis amabitur: & tanquam de se, deq; suis optimè meritus, omni honore dignissimus habebitur.

5. Superiores sint aliorum exemplum.

Quæstio Altera.

In quibus subjectis Justitia maximè periclitetur?

1. Pauperes apud Justitia periclitatur.

RESpond. In non voluntariè, sed naturâ, non virtute, sed necessitate pauperibus justitiam in periculosissimo esse statu, ita habet Ecclesiast. cap. 17. *Propter inopiam multi deliquerunt: & qui quærit locupletari avertit oculum suum*, unde Sallustius in Jugurtha *Egentissimo omnia cum pretio honesta videntur.* & de Regibus & Principibus magnis resolvit Sophia Imperatrix ad Tiberium Constantinum Imperii socium, ubi sic in oratione, quam refert Guevarra lib. 1. c. 14. illum alloquitur: Omnino sic habeto Tiberi, multos Principes naturâ maximè malos, & bono præditos ingenio, in tyrannos degenerâsse, non aliam ob causam, quàm quòd ad paupertatem fuerunt redacti. Animus enim excelsus inopia & egestate subactus in aleam mittit omnia. Porro hoc etiam, Tiberi affirmo, si ob penuriam nimiam principes in tyrannos degenerant: non minus eosdem ob nimiam abundantiam in vitia prolabi. Quod si fiat: Principes in ipsis vitiis pœnas inveniunt vitiorum. Siquidem hoc deliciæ nimiæ incommodi habent, quòd nullum ex sui suavitate fructum percipi finant. Quamobrem ex te nunc quæro: Utrum sit melius, vel ut verius loquamur, utrum malum sit levius, Principem pauperem simul & tyrannum, an divitem simul & vitiosum esse. Me quidem judice, satius est eum divitem & vitiosum, quàm pauperem & tyrannum esse. Etenim vitiorum damnum si quod est, ad nullum magis quàm ad ipsum: divitiarum verò (& opulentiæ) fructus ad populum universum redundabit. Sin autem pauper (& tyrannus) est: tyrannide quidem multis nocebit: paupertate verò nulli proderit. Princeps enim pauper nec divitibus suppeditare, nec egenis succurrere potest, omnino multo & utilius Reipublicæ & tolerabilius subditis est, Principem malum virum, & bonum Principem, quàm malum Principem & virum bonum esse. Nam secundùm Platonem (ut dicta magis confirmem) Athenienses rectè fecerunt: qui Principes potius Civitate utiles: quàm virtute præstantes optârunt: Lacedæmonii verò peccarunt, qui Principes virtute præstantes utilibus prætulerunt. Vides ergo Tiberi, ad securitatem & utilitatem Reipublicæ plus facere, si pecuniis, opibusque abundent Principes, quas inter officiatios distribuant: quàm si ex paupertate rapiendi & exactionibus subditos onerandi occasionem capiant. Siquidem Principum indigentia gravium exactionum & tributorum seminarium est.

2. Princeps malus an melior quam pauper exactor.

Hoc etiam alii Ethici docuerunt, nam Tacit: Annal. 1. 43. ait: *Ærarium si ambitione exhausserimus, per scelera supplendum erit.* Et 13. Dissolutio Imperii sequitur, si fructus *quibus Respublica sustinetur, diminuantur*, nam ut sacrisberiensis Policraticus. 5. 6. habet: *Populus contritus erigere vires Principis non potest,*

aut non vult. Et: *Si ex inimitus fueris Princeps, nihil est, quod pecuniæ valeat imperare.* Apud inferiores quoque Judices multùm periclitatur justitia, si pauperes necessitate fuerint, & cupiditate affectaverint divitias, nam ut eleganter dixit Ambrosius super epist. Pauli: *Sicut divitiæ negligentiam parunt salutis, ita egestas dum salutari quærit, à Justitia destinat.* Christianissimè proinde dixit olim Cicero lib. 4. Rhetor. *Duo sunt, quæ possunt, ad turpia compendia commovere, inopia subdolos & avaritia,* ita ut Aristoteles lib. 2. Eth. planè dicat: *Impossibile est indigentem operari bona;* atque Juvenalis pulchrè cecinit:

Haud raro emergunt quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Unde etiam Municipale jus Pragen. Litt. B. 6. *Paupertas inimica bonis moribus*, id est, qui ex natura & necessitate tales sunt, qui verò DEI amore sua omnia reliquerunt, & voluntariè pauperes sunt effecti, deprædicantur à Christo, qui *pauperes sunt Spiritu*, Matth. 5. & Jacob. 2. quia *pauperes elegit DEus*, & Salomon Prov. 19. *Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quàm dives torquens labia sua, & insipiens.* Talium est enim regnum cœlorum. Quod etiam Ethici antiqui cognoverunt, nam Secundus Philosophus olim dixit: *Paupertas edibile bonum, sanitatis mater, Sapientiæ inventrix, absque sollicitudine felicitas.* & Apulcius in Apolog. 1. *Paupertas olim Philosophiæ vernacula fuit*, nam ut bene notavit Valer. Max. lib. 4. c. 4. licèt sit *paupertatis horridior aspectus* tamen *solidi & certis bonis abundat*, & apud tales pauperes inexpugnabilis Justitia fortitur forcalitium, à quo frequenter per divitias ejicitur, imò omnis virtus ab animo expellitur; quod bene advertit, & docuit nobilissima Romana fœmina, Cornelia Gracchorum mater ad eos sic scribens: Mala præclara liberis vitæ agendæ documenta, quàm interitûs instrumenta, divitias relinquere. Non sum dives, neque ut divitiis affluerem laboravi, hac impulsa ratione, quòd multos vidi civium nobilium filios flagitiosam Romæ vitam agere, hanc unam ob causam, quòd cùm defixos tantùm haberent oculos in hæreditatem à majoribus obventuram, immissis habenis ad vitia præcipites ferebantur. Ratissimè enim præclara solent patrare facinora, quibus à pueris luculenta obvenêre patrimonia. Quod cùm ita sit, ut revera est, non me invigilaturam, sicut alii pervigilant, cogendis pecuniis (thesaurisque) dico: Sed si quas haberem pecunias, in ignem potius illas conjicerem, quàm vobis darem. Malo enim filios meos pauperes & virtute præstantes in Africa, quàm divites & vitiis coopertos Romæ agere. Sed redeamus ad Justitiam, de qua sit

5. Paupertas est laudabilis.

ETHI-

ETHICÆ SACRÆ

APHORISMUS X.

Confirma verbum, & fideliter age cum proximo. Eccleſ. 29. v. 3.

De fidelitate in ſervandis Contractibus.

SYMBOLUM.

Et mutuis Auxilÿs conſtant omnia. *Sarisb. epiſt.*

Manus manum, digitumque digitus abluit.
Et mutuis auxiliis conſtant omnia.

Verſ. Jamb. Sarisber. Ep. 81.

Declaratio Aphorismi & Symboli.

1. Terra una non fert omnia

ORbis terrarum ita ſuaviter & fortiter à divina Sapientia & Providentia diſpoſitus, ut diverſæ Regiones, Provinciæ, & Regna pluribus diverſisque abundent rebus ad vitam hominis debitè ſuſtentandam, non tamen omnibus juxta illud Poëtæ

Non omnis fert omnia tellus

Omnia tamen ſubjecit ſub pedibus hominis Deus, ſive in piſcibus maris, volatilibus cœli, & animantibus terræ, quibus uti poſſet, ſi vellet, adeoque indicare nobis dignata eſt DEI Bonitas, converſationem, communionemque ad iſta habenda cum hominibus eſſe neceſſariam, unde Plato dicit, hominem eſſe *animal civile*, & Ariſtoteles, *animal ſociabile*, quod Nazianzenus gratioſo expreſſit ſymbolo vitis, & ulmi, nam licèt ulmus ex ſe ſit arbor ſterilis, ſubſervit tamen viti, cui ſi allegata fuerit, maturos poterit producere fructus, ejusq; foveri umbrâ, ſin verò ſeparata, ſterileſcit, de quo ſequentem poſuit verſum

Stratus humi abſentem palmes ſterileſcit ad ulmum
Indiget alterius quilibet auxilio.

Bene itaque unum Lemma ſymbolo ſubſcri-

ſcriptum ait: *Mutuis auxiliis omnia conſtare*, profectò enim ſtatim in nihilum redigeremur omnes, ſi quis opem mutuam, ſocietatem, contractus omnes, conventiones, commutationes, & mutua pacta è medio tolleret, nec poſſet aliquis commodè vivere, qui ſeſe tantùm intueretur, omniaque ſua ad propriam ſolam converteret utilitatem, imò nec poſſet quis rectè ſua gerere negotia, ſi ab aliis ſe diſſocier, præclarè proinde Plato ſcripſit: *Nos non nobis ſolum nati ſumus, ortusque noſtri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici.* Et Stoici docebant, omnia quæ in terris gignuntur, ad uſum hominis creari, homines autem hominum cauſâ eſſe creatos, ut ipſi inter ſe alii aliis prodeſſe poſſint. Quàm familiarem ſocietatis & communionis humanæ viciſſitudinem eleganter in rebus ad ſalutem pertinentibus adſtruit S. Chryſoſtomus hom. 79. in Matth. dicens: ſi in rebus ſæcularibus nemo ſibi vivit ſolus, ſicut opifex, miles, agricola, mercator ad communem uſum proximi omnia conferunt; multò magis in ſpiritualibus hoc faciendum; Hæc enim maximè vita eſt, aliis prodeſſe: nam qui ſibi vivit cæteros negligens, & vita ejus ſupervacua eſt, & ipſe ſuperfluus homo generis noſtri. Ideo quoque ratione & oratione DEus ornavit mentem & ingenium conceſſit, manus, pedes & vires corporis dedit, ut his omnibus nos & proximum juvemus. Sicut igitur vitis ulmo eget ad ſuſtentationem, ſic homo alterius hominis ſocietate, communione & familiaritate, non enim tantùm mutuis auxiliis conſtant omnia, ſed etiam dicit Ovidius:

2. Commercia hominibus neceſſaria.

Vulgus amicitias utilitate probat.

Porro nulla ſocietas inter homines vera realisque eſſe poteſt, niſi in contractibus ſive nominatis, ſive innominatis, qui ſunt *Do ut des*, prout facit ſol præbendo lucem lunæ, ut eam communicet terræ: *Do ut facias*, ſicut Genius ligat vitem ad ulmum, aut rigat arborem, ut faciat fructus in tempore ſuo; ſive *Facio ut facias*, quemadmodum Genius infundit alteri aquam, ut alter manus ſuas lavet, quæ omnia & Symbolum repræſentat, & Ethicus olim docuit, Eccleſ. 14. *Da & accipe, & juſtifica animam tuam*, quo ultimo inſinuat fidelitatem in contractibus ſervandam, niſi enim in contractibus fides ſervetur nulla quieta ſocietas; quare ſicut ſacra ſcriptura per manuum junctarum ſymbolum operationes, omnesque actiones humanas exprimit, eò quòd manus ſit *organum organorum*, ita olim apud Ægyptios uſitatè pro fidelitatis & ſyncerit atis ſigno in contractibus & quibuscunque conventionibus ad converſationem & communicationem bonorum temporalium neceſſariis, & potiſſimùm apud Germanos accipiuntur, quod etiam Plinius lib. 11. Natural. hiſtor. c. 44. docet hac epigraphe *Dextra in fide porrigitur*: appoſitè proinde Seneca dixit epiſt. 88. *fides ſanctiſſimum humani pectoris bonum eſt, nulla neceſſitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio, ure*, inquit, *cade, occide, non perdam*; ſcelestiſſima proinde eſt doctrina Machiavelliſtarum, nulli fidem ſervandam in pactis, niſi in quantum utilitas propria & ratio ſtatus ſuaſerit, quod Parthos olim feciſſe narrat Florus, lib. 2. cap. 6. hic enim *fides dictis promiſſisq; nulla, niſi quatenus expediebat.* Juſtiores in hoc paſſu fuerunt Romani, quibus ſemper in pactis & conventionibus & fœderibus ſumma fuit Religio, ut habet Tacitus lib. 4. cap. 58. unde verſus Virgilii lib. 3. Æneid.

3. Fides in contractibus ſervanda.

Dat dextram atque animam præſenti pignore firmat.

Pulchrum exemplum hujus fidelitatis refert Pierius lib. 35. cap. 25. Quod Cannenſi clade accepta, cum Hannibal quibusdam captivis redimendi ſe poteſtatem feciſſet, fide ab eis accepta redeundi, niſi res confici poſſet, ea quam propoſuerat conditione, doloſè illi unius diei iter progeſſi, ſimulato negotio in caſtra hoſtica redierunt: inde quaſi ſacramento ſoluti, tanquam liberi eſſent, ſecuri confidentesque Romam ſe contulerunt. Indignatus Hannibal, dum eos ſibi dedi poſtularet, ipſe etiam S. P. Q. R. factum ægerrimè tulerunt, neque ullis civium ſuorum precibus aut lacrymis vinci potuerunt, quin publicè ad Hannibalem remitterentur. Verùm ad pacificam communionem in humana ſocietate non ſufficit ſervare fidem in fœderibus & contractibus, ſed etiam illa omnia absque dolo, fraude, metu, aliisque inventionibus immunia eſſe deberent lotio manuum figurat, prout Symbolum exprimit, nam ut ſuprà dixi, & habet etiam Euthimius, Per manus actiones, operationesque ſignificantur, eò quòd per eas opera fieri ſoleant; ut autem in actionibus oſtendatur puritas, abſentia omnis fuci, ſordidi doli, ut pulveroſæ fraudis, manus lotæ eſſe debent, unde antiqui, teſte Heſiodo, ut conteſtarentur ſe ab omni dolo, fraude, & ſcelere puros eſſe manus lavabant, quod ex ſacra pagina deſumpſerunt Gentiles, nam Deuteron. 21. præcipitur: *Quando inventum fuerit in terra, quam Dominus DEus tuus daturus eſt tibi, hominis cadaver occiſi, & ignorabitur cædis reus . . . Et venient majores natu civitatis illius ad interfectum, lavabuntque manus ſuas ſuper vitu-*

4. Manuum lotio puram fidem ſignificat.

vitulam, quæ in valle percuſſa eſt, & dicent : manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc, nec oculi viderunt; quod impium Pilatum quoque imitatum feciſſe Evangeliſta Matthæus teſtatur. Imò manus duæ ſe invicem lavantes ipſosmet contractus *do ut des, facio ut facias*, ſignificabant, unde Epicharmes Comicus, ut Socrates apud Platonem commemorat, eum in proverbiis habuiſſe verſum:

Ne manus manum fricabit
Da quid, auferes quid.

Quod alii ſic verterunt, ut eſt mea inſcriptio infra Symbolum impreſſa,

Manus manum, digiti interim digitos lavant.

Sapienter idcirco monet Eccleſiaſt. cap. 11. *Non omnem hominem inducas in domum tuam; multæ enim ſunt inſidiæ doloſi*, id eſt, in negotiis tuis pertractandis non habeas commercium cùm doloſis, hi enim manus non habent lotas, opera & conſcientias puras, fideles, & conſtantes, quod egregia comprobat ſimilitudine: *Sicut enim eructant præcordia fœtentium* abſurdos vapores & anhelitus, *ſic & cor ſuperborum* injurioſa, injuſta, & maledica dicta, falſaque facta, ac proinde bene applicatur talibus illud Job. 20. *Panis ejus in utero illius vertetur in ſel aſpidum intrinſecus.* Quem Nicetas ſic explicat: *Ut aſpis imbuta veneno à ventre illud evomit, quando ei libuerit, ſic etiam hoc genus hominum ex meditato fallendi artificio, malo ac fraudi ſunt cæteris.* Elegantèr de talibus dixerunt Ægyptii, eos fovere ſocietatem leoniam aut vulpinam. Caveat igitur quilibet fidelis Chriſtianus in contractibus ſuis uti fraude & dolo, ſed quod dictum eſt *confirmet verbum, & fideliter agat cum proximo ſuo*, tunc levare poterunt puras manus ſine ira & diſceptatione ad DEUM. Ut autem ſciat Ethicus quæ puritas & fidelitas in contractibus ſervanda ſit, ſequitur

DISPUTATIO V.

De

Juſtitia in celebrandis contractibus in genere.

NUllibi Juſtitiæ ſplendor, & Juris æquitas magis relucet, quàm in contractibus debitè celebratis, & ritè obſervatis, quoniam Ariſtotel. 5. Ethic. doctrinâ *conſervatur Reſpublica commutatione & contractibus*, nam ut bene dixit Cicero Lib. 3. Officiorum: *Tollendum eſt in rebus contrahendis omne mendacium.* Quid igitur felicius poteſt eſſe in communitate aliqua, ſi omne mendacium, fraus, & dolus exulet, maximè in iis, quæ in uſu hominum ſunt frequentiſſima, prout eſſe contractus conſtat, quia vix aquâ, vix igne (quibus tamen nihil eſt crebrius) utimur ſæpius, quàm contractibus, vix enim dies peragitur, qua non petatur mutuum & accipiatur, qua res non commodentur, deponantur, oppignorentur, qua res non vendatur, locetur, conducatur, ſocietas ineatur, alteri quid gerendum non committatur, & ſi quæ ſunt alia contractuum genera non exerceantur, ex quibus obligationes diverſæ originantur, ut habetur *L. 5. Cod. de O & A §. 2.* & *Inſtit. de oblig.* ac proinde hic labor, hoc opus Juſtitiæ eſt, ut ſuum cuique reddatur, ſed pariter hæc moles & materia in ſcholis eſt intricata, & cognitu difficilis; unde ad cognoſcendum, quomodo juſtè contractus celebrari poſſint, quomodo obſervari debeant, nè Juſtitia lædatur, hîc laborandum erit. Ego ut Ethicus Chriſtianus vel ex methodo claritatem aliquam conſequatur, & ad legendum facilitatem nanciſcatur, per plures diſputationes hanc partiar materiam, & primò agam de contractibus in genere; Secundò in ſpecie de iis, quæ rebus perficiuntur; tertiò quæ verbis, ſcriptis, aut conſenſu ſuam habent ſubſiſtentiam, ſit igitur

Quæſtio I.

Quid & quotuplex ſit Contractus?

CUjuslibet rei examen ſuſcipiendum eſt ex mente Ciceronis libro 1. Officiorum ab ethymologia & definitione. Contractus igitur ſecundùm ethymon & Scotum in 4. diſt. 15. quæſt. 5. eſt quaſi *ſimul tractus.* In Jure autem multipliciter ſumitur Primò latiſſimè, prout ſignificat omnem actum, ex quo oritur obligatio *L. Omnem 20. ff. de Judi.* ita ut etiam delicta & quaſi

1. Contractus variè ſumitur.

delicta comprehendat, hinc crimina dicuntur contrahi *L. 3. ff. de fide Instrumentorum*, sicut etiam aliquando Cicero ad Quint. frat dixit. *Ea molestissime homines ferre debent, quæ sua culpa contracta sunt*, id est, suo vitio seu peccato commissa. Similiter dicitur etiam æs alienum contrahi, quando aliquis indebitatur, prout idem Cicero lib. 1. ad Quintil. frat. *Constare inter omnes video, abs te summam adhiberi diligentiam, nullum æs alienum novum contrahi Civitatibus &* L. 13. *Cod. de omni agro deserto* &c. Secundò latiùs sumitur in jure pro omni Conventione sive actionem pariat sive non. L. 1. §. 3. *ff. de Pactis.* Tertiò accipitur latè, pro quasi contractu *Institut. de Reg. Jur. qua quasi ex contractu*, &c. *L. 16. ff. de negat. gest.* Quartò strictè & prout est ad propositum, prout contrahere significat pacisci, & conventionem facere cum altero, ex qua unus alteri, & vicissim obligetur, seu quæ ex se se obligationem inducit *L. 19. ff. de V. S.* & in hac acceptione potest dupliciter considerari: *à Priori* scilicet, & *à Posteriori*. A *Priori* tunc consideratur, quando accipitur pro causâ & ratione formali; tanquam signum practicum, quod natum est inducere obligationem. A *Posteriori* verò, quando accipitur pro effectu subsecuto & inducto ex formali contractu, & duorum in idem beneplacitum consensu, quem Græci vocant *Synallagma*, id est, *ultro citroque obligatio*, Secundùm quas considerationes etiam diversæ traduntur definitiones, ego non intendo immorari in significatione vocum, sed

2. Contract. formalis describitur

Dico 1. *Contractus à priori, & formaliter bene describitur, quòd sit reciprocus consensus duorum, vel plurium in idem placitum sensibili signo expressus, obligationem utrimque pariens.* Probatur explicando: dicitur *Consensus*, quod habet locum, & rationem generis, quia etiam in promissionibus & liberalibus donationibus consensus est. Dicitur *Reciprocus*, quia ad contractum non sufficit consensus unus, sed etiam requiritur in altera comparte, per quod excluditur promissio nondum acceptata, quæ non obligat ante acceptationem promissarii; Deinde reciprocus esse debet, quia nemo in seipsum propriè justitiam exercere dicitur: Ponitur ulterius *Duorum, vel plurium*, cùm enim contractus sit actus justitiæ commutativæ ad minimum inter duos versari debet. Dicitur *signo sensibili expressus*, quia homo non potest se alteri obligare nisi per actus humanos, humani autè defacto pro hoc statu non sunt, nisi fiant per signa sensibilia, unde etiam Christus omnia sacramenta in signis sensibilibus instituit. Dicitur, *Ultrò citroque*, ad differentiam promissionis etiam acceptatæ, quia licèt promissarius acceptet promissionem in ipso tamen nulla oritur obligatio, sed solùm in promittente, in contractu vero utrimque est obligatio. hinc

3. Synallagma quid est.

DICO 2. *Contractus à posteriori, & ab effectu cum Ulpiano bene describitur, quòd sit ultro citroque obligatio.* Ita ipse *L. Labeo ff. de V. S. & patet ex dictis, & ex voce Græca Synallagma* supra allegata.

Quoad alteram partem quæstionis tanta est (sine necessitate) Doctorum diversitas, ut Faber dicat, non posse certum eorum numerum assignari, alii ultra triginta assignant species, alii septem tantùm. Ego ut omnes comprehendam, ad quatuor classes eos reducam, idque non ex ipsorum contractuum intrinseca entitate, sed ex modo quo perficiuntur, ut tamen non ignorentur aliorum divisiones, refero plures ex Bonacinna, Itaque Contractus alius est *Onerosus*, alius *Lucrativus*, & *Gratuitus*: *Onerosus* est, qui fit cum onere ex utraque parte, ut evenit in venditione & Emptione, nam venditor mercem, emptor numismata dare debet. Contractus *Lucrativus & Gratuitus*, quo aliquid promittitur vel traditur absque onere, vel pretio, aut mercede, qualis est *Commodatum*, quo gratis conceditur usus rei, *mutuum, Precarium, Depositum, Testamentum &c. Mutuum* fit tantùm in gratiam recipientis: similiter *Precarium & Testamentum*: *Depositum* verò in gratiam deponentis, seu tradentis, depositarius autem nihil habet utilitas inde.

4. Contract. onerosus & lucrativus.

Secundò Contractus famosiùs dividitur in *Nominatum*, & *in Innominatum*. *Contractus nominatus* est, qui habet proprium nomen, ut omnes paulò enumerati, & plures alii. *Innominatus* dicitur ille, qui proprio nomine caret, & habet tantùm nomen genericum conventionis, seu contractus, & consensûs duorum, ex *L. 1. in princip. ff. de præscript. verb.* Ejus autem sunt quatuor species, ut habetur L. *naturalis ff. eodem.* Prima: *Do, ut des*, ut si Cajo dares vinum, ut tibi daret panem, tunc enim non intercederet emptio, quia panis non daretur pro vino, ut pretium, & hinc est, quòd permutatio non dicatur contractus nominatus, sed innominatus, de qua infrà. Secunda: *Do, ut facias* ut si des Titio panem, ut pro te laboret. Tertia *Facio, ut des*, ut si laborares pro Titio, ut tibi det panem. Quarta *Facio, ut facias*, ut si Titio servires, ut ille te doceret litteras &c. Et universaliter dicuntur omnes illi contractus innominati, de quibus dubitatur, an pertineant

5. Contract. Nominatus & Innominatus

ad

ad contractus nominatos, *L. 1. ff. De æstimatoria actione.*

6. Contractus bonæ fidei à stricti Juris. Tertiò: Contractus alius dicitur *Bonæ fidei*, & alius *Stricti Juris*: *Contractus bonæ fidei* appellantur illi, in quibus Judex ex æquo & bono judicat, non ex rigore Legis, & Juris præscripti, quales contractus sunt: *Emptio, Venditio, Conductio, Pignus, Commodatum, Locatio, Societas, Depositum, Permutatio*, & alii, qui recensentur, *lib. 4. Instit. tit. 6. §. Actionum. Contractus stricti Juris* dicuntur illi, de quibus Judex judicat ex rigore legis & Pactionis, adstrictus ad verba, qualis videtur esse contractus *Promissio liberalis, Donatio, Contractus feudalis, Assecuratio* &c.

Contractus nudus & vestitus. Quartò: dividitur contractus in *nudum*, & *Vestitum*: *Nudus* est ille, qui consistit in sola conventione, qualis est contractus innominatus, diciturque nudus ex eo, quòd ejus naturalis vis obligandi civili Jure confirmata non sit, ita ut in foro externo actionem non pariat, sed tantùm exceptionem, ut constat *L. Juris Gentium §. sed cum nulla. ff. de pactis & L. 1. Cde Pact. Convent.* Quare autem in his contractibus non detur actio tres assignantur rationes: Primò, ne nimium coërtingeretur oris libertas: Secundò, quia videntur emissa verba leviter citra animum se se graviter obligandi. Tertiò, ne Respublica nimium turbetur litibus, quod contingeret, si ex quolibet contractu darentur actiones: ita quòd nec Jure canonico actio nudis contractibus concedatur, quia hic etiam locum habet *cap. 1. de novi op. Nunt. Sacri Canones non denegantur Constitutiones Principum amplecti, & sequt.* Nec obstat *Cap. 1. de pactis*, docens: Pacta esse custodienda, quia intelligitur ex præscripto Juris & Legum nec *cap. 3. eodem tit.* admonens studiosè esse agendum, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur, quia hoc longè aliud est, quàm dicere, quòd actio concedatur. Hodierno tamen tempore ex Andlero docet Schambogen, etiam ex nudo, & simplici contractu dari actionem, Pactis enim eadem vis tribuitur, quæ stipulationi, ut res ad illarum Juris Gentium videatur rediisse; Per quod patet etiam nudos contractus obligare in conscientia. *Contractus vestitus* est ille, qui firmatus est vel ipsa rei traditione, vel verbis cum forma stipulationis: vel scripturâ qua recognoscit aliquis sibi esse satisfactum: vel Juramento & nominato contractu. Tandem ad meum propositum

1. Contractus quatuor modis perficiuntur. DICO 2. *Modi perficitivi contractuum sunt quatuor, seu quatuor sunt Species ex modo quo contractus omnes perficiuntur.* Ita Rebellus, Lessius, Turrianus, Bonacina &c. & Patet de se, solumque explicatione indiget. Nam Contractus imprimis perficiuntur *Re* ut Commodatum, Pignus, Donatio, Mutuum &c. qui perfecti non censentur ante rei traditionem, sed ipsa traditione fiunt. Deinde perficiuntur verbis, ut evenit in stipulatione, ad quam requiritur certa verborum forma, *Instit. lib. 3. de V. Obl.* Tertiò perficiuntur Scripturâ authenticâ ex dispositione juris, vel conventione partium. Et Quartò tandem mutuo utriusque consensu hinc & inde debitè explicato, ut in Venditione, Matrimonio &c.

Quæstio II.

Qui Contractus celebrare possint?

1. Contrahere quinam possint. IN personis quæ Contractus celebrare possunt tria potissimum sunt consideranda: Primò, ut sint habiles. Secundò, ut adsit voluntas consensum declarans. Tertiò, Potestas ut contractus secundùm Legis dispositionem, tam quoad materiam, quàm quoad formam fiat. De Primo agam in hac quæstione, de duobus posterioribus insequenti, unde

DICO 1. *Omnes homines contrahere, & contractus celebrare possunt, qui sunt rerum suarum Domini, & Administratores.* Ita habet *L. 21. Cod. Mandati*, neque solùm masculi sed etiam fœminæ. *L. 2. §. 1. L. 12. L. 22. ff. Ad S. Consult. Velleianum*, siquidem hoc Sen. Consultum tantùm prohibet intervenire pro aliis, non verò contrahere in suam utilitatem, ita ut etiam Contractus inter Uxorem & Maritum initus teneat, si non sapiat donationem. *L. 5. §. 5. L. 31. L. 32. ff. De Donatione inter Virum & Uxorem.* Ratio Conclusionis est. Quia administratio magna ex parte consistit in Contractibus, unde qui eam habent, possunt contrahere, qui verò ea carent, non possunt, nisi cum consensu eorum, quibus subsunt. Hinc

2. Contrahere non valentes recensentur. Infertur 1. Prodigos, quibus à Magistratu interdicta est administratio bonorum suorum, & causâ cognitâ, datus est Curator non sunt habiles ad contrahendum, quia Lex Civilis reprobat talem Contractum, *L. 13. cui bonis. ff. de Verb. Oblig.*

Infertur 2. Furiosum & Amentem eodem modo esse inhabilem ad contrahendum, nisi haberet lucida intervalla, tunc enim Contractus initi illo tempore valent,

valent. L. *Cum furioſus ff. de Judiciis.* Et ratio etiam eſt. Quia cùm Contractus ſit actus humanus, debet humano modo fieri, at qui non habet uſum rationis non poteſt humano modo operari, ergo.

Infertur 3. Infantes, id eſt minores ſeptimo, vel proximos infantiæ, ut minores decennio eſſe inhabiles ad contrahendum, quia tales comparantur cum non habentibus uſum rationis. *Inſtit. de inutil. ſtipulat. §. Pupillus.*

1. Pupillus & Minor qui ſint.

Sed ut ad particularia deſcendam, præſertim ad Minores, pupillos, & filios familias, de quibus præcipua eſt difficultas, Notandum *Minorem* dici eum qui non complevit 25. annos, intra quod tempus triplex ſtatus in eo diſtingvitur. Primus eſt Infantiæ, ſcilicet usque ad ſeptimum annum; Secundus ſtatus eſt Pubertati proximus, qui in mare incipit à decimo & dimidio anno usque ad decimum quartum completum, in fœmina verò à nono cum dimidio usque ad duodecimum completum. Tertius ſtatus eſt *Pubertatis*, qui in mare incipit à decimo quarto, & durat Jure communi usque ad 25. & tunc propriè dicuntur Minores & Puberes, & deinceps Majores, & qui eorum curam gerunt, dicuntur Curatores, in primo autem & ſecundo ſtatu conſtituti vocantur Pupilli, & qui eorum curam habent Tutores appellantur, nunc

2. Minores qua ratione contrahere poſſunt.

DICO 2. Minores in ſecundo aut tertio ſtatu conſtituti, & pupilli pubertati proximi ſinè authoritate Tutorum aut Curatorum poſſunt contrahere in ſuum commodum non tamen in damnum, vel incommodum. Eſt communis ex Inſtit. de authoritate Tutorum, ubi habetur, Placuit meliorem quidem ſuam conditionem pupillum facere poſſe ſinè authoritate Tutoris. Ratio eſt, quia ſic jura ſtatuerunt in favorem illius ætatis, L. Non eo minus. ff. de Procuratore, ubi habetur, Ut minoribus ætas in damnum ſubveniret, & in proſperè geſtis non obeſſet.

3. Pupilli & Minores cum licentia Tutorum validè contrahunt.

DICO 3. *Minores & Pupilli cum authoritate Curatorum vel Tutorum validè contrahere poſſunt in quibuscunque aliis caſibus.* Probatur ex omnibus Legibus prohibentibus eos contrahere, in quibus ſemper additur non poſſe ſinè authoritate Curatoris vel Tutoris; ergo ſi cum ea contrahunt validè contrahunt. Hinc minor aut pupillus contrahens in ſuum damnum ſinè authoritate Curatoris non obligatur civiliter ad ſtandum contractui, ut patet per Leges adductas, quæ tantùm excipiunt 1, Niſi talis contractum juramento confirmet, tunc enim etiam civiliter obligatur ex *authent. Sacramenta Puberum, Cod. ſi adv. ſua Vendit.* Excipiunt 2. Niſi inde factus eſſet ditior ex re aliena, quia locupletari non debet quis cum alterius detrimento & jactura ex Reg. 48. Juris in 6. Excipiunt 3. Niſi res ei tradita, dolo ipſius pereat, tunc enim tenetur reſtituere, *L. 1. §. Ait pupillum.* Quartò excipiunt niſi Religionem ingrediatur & bona ſua diſtribuat, id enim ſibi licet, ſinè & contra Voluntatem Curatoris, Ex *Cap. De lais, X. De ſepulturis.*

Quæres, An licèt minor vel pupillus ſine authoritate Tutoris contrahens non obligetur civiliter, an tamen obligetur in conſcientia ad ſtandum Contractui? Reſpond. Probabilius eſſe eos in conſcientia obligari, quamvis poſſint illam obligationem tollere beneficio reſtitutionis in integrum. Ita plures Juriſtæ apud Sanchez *lib. 6. de Matrim. diſp. 38.* Navarr. *Conſilio 39. de Sponſalibus.*

4. Filii familias poſſunt etiam contrahere

DICO 4. *Filii familiæ de bonis Caſtrenſibus, vel quaſi Caſtrenſibus, & univerſaliter de omnibus quorum adminiſtrationem habent ſive emancipati ſint, ſive non poſſunt contrahere.* Ita ſtatuunt Jura, & eſt communis Doctorum ſenſus, limitatur tamen Concluſio, quoad bona adventitia & profectitia, in quibus ad contrahendum debent Patris conſenſum requirere, & Legum ordinatione, à qua tamen limitatione excipiuntur ſequentes caſus: Primò ſi Pater relinquat filiofamilias uſum fructum vel adminiſtrationem talium bonorum. Secundò, ſi Pater longè abſit: Tertiò, ſi Pater exponat filium familias ad negotiandum circa iſta bona, in his enim caſibus validè poſſunt contrahere, quia Pater cenſetur conſentire.

Quæres 2. Quisnam ſit finis Contractuum? Reſpond. Eſſe primò ut ſuccurratur hominum indigentiæ, ex *L. 1. ff. de Contrah. Empt.* Secundò eſt ut Reſpublica conſervetur, quæ ſinè commerciis & Contractibus diu non ſubſiſtit, unde Ariſtoteles 5. Eth. dicit *Conſervatur Reſpublica commutatione & Contractibus.*

7. Finis Contractuum.

Quæres 3. Quis ſit effectus Contractuum? Reſpond. Eſſe quòd pariat obligationem civilem & ad agendum efficacem. *L. 5. Cod. de O. & A. Inſtit. de obligat. L. 15. ff. de V. S.* unde obligatio eſt perpetuus comes Contractûs, ita ut poſito Contractu, neceſſariò ponatur obligatio, & ſublata obligatione etiam contractus ſublatus eſſe cenſeatur. Differunt tamen Contractus & Obligatio tan-

8. Contractus pariunt obligationem civilem.

Digitized by Google

tanquam causa & effectus, ut in priori quæstione dixi, cùm Obligatio sit juris §. 2. *Instit. de Obligat.* Contractus verò facti L. 7. §. *final. De Curat. furios,* Ubi ulteriùs Notandum Obligationem ex contractu ortam habere iterum alium effectum, nempe quòd pariat actionem, L. 7. §. 1. & 2. *ff. de Pactis Instit. de Act.* atque ita Actionum causa remota sunt Contractus, proxima verò obligationes. Et hujusmodi actio ex contractu descendens datur in hæredibus, & contra hæredes *L. 13. Cod. de Contra. Stipulat.* Respond. 2. Quemlibet Contractum legitimè factum obligationem quoque moralem in conscientia inducere per se loquendo: Et ratio est, quia quilibet tenetur jure naturali præstare quod promisit altero acceptante, sed in omni Contractu valido est aliqua promissio ex una parte & acceptatio ex altera, nimirum mutuus consensus voluntatum in idem. Dixi tamen regulariter loquendo, quia Lex justa Civilis & Ecclesiastica potest quandoque ob bonum publicum privatos validos contractus irritare.

9. Obligationis effectus.

Quæstio III.

De Materia, forma, & consensu ad Contractus necessario.

1. Consensus tripliciter potest deficere.

PEr Materiam hic intelligo rem ipsam de qua fit Contractus, v.g. ut sit propria & non aliena, ut sit pretio æstimabilis ratione alicujus utilitatis vel voluptatis. Per formam intelligo solemnitatem & conditiones à jure requisitas. Consensus denique est ipse actus voluntatis, quo contrahentes utrinque se intendunt obligare. Ubi

Notandum Defectum consensûs in contrahentibus tripliciter contingere posse, primò ex dolo vel errore circa substantiam, aut circa impedimentum dirimens contractum. Secundò ex fictione, ut si quis simularet exterius consentire, interius tamen haberet contrariam voluntatem. Tertiò ex metu, de quo sicut & de dolo & errore in sequenti quæstione agam. Et undecunque proveniat defectus ille, hic iterum potest contingere, ut sit in uno tantùm vel in utroque ex contrahentibus. Hoc præmisso

2. Contractus debet esse de re propria.

DICO 1. *Ut Contractus sint validi debent esse de re propria, non aliena, & pretio æstimabili.* Ita Doctor in 4. dist. 15. q. 2. Et Probatur, quia aliena res nunquam validè in aliam transfertur. Deinde, quia Contractus fundatur in mutua jurium translatione, maximè onerosus, ergo res quæ transfertur debet esse vel ob utilitatem, vel ob voluptatem pretio æstimabilis.

3. Contract. non debet esse ob turpem causam vel finem.

DICO 2. *Ut Contractus sint validi de jure naturæ, requiritur ut non sint ob turpem causam vel finem initum, ita ut qui sunt de opere pravo ante impletionem sint nulli.* Ita Navarrus, Medina & alii, Probatur. Quia nemo potest ad peccandum obligari, sed quoties involvitur opus pravum peccatum est, ergo non potest obligari; unde Contractus de homicidio faciendo &c. nullus est. Dixi tamen *jure naturæ*, quia jure civili pro opere meretricio conceditur actio contra fornicarium *L. 4. ff. de Condict. ob turp. Caus.* ubi statutum est, quod meretrici datur repeti non posse, quia licèt illa turpiter faciat, quòd sit meretrix, non tamen turpiter accipit cùm sit meretrix. Pro reliquis verò operibus pravis probabilius est, nulli pretium esse reddendum, sed in conscientia retineri posse ab eo, in quo, impleto opere reperitur; unde si apud promittentem reperitur non tenetur dare operanti, si apud operantem non tenetur restituere promittenti, ut colligitur ex *L. si. ob turp. causam.*

4. Contract. debet esse conformis Legi.

DICO 3. *Ut Contractus sint validi, non debent esse Lege prohibiti, sed iisdem conformes alioquin sunt nulli.* Est communis apud Navarrum, & Probatur Ex L. *Non dubium Cod. de Legibus,* ubi dicitur *Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos volumus sui secutum, qui contrahunt*, Lege *contrahere prohibente*, & L. *Generaliter ff. de Verb. Oblig.* dicitur, *Generaliter novimus turpes stipulationes esse nullius momenti.* Ratio etiam est. Quia sicut ipsi Contrahentes possunt contractibus suis apponere aliquas conditiones quibus deficientibus contractus sint nulli, ita potest etiam Magistratus tam Politicus quam Ecclesiasticus ordinare & constituere, ut contractus, qui sunt contra Legem, vel non observant debitas solemnitates sint irriti & nulli, ut patet in Matrimonio, & Confirmatur; Quia bonum publicum id frequenter exigit, & ipsi contrahentes rationabiliter sunt, & debent esse consentientes, ergo.

5. Consensus requiritur ad valorem Contract.

Dico 4. *Ut Contractus propriè dicti sint validi debent esse utrinque Promissorii id est cum vero consensu & animo obligandi ad leges celebrantium contractus, & debent esse signo externo aliquo expressi.* Est communis. Probatur prima pars. Quia aliter verba externa obligationem non inducunt L. 1. *ff. De Pactis.* Et simulatio consensûs jure quoque naturæ contractum irritat; nam consensus simulatus non est consensus, qui enim consensum simulat, verè non consentit, sed Consensum fingit. Hinc taliter fingens tenetur postmodum liberum con-

Digitized by Google

ſenſum internum format, & hoc ſufficit, quia ſupponuntur reliqua omnia eſſentialia eſſe poſita. Probatur ſecunda pars. Quia ſinè ſigno externo non ſunt ſufficienter humani ad obligandum ultrò citroque.

6. Ratificatio conſenſûs quomodo fiat.

DICO 5. *Si defectus conſenſûs ſit in uno tantùm, non requiritur quòd uterque de novo conſentiat, ſed ſat eſt, ſi ille qui à principio non conſenſit, de novo conſentiat, ut contractus ſit validus.* Eſt communis & colligitur ex Scoto in 4. diſt. 29. quæſt. 1. num. 6. ubi ait: Fictè contrahentem teneri per verum conſenſum tollere fictionem, verè conſentiendo, ubi Scotus non requirit, quòd qui à principio verè conſenſit, de novo conſentiat. Probatur Concluſio. Tum, Quia Contractus ratificatur ſupplendo totum illud in quo defecit, ſed in propoſito per unius conſenſum defecit tantùm Contractus, ergo per illius tantùm conſenſum ſuperadditum ſuppletur totus defectus Tum, quia conſenſus alterius à principio validus fuit, manetque ſemper validus usque dum retractetur, ergo accedente alterius conſenſu habetur mutuus conſenſus, & per conſequens completur contractus. Sed in contra ſic

Arguitur. Ille contractus à principio fuit nullus, ergo de novo non poteſt eſſe validus, niſi de novo concurrat utriusque conſenſus, cùm absque mutuo conſenſu, nullus contractus ſit validus. Reſpond. negando Conſequentiam. Quia hic eſt mutuus conſenſus, quorum unus quidem à principio validus usque nunc continuatus fuit talis, alter autem nunc de novo eſt elicitus, quod ſufficit, nam in Contractibus non refert, quòd unius conſenſus tempore præcedat alterius conſenſum, ut patet de Matrimonio inter abſentes, ſufficit ergo in propoſito quòd ille qui non conſenſit de novo conſentiat, & alter ſuum priorem conſenſum continuet, nam continuatus conſenſus tantùm operatur, quantum de novo elicitus.

7. Conſenſus virtualis & implicitus aliquando ſufficit.

DICO 6. *Contractus à principio irritus ex defectu conſenſûs in utroque, undecunque id proveniat nunquam ratificatur ſinè novo utriusque conſenſu implicito ſaltem*: Ita Scotus in 4. diſt. 35. agens de Matrimonio, & eſt communis apud Sanchez.

Probatur. Prior conſenſus ex parte utriusque fuit irritus & nullus, ergo niſi accedat novus ex parte utriusque nunquam ratificabitur contractus. Nec valet dicere fuiſſe quidem irritum durante impedimento, eo tamen ſublato, non eſſe irritum, quia deinceps fertur in materiam legitimam. Sed Contra. Vel contrahentes ſciunt utrinque impedimentum interceſſiſſe, & jam ceſſaſſe, vel non? Si primum & deinceps continuant uſum contractus, tunc quidem ratificant quia implicitè conſentiunt. Si verò non ſciunt, tunc ſic exercens talem contractum ſublato impedimento quod ignorat, non intendit per tale exercitium tribuere ſibi vel alteri novum aliquod jus, ſed tantùm approbare quaſi, & exercere jus priùs acquiſitum, ergo ſi jus priùs acquiſitum fuit nullum, non ratificatur per tale exercitium præcisè, nec cenſetur virtualiter aut implicitè de novo conſentire, niſi cognito impedimento continuet exercitium ſicut priùs.

Ex his patet primò magnam eſſe differentiam quoad hoc inter contractum irritum ex fictione aut metu, & contractum irritum ex dolo vel occulto impedimento, cùm enim impedimentum fictionis aut metus non procedat ex ignorantia, hinc contractus ex his capitibus irritus cenſetur virtuali & implicito conſenſu ratificari, eo ipſo, quo ſublato metu aut fictione continuat ejus exercitium, quia tunc ſcienter & liberè exercetur nullo interveniente impedimento. Aſt è contra Contractus ex dolo vel occulto impedimento irritus non cenſetur virtuali aut implicito conſenſu ratificari, etſi ſublato dolo vel impedimento exerceatur, niſi inſuper impedimentum ejusque ceſſatio contrahentibus innoteſcat, quia tale exercitium ſubſequens procedit à primo conſenſu, qui ſicut irritus & nullus fuit, ita nec ratificatur contractus per exercitium ejus intuitu ſubſecutum.

Patet 2. Matrimonium à principio irritum ratione occulti impedimenti, utrique conjugi ignoti, non ratificari ſublato impedimento per ſolum ejus uſum, niſi cognito impedimento, ejusque ablatione continuent liberè uſum, intellige hoc quoad Matrimonium in ratione Contractûs, non in ratione Sacramenti, nam ut Sacramentum conficiatur requiritur ex generali regula ut materia & forma ſit præſens actu, & non in habitu tantum, quando per Miniſtros applicantur ad cauſandum effectum Sacramentalem.

Patet 3. Profeſſionem Religioſi invalidam ob defectum aliquem occultum non ratificari poſt ablatum impedimentum, licèt continuet portare habitum, & omnia exercitia religioſa præſtet, aut etiam per hoc quòd profeſſionem ſuam annuè iteret, niſi iſta iteratio fiat cognito impedimento, & in validitate primæ profeſſionis hanc faciat iterationem. Sed in contra

Arguitur 1. Sublato impedimento prior conſenſus fertur in materiam competentem, ergo licèt contrahentes id ignorent, ratificatur tamen contractus, quia valori contractûs nihil officiebat niſi materiæ inhabilitas ratione impedimen-

dimenti. Respond. negando Antec. fertur enim semper in materiam sicut ferebatur in principio, saltèm in æstimatione hominum & contrahentium, & consequenter in materiam, qualis tunc fuit, adeoque in non competentem.

Arguitur 2. Utens re de qua contractum est, nunquam vult uti illa velut aliena, sed velut suâ, quia semper vult licitum ejus usum, ergo eoipsò quò eâ utitur sublato impedimento, vult implicitè esse suam, adeoque implicitè ratificat priorem consensum. Respond. negando Consequentiam; sed solùm supponit esse suam, hæc autem suppositio non est consensus virtualis & implicitus, sed solùm habituale dictamen intellectûs judicantis rem esse suam, quod dictamen fundatur in validitate consensûs prioris, ideoque sicut ille consensus fuit irritus, ita dictamen hoc est falsum, sufficiens tamen ut utens licitè & sinè peccato utatur, quia bona fide utitur.

Quæstio IV.

De Errore, dolo, & metu, qui intervenire possunt in Contractibus, eosque reddere nullos.

1. Cbusula Contractibus inserenda.

IN omnibus Contractibus Politicis à modernis Jurisperitis additur hæc clausula *Bona fide absque fraude & dolo malo*, quod in vernacula nostra lingva sic sonat, Alles getreulich/ ohne Argliſt/und Gefahrde/ quæ clausula est qualitas intrinseca contractibus à Lege & jure positivo indita, unde hæ particulariter hic examinandæ sunt singulæ, pro quo revocanda aut videnda sunt quæ dixi in 4. tract. 9. disp. 3. quæst. 3. & 5. & etiam ea quæ annotavi in superiori disput. de Donatione per metum facta, ne opus sit eandem sæpe proponere cramben, unicum tamen censeo esse

2. Error potest dupliciter contingere.

Prænotandum, Errorem videlicet posse dupliciter contingere, vel *circa substantiam*, ut quando una pro alia supponitur: vel *circa qualitatem*, & illa iterum est duplex, vel est qualitas *corporis*, ut cùm contrahere intendit cum pulchra, Nobili, & virgine, & est deformis, plebeja, & corrupta: vel *Fortunæ*, ut cùm existimatur dives, & est pauper; uterque error, nempe substantiæ & qualitatis, iterum duplex est, unus *Antecedens* & *Concomitans*. *Antecedens* est ille, qui causat contractum, & à Canonistis dicitur, *Dans causam contractui*, ita si ille non adesset, nunquam fieret contractus, ideoque efficit, ut actus ille sit involuntarius, cùm nihil sit volitum, quin præcognitum, v. g. volens contrahere cum Amabilia, & offertur illi Florentia, quam si sciret, non esse Amabiliam, non contraheret cum illa, error est circa personam dans causam contractui. *Error. Concomitans est*, qui non inducit ad volendum, sed ita concomitatur actum, ut, eo non existente, adhuc actus fieret, v. g. quando quis ignorat oblatam esse Florentiam, sed existimat esse Amabiliam, si tamen id agnosceret, adhuc vellet cum illa contrahere, quia dispositus est habitualiter in corde contrahere cum illa, etsi non esset Amabilia. His prænotatis.

3. Error substantiæ invalidat contractũ.

DICO 1. *Quando error vel dolus versatur circa substantiam rei contractus omnino est invalidus.* Hæc est Scoti in 4. dist. 20. quæst. 1. §. Ad istam quæstionem, ubi dicit: *De primo errore patet, quia impedit omnem venditionem, & traditionem rerum. Puta, si ematur aurum, & venditor vendit aurichalcum, ita hic intelligitur, quòd B. det potestatem sui corporis, si alia det, aliàs sit nihil.* Agit ibi de Matrimonio, unde paritatem ducit, sic contractus circa substantiam in venditione & emptione per errorem efficitur nullus, à fortiori nullus erit ex errore in Contractu matrimoniali. Probatur generaliter. Quia omnis contractus est irritus & nullus, in quo non concurrit consensus mutuus in idem objectum, ut patet ex Conclusione 5. Superioris quæst. sed in tali contractu hoc non fit, ut de se patet, quia unus v. g. consentit in aurum, alter in aurichalcum, unus in vinum, alter in siceram, vel acetum, ergo. Sed in contra

4. Benedictio Isaac ex errore qua ratione fuit valida.

Opponitur 1. Authoritas Scripturæ Gen. 27. Isaac ex errore personæ benedixit Jacob per quam constituit eum hæredem, & Dominum fratrum suorum, putans illum esse Esau, quo non obstante benedictio illa fuit valida, ut constat ex subsequentibus, *Eritque benedictus*, & Esau postulanti, & rugienti se fuisse deceptum respondit Isaac: *Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres ejus servituti illius subjugavi:* ergo error circa Substantiam rei non invalidat contractum. Respondetur negando Consequentiam, nam ut Theodoretus quæst. 79. in Genesim testatur, & habet etiam Doctor Subtilis in 4. dist. 30. quæst. 1. Post egressum Jacob & ingressum Esau *Isaac expavit stupore vehementi, & ultra quàm credi possit admirans ait: Quis igitur ille est &c.* ubi in textu datur intelligi Isaac in illa admiratione fuisse in extasim raptum, & in ea vidisse Jacob justè esse benedicendum, & hoc ex DEI ordinatione, unde licet à principio Collatio illa benedictionis fuerit invalida, postmodum tamen revelatione accepta

confirmavit & ratificavit eam ſubjungens, benedixi ei eritque benedictus. Hanc doctrinam tradit S. Auguſtinus lib. 16. de Civit. cap. 37. dicens : *Ecce benedictionem promiſſam repetente majore, expavit Iſaac, & aliam pro alio benedixiſſe cognoſcens miratur, & quinam ille ſit perunctatur : nec tamen ſe deceptum eſſe conqueritur, imò confeſtim revelato ſibi intus in corde magno Sacramento devitat indignationem confirmat benedictionem. Quis ergo inquit venatus eſt mihi venationem, & intulit mihi & manducavi ab omnibus antequam tu venires, & benedixi eum, & ſit benedictus ? Quis non hic maledictionem expectaret potius irati, ſi hæc non ſuperna inſpiratione, ſed terreno more gererentur ? O res geſtas ſed prophetice geſtas, in terra ſed cœlitus, per homines, ſed divinitus.* Ita ille.

Opponitur 2. Ex Geneſi 29. ubi Jacob legitur copulatum fuiſſe Liæ, in quam non conſenſit niſi ex errore credens eam eſſe Rachaelem, & tamen verus fuit contractus Matrimonialis, alioquin copula carnalis fuiſſet fornicatio, ergo Contractus eſt validus licèt ex errore contingat. Reſpond. negando antec. Quia prima nocte Jacob credidit Liam eſſe Rachalem, & ſic contractus fuit invalidus, ipſe verò innocens, poſtquam tamen altera die cognovit Liam non fuiſſe Rachaelem potuiſſet illam utique repudiare, quia verò ad replicationem Laban dicentis, Non eſt conſuetudinis in loco iſto, ut minores prius tradantur ad nuptias, conſenſit Jacob in Liam, & ſic contractus fuit confirmatus & redditus validus.

5. Error qualitatis conſequens non irritat Contractum.

DICO 2. *Error vel dolus circa qualitatem objecti, ſi ſit conſequens aut comitans nunquam irritat contractum.* Eſt communis apud Leſſium lib. 2. cap. 17. dub. 5. & Soto lib. 6. quæſt. 3. & habetur in *Cap. Cum Apoſtolica. De Sponſalibus*, ubi decidituir Matrimonium non irritari ex mendacio & ſubreptione ad ipſum inducentibus. Probatur 1. In objecto contractûs magis principale, eſt ſubſtantia, & minus principale ſeu acceſſorium eſt ejus qualitas, ergo in ipſo contractu formali conſenſus in ſubſtantiam rei principalior eſt, quàm in qualitatem, ergo ſtante conſenſu in ſubſtantiam contractus ſubſtantialiter ſubſiſtit, ex Reg. Juris in 6. *Acceſſorium ſequitur naturam principalis.* Et *Utile per inutile non debet vitiari.* Ubi tamen Notandum, quòd ſi talis error proveniat ex dolo alterius contrahentis, vel tertii, competere actionem decepto, adversùs ipſum deceptorem, ut tantùm ipſi ſolvat, quantum ſibi intereſſet in illa qualitate non erràſſe, ut tradit communis Doctorum, & deducitur ex *L. 2. ff. Proponetis.* Et inſuper ajo decipientem teneri in conſcientia ad omnia damna reſarcienda cùm ſit cauſa injuſta eorum. Probatur 2. Quia licèt omnis error ſit cauſa involuntarii, non tamen omnis error efficit involuntarium ſimpliciter, ſed ille tantùm qui eſt circa qualitatem per ſe & ex natura rei requiſitus ad ſubſtantiam contractus, ergo quando eſt error circa qualitatem per accidens ſe habentem tantùm efficit involuntarium ſecundùm quid, ergo &c. Probatur Conſequentia. Quia tunc error eſt in apprehenſione rei non neceſſariæ ad contractum, ſed accidentaliter ſe habentis, ergo faciet voluntarium ſimpliciter, & involuntarium ſecundùm quid. Verùm incontra

Opponitur 1. Authoritas Legum, *L. 3. ff. de Socio*, ubi dicitur *Quod bonæ fidei contractus dolo malo initi, ſint ipſo jure irriti.* Et *Cap. De eo qui duxit* : dicitur ; *Nemo acquirit Jus per injuriam & dolum*, & cauſam ſubdit, *Ne lucrum de dolo reporret*, ergo contractus initi ex dolo vel fraude circa qualitatem, præſertim ſi ſit antecedens & dans cauſam contractui, ſunt nulli & invalidi. Reſpond. Vel jura illa loqui de contractu inito ex dolo circa ſubſtantiam rei, vel ſi loquuntur de inito ex dolo circa qualitatem, tantùm volunt, quod decepto competat jus contra deceptorem, ut ipſi vel rem ſuam reſtituat, vel ſolvat ipſi quod intereſt.

Arguitur 2. Conſenſus ſubſtantialis decepti in hoc contractu eſt involuntarius, quia ut ſuppono, nullo modo conſentiret, ſi non adeſſet talis error, vel dolus ; atqui ubi non eſt conſenſus contractus eſt nullus, ergo. Reſpond. negando maj. ad cujus probationem dico, quòd licèt talis non eſſet conſenſurus abſque tali errore, tamen quia qualitas, quæ putatur ineſſe, non eſt motivum principale, ſed tantùm impulſivum, hinc non ſequitur ex errore qualitatis invalidari contractum ſubſtantialiter, ut dicitur, & dictum eſt à me de Matrimonio. Verum quidem eſt, ſi quis in actu ſecundo ita diceret, Nolo contrahere niſi ſubſit iſta qualitas, quod tunc deficiente illa qualitate eſſet etiam ſubſtantialiter nullus, quia tunc ſimpliciter nollet contrahere. Ut autem ſciatur an quis in hoc caſu habuerit nolle contrahendi in actu ſecundo, deficiente qualitate, maximè attendendum eſt, an qualitas illa ignorata fuerit motivum principale, an minus principale : Si primum, tunc cenſetur nolle contrahere deficiente qualitate : Si minus principale fuit tantùm motivum, valet omninò contractus. Hinc ſi das eleemoſynam diviti putans eſſe pauperem, talis donatio non eſt valida ſecundùm plurimos authores, tenetur accipiens ad reſtitutionem, ſi non danti, ſaltèm aliis pauperibus, & ita ſentiunt Alenſis, Navarrus, Gabriel &c. Si verò das eleemoſynam

6. Qualitas apposita ut conditio irritat Contractum.

verè

verè pauperi, putans esse bonum religiosum, aut pro te oraturum, & non est sic, tunc si tuum motivum principale est sublevatio indigentiæ pauperis, & secundarium bonitas, tunc eleemosyna est legitimè erogata & manet pauperi. Similiter discurre etiam in casu Matrimoniali, si motivum principale contrahendi illud fuit pulchra Amabilia, si secundarium verò fuerint divitiæ, Nobilitas Amabiliæ, Matrimonium subsistit, licèt illæ qualitates in Amabilia quæsitis secundariò desint.

7. Metu initus Contractus est invalidus.

DICO 3. *Contractus per metum gravem extrinsecum à libera causa injustè incussum invalidus est tam jure naturæ, quam utroque positivo, loquendo regulariter.* Hæc est communior Scotistarum, quam tenet etiam D. Bonaventura, Gabriel, Molina &c. & Probatur 1. de Jure naturæ: Quia ratione connexæ coactionis & injuriæ, quam affert injustè cogens ad contrahendum, consensus coacti non est sufficienter translativus dominii: Tum, Quia natura dictat sic extortum non debere subsistere, cùm talis homo nullam habeat authoritatem, vel titulum ad extorquendum hujusmodi consensum. Nec refert, quod talis coactus consentiat absolutè voluntariè, quamvis secundùm quid involuntariè, quod sufficit ad actum humanum, ut patet de projicente merces in mare tempore naufragii, & voventis aliquid Deo: Non obstat, inquam, quia tamen injuriam patitur, quam infert is, qui injustè ad contrahendum cogit, talis injuria efficit, ut consensus ab eo coactè præstitus vim sufficientem non habeat transferendi dominium. Ita Mastrius. Probatur 2. de utroque Jure positivo, nam ex Canonico in *Cap. Abbas.* & *Cap. ad audientiam. de iis, quæ vi metúsque causa fiunt*, ubi universales hæ regulæ traduntur. *Quæ vi & metu fiunt de jure debent in irritum vocari.* Et *Quæ vi metúsque causâ fiunt carere debent robore firmitatis.* In Civili verò *L. si cum exceptione*, & ex *L. 1. C. de rescind. vendit.* ubi dicitur: *Emptionem factam per metum esse irritam.* Ita Mastrius ait, parum hic referre, sive metus incutiatur à parte contrahente, sive ab aliquo tertio, quia metus hujusmodi semper injustè incutitur, ergo.

Deinde ipsissimi Authores, ut Bonacinna, Paludanus Decanus, & ex Legistis Schambogen tenent & fatentur promissionem dotis metu factam nullam esse, ex *L. si mulier §. si dos. ff. De Actionibus.* Item Matrimonium nullum est metu initum, ex *Cap. Veniens. X. De Sponsal.* Quia in Matrimonio videtur plena requiri libertas, ut eviteutur mala, quæ sublequi solent Matrimonia coacta. Tertiò nullum est votum, ad quod emittendum quis fuit coactus, ex *Cap. 1. X. de his quæ vi &c.* Quartò: Nulla est absolutio à sententia Excommunicationis, vel alterius Censuræ, ex *Cap. un. de his quæ vi &c. in 6.* quamvis censura ex metu lata teneat; Disparitas est, quòd prius tendat ad dissipationem disciplinæ Ecclesiasticæ, non tamen posterius. Quintò: Tutoris authoritas metu extorta nulla est, *L. 1. in fin. ff. de auct. Tut.* Sextò: Jurisdictionis prorogatio in aliquem facta per metum, *L. 2. in princip. ff. De Judiciis.* Septimò: Manumissio metu exorta, *L. privatus 17. ff. Qui & à quibus manumissi.* Octavò: Testamenti factio, ex L. *2. ff. Qui testam. fac. poss.* ubi ex eo, quòd testis ad testamentum coactus fuerit, facit testamentum nullum, ut à fortiori nullum esse debeat, si testator ad hoc coactus sit, ergo universaliter sic tenendum est. Dixi autem in Conclusione, *Regulariter loquendo*: Tum propter Authoritates & casus recensitos, in quibus omnes tales actus vi & metu facti censentur ipso jure nulli. Tum, quia è contrario etiam dantur aliqui casus, ubi actus metu facti validi sunt, & nullo modo rescindi possunt, ut violenta & metu suscepta Confirmatio, Ordo, & Baptismus, ex *Cap. 3. §. iterum quæritur X. de Baptismo.* Ratio. Cùm enim aliqualis adsit voluntas, character mox imprimitur, sicut dicit textus dicti Cap. in fine: *Tunc characterem Sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem.* Si tamen sit metus levis, vel non cadens in constantem virum, aut si fiat per importunas preces, vel propter reverentiam patrisve, matrisve, vel ab aliis contractus simili modo initi omnino tenent, nec amplius sunt rescindendi, quia adest absolute, voluntarium, & nulla contrahenti infertur injuria. Vide dicta de donatione.

Ad Aphorismum & materiam præcedentem sit

Quæstio Ethica:

An Contractus & pacta Judæis quoque & Gentibus sint servanda?

1. Pacta infidelibus servanda.

RESpond. Legitimè & cum omnibus essentialiter requisitis factos omnino esse omnibus servandos, cujuscunque sint conditionis & status, quibus cum pactum est aut conventum, nam ut Cicero lib. 1. Officiorum dicit: fidelitas in promissis & pactis fundamentum est justitiæ, quare Socrates in orat. 1. quam ad Nicolem

de Regis inſtitutis ſcripſit, hæc ait: *Perpetuo tantum ſtudium & reverentiam præ te fer, ut tuis verbis major ſit fides, quam aliorum juramentis*; in qua ſervanda olim Romani fuerunt punctualiſſimi, nam ut refert Juſtus Lipſius lib. 2. de Rep. cap. 14. illi in Capitolio penes Jovis ſimulachrum, imaginem fidei religioſiſſimè collocarunt, de qua re Silius Italicus ſic cecinit:

Ante Jovem genetrix, Decus Divum hominumque,
Qua ſine non tellus pacem, non æquora norunt;
Juſtitiæ conſors, tacitumq; in pectore Numen.

Quod etiam heroicis factis comprobarunt; Nam Camillus eorum Dux cùm Faliſcos obſideret, quidam Magiſter perfidus Nobilium filios ſuæ curæ commiſſos eidem tradidit, ut comminatione tormentorum filiis infligendorum, ad deditionem compelleret, id noluit, ſed Magiſtrum vinctum cum pueris ad urbem remiſit à Parentibus caſtigandum, ita Valer. Max. lib. 6. cap. 5. Solemnius exemplum refert Plutarchus de Pompeio Sexto Magni Pompeii filio, qui adverſus Octavium, & Marcum Antonium Imperii Romani ſocios, funeſtum gerebat bellum, quos poſtea in pacis ſocietatem receptos, amicitiæ gratia conſervandæ ad cœnam invitavit in Prætoria navi; Illis in Pompeii verbis tantum fiduciæ fuit, ut cænaturi navim ingrederentur, ibi cùm eſſent, Menas Pompeio in aures ſuſurrans admonuit, poſſe illum Orbis univerſi Dominum fieri ſi vellet, competitoribus ſuis, quorum vitam habebat in poteſtate, morti datis. Pompejus ut eum audivit, & rem ſecum paulisper perpendit, *Facere Mena, oportebat me non prænonito, nunc præſentibus rebus acquieſcamus: neque enim meum eſt peierare, fidemque meam Regno poſtponere.* Ah utinam hoc Reges & Machiaveliſtæ hæc ſcirent, & vel Ethnici hominis ſequerentur exemplum.

Similem generoſitatem, & fidelitatis conſtantiam priori ſæculo exhibuit Dux de Matalona Neapolitanus, & Cognatus Pauli IV. Pontificis Romani, qui poſtpoſita conſanguinitate, ut Regi promiſſam fidem ſervaret, in bello contra eundem Pontificem ſtrenuum egit Ducem, cui applicare potuit illud Poetæ

Quæ ſemel eſt promiſſa fides, ſervanda perenni
Fœdere, & eſt ipſa ſanguinitate prior.

2. Fidelitatem quæ tueſtur.

Motiva autem ad fidem in omnibus pactis & contractibus ſervandis hæc ſunt: Amor in DEUM & animæ ſalutem: Honeſtas virtutis ſeu honor propriæ perſonæ; nam nihil turpius in Mundo reperiri eſt, quàm hominem fidem datam violantem; talis enim ab omnibus eſt vitandus, & hoc infortunium illum conſequitur, quòd etiam quando verum dicit, non creditur; ex quo poſtmodum alterum ſubſequitur malum, nam in neceſſitate conſtitutus vix inveniet quempiam, qui illi ſuccurrere velit, quia jam fidem perdidit, & prudenter quisque cavet, ne vulpinam offerat ſocietatem, videmus hoc ab experientia quot quantisque tales ſe debent obſtringere cautionibus ubi viro fideli ad unum creditur verbum. Tertiò eſt Veritas in dicendo, & faciendo, nam veritas in ſcriptura ſæpe accipitur pro Juſtitia, & omni opere perfecto, quod patet ex Joan. 8. ubi de diabolo dicitur quod in *veritate non ſtetit.* Hæc autem tria motiva Romani olim in uno eodem Fidei ſimulachro exprefferunt, quod in platea dicta *Arcuſa* erat collocatum; Nempe vir erat ſculptus imberbis quidem, ſed tamen maturam præferens ætatem cui adjunctum erat nomen *Honor*: hic *Veritati*, quæ Virginis formâ erat figurata manum porrigit prenditque, in medio autem *Amor* ſub puerili facie, his enim tribus omnem fidem initi dicebant, nempe honoris ſtudio, & Veritati promiſſorum, quæ amor firmiſſimè copulat, quo abſente fides facilè corrumpitur, nam fidem honor ſuſtinet, veritas parit, amor nutrit. Sed hic oritur alia

Quæſtio Juridica.

An etiam Principes obligentur ex contractu cum ſuis ſubditis inito?

3. Principes tenentur ad contractus cum ſubditis.

REſpondeo, Cum famoſioribus Jurisperitis Henri. Zoelio, Hugone Grotio & aliis affirmativè idque probari poteſt primò ex Scriptura; Quia DEUS optimus maximus licèt nulla lege conſtringi poſſit, & recta ſint omnia ejus Judicia, tamen pacta cum hominibus facta vult ſervare, ita quod contra naturam ageret, ſi illa violaret, ergo etiam tenentur Principes. Antecedens patet ex Epiſt. 2. ad Timoth. 2. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt.* Ad Hebræos 6. *In quo abundantius volens DEUS oſtendere poſſicitationis hæredibus immobilitatem Conſilii ſui, interpoſuit juſjurandum: ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri DEUM, fortiſſimum ſolatium habemus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem.* Probatur etiam Conſequentia. Quia Principes ſunt miniſtri DEI, ejusque Vicarii, ut docet D. Paulus ad Rom. 13. *DEI enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gla-*

gladium portat. DEI enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit: ergo sicut DEUS semetipsum sponte vult obligare, ita Principes tenentur ad contractos cum subditis initos; unde hoc negligentibus bene Salomon exprobrat Sap. 6. *Quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè judicastis nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem DEI ambulâstis.*

Probatur 2. per *L. 1. & 2. Cod. Ne Fisc. rem quam vendidit, evinc.* ubi dicitur, quòd ratio honestatis & æquitatis non patiatur, ut fiscus à contractu simul inito recedat, ex quo bene infertur, nec Principem posse recedere, quia Fiscus jure Principis utitur, ejusque nomine & authoritate, atqui ille obligatur qui nequit recedere, ergo & Princeps obligatur. Et ratio fundamentalis hujus resolutionis est; Quia Principes ad ea obligantur, quæ sunt de jure naturali & Gentium, atqui Contractus sunt tales, quia nihil est tam congruum naturæ humanæ, quàm ea, quæ semel placuerunt, observare, sicut etiam dicit *L. 1. ff. de Pactis, ergo.*

Nec obstat, quòd in jure dicatur, Principem non obligari suis legibus, contractus autem sunt quasi leges quædam, uti habetur L. Cæsar, ff. de Publ. Quia licèt Princeps non teneatur vi coactiva, obligatur tamen vi directiva; Et iterum licèt non teneatur Legibus positivis, obstringitur tamen Legibus naturæ, & jure gentium introductis, supra quas non est Dominus, sed Custos, nam bene dixit Sidonius Apollinaris carm. 5. *Tunc cætera turba paret libens, servit propriis cum Legibus Author.* Et Cassiod. 1. epist. 18. *Non licet delinquere, quis aliis creditur sub æquitatis regulas continere*, ubi ad propositum noster Guevarra in horolog. lib. 1. cap. 35. insignem Catonis Censorini doctrinam refert; is enim interrogatus, qualem oporteret esse Regem, ut bonus esset, ita ut citra contemptionem & amaretur & metueretur; Bonum, inquit, Principem oportet esse similem theriacario, qui si veneno non lædatur, theriacæ emptores facilè invenit; innuens eam ab omnibus animadversionem ac pœnam approbari, qua non à viro vitiis obnoxio statuitur. Nunquam theriacario fides habebitur, nisi theriacæ periculum (palam) in foro fecerit: Unde intelligi datur, nihil aliud esse in Principe vitam laudabilem, quàm theriacam præstantissimam ad curandam suam Rempublicam. Et quid aliud est, quam altera manu aconitum, quod vitâ privat, altera theriacam, quæ morti resistit, præferre; lingua virtutes buccinare, & vitiis vires omnes impendere? Ut Principi perfecta in omnibus præstetur obedientia; quidquid jusserit, ipse exequatur oportet. Ab actionibus enim virtutis nullus Princeps immunis esse vel potest vel debet. Hoc responsum à Catone Censorino datum, mihi Christiani potius, quàm Romani videtur fuisse.

ETHICÆ SACRÆ

APHORISMUS XI.

Non fœnerabis Fratri tuo ad uſuram pecuniam. Deut. 23. v. 19.
Mutuum date nihil inde ſperantes. Luc. 6.

De fugiendo Uſurariorum vitio.

SYMBOLUM.

Inſidiatur Calcaneo eius. *Genes.*

Serpentem in ſinu fovet
Hic non amandus, hiccine geſtandus in ſinu? Terent. in Adelph.

Declaratio Aphorismi & Symboli.

Eccleſiaſtici 10.

Nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam, hic enim & animam ſuam venalem habet, dicit Ethicus probatiſſimus, quod profectò videntur uſuris & iniquis lucris dediti practicare, & utinam non comprobaret exitus; quare vitium Uſurariorum non ſolum in ſacra pagina utriusque teſtamenti reprobatur, verùm etiam ipſis Gentilibus abominabile fuit; nam ut teſtatur S. Ambroſius lib. 3. Officior. cap. 14. Cato ille magnus dixit olim fures fuiſſe damnatos in duplum, fœneratores verò ad quadruplum reſtituendum, ac rogatus quid eſſet fœnerari reſpondit *hominem occidere*, pauperes enim exhaurit uſura, & usque ad famem enecat, & ut idem S. Ambroſ. lib. de Tobia cap. 13. dicit *Uſuram ab uſu diſtam arbitror, quòd ut veſtes uſu ita patrimonia uſuris ſcindantur*, poteſt enim uſura quaſi raſura vel roſura dici, & fœnus quaſi funus dici, quia pauperem ra-

1. Uſura fuit gentibus exominabilis.

dit

dit & rodit usque ad finus. Quamobrem Sapientes Romani L. 12. Tabularum caverunt ne quis plus unciario fœnore fœneraret, mox tribunitia rogatione ad semiunciam fœnus est redactum, & statim ad Semesſem, postea ad trientem, & demum L. Gemutius Tribunus plebis tulit ad populum, ne omnino fœnerari liceret, quod tandem etiam Cæsar confirmavit, atque servandum præcepit; Id quoque Germani servarunt antiqui quibus planè omnis usura, & fœnus fuit execrabile, & sic esse debet, nam ut Ecclesiasticus dicit cap. 20. *Hodie fœneratur quis, & cras expetit: odibilis est homo hujusmodi.*

Quam autem Deus graviter fœnerationem inhibuerit patet, nam Exodi 22. dicitur: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* Levit. 25. *Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges.* Et pariter in Deuteron. 23. quod pro Aphorismo adductum, licèt ibi permissio quædam restitutionis causa sit permissa. Similiter Ethicæ Sacræ Magister Lucæ 6. id prohibet *Mutuum date nihil inde sperantes.*

2. Usura est contra jus naturæ.

Tam rigidi præcepti est Ratio fundamentalis; Quia est contra jus naturæ, quod S. Bernardinus noster tom. 2. serm. 38. duodecim rationibus comprobat; Primò: Quia à rebus mutuatis aliquis capitur excessus supra numerum pondus, & mensuram, si in pecunia pro 50. accipias 60. pro 6. metretis 8. pro 90. libris centum. Secundò: Eo quod res mutuata non nata fructificare, lucrum & fructum Domino suo affert, ideoque Aristoteles 1. Polit. 6. dixit Usuram derivari à quod est *partus* insolitus scilicet, & præter naturam, eò quòd res pariat, quæ de se omnio est sterilis, & apud Latinos *fœnus* dicitur quasi *fœtus*. Sed in his nolo immorari ad explicandum Symbolum accedo; Nam fœnerator quietus sedet, quia semper paratus & habituatus est pecuniam suam usuris exponere, & cùm nihil magis quàm de lucris cogitat, interim diabolus ejus pedes illaqueat, juxta illud quod Baldad de avaro prophetizat Job. 18. *Arctabuntur gressus virtutis ejus, & præcipitabit eum consilium suum. Immisit enim in rete pedes suos, & in maculis ejus ambulat. Tenebitur planta illius laqueo, & exardescet contra eum sitis. Abscondita est in terra pedica ejus, & decipula illius super semitam:* id est diabolus illaqueabit Usurarium, ambulabit in muscipulis ejus, juxta quod dicit Salomon Prov. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Et Jerem. 50. *laqueavi te, & capta es Babylon, & nesciebas: inventa es & apprehensa.* Et D. Paulus 1. ad Tim. 6. *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva*, & in planta pedis, id est in articulo mortis angustiabit eum; Quantò enim cupidus & avarus fini suæ vitæ fit propinquior, tantò majori cupiditate inardescit, nam ut docet S. Hieronym. In homine cùm alia vitia senescunt, sola avaritia juvenescit; & quid tandem sequitur, nempe quod Salomon prædicit Proverb. 5. *Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.*

3. Usuraria pecunia est serpens.

Quod autem pecunia ab Usurario accepta à Genio in duas partes fracta sanguine, uti quondam S. Franciscus de Paula coram Galliarum Rege insigni monstravit miraculo, fluat, ex quo serpentes nascantur, denotat nihil aliud quàm serpentem venenatum, ut clarè docent Sancti Patres, & particulariter D. Ambrosius lib. de Tobia cap. 12. ubi Usurariam pecuniam comparat *Echidnæ* seu viperæ his verbis: *Echidna quædam est fœneratoris pecunia, quæ tanta mala parturit. Echidna tamen fœcunda pœnis viscera trahens, partu suo rumpitur, & morte materna docet sobolem non esse degenerem in matrem. Illam morsibus suis scindit. Illic ubi nascitur venenum primum probatur. Pecunia autem fœneratoris omnia mala sua concipit, parit, nutrit, atque ipsa magis in sobole crescit tristi prole numerosior.* Idem docet Author operis imperfecti qui in Matth. hom. 12. ait: Similis est pecunia usuraria aspidis morsui, sicut enim qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit in somnum, & sic per suavitatem soporis moritur, sic & qui accipit pro usuris, pro tempore delectatur, quasi qui beneficium accipit, sed sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit, & corrumpit, sic usura per totas facultates ejus discurrit, & convertit eas in debitum. Infelix igitur qui hanc pecuniam suscipit, quoniam *in sinu serpentem fovet*, qui ipsum aliquando occidet; est enim ille malignus qui insidiatur calcaneo pauperis, ut illum aliquando enecet, & ad sepulchrum deducat, nam ut D. Ambros. citatus cap. 10. dicit; *Nihil interest inter funus & fœnus, nihil inter mortem distat & serlem.* non absque mysterio versum illum 25. in cap. 22. Exodi Hebræi sic legunt, *Non eris ei ut Exactor*, vel *fœnerator*, *& non ponet super eam morsum*, id est usuram, nam nomen *Nesech*, & usuram & morsum significat. Quicunque ergo pecunia usuraria gravatus est, ad mortem, & funus deproperat, proinde tales homines ezne & angue pejores sunt fugiendi juxta monitum D. Pauli 1. Corinth. 5. *Si is qui*

qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum ejuſmodi nec cibum ſumere. Imò Echidna ipſum Uſurarium bene figurat, nam à Poetis accipitur pro illo homini infectiſſimo ſerpente in Inſula Lernæ *Hydra* vel Hydrus, dicto, de quibus Ælianus lib. 9. ſcribit quod in aquis frequenter habitent, & ad inſequentes ſeſe retorquent, & gravem odorem exhalantes inſectatores reprimant, de quo non curo, ad propoſitum tamen valet, quod ipſemet Uſurarius talis *Hydrus* appellari poſſit, nam ipſe quodammodo in aquis ſic merſus, nunquam tamen dicit ſufficit, ſed ſitis ejus ſemper creſcit, juxta illud

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Rationem allegat S. Bernardinus ſerm. 45. art. 1. cap. 1. Quia potus pecuniæ non ibi eſt nec ibi ponitur, ubi ſitis avari, unde ſicut vinum in dolio non ſedat corporalem ſitim, ſic pecunia in arca ſitim mentis, quando igitur magis hæc concupiſcentia creſcit, tantò & minus habet, quod ei ſufficit.

Imò dictus Sanctus ſub alia venenata beſtia comparat Uſurarium Scorpioni, qui lingua ſuaviter lingit, & caudâ mortiferè pungit. Ideo de talibus in verbo propoſito Dominus nos admonet dicens, nolite judicare ſecundùm faciem, id eſt, ſecundùm apparentem amicitiam: Sed juſtum judicium, id eſt, verum judicium judicate. Nec quidem fallentur in hoc judicio ſolum mutuum recipientes, ſed incomparabiliter amplius interdum ipſi, inſuper mutuantes. Nam decepti, imò decipientes ſeipſos, pauperi & inopi ſervire ſe judicant, dum eorum ſubſtantiam usque ad conſumptionem devorant, non intelligentes neque intelligere volentes quod Dominus Matth. 10. divitibus præcipit dicens. *Gratis accepiſtis, gratis date.* q. d. gratis accepiſtis divitiarum donum, ideo gratis date indigenti mutuum, juxta illud Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes.*

Phœnices ut habet Lucianus apud Plerium omnes Deos ſuos cum loculis & crumenis bene pecuniosos eſſe effinxerunt, non alia ratione, niſi quia erant cupidi pecuniarum, & Mercatores, ſicut è contra Græci Deos ſuos potiori ex parte in armis efformarunt, quoniam bellicoſi fuerunt & magnanimi, quod enim quisque plurimum amat, hoc ſibi pro Deo effingit, aut DEUM ſuum ſimilibus autumat delectari; ſic guloſi & ebrioſi Ventrem ita colunt, ſicque ſerviunt, & omnia ſubminiſtrant, ut Paulus bene dixerit tales eſſe *quorum DEUS venter eſt.* Sic mihi quoque videtur Pecuniam avarorum Idolum eſſe, quod venerantur, cuique totum ſe dedunt, & omnes cogitatus atque opera dedicant, hæc enim ſicut omnium malorum, ita etiam ſpiritualis Idolelatriæ radix eſt, quam planè adorant avari; hæc eſt illa beſtia Apocalyptica, cujus characterem in fronte & in manu portant, quod patheticè deſcribit S. Bernardinus Senenſis tom 2. ſerm. 22. cap. 1. his verbis, Sæva & crudelis beſtia eſt Uſura vorax, quæ tunc adoratur cùm improbum fœnus exercetur, id eſt pacto perficitur. Imaginem verò adorat, qui tenaciter immoderatas divitias amat; Characterem autem hujus beſtiæ habere in fronte eſt immodeſto contractu per intentionem corruptam uſuram habere in mente. Characterem autem in manu habet, qui opere palàm vel in occulto uſuram exercet. Hæc ille. Et profectò credo, quòd uſura, cùm occupaverit infelicem hominem, eum faciat impium contra Deum, ſævum & iniquum contra proximum, atque pravum & nequam contra ſeipſum, quia animam ſuam venalem habet, & ſemetipſum facit miſerum diaboli mancipium, à quo illaqueatus difficulter pœnitet, & finè hac certiſſimam ſortietur, de ſua ultra ſortem rapina, ſententiam, de qua re terribile narrat S. Bernardinus exemplum ſerm. 45. art. 1. cap. 1. Quidam cùm propoſuiſſet cum uſura arcam implere, deinde ab uſura ceſſare: cæpit parcè vivere, atque ad arcæ impletionem multiplici fœnore laborare. Cumque nondum arcam impleſſet: timens diabolus, ne arcâ repletâ amitteret eum, taliter ei guttur conſtrinxit, quòd quidquam non poterat deglutire. Denique allatis variis cibis cœpit æger clamare dicens, crucior, crucior, & morior fame, ſed quia à diabolo ſtrangulor, manducare non poſſum, quo dicto cum diabolo ſpiritum exhalavit, ut verificetur quod dicitur Eccleſ. 5. *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.* Quando autem miſericors & miſerator Dominus hujusmodi Uſurariis, & iniquis raptoribus gratiam pœnitendi concedit, tunc in miſerrimos evadunt homines, & quemadmodum aliorum devorarunt ſubſtantiam, ipſi quoque abſumuntur, juxta illud Iſaiæ 33. *Poſtquam conſummaveris depredationem depredaberis & ipſe.* Vidi ego olim in aula rurali Illuſtriſſimi cujusdam Herois depictam mirabilem hujus mundi viciſſitudinem: Repræſentabatur Rex devorans agricolam, eumque glubens, aſt Regem arrodebat miles, militem apprehendit uſurarius, iſtum meretrix, hanc Leno, ſupervenit Presbyter qui hunc depilabat, Presbyterum verò Paraſitus trahebat, iſtum miſere devorarunt pediculi, & ex oppoſito Regis ſedebat ſimia colligens & edens pediculos cum ſubſcriptione duplici diſticho in hunc ſenſum.

Rex

Rex vorat agricolam, Regem trux Tyro, ſed iſtum
Uſurator edit, devorat hunc meretrix,
Leno meretricem, ſed Presbyterum Paraſitus,
Iſtum Sex ſtipites, ſimia Sex ſtipites.

Et hæc ad fugiendum ab omnibus Ethicæ Sacræ amatoribus Uſuræ vitium; nunc ad expendendam uſuræ naturam ſequitur

DISPUTATIO VI.

De Juſtitia in celebrandis Contractibus, Re initis: & PRINCIPALITER, DE MUTUO, & USURA.

A Generali Contractuum notitia deſcendo ad particulares explicandos, in quibus ut manifeſtum, Injuſtitia intervenire poteſt, dicit enim Pſalmiſta Pſal. 36. *Mutuabitur peccator & non ſolvet, juſtus autem miſeretur & tribuet.* Et quoniam ſupra dixi Contractus quatuor modis perfici poſſe; *Re* ſcilicet, *Verbis*, *Scripto*, & *mutuo conſenſu*, hinc à primis exordior, quorum iterum quatuor ſunt ſpecies, *Mutuum*, *Commodatum*, *Depoſitum*, & *Pignus*, in quibus contractibus Uſura potiſſimum irrepere ſolet, ideo Ethicum Aphorismum de Uſurario fugiendo Vitio præmiſi, nam in primo Contractu transfertur dominium, ſed dum mutuum redditur, ultra ſortem plus exigitur, & eſt Uſura. In ſecundo *Uſus*; In tertiò *Cuſtodia*, & in quarto *Poſſeſſio*, de quibus omnibus in Diſputatione præſenti.

Quæſtio 1.

Quid & quotuplex ſit Mutuum?

1. Mutuum quid nominis.

MUtuum quoad vim nominis variàs poteſt habere ſignificationes, principales tamen duæ tantùm ſunt, nam primo ſignificat *Parem & reciprocam Voluntatem* unde Cicero famil. Epiſt. 5. ait, *Quod autem ita ſcribis, pro mutuo inter nos animo, quid tu exiſtimas eſſe in amicitia mutuum, neſcio; equidem hoc arbitror, cùm Par voluntas accipitur & redditur.* Et D. Petrus in Epiſt. 1. cap. 4. ait *Vigilate . . . . ante omnia in vobismetipſis charitatem mutuam habentes*, ſed hoc mutuum Sanctum eſt. Alterum eſt profanum de quo Chriſtus Lucæ 6. ait: *Si mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere? quæ gratia eſt vobis, nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant equalia.* De hoc mutuo Juſtinianus lib. 3. Inſtit. Quibus modis contrab. oblig. dicit Mutuum inde appellatum eſſe, quia ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat, quod etiam habetur in L. 2. §. 2. ff eodem. Verùm ad rem

2. Mutuum deſcribitur.

DICO 1. *Mutuum bene deſcribitur, quòd ſit Contractus, quo quis rem conſtantem pondere, numero vel menſurâ, & uſu conſumptibilem ſecundùm quod ordinatur ad talem uſum, transfert non ſolùm quoad uſum, ſed etiam quoad dominium, altero tamen remanente obligato poſt determinatum tempus ſimilem in genere & bonitate reſtituendi.* Hæc in re debet eſſe communis. Et explicatur quoad ſingulas partes: Dicitur *Contractus* ſupple *oneroſus*, quod habet rationem generis: Eſtque Contractus juris Gentium §. 7. *Inſtit. De Jure nat. Gent. & Civili.* & Realis, *Inſtit. Quibus modis re contrahitur obligatio L. 2. §. 2. de Ob. & Ac.* Dicitur *quo quis rem*, quia eſt contractus nominatus traditione rei initus: Dicitur *conſtantem pondere, numero, & menſurâ*, ut declaretur materia mutui, videlicet in mutuo intervenire poſſe *Æs*, *Aurum*, *Argentum*, quæ ponderantur: *Pecuniam*, quæ numeratur: *vinum*, *frumentum*, *oleum &c.* quæ menſurantur, ita ut tantùm fieri contractum mutui inſinuetur in rebus mobilibus, non verò in immobilibus. Dicitur *Et uſu conſumptibilem*, tum ut prior pars magis declaretur: Tum quia res, quæ uſu non conſumuntur, non mutuantur, ſed commodantur vel locantur: Dicitur *ſecundùm quod ordinatur ad talem uſum*, quia ſi ſecundùm quod res talis ordinaretur ad alium uſum, non eſſet mutuum, ut ſi tibi dem pecuniam ad oſtentationem, aurum ad curandam podagram &c. Dicitur *Non ſolùm quoad uſum &c.* ad diſtinctionem Pignoris, hypothecæ, Depoſiti, Comodati, & Locati, in quibus dominiũ non transfertur, ſed uſus tantùm, unde, fit, ut ſi res mutuata quocunque tandem caſu pereat apud mutuatariũ, non pereat mutuatori, ſed mutuatario, & econtra ſi commodata caſu & fortuitò pereat apud commodatariũ, non autem ejus culpâ, non pereat commodatario, ſed commodanti, ſub cujus dominio manebat, ut habetur *L. 1. C. de Commodato.* Dicitur *Altero manente obligato*, per quod diſtinguitur à donatione. Dicitur *poſt determinatum tempus* & per hoc differt à Cambio & Permutatione, in quibus ſtatim obligatur alter ad reddendum aliud. Dicitur *ſimilem in genere*,

quia si res eadem in numero & individuo reddenda esset, non esset mutuum, sed permutatio, quod autem apud Jurisperitos dicitur *in genere*, idem valet quod apud Philosophos in specie, & quando Jurisperiti dicunt *in specie*, tantum est ac dicere apud Logicos in individuo, unde habetur in L. *2. ff. si certum petatur. Mutuum damus non recepturi eandem speciem, quam dedimus, alioquin aut commodatum erit, aut depositum, sed idem genus.* Additur tandem *Et bonitate*, quia in Commodato, Locatione, & conductione non redditur eadem res in bonitate, utpote cùm uti potuerit ipsâ, omnis autem usus secundùm quid rem destruit. &c.

Ex hac definitione colligit Doctor Subtilis, quòd ad valorem mutui, id est, illius contractûs, (nam mutuum quandoque sumitur pro re mutuata, quandoque pro contractu mutuandi) præter tres generales conditiones ad contractum suprà requisitas, etiam speciales hîc debere esse, & imprimis, ut materia mutuanda sit usu consumptibilis, *L. Mutuum. ff. si certum petatur.* Secundò, ut vi contractûs Mutuatarius non maneat obligatus ad restituendam eandem rem numero. Tertiò, ut Mutuatarius sit obligatus restituendi secundùm eandem speciem & bonitatem. Quartò, ut inter traditionem rei, ejusque solutionem aliquod tempus intercedat. Quintò tandem & præcipuè, ut semper servetur æqualitas in numero, pondere, & mensura.

3. Mutui divisiones.

DICO 2. *Mutuum bene dividi potest in Expressum seu Formale, & in Tacitum, seu Implicitum, vel Virtuale.* Ita Bonacinna. Et Probatur per explicationem: *Expressum* est, quando quis actualiter dat alteri pecuniam mutuò. *Tacitum & Virtuale* dicitur illud, quod virtute includitur in aliis contractibus, & ob id mutuum palliatum appellatur, ut accidit quando quis vendit alteri domum majori pretio, concessa dilatione ad solvendum, tunc enim censetur venditor mutuare pretium emptori usque ad tempus solutionis ipsi concessum.

4. Mutuare possunt qui possunt contrahere

Quæres. Quinam possint mutuare, & mutuò accipere? Respond. omnes qui legitimè contrahere possunt. Hinc à mutui solutione & restitutione non obligatur Ecclesia, Locus pius &c. nisi mutuans probet mutuum fuisse expensum in utilitatem loci pii, & Ecclesiæ, ex *L. Civitas ff. si certum petatur.* Et *Auth. Hoc jus porrectum. C. de SS. Ecclesiis.* Et *L. 1. C. de Solutionibus.* Eodem privilegio gaudet minor, si ejus nomine Tutor vel Curator accipit mutuò. Minor enim non tenetur restituere, nisi mutuans probet esse conversum in utilitatem Minoris, L. *3. C. Quando ex facto Tutoris.* Secundò; non potest dari pecunia mutuo Filiofamilias, ita ut obligetur ad solutionem, nisi habeat bona Castrensia, aut nisi creditum fuerit eum fuisse sui juris, aut nisi fiat de consensu parentis, & in ejusdem utilitatem expendatur, vel si parens in eam rem, in quam applicuit pecuniam dare debuisset, ut v.g. ad emendos libros: aut nisi juraret Filius familias se soluturum, quia stante juramento servari debet, quod citra præjudicium & periculum salutis fieri potest, in aliis autem casibus in foro externo non obligatur Filius familias ad solutionem, Ex *L. 1. & per totum C. Ad Macedonianum.*

Quæstio II.

Quid sit Usura?

1. Mutuum sedes usuræ

MUtuum est materia, & propria sedes Usuræ, ita quòd nunquam committatur Usura nisi ratione mutui, quare si quispiam rem aliquam venderet maximo pretio, licèt contra justitiam peccaret, usuram tamen non committeret, quia nec formale, nec virtuale mutuum intervenit. Et hinc ut cognoscatur, quomodo mutuum dari possit & debeat sinè Injustitia, de Usura, quæ est peccatum ex mutuo natum, Et ut Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2. dicit. *Usura est Injustitia præcipua cujus vituperatio habetur X. de Usuris. Cap. Super eo*, nunc agendum erit.

2. Usura una est licita & sancta.

Notandum 1. Usuram unam esse licitam & valde laudabilem, quæ etiam Spiritualis dicitur, quæ nihil aliud est, quàm superexcrescentia in rebus & bonis spiritualibus, quam DEUS à nobis exigit volens, ut in bonis ab ipso datis proficiamus, & excrescamus, unde Salomon Proverb. 19. dicit: *Fœneratur DEO, qui miseretur*, & Matth. 25. *Nonne oportuit te dare pecuniam Nummulariis, & ego veniens cum usuris exegissem eam.* & D. Augustinus ait: *Miser homo, cur fœneraris homini? fœnerare DEO, & centuplum accipies, & vitam æternam possidebis.* Et hanc usuram esse licitam indubitatum est neque de ea hîc controversia, sed de corporali, quæ ex mutuo corporali oritur.

3. Usura multipliciter accipitur.

Notandum 2. Etiam hanc secundùm vocem multipliciter accipi posse. Primò pro lucro ipso, seu pro acquisitione rei

pretio

pretio æſtimabilis ultra ſortem. Secundò pro voluntate accipiendi aliquid ultra ſortem. Tertiò pro Contractu, quo duo vel tres tacitè vel expreſsè conveniunt de re aliqua ſupra ſortem, id eſt, ſupra quantitatem, valorem, & numerum rei mutuatæ, quæ ſors vocatur accipienda, & in prima acceptione

4. Uſura propria deſcribitur.

DICO 1. *Uſura bene deſcribitur, quòd ſit lucrum pecuniæ æſtimabile ſuapte natura principaliter in mutui veri vel palliati conceſſione quæſitum vel ſperatum.* Ita Gabriel, Navarrus apud Aretinum, &c. Probatur declarando ſingulas particulas: Dicitur primo *Lucrum* hoc enim habet rationem generis. Omnis enim uſura lucrum eſt non autem omne lucrum uſura, ut patet de lucro juſtæ negotiationis. Eſt autem lucrum incrementum excedens ſortem, ſive ſit munus à manu, ſive à lingua, ſive ab obſequio, dummodo æſtimari poſſit pretio, & hinc additur *pecuniæ æſtimabile ſuapte naturâ*; unde res, quæ pecuniâ æſtimari nequeunt, ut ſunt gratia, dona DEI, merita, res ſacræ quà tales, & ob id beneficium Eccleſiaſticum etiam in hac definitione comprehenditur, quòd videlicet nemo illud ſine uſura ex mutuo acquirere poſſit, licèt enim hoc non ſit æſtimabile ex ordinatione Juris, eſt tamen ex natura rei. Dicitur *in mutui conceſſione*, id eſt vi mutui, quia ſi ex alio titulo ſorti aliquid accreſceret, non eſſet mutuum. Item ponitur particula *principaliter*: Quia ſi ratione veri intereſſe ob lucrum ceſſans vel damnum emergens aliquid accipiat, non eſt uſura, ut habet Gloſſa in *Cap. Conqueſti, de Uſuris.* Unde ſi quis aliunde ſibi debita acciperet ratione & occaſione mutui, non eſſet uſura, ut ſi quis mihi deberet 100. florenos, & ego mutuo illi 1000. ut accipiam etiam illos centum, nullam committerem uſuram. Dicitur *quæſitum*, quia ſi non quærat, ſed ille qui mutuò accepit daret ex amicitia, vel liberalitate propter beneficium præſtitum, non erit uſura; utrum autem donatio & oblatio fiat ex amicitia & liberalitate facilè advertitur, ſi mutuatarius det hilariter, gaudenter, ſine ulla prævia facta inſinuatione Mutuatoris, quæ ſi præceſſit, præſumitur Mutuatarium in pretium mutuationis dediſſe, quod tunc non poteſt retinere, niſi conſtet expreſsè de mente mutuatarii. Dicitur tandem, *vel intentum*, quia non ſolùm ille qui paciſcitur de pretio & lucro dando ob mutuum peccat, ſed etiam qui intendit; intendere etenim latius patet, quàm paciſci, omne enim pactum intentum eſt, non tamen omne intentum pactum.

5. Uſura realis & mentalis.

DICO 2. *Uſura ſeu acquiſitio lucri eſt duplex, Mentalis & Realis.* Eſt communis & explicatur *Realis* eſt, quæ cum pacto expreſſo, vel tacito fit. *Mentalis* verò ſecundùm Aretinum eſt, quando aliquid accipitur ſine pacto expreſſo vel tacito, ex vi dati mutui, ut deducitur ex *cap. Conſulit. & cap. final. de Uſuris*, unde ſequitur uſuram mentalem non dici talem ex ea ratione, quâ alia peccata, quæ opere & facto non conſummantur, mentalia vocantur, quare dicit, aliud eſt peccatum uſuræ mentalis, nam hoc nihil aliud eſt, quàm voluntas exercendi uſuram, & hoc non obligat ad reſtitutionem: *Mentalis* verò uſura eſt actualis ſine pacto acquiſitio, quæ explicatio bona eſt ſi conſideretur pro ipſo lucro, ſeu acquiſitione lucri. Verùm alii Authores tot, quot habui, dicunt uſuram mentalem eſſe eam, quando ſperat quiſpiam, quòd vi mutui ſit accepturus pecuniam, unde altera explicatio erit actus ſecundus hujus uſuræ, quæ nunquam obligat ad reſtitutionem, niſi ille alter ſubſequatur.

6. Uſura aperta & palliata.

Uſura Realis ut contractus eſt, eſt iterum duplex *Aperta* ſcilicet & *Palliata*: *Aperta* eſt, quæ verbis expreſſis exercetur contrahendo, & paciſcendo de re aliqua pretio æſtimabili danda ſupra ſortem, v. g. mutuo tibi 500. aureos, ut mihi des poſt annum 110. *Palliata* eſt, quæ fit nomine & ſub pallio alterius contractûs v. g. Emptionis, venditionis, depoſiti, ut ſi mercator venderet rem pro centum florenis ob dilatam ſolutionem, cùm tamen non valeat niſi 90. tunc enim cenſetur hos 90. florenos dediſſe alteri mutuò, ut poſt annum reſtituat cum incremento, ita habetur, *cap. In civitate, & cap. Conſuluit. de uſuris.* Similiter autem ſi emptor ob anticipatam ſolutionem rem minori pretio emat, quàm valeat, uſuram palliatam committit, ex *cap. Naviganti, de uſuris*, intellige tamen, ſi non exiſtimet, quòd revera verno v. g. tempore minus ſit valitura. Item uſuram palliatam committit, qui apud Titium 100. aureos deponit dando ei facultatem, ut eis utatur ſi voluerit eo pacto, ut poſt annum rehabeat 100. illos & decem ſupra, Ex *L. Certi. §. ult. & L. ſequent. ff. de rebus creditis.*

Uſura iterum tripliciter dividitur nempe in *Compenſatoriam*, *Punitoriam*, & *Lucratoriam*. *Compenſatoria* eſt, quando aliquid ultra ſortem accipitur, vel deſuper contrahitur, ob id, quod abeſt, ſive ratione lucri ceſſantis, ſive damni emergentis, *L. ſi commiſſa. ff. Rem. rat. hab.* & hæc convenit cum *intereſſe*. *Punitoria* eſt, quando fit conventio, quòd ſi mutuarius negligens in ſolvendo teneatur tantum pretium dare in pœnam negligentiæ: *Lucratoria* verò eſt, quando obvenit lucrum præcisè ex vi mutui. Et de hac, quia de aliis in ſequentibus.

7. Uſura Lucratoria eſt contra omnia jura

DICO 3. *Uſura lucratoria realis aperta, vel palliata, ſive accipiatur pro lucri acquiſitione, ſive pro contractu eſt peccatum contra legem Naturæ, Moſaicam, Evangelicam, & Canonicam.* Hæc eſt contra Græcos aſſerentes uſuras nullo jure eſſe prohibitas, atque adeò non eſſe peccatum dare aliquid ad uſuram, ut refert Alfonſus à Caſtro. Verùm error eorum damnatus eſt in Concilio Viennenſi, ſub Clemente V. ſicenim ibi legitur: *Sanè ſi quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat, uſuras non eſſe peccatum, decernimus eum veluti hæreticum puniendum*, quæ verba habentur *lib. 5. Clementinarum. tit. de Uſuris. cap. ex Gravi. §. ult.* & ante hac idem damnaverat Concilium Nicænum *can. 18. qui refertur. cap. Quoniam. XIV. q. 4.* Probatur ergo concluſio quoad 1. partem: Quia contra legem naturæ eſt velle lucrum quærere ex re non ſua, & velle, ut res fructificet, quæ ex natura non fructificat, ſed qui accipit uſuram, hoc faceret, quia pecunia mutuò data non eſt ſua amplius, transfertur enim dominium per mutuum, nec pecunia de ſe nata eſt fructificare, ſed tantùm per induſtriam, iniquum autem eſt, quòd quis alienum laborem & induſtriam ſibi uſurpare velit, ergo.

Probatur 2. pars ex lege Moſaica, nam Exodi 22. dicitur: *Si pecuniam mutuò dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum, quaſi exactor, nec uſuris opprimes.* Ezechielis 18. *Et vir ſi fuerit juſtus, & fecerit juſtitiam &c. ad uſuram non accommodaverit, & amplius non acceperit, vita vivet, dicit Dominus.* Et alia plura in eodem capite. Pſalm. 14. *Qui jurat proximo & non decipit, qui non dedit pecuniam ſuam ad uſuram.* Et Pſalm. 54. inter alia vitia commemoratur uſura: *Non defecit de plateis ejus uſura & dolus* & tandem Pſalm. 71. de Meſchia dicitur: *Ex uſuris & iniquitate redimet animas eorum.*

Probatur 3. pars ex Lucæ 6. *Mutuum date nihil inde ſperantes.* Quem textum, quamvis Carolus Molinenſis, & Ludovicus explicent dicentes, locum hunc non probare præceptum, ſed ſolum conſilium, oppoſitum tamen certiſſimum eſt, Tum quia licèt prior pars *Mutuum date*, ex communi opinione contineat conſilium, poſterior tamen *nihil inde ſperantes*, continet præceptum, nè, qui mutuat, amplius aliquid inde expectet, ut expreſsè declarat Concilium Lateranenſe in *cap. Quia in omnibus. de uſuris.* Et Alexander III. in *cap. ſuper eodem. tit.* & Urbanus IV. in *cap. Conſuluit. de uſuris.* Aliàs dicendum eſſet, Urbanum Papam errâſſe, aut certò incogitanter reſpondiſſe adducendo illud Lucæ, & conſequenter Gregorium IX. dormitâſſe reponendo ejus reſponſum in Decretalibus, nam Urbanus non ſolùm aſſerit, quòd colligatur, ſed etiam quòd apertè colligatur ex illo Lucæ, peccare eum, qui ad uſuram mutuat, & non ſolùm peccare, qui mutuat cum pacto, ſed etiam cum ſola intentione accipiendi aliquid amplius.

Probatur 4. pars ex *cap. Nec hoc. d. 46.* Ubi Leo Papa decernit valde acriter debere puniri tam Clericos quàm Laicos convictos de uſura. Et *cap. Quia in omnibus X. de uſuris.* Alexander III. decernit, manifeſtum uſurarium puniendum triplici pœnâ nempe privatione communionis altaris, Eccleſiaſticæ ſepulturæ, & pœna repudiandi eorum oblationes. Et plura alia loca vide in jure ſub titulo de uſuris. Sed in contrarium

Opponitur 1. Authoritas ſcripturæ, nam Deuteronomii 23. conceditur Judæis uſura: *Non fœneraberis fratri tuo, ſed alieno*, ergo in lege antiqua non erat prohibita ſed conceſſa: imo cap. 15. antecedenter promittitur fœneratio per modum benedictionis ſervantibus legem Domini: *Fœneraberis gentibus multis, & ipſe mutuum non acciptes*, ſed quod promittitur per modum benedictionis, non eſt prohibitum, nec malum, ergo. Reſpond. 1. ad ultimum textum per ly *Fœneraberis* non intelligi accipere aliquid ultra ſortem mutui, ſed abundantiam, id eſt abundabis ita, quòd aliis mutuare poteris, & tu non accipies mutuum, fœnerari itaque frequenter accipitur pro mutuare, ut patet ex illo: *Non fœneraberis fratri tuo ad uſuram*, ubi apertè ſignificat mutuare, alioquin

8. Uſura Judæis erat prohibita

non

non modò superflue, sed etiam ineptè superadderetur *ad usuram*. Respond. 2. ad primum textum, ibi solum permitti usuram alieno, sicut permittuntur in eodem capite meretrices, quæ non sunt de filiabus Israël, non quod tales meretrices non sint de se malæ, sed ad impediendum majus malum, ita exponunt multi SS. Patres. Respond. 3. In illo Deuteronomii non concedi Judæis mutuationem usurariam verum, sed similitudinariam, quæ est quando alioquin mihi aliquid debes, & me vel invito, vel alioquin solvere mutuum datum nolis, prout contingebat filiis Israël, quibus terra promissionis data fuit à DEO, quam gentiles injustè detinebant, igitur concessit eis Moyses ut si non in toto saltem in parte sibi satisfacerent, sicut etiam concessit eis, ut ab Ægyptiis vasa aurea & argentea mutuarent, quæ secum auferrent, in satisfactionem & compensationem laborum, quibus ab Ægyptiis aggravati fuerant, & in hac sententia apertè fuit S. Ambrosius q. 15. in Tobiam cap. 4. ubi sic habet. *Ab illo exige usuram, cui meritò nocere desiderasti, cui merito inferuntur arma, huic legitimè efferuntur usuræ, si ferro dimicas, qui usuram flagitat, sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit exactor inimici, ergo ubi est jus belli, ibi est jus usuræ.* Ita ille.

2. Jura Civilia quales usuras admittant.

Opponitur 2. Authoritas juris civilis, quod usuras concedit, ut patet ex pluribus legibus *C. de usuris*. Sed Respond. 1. Jus civile non quascunque usuras admisisse, sed summam, quæ dicitur *Centesima*. Centesima autem erat una quantitas sortis, singulis mensibus aucta, ut si tibi mutuassem 100. aureos hoc pacto, ut singulis mensibus sorti accresceret mihi uns aureus, & sic per annum venirent 12. aurei, & ab hac usura maxima permissa dicebantur aliæ trisscentissimæ, quatercentissimæ &c. hæc autem usura centesima licet permissa, non fuit tamen permissa omnibus, sed tantum Illustribus & iis, qui sunt ante Illustres, & hoc solum in pecunia trajectitia pernare, ita ut damnum maneret apud mutuantem, non verò apud mutuatarium. Ita habetur *L. Eos & C. de nauti fœner.* Nobilibus autem erat permissa sola *triens*, seu tertia pars centissimæ, v. g. quatuor aureos pro centum: Mercatoribus duæ partes centissimæ permittebantur id est v. g. octo aureos pro centum, reliquis verò dimidium centissimæ, id est, sex per centum, & hæc usque hodie inter omnes currit, & vocatur *Interesse*. Deinde jus civile non concessit usuras usurarum, ut si quis mutuaret 100. aureos, ut singulis annis ipsi accresceren sex, hos sex non poterat iterum ad usuras computare, ut habetur. *L. ult. C. de usuris.* Respond. 2. quòd si tamen iuni leges cæsareæ, quæ veras usuras permittunt, eas esse per jus Canonicum correctas, ut patet ex *Clement. un. de usuris. in Concil. Viennn.* Imò Glossa *in auth. ad hæc C. de usuris* & quædam aliæ juris Canonici affirmant ipsum Justinianum abrogâsse leges de usuris, quod probant ex eo, quòd idem Imperator admiserit fidem Nicænæ Synodi, eamque servare præcepit, sed in dicto Concilio damnatæ sunt usuræ, ergo. Sed ex ratione quoque

Arguitur: Illud est licitum sine quo humana societas, Respublicæ, & Civitates conservari nequeunt, sed sine mutuatione usuraria consistere nequeunt, ergo illa est necessario admittenda: patet maj: probatur minor, quia sine usuris nemo dives mutuabit indigenti, quia ita homines comparati sunt, ut citra aliquod commodum suum, aliorum commodum promovere nolint, ergo. Respond. 1. distin. mai. Sine quo absolutè non potest subsistere communitas, Concedo maj. sine quo non potest subsistere communitas commodè, & maximè si illud commodum oriatur ex culpa, & contra præceptum divinum, cum animæ salutis jactura, nego mai. Respond. 2. neg. min. Tum, quia in primitiva Ecclesia perfectè stetit Christiana respublica absque eo quòd essent inter ipsos usurarii, quamvis essent plurimi eorum egentes & pauperes: Tum, Quia actus ex natura sua damnosus membris, non censetur utilis corpori esse. Tum, Quia usura depauperat & destruit membra communitatum, adeoque utilis non est communitati, sed tantùm quibusdam privatis Euclionibus: Tum, Quia nihil necessarium ad bonum communitatis unquam est prohibitum lege positiva divina, vel Ecclesiastica, atqui usuræ sunt prohibitæ omni jure & lege, ergo. Respond. 3. neg. mino: & ad probationem dico primò hoc esse speciosum latrocinium & pietatem simulatam, quæ si diligenter extirparetur, bene tunc inverentur qui mutuarent gratis. Dico secundò: nec esse necesse in communitate ullos homines, qui aliis mutuent indifferenter, nè per hoc discolis, pigris &c. præbeatur occasio bona sua dilapidandi, & negligenter vivendi. Tertiò, posito quòd esset aliqua incommoditas non invenire mutuantes ad usuras, hæc tamen incommoditas est multò melior, quàm commoditas cum periculo salutis animarum. Tandem communitas non debet habere omnem commoditatem.

Argui-

Arguitur 2. Mutuator habet ſufficientes titulos, ratione quorum poſſit aliquid accipere ultra ſortem: Primò eſt labor, quòd numeret pecuniam. Secundò, carentia rei per notabile tempus, quò rem ſuam non habet. Tertiò, obligatio non repetendi ante definitum tempus, ſed iſta ſunt omnia pretio æſtimabilia, ergo. Reſpond. neg. min. & ad primum titulum dico, quòd ſi quid pro labore iſto, quem quis habet in numeranda pecunia, aliquid dari debet, hoc fieri non ratione mutui ſed ratione operæ præſtitæ, & illud non debet fieri annuè, imò nec eſt neceſſarium expectare ad annum, ſed poteſt fieri ſtatim; Deinde non debet eſſe tantum ſicut ſolent eſſe uſuræ, ſed proportionatum ad laborem. Ad 2. titulum dico, nullum eſſe, quia hæc carentia eſt mutuò intrinſeca & eſſentialis; ſimiliter nec pro obligatione aliquid accipi poteſt, quia in mutuatore non conſurgit aliqua obligatio, ſicut nec oritur in donante, & rem alteri tradente, ſed in mutuatario, quia mutuator ſolùm mutuum prorogat, & beneficium, quod gratuitò præſtare debet, extendit.

Arguitur 3. Poteſt aliquis accipere quidpiam pro uſu equi, pro uſu domus, quam locat, ergo etiam pro uſu pecuniæ, quam mutuat. Reſpond. negando conſequ. Quando enim quis locat domum, vel equum accommodat, non transfert dominium, unde ſi pereant ſine culpa eorum, quibus accommodantur, non debeat reſtitui, ſed quando quis mutuat, transfert dominium, & ſi pereat mutuum quocunque modo, debet reſtitui. Item equus & domus per uſum illum deteriorari poſſunt, & ſic pro illo accipi poteſt aliquid. Tandem in equo & domo poſſunt ſeparari, & ſeparatim haberi uſus & dominium, qualiter cenſent alii non poſſe fieri in pecunia, &c.

Quæſtio III.

De Uſura Mentali.

1. Sperare lucrum ex ſe non eſt malum.

POſt generale examen de uſuræ natura, ad ſingulas in particulari deſcendo, & quod hic examinandum aſſumo, eſt illud præceptum Chriſti *nihil inde ſperantes*, quod ordinariè in uſura mentali evenit, quando quis extrinſecè mutuat, interè tamen ex mutuo vi illius lucrum ſperat: pro quo Notandum 1. Intendere & ſperare lucrum de ſe non eſſe malum, ſed variari ex modo quo intenditur, ſicut & quòd Miniſter Epiſcopi intendat beneficium non eſt malum abſolutè, ſed vitiatur ſi intendat ex vi obſequii, aut alterius rei temporalis.

2. Intendere & ſperare non eſt idem.

Notandum 2. Non eſſe per omnia idem intendere & ſperare aliquid, quia multa ſperamus, quæ non intendimus: Differunt itaque inter ſe, quòd intentio principaliter reſpiciat finem, nam intentio non dicit ſolùm velle rem, ſed etiam finem operationis, ut propter rem illam homo operetur, Spes verò eſt de rebus minus principaliter concupitis, unde multa ſperamus eventura, ex eorum affectu tamen non operamur, ut eveniant, etiamſi ſciamus illa ex noſtro opere eſſe eventura, adeoque textus Chriſti Domini ſuprà allegatus ex Lucæ 6. *Nihil inde ſperantes*, ſignificat ac nihil inde intendentes, tanquam agentes ex hoc fine ut inde aliquid acquiratis. Itaque ulterius

3. Spes lucri duplex eſſe poteſt.

Notandum 3. Spem lucri eſſe duplicem *Principalem* ſcilicet & *minus principalem*: Illa eſt, quæ eſt cauſa finalis movens aliquem ad mutuandum, ita quòd non mutuaret, ſi non ſperaret aliquod lucrum inde, & hoc poteſt evenire dupliciter Primò, quòd ſic mutuet, ut ex vi mutui aliquid ultra ſortem ſperet: Secundò ita quòd quidem ex mutuo ſperet aliquid, ſed non ex mutuo, id eſt vi mutui, ſed ex benevolentia mutuarii, quem ſi non ſperaret gratanter aliquid eſſe oblaturum, non mutuaret. *Minus Principalis* eſt, qua non exiſtente nihilominus mutuatio fieret, v.g. eſto quòd Petrus ſperet ex mutuo aliquid ultra ſortem, ſi tamen non ſperaret, adhuc mutuaret, & ex hac aliquid ſperare non eſt committere uſuram mentalem, de priori ergo eſt difficultas in utraque acceptione, & reſolutivè.

4. Sperare lucrum vi mutui eſt illicitum.

DICO 1. *Sperare lucrum ex vi mutui ſive primaria ſive ſecundaria intentione, dummodo id intendatur ex vi obligationis civilis, aut juſtitiæ, illicitum*

tum eſt, & uſurarium. Probatur uſura eſt lucrum ex mutuo principaliter ut tali proveniens, ergo quicunque intendit lucrum ex vi mutui, ſive primariò, ſive ſecundariò, eſt uſurarius. Confirmatur: Qui ex re temporali intendit acquirere beneficium, ſive mediatè, ſive immediatè, ſimoniacus eſt, ergo etiam qui intendit lucrum ex vi mutui ſive primariò, ſive ſecundariò uſurarius eſt, conſequentia patet à pari. Confirmatur 2. Quia objectum de ſe & intrinſecè malum per nullam intentionem fieri poteſt non eſſe tale, ut patet, ſed, uſura eſt intrinſecè mala, ergo. Contra hanc concluſionem multa congerit argumenta Navarrus, in quibus probat, multa eſſe appetere licitum propter aliud, & ex alio, quæ tamen propter ſe, & ex primaria intentione appetere eſſet iniquum, ſed nihil contra eam evincunt, quia ſemper dicimus *ex vi mutui*, ut talis, & *ex vi obligationis civilis*, quia ſi aliunde proveniat aliquid, non cenſeo eſſe uſurarium. hinc

DICO 2. *Quòd licèt lucrum ſperatum, quod eſt cauſa ſine qua non, mutationis, uſurarium ſit, quando ex vi mutui ſperat, non eſt tamen uſurarius, nec peccatum committit, ſi illud ſperat ex gratitudine, amicitia, liberalitate, benevolentia mutuatarii, eſto, ſi illud non ſperaret, non eſſet mutuaturus.* Ita D. Thomas, Cajetanus, Almaynus, Aretinus, &c. Probatur 1. ex communi omnium hominum judicio univerſaliter excuſantium eum à culpa, qui ſciens aliquem gratum eſſe de beneficio accepto mutuat illi, & non ei quem ingratum eſſe noſcit. Secundò, Quia cùm ſit licitum ſpe benevolentiæ & amicitiæ alicui mutuare, fit conſequenter etiam, ut ſit licitum recompenſationem & remunerationem gratuitam ex tali amicitia proventuram ſperare, nam cui licitum eſt radicem deſiderare, licitum etiam eſt fructum inde venturum ſperare. Tertiò licitum eſt homini ab alio id expectare & ſperare, quod jure naturali ſibi debitum eſt, ſed talis gratuita remuneratio mutuatarii reſpectu mutuantis, omni extrinſeco pacto ſecluſo, eſt debita, ergo ſi mutuans illam ſperat, non peccat. Quartò: Is, qui pergit ad Eccleſiam officium divinum ibi principaliter perſoluturus quidem propter DEUM, ſecundariò verò & minus principaliter propter ſtipendium, quod ſi non ſperaret, ad Eccleſiam non pergeret, in quo caſu certum eſt ex communi Doctorum ſententia, talem nec ſimoniacum eſſe, nec quodlibet aliud peccatum committere, ergo ſimiliter nec uſurarius eſt, nec quodvis aliud peccatum committit mutuando propter lucrum non ex mutuo, ſed ex benevolentia mutuatarii, etiamſi lucrum ſit cauſa ſine qua non talis mutuationis.

3. Sperare lucrum ex benevolentia non eſt peccatum.

Quæſtio IV.

De Uſura Lucratoria.

LUcrum, quod alicui ex mutuo provenire poteſt tanquam commodum, duplex eſt, unum quod ex natura ſua, vel prudentum judicio cenſetur pretio æſtimabile, & eſt quod pecuniâ comparari ſolet, alterum quod nec natura, nec prudentum judicio cenſetur pretio æſtimabile, & eſt quod nec pecuniâ comparari ſolet, ſed amore, benevolentiâ, & amicitia exhibetur ex pura & gratuita hominum voluntate. Ubi notandum ulterius amoris & benevolentiæ ſigna eſſe iterum in duplici differentia, alia enim ſunt *Negativa*, alia *Poſitiva*. *Negativa* ſunt nõ nocere, v.g. non vexare, non offendere: *Poſitiva* verò ſunt obſequia gratuitò aliis præſtita, & hæc quoque duplicia ſunt, *Generalia*, ut amicum & gratum ſe oſtendere erga benefactorem, ubi & quando occaſio tulerit: & alia ſunt *ſpecialia*, v.g. hæc vel illa ſigna in individuo determinata exhibere. His prænotatis Aretinus &c. docent non poſſe ratione mutui quidquam in pactum deduci, ſive illud ſit pretio æſtimabile, ſive non. Sotus verò & Lopetz, docent, non poſſe quidquam ratione mutui in pactum deduci ſine uſuræ labe, quod eſt pretio æſtimabile, bene tamen illud, quod non eſt pretio æſtimabile. Medina verò, Navarrus, Valentia, Silvius, Amicus, Bonacinna, & Mattrius dicunt, nec pretio æſtimabilia, nec ſigna poſitiva ſpecialia & in individuo determinata, ſine uſuræ crimine in pactum deduci poſſe, bene tamen ſigna negativa, & poſitiva generalia, cum quibus etiam ſentiendum cenſeo. Unde

1. Lucrum poteſt eſſe duplex.

2. Amicitiæ ſigna in duplici differentia.

DICO 1. *Non eſt uſurarius, qui colono petenti, & volenti agrum ſuum conducere & colere, mutuo dat pecunias ad emendos boves, & alia neceſſaria ad culturam agri.* Ita Bonacinna. Probatur: Quia talis ex contractu mutui nullam imponit obligationem ad conducendum, vel colendum agrum, cùm jam ſupponatur paratus, & ſemetipſum liberè offerat, ſi tamen non eſſet paratus, ſed ei pecuniam mutuare promitteret, ſi ſuum agrum colere vellet, uſurarius eſſet, quia hæc obligatio eſt pretio æſtimabilis.

1. Mutuans Colono ut colat agrũ non eſt uſurarius.

4. Mutuans alteri ne noceat non est usurarius.

DICO 2. *Non committit usuram lucrativam, qui mutuat cum pacto, ut ei non noceat, non offendat, ut ei dimittat injuriam, offensam, injustam satisfactionem, odium, vel ut ipsi restituat, quod de jure debetur.* Ita Authores tertiæ Sententiæ & Probatur 1. Ex *C. Dilectus 2. de Simonia.* ubi dicitur: unicuique licitum esse redimere vexam suam. Secundò: Quia mutuator non imponit mutuatario majorem obligationem, quàm antecedenter habebat, nec ipse mutuator aliquid accipit, quod ipsi antecedenter non deberetur, quia mutuatarius ex ipsa lege naturali secluso omni pacto tenetur illa signa amicitiæ & benevolentiæ præstare, ergo. Tertiò: Quia nihil prohibet, nam istud Lucæ 6. *Nihil inde sperantes* intelligitur tantum de spe, titulo justitiæ, non verò benevolentiæ, & gratitudinis, ergo.

5. Mutuans cum Contractu pignoris non est usurarius.

DICO 3. *Non committit usuram lucrativam, qui mutuat cum pacto, ut mutuatarius ineat pactum, vel contractum pignoris, vel hypothecæ pro securitate mutui.* Ita Navarrus, Bonacinna &c. Probatur, Quia mutuatori assecuratio est debita, nec imponit mutuatario obligationem, quàm exigere non possit; quòd si tamen contractum faceret, ut mutuatarius pro mutuatore fidei jussorem agat, usuram committeret.

6. Creditò vendens non est usurarius.

DICO 4. *Non committit usuram, qui suas merces creditò vendit, ut plures attrahat emptores ad emendum, si reliqua observet.* Ita Molina, Bonacinna, &c. Probatur: Tum, Quia utitur jure suo, cùm possit res suas vendere non solùm numeratâ, sed & creditâ pecuniâ, Tum, Quia licèt vendens creditò dicatur virtualiter mutuare usque ad tempus solutioni præfixum, attamen quia nihil accipit ultra sortem, suppono enim quòd justo pretio vendat, & non altiori ob dilatam solutionem, adeòque neque usuram committet.

7. Officii causa mutuare est usura.

DICO 5. *Committit usuram lucrativam, qui mutuat hoc pacto, ut ei conferat aliquod officium.* Ita Aretinus. Probatur: Quia collatio illa beneficii, vel officii est ultra sortem. Sed Quæres: An mutuans teneatur officium sic acceptum restituere, vel resignare? Respond. Affirmativè ex Aretino, si potest, mutuatario, aut ipsi, cui ille vult, & si non potest debet ei restituere quantum apparebit æquivalens damno ipsius, quia revera fuit ipsi facta injuria, cùm coactus fuerit ex pacto dare tanquam pretium, quod non tenebatur dare. Ex quo sequitur, quòd si pactum fuit de dando beneficio Ecclesiastico, contractum non solùm usurarium esse, sed & simoniacum.

8. Obligatio ad remutuandum usuraticum est.

DICO 6. *Committit usuram lucrativam, qui eo pacto mutuat, ut alter sit etiam obligatus in futuro ad remutuandum.* Ita D. Thomas, Sylvèster, Gabriel, Medina, Aretinus, &c. Probatur: Quia gravamen illud ut in futuro velit, nolit, civiliter teneatur dare mutuo, est quid pretio æstimabile, atque adeò exigere obligationem illam pro mutuo, est exigere aliquid ultra sortem, & consequenter usura. Quare ejusmodi pactum neque in conscientia, neque in foro exteriori obligat. eò quòd usura sit, ac proinde si vi præcedentis mutui in compensationem mutuum acceptum sit, tenebitur accipiens ad restitutionem dauti, quantum prudentis judicio æstimabitur illa obligatio ad remutuandum. Si verò mutuator pro præsenti non vellet mutuare, nisi alter etiam mutuaret, v. g. vinum apponendo remutuationem per modum conditionis de præsenti, non esset usura, quia tunc alter ad nihil tenetur, sed manet liber, an cum tali conditione velit mutuare, nec ne? & mutuans sic nihil accipit ultra sortem, cùm nondum rem suam in alium transtulerit. Imò, si mutuator in pactum deduceret, ut debitor ei totidem mutuò det, quando absque hoc à jure eo pacto secluso erit obligatus mutuare, non est usura, quia certum est ex jure, licere mutuanti absque vitio usuræ deducere in pactum obligationem antidoralem, id est, ex gratitudine, honestate, &c. morali, qua recipiens mutuum mutuanti simile beneficium impendere tenetur, modò adjiciatur, quòd promittens non plus obligetur, quàm aliàs tenebatur cessante pacto. Ita docent Navarrus, Conradus, Aretinus &c.

9. Obsequii causa mutuare est usura.

DICO 7. *Universaliter loquendo usuram lucrativam committit, qui ex obligatione civili justitiæ in pactum & conventionem vi mutui deducit quodcunque munus vel officium, à lingua, obsequio, aut manu.* Ita D. Thomas, Azorius, Molina, Salonius, Bonacinna &c. *Officium à lingua* est, v. g Obligatum esse pro alio loqui Principi, Regi, canere, &c. *Ab obsequio* est officia particularia & signa amicitiæ exhibere ut comitari dominum, servire ad mensam &c. *A manu* est, conducere agrum, eum colere, laborare &c. Probatur conclusio. Quia pactio quâ imponitur mutuario onus pretio æstimabile tanquam ex justitia debitum, usuraria est, cùm per ipsam exigatur aliquid ultra sortem, talis autem pactio & conventio per quam imponitur

Digitized by Google

ponitur mutuatario onus & obligatio quasi ex justitia, cùm hujusmodi obligatio tollat libertatem, est pretio æstimabilis. *L. sicut. C. de action: & obligat.*

10. Casus plures usurarii.

Ex hac Conclusione per modum corollarii infero, usuram committi, si Regens mutuet scholari, aut Professor discipulo, ut veniat ad ipsius lectiones. Item Dominus rustico libero, & aliàs non obligato, vel civi, ut veniat ad ejus molendinum: Mercator, ut mutuatarius ex sua, vel aliqua alia determinata officina accipiat merces: Infirmus medico, ut justo pretio eum curet: Litigans juris perito, ut suam causam agat: Villicus colono ut agrum colat: Item qui dat mutuum fœminæ, cum hac obligatione, ut sui copiam faciat; omnes, inquam, tales & similes usuram lucrativam committunt, ut docent Molina, Rebellus, Reginaldus, Bonacinna &c.

Quæstio V.

De Usura Punitoria.

1. Usura punitoria quæ sit.

PRo resolutione notandum, usuram punitoriam eam dici, quando quis ex pœna debet aliquid ultra sortem dare. Pœna autem, unde usura dicitur Punitoria triplex est: *Conditionalis*, seu *conventionalis* estq; quando partes conveniunt, & paciscuntur, ut si debitor negligens fuerit in restituenda re mutuata, obligatus sit in pœnam negligentiæ dare aliquid ultra sortem. Alia est *Pœna Judicialis*, quando ob negligentiam coram judice citatur reus & debitor, eique authoritate judicis injungitur, ut in pœnam aliquid ultra sortem solvat. Tertia est *Legalis*, quæ imponitur debitori per leges sive civiles, sive Canonicas, sive municipales.

2. Pœna Conventionalis quæ.

Notandum 2. Ad hoc ut pœna conventionalis licitè imponatur contractui, tres adesse debere conditiones Prima, ut pœna sit moderata, & proportionata culpæ. Secunda, ut non fiat in fraudem usuræ, id est, ne fiat impositio hujusmodi pœnæ ad palliandam usuram, quod tunc cognosces, quando mutuans conscientiâ sua teste mallet sibi pecuniam persolutam in termino præfixo, quàm in crastino cum pœna affixa, & per oppositum tunc censetur pœna apponi in fraudem usuræ, quando in mente affectat præterlapsum terminum statuti temporis, ut mutuatam pecuniam cum adjecta pœna repetere possit. Tertia est, ut mutuatarius revera in culpabili mora sit, nam si sine sua culpa factus sit impotens ad solvendum, non tenetur præstare pœnam conventionalem, ut si fuisset infirmus, nimium distans à creditore, detentus in carcere &c. Et ad legitimam pœnam judicialem & legalem verè similes requiruntur conditiones. His prænotatis

3. Mutuatarius potest obligari ad pœnam aliquam.

DICO 1. *Mutuatarius licitè potest obligari ad pœnam judicialem & legalem, si deficiat in termino præfixo.* Ita Aretinus & communis sententia Doctorum, Ratio est, quia servatis conditionibus æqui & justi judicii nulla apparet in hoc iniquitas. Hæc tamen pœna ante sententiam judicis non est solvenda.

4. Mutuans ratione pœnæ potest aliquid accipere.

DICO 2. *Licet quoque mutuanti ratione pœnæ conventionalis aliquid ultra sortem accipere, si mutuatarius fuerit in mora solvendi.* Ita Sylvester, Turrianus, Garzias, & Probatur 1. ex *Cap. suam de pœnis & L. si pacto, quo pœnam. C. de pœnis ubi id decernitur.* Secundò Quia mutuatarius existens in mora peccat contra justitiam, & propter peccatum dignus est pœnâ, ergo. Tertiò Quia pertinet non solùm ad superiorem imponere pœnas, sed etiam ad privatos de ipsorum consensu, quilibet enim est rerum suarum moderator, & Arbiter.

5. Pactum Legis Commissoriæ illicitum.

DICO 3. *Pactum legis commissoria in pignoribus per se loquendo, illicitum est, & usurarium.* Ita Sylvester, Navarrus, Lopetz, Azorius, Bonacinna &c. Nota autem pactum legis Commissoriæ in pignoribus esse, quando quis accipit pignus pro mutuo, vel pro alio debito, ea conditione, ut si debitor non solvat intra certum terminum, pignus fiat creditoris, aut venditum habeatur, & ideo dicitur pactum legis commissoriæ, quòd si non solvat debitor, pignus cadat in commissum, & debitor amittat jus rei suæ propter culpam commissam, non solvendo statuto tempore. Jam Probatur conclusio 1. ex jure Canonico *cap. significante, de pignoribus.* Secundò ex jure Cæsareo, *L. 1. & ult. C. de pactis.* Tertiò Quia per hujusmodi pactum videtur accipi aliquid ultra sortem ex mutuo. Dixi *per se loquendo*, Quia fieri potest, ut aliquando tale pa-

ctum non ſit illicitum v. g. quando hujusmodi pactum ponitur ad contractum in pœnam. Sed

Dices 1. Pactum legis commiſſoriæ eſt licitum in venditione, ut patet, ergo etiam in pignoribus. Reſpond. negando conſequ. Quia in venditione nulla apparet injuſtitia ſicut in pignoribus, quia tunc accipitur aliquid ultra ſortem: Si tamen tale pactum committeretur, ut pignus elapſo tempore venderetur juſto pretio, & ſuperfluum reſtituatur domino, non committeret uſuram, quia tunc non acciperet aliquid ultra ſortem, ſed tantùm ſe ſervaret indemnem, & idem dicendum eſt, ſi pignus non valeat plus, quàm mutuum, ob eandem rationem.

Dices 2. Fidejuſſor poteſt apponere pactum, ut ſi ille pro quo fidejubet, non ſolvat ſtatuto tempore, pignus ſibi venditum maneat pro certo pretio, ergo etiam mutuator poteſt hoc idem pactum apponere. Reſpond. 1. Cum Covarruvia negando antec. Reſpond. 2. cum Bonacinna neg. conſequ. Diſparitas eſt, Quia hujusmodi pactum approbatur in fidejuſſione *L. ult. ff. de contrab. empt.* in mutuo verò reprobatur, ut patet ex legibus citatis. Imo nec fidejuſſor excuſatur, ſi vellet ſibi pignus retinere pro non juſto pretio.

6. Creditor non poteſt recipere fructus pignoris ultra,

DICO 4. *Creditor non poteſt retinere fructus pignoris accepti ad ſecuritatem crediti, ſed deductis expenſis debet eos reddere debitori, aut computare in ſortem capitalis, niſi aliqua juſta cauſa ſubſit, ratione cujus illos poſſet retinere.* Ita Leſſius, Rodriquez, Bannes, Filliucius, apud Bonacinnam. Probatur 1. Quia ſic decernitur, *Cap. 1. & 2. de uſuris.* Secundò: Quia illicitum eſt aliquid accipere ultra ſortem ex mutuo: Tertiò, Quia res Domino fructificat, ſed pignus eſt debitoris, nam ſi pereat absque creditoris negligentia, perit debitori, ergo fructus reſtituendi ſunt debitori. Dixi *niſi juſta cauſa ſubſit.* Et talis cenſetur eſſe, quando eſt ratio lucri ceſſantis, & damni emergentis; & ob hoc poteſt gener percipere fructus pignoris, quod in fundo dedit ipſi ſocer, & etiam ob aliam rationem, videlicet, quia pignus v. g. fundus non eſt datus genero præciſè ad ſecuritatem dotis, ſed etiam ad ſuſtinenda onera matrimonii. Similiter ſi feudatarius daret Domino directo feudum in pignus, Dominus directus poſſet omnes fructus provenientes percipere, quia feudum videtur habere hanc tacitam conditionem, quòd ſi ad Dominum directum etiam ut pignus redierit, Domino directo fructificet.

Quæſtio IV.

De Uſura Compenſatoria, & Intereſſe.

2. Uſura compenſatoria explicatur.

Uſura Compenſatoria ea eſt, quando aliquid ultra ſortem accipitur ob mutuum datum ob Intereſſe mutuatoris; *Intereſſe* autem ſecundùm Hotomannum eſt, quando æſtimatur damnum, quod in re familiari alicujus alterius culpâ contingit, ſive quando diſcernitur inter eam conditionem, quæ in re familiari alicujus vel ante fuit, vel omnino futura erat, & eam quæ nunc ex alterius culpa eſt, & ideo ſi mutuator ob has conditiones aliquid ultra ſortem accipiat, non committit uſuram, ſed tantùm ſuum intereſſe compenſat.

2. Intereſſe eſt duplex.

Intereſſe apud Jurisperitos communiter duplex eſt, unum *damni emergentis*, & alterum *Lucri ceſſantis*: Et de utroque extant textus expreſſi in *L. 3. §. final. ff. de eo quod certo loco, & L. ſi commiſſa. 53. ff. Ratam rem haberi. L. Cum Prætor 81. ff. de v. ſ. & L. unica. ff. de ſentent. quæ pro eo quod intereſt. prof.* *Damni emergentis* dicitur: quando mutuator ex eo quòd mutuo det, incurrit in rebus ſuis jam habitis, vel certò per hæreditatem habendis, jacturam & detrimentum, ut ſi quis habens pecuniam ad reparationem domûs, eam tamen mutuò det ab alio rogatus, ſi domus per carentiam pecuniæ ruinetur magis, eſt damnum emergens, vel frumentum, aut alias res cariùs fuit coactus emere. *Lucri ceſſantis* dicitur: quando mutuator non patitur quidem jacturam in rebus habitis & poſſeſſis, ſed impeditur, quo minus res ſuas augere poſſit, & plura lucrari, ut ſi quis haberet pecuniam ad negotiandum, ad emendas villas, & agros, eam tamen mutuat, unde privatur lucro, quod ex negotiatione, villis & agris erat habiturus, quod proinde abeſt, & mutuatori multum intereſt. His prænotatis in quæſtione hac quæritur, an propter hoc utrumque intereſſe poſſit aliquid ultra ſortem accipi? Item: An ratione ſolius periculi? Item: An veram habeant rationem Intereſſe penſio-

penſiones illæ, quando pro diverſitate patriarum dantur pro centum, quinque ſex, aut octo? prout eſt communiſſima & notiſſima praxis, quibus præmiſſis

3. Damnum ob emergens aliquid accipi poteſt.

DICO 1. *Mutuator poteſt tutâ conſcientiâ aliquid ultra ſortem accipere ratione damni emergentis ex mutuo dato, ſi ante illud inſinuet, imò poteſt abſque uſuræ labe deſuper paciſci.* Ita D. Thomas, Scotus, Salonius, Filliucius, Aretinus, Maſtrius, Bonacinna & Probatur 1. ex *L. Non debet alteri. 74. ff. de R. J.* ubi dicitur: *Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.* Et L. *factum cuique 153. ff. eodem.* ubi habetur: *Factum cuique ſuum non alteri nocere debet.* Probatur 2. Quia ordinata charitas à ſeipſo incipere debet, & nemo tenetur alteri ſatisfacere cum proprio damno, ergo. Dixi *Si ante illud inſinuet*: aut *in pactum deducat.* Quia ſi tale damnum futurum non inſinuaret, aut ſi illud in pactum non deduceret, mutuatarius ad nihil teneretur, quia mutuatarius fortè non acceppiſſet mutuum cum tali onere, aut non expediviſſet illi accipere: Tum Quia non poteſt allegari titulus ob quem ad aliquid ultra ſortem teneretur: non quidem ex injuſta acceptione vel detentione, ut ſupponitur: neque ratione contractûs, quia talis non eſt factus, ergo. Si tamen in mora fuiſſet, & culpabiliter ſolutionem ultra terminum præfixum, teneretur ad damnum emergens: Tum, Quia non ſervans terminum præfixum, peccat contra juſtitiam: Tum, Quia debitor non ſolvens debito tempore creditori, tenetur damna reſarcire fidejuſſori, ex *cap. Pervenit. de fidejuſſorib.* Tum, Quia dum in contractibus præfigitur terminus ſolutionis, tacitè ſubintelligitur pactum, ut, ſi non ſolverit debito tempore, teneatur ad intereſſe obveniens ex defectu ſolutionis *L. 2, §. utique, & L. 4. ff. De eo quod certo loco.* ex concluſione hac prudens lector multa corollaria inferre poterit.

4. Lucrum ob ceſſans tutè aliquid accipitur.

DICO 2. *Licet aliquid ultra ſortem accipere, imò deſuper poteſt quis paciſci ob lucrum ceſſans, ſervatis conditionibus ad verum lucrum ceſſans requiſitis.* Ita Covaruvias, Aretinus, Maſtrius, Bannes, Bonacinna &c. & Probatur 1. Quia mutuatori non debet eſſe damnoſum ſuum officium in præſtando mutuo ex *L. ſed ſi quis. 7. ff. Quemadmodum teſtamenta apperiantur. cap. 2. de fidejuſſo.* ſupra. Probatur 2. Quia non ſolùm damnificatur aliquis, dum amittit quidpiam, quod habet, ſed etiam quando impeditur à lucro, quod habere poterat, *quod enim parum diſtat, nihil diſtare videtur.* Et *qui de proximo accingendus*, ut dicunt Juris conſulti, *pro accincto habendus eſt*, ergo. Tertiò: Quia ratione damni emergentis licitum eſt aliquid paciſci, ergo etiam ratione lucri ceſſantis, quia lucrum ceſſans eſt ipſum damnum emergens, nam prudens mercator pluris æſtimat lucrum in ſpe centum florenorum, quàm poſſeſſos viginti, ſed propter viginti damnum emergens poteſt aliquid ultra ſortem accipere, ergo & propter ceſſans. Quartò: Si quis ab operario petat, ut non locet operas ſuas aliis, ſed ſeipſum comitetur ad recreationem aliquam, ille operarius poteſt licitè exigere pretium lucri ex eo ceſſantis, quòd operas ſuas locare omittit. Item ſi quis mutuò petat ab opifice inſtrumentum artis, atque id in cauſa ſit, ut ille laborare omittat, licitè poteſt exigere non ſolùm quantum valet uſus inſtrumenti, ſed etiam quantum ſuo laborare & induſtria eſſet lucraturus, ergo pari ratione exigere poteſt mercator, qui deſtinatam habebat pecuniam ad negotiandum cum ſpe lucri futuri, quod omittat & ipſi ceſſat ex eo, quòd dederit eam mutuò.

Dixi autem *ſervatis conditionibus* &c, quæ ſunt quatuor: Prima, ut ſit verum intereſſe, & non fictum, aut ſaltem ut ſit veriſimile, id eſt, quòd revera eſſet negotiaturus, & quod lucrum inde ſperet. Secunda, quòd mutuum ſit cauſa omiſſionis lucri, id eſt, quòd in arca non habeat aliam pecuniam, cum qua negotiari poſſet, aut quòd illa alia pecunia non ſit applicata ad aliquem alium uſum vel determinata pro aliis neceſſitatibus. Tertia, ut lucrum non excedat intereſſe, alioquin erit uſura ratione illius exceſsus. Quarta, ut mutuator non exigat tantum, quantum credebatur lucrum futurum, ſed deductis expenſis, laboribus, incertitudine periculo &c.

5. Periculi cauſa aliquid ultra ſortem accipi poteſt.

DICO 3. *Licitum eſt in mutuo aliquid ultra ſortem accipere ratione, periculi amittendi capitale, vel illud recuperandi cum expenſis, vel laboribus.* Ita Medina, Amicus, Caplenſis, Silvius, Maſtrius &c. contra Navarrum, & Sotum &c. Probatur 1. Quia ſubiens tale periculum, poteſt ratione ipſius multum timere, & anxiari, ſed poteſt aliquis paciſci cum aliquo, ut ſi ipſius cauſa ſic moleſtetur, aliquid propterea det ſibi, quod æquivalet illi moleſtiæ, ergo. Probatur 2. Quia tale periculum eſt pretio æſtimabile, nec Mutua-

tor tenetur illud gratis fubire, ergo. Et hoc verum eſt, etiamſi revera nullum damnum poſtea ſequatur; Num quod accipit, non pro damno actuali, ſed pro periculo danni accipit. Tum quia Fideiſſor poteſt aliquid accipere pro periculo, ergo etiam Mutuator: Tum quia in venditione pecuniæ creditæ poteſt aliquid ultra accipi, ergo.

6. Obligationis cujuſcumque actus poteſt aliquid accipi.

DICO 4. *Si mutuans in ſe ſumat periculum conſervandi rem mutuatam, quando mutuatur poſſet iſſe periculum quod periclitatur antequam eſſet a mutuatario, poteſt aliquid ultra ſortem exigere ratione ſuius obligationis.* Eſt communior. Probatur. Quia alias, qui non eſt Mutuum, ſi in ſe aſſumeret tale periculum poſſet aliquid ob illud accipere, ergo & ipſe Mutuus.

Dices: Innocentius III. in *Cap. Navigantes De Uſur.* dicit Navigantì vel cuntì ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quòd ſuſcipiat in ſe periculum, recepturus aliquid ultra ſortem vſuarius eſt cenſendus, ergo. Reſpond. Pontificem loqui de eo qui accipit aliquid propter periculum quando revera non eſt tale.

Probatur 3. pars. Tum Ex conventia Eccleſiæ & Romani Pontificis, qui licè & non prohibet: Tum Ex Univerſali praxi Timoratorum tam ſecularium quàm Regularium, qui univerſaliter hoc practicant: Tum quia approbantur ab Epiſcopis & Ordinariis fundationes per cauſas pias ad Intereſſe huiusmodi: Tum quia videtur eſſe difficile Teſtatores talium Legatorum reburſuere de mora de nomine, quia de ſimili Teſtamento nec dolent nec pœnitent, ſed potius ſefe bene ſcifle exiſtimant: Tum quia ſus Civile non eſt in hac parte poſitivè correctum: Tum denique, quia Martinus V. reſpondens pro libe Epiſcopi Uratislavienſis, & Callixtus III. pro iisdem Iteratis approbant Fundationes ſuper tales pecuniarios cenſus, ut videre eſt in utraque Bulla, quæ incipiunt *Regiminis Univerſalis Eccleſiæ*: finit X. Et ut hæ Bullæ cùm principaliter agant de Cenſibus magis declarentur. Sit

Quæſtio VII.

Licet Cenſum dare Cæſari, an non?

ITa quærunt & interrogant Phariſæi ... ſEſum in ſermone tentantes Matth. 22. Et quod ille de Cæſari interrogarent, revera ego de omnibus Cenſibus explicandum affumo, an videlicet Cenſus ab Ufura immunes ſint. Pro quo Notandum 1. Cenſum ethymologicè ſignificari à *cenſendo*, ſeu *æſtimando*, eò quòd bona Civium olim recenſerentur, ut facta bonorum æſtimatione tributum ſolvi poſſet. Ita *Forma, ff. de Cenſibus*. In re autem dicitur *Jus percipiendi perſonem aliquam ex re alterius utili, & fructifera*. Dicitur *Jus*: Quia cenſus, non eſt res quæ Cenſui ſubjicitur, nec Penſio, quæ Reſolvitur, ſed eſt jus exigendi illam penſionem & reddituam, five poſſeſſa penſio ſit pecuniaria, five fructuaria, ad hoc ſus oritur ex Contractu libero duorum, quorum unus rem ſuam pro certo pretio tranſfert in alterum quoad dominium directum, vel utile, reſervata ſibi annua vel menſtrua penſione, & ille qui ſic transfert Cenſualiſta appellatur, ſeu Cenſitor; ille verò qui obligationem contrahit ſolvendi penſionem Cenſuariis nuncupatur. Dicitur in definitione *Perſonem aliquam*, id eſt Cuſtus annuos vel menſtruos, aut alio tempore ſolvendos. Dicitur *Ex re alterius utili*, Quia nemo ex ſua re penſionem exigit, cùm exigere reſpectum dicat ad alterum qui ſolvere debet. Dicitur denique *& fructifera*: Quia ex re quæ eſt ſterilis, quæcque non eſt nata facere fructus ſuos, non poteſt creari Cenſus.

7. Penſiones ſeu Cenſus reſolvere poſſunt pertantum.

DICO 5. *Penſiones qua Intereſſe vocantur, & in praxi ab omnibus ſequi ſolent pro interminata quantia ſorte requiruntur, v. g. quinque vel ſex per centum in Foro Canonico non ſunt ſundata, in Civili permiſſa, & in conſtituenta ſunt ſora.* Hanc cum Viris doctis contuli, & omnes videntur eam approbare: Eſt-que intelligenda de cauſa quo magni Domini non propter pericelum, nec propter lucrum cenſuus, quia ſuppono eos habere alias pecunias pro reſerva & negotiis ſuis, nec propter damnum emergens ad mutuum dant ſuas pecunias, & recipiunt quinque vel ſex per centum. Probatur igitur prima pars. Tum quia nullum extat Jus Canonicum illos approbans: Tum quia Bonacinna *diſp. 3. q. 2. p. 11. propoſ. un.* expreſsè dicit, Illicitum eſſe quinque per centum accipere. Et Canuſius *Comment. ad V. Decret. Tit. 19. De Uſu. cap. 1. n. 8.* ait. Hallucinari, qui loco intereſſe quinque vel aliam pecuniæ quantitatem pro centum imputant, Idem docent plerique Canoniſtæ. Probatur ſecunda pars. Ex pluribus Legibus Civilibus, ubi huiusmodi intereſſe permiſſum eſt, & noviſſimè in Receſſu Deputatorum Imperii Spiræ celebrato 1600. à Rudolpho 2. confirmato poſt medium, ubi reſolvitur in Camera Imperiali Creditori propter moram mutui non ſoluti, à Debitore quinque in centum, loco intereſſe accipi poſſe, niſi exiſtimet Creditor & probare velit Intereſſe ſuum majora valere.

Digitized by Google

Notan-

2. Census Reservativus & Constitutivus.

Notandum 2. Censum ut sic fumendo eum non modo pro jure, sed pro onere actu, prima fui divisione dividi in *Constitutivum*, & *Reservativum*. Hic eſt Contractus, quo quis transfert rem ſuam in alterum, vel quoad dominium directum, vel utile reſervata ſibi annua penſione; Et hic Contractus ſicitus dominio eſt, poteſtque ei apponi pactum Legis commiſſoriæ, ita videlicet ut ſi Cenſuarius non ſolvat poſt triennium, vel biennium penſionem, res cadat in commiſſum, & revertatur ad Cenſualiſtam. Constitutivum autem eſt Contractus, quo quis alteri vendit hoc jus percipiendi annuam penſionem ſuper rebus ſuis, aut ſuperficie. Quæ rurſus eſt Triplex, *Realis*, *Perſonalis*, & *Mixtus*. *Realis* fundatur in re ipſa ut in agro, vel vinea. *Perſonalis* in perſona, quatenus tali cenſionis poteſt aliquid acquiere ſuo labore vel induſtria, quod jus acquirendi in alium tranſfert, & attenta natura contractus huiusmodi non eſt illicitus, nam licut Decimæ perſonales poſſunt inſtitui, ita etiam Cenſus perſonales: *Mixtus* autem eſt, qui fundatur ſuper re & perſonam, ita ut ſi res perezt, perſona adhuc manear obſtricta ad ſolvendam penſionem. Et hic contractus etiam ex natura ſui licitus eſt, ſed tam hic, quàm alter per Bullam Pii V. inhibetur.

3. Cenſus fructuarius & precarius.

Tertiò ex materia ſolvendæ penſionis dividitur Cenſus in *Fructuarium*, & *precarium*, in hoc pecunia, in illo fructus ſolvi debent. Quartò ex parte temporis, in *Perpetuum* & *Temporalem*. *Perpetuus* eſt, qui nunquam poteſt redimi oblato etiam quocunque pretio, nili Cenſualiſta liberè velit: *Temporalis* vero, qui pretio certo pretio etiam Cenſualiſta nolente redimi poteſt. Et ſi conſtituatur ad tempus vitæ appellatur *vitalitius*; ſi indeterminate *Non vitalitius*, ille *perpetuus*.

4. Censum emere non eſt illicitum.

DICO 1. *Licitum eſt Cenſum dare Cæſari, & emere ipſum, aut vendere non eſt illicitum, contraindo in Contractibus emptionis & Venditionis ſerventur Conditiones à Lege naturæ & Poſitiva præmiſſa.* Ita Communior Sententia Doctorum, ut videre eſt apud Bonacinam & Probatur 1. Ex Bullis Pontificum Martini V. Calixti III. Pii 2. & Pii 5. Nam *Cum ſimus*, quam edidit an 1568. 14. Kalendas Februarii, in quibus approbantur huiusmodi Contractus adhibitis inibi poſitis conditionibus. Probatur 2. Quia licitè poteſt quis vendere jus percipiendi fructus & reditus ex re propria, ergo: Probatur Antec. Quia licitè poteſt quis donare & legare jus percipiendi legitimosdi reditus, ergo etiã vendere. Probatur Antece. ex *L. Omnium Prædiorum, ff. de Uſufructu*. Probatur 3. Quia tale jus eſt pecuniæ æſtimabile; probatur; Quia jus quod quis habet ad rotam aliquam rem eſt pretio æſtimabile, ergo etiam quod habet ad aliquam partem ſuæ rei, atqui Cenſus eſt jus quod aliquam partem ſuæ rei, ergo. Sed in contra ſic

Argutur. Omnis Contractus eſt Uſurarius in quo ex mutuo aliquid ultra ſortem accipitur, ſed in Contractu Conſignativo cenſuali aliquid ultra ſortem accipitur, ergo eſt illicitus. Probatur min. Quia emens centum aureis ſus ſingulis annis ex re aliqua percipiendi ſ. vel reintra annos undecim vel viginti duos totam ſortem ſuam accipit, & aliquid ultra, magisque impoſterum; ergo. Reſpondo negando min. cum ſua probatione, quia talis Emptor non percipit illos ſimpliciter vel eidem aureos ex mutuo, ſed ex jure ſui, & re empta, quod patet à ſimili, ſi quis emeret villam cum obligatione revendendi eam poſt aliquot annos, talis non teneretur ullo modo reſtituere fructus perceptos; Deinde eſt alia diſparitas inter Mutuum & Cenſum; Nam in Mutuo manet tota poteſtas in Mutuante repetendi quando voluerit Mutuum, & quod ei, re perenante, nihil perreat tel-Mutuatario, at in Contractu autem Cenſuali non manet jus in Emptore repetendi pretium, pro jure illo vendito perſolutum, niſi ſit pactum de revendendo ejuſdem) & quando res perit, non perit Venditori, ſed Emptori.

Dicit. Dumodo ſervetur Conditio- Conditiones &c. Ex Bullis ſemina Notata ſequuntur Primò, Mutuus conſenſus Con- Conſenſus trahentium, 2. Julium pretium, quòd ſit requiſitus æſtimabile vel per Leges, Conſuetudines &c. vel per Prudentum Judicium. 3. Ut Cenſualiſta habeat liberam diſpoſitionem de re facultatum; Et ob id non poteſt Maritus conſentire Cenſum in fundo dotali absque uxoris conſenſu, quia habet tantum uſumfructum & non dominium: Similiter non poteſt Clericus ſuper beneficio, quia non habet dominium bonorum beneficii, ideoque ficut ea non poteſt vendere, ita nec ſuper illis cenſum conſituere. Nec denique poteſt Feudatarius vel Emphyteuta, qui dicit Bonacina, fieri poteſt, ut res tranſeat in Commiſſum, & conſequenter Emptor Cenſus patiatur damnum, cum enim res debeat ad dominum directum redire, ſic dominus fundi directus non teneatur ſolvere pretium, & conſequenter Emptor cenſus patietur detrimentum. Quarto Condicio eſt, ut Cenſus fundetur in re frugifera, quia aliquin vendereter jus, quod quis non habet, & hinc non poteſt Cenſus conſiſtere ſuper tritico, oleo &c. Ut ſi res abeque quita Cenſuari) pereat vel ſteriliſ efficiatur, cenſet cenſus pro rata, res eſtim Domino perire debet. Ex Lege autem poſitiva Eccleſiaſtica in Bulla Pii V. ſequenteri requiruntur conditiones.

Primò

Digitized by Google

Census super re immobili debet.

Primo. *Non posse creari, constituive per in-genium, nisi super re immobili, aut ejus immobili æstimo habeatur, & sui naturæ fructifera. & qua nominatim certis finibus designata sit.* Per quam excludunt Census Personales, & mixti, qui per hanc clausulam invalidantur, & si alicubi esse videntur, potius sunt Contractus innominati: Item non posse res mobiles pro censu vendi ut olcum, boves, &c. & tandem debent designari fines, ill eit determinari bona super quibus Census creatus eit, ut fciatur quando census extinguantur; unde excluduntur Census super bonis indeterminatæ, eam præterlitus, quam futuris. Econtra autem licitum eit creare Census super Vectigalia, Jura piscandi, venandi, Oppidi &c. quia hæc omnia in jure habentur pro bonis immobilibus. Similiter super oneris perpetuis, quæ suos fructus reddunt. Et his probabiliter unus Census super alio creari potest.

Secunda Conditio eit, Census non posse creari, *Nisi vere pecunia numerata profundibus restituat, ut Notarius, & in actis Celebrantium instrumentis, non autem prius, recepto integro, subsequo pretio.* Hinc non valet Contractus Censualis facta solutione ex debitis antecedentibus, aut in oleo, grano, gemmis, aut numerata pecunia pro præienti, cum conditione de restituenda ea in totum, vel in partem poit contractum celebratum: Aut ii Emptor censûs mutuo petat pecuniam à Venditore, ut eam ipii tradat in contractu censûs.

Tertia Conditio eit, *Non posse per fictiones, quæ vulgo anticipatas appellant fieri, aut in pactum deduci.* Id eit, quod Censualista à Censuario non exigat solutiones penitnum anticipatas ante annum V. g. vel femeitrem, ii ita res eit inter Contrahentes, ii tamen Censuarius ipontè id faceret, non eiset contra Iuitam præientem.

Quarta. Non debere addi *Conventiones directæ, aut indirectæ obligatoriæ, ad casus fortuitos cum, qui aliàs ex natura Contractûs non tenerentur.* V. g. Invadius eit contractus, ii Cenlualista adjiceret hanc conditionem, quod Cenlarius teneatur ad iolutionem pensionis, etiamii res pereat, quia ad hanc fortuitum casum ex natura contractus hujus Cenluarius non tenetur.

Quinta. Ut non fiat *pactum nugatorium aut refringens facultatem alienandirem Censui subjectam.* Hinc nec cenlarius potest vendere ut vult, nec tenetur Domino ex pretio Laudemium perlolvere, id eit quinquagelimum vel aliam partem, quia hoc eit lolius Emphyteutis proprium; In venditione tamen hujusmodi rei Censui subjectæ, Censualista *præferri debet, eique denuntiari conditionis, quibus vendenda sit, & per menlem expoliari.*

Sexta. Ne fiant *pacta continentia nonnulla Censui debitorum proprie ad interesse lucri cessantis, vel ad Cambium, sive certas expensas, aut certa salaria, aut rem Censui subjectam, vel aliquam ejus partem amittere.* Si tamen Censualistæ damnum emergeret, ex eo quod Censuarium, uti potest, in Judicio convenire, non enim hic tenetur Censuarius culpabiliter anlam dederit, ex qua lictia eas lolvere teneatur.

Septima. Ne Census augeatur, & novus creetur *super eadem vel aliare re, si-voremeisdem, aut pare pretio, aut ex suppolita pro Censibus temporis vel præteriti vel futuri.* Id eit, Quia non licet ut imponi novus, vel prior augeri pro penlionibus præteriti temporis quæ non lunt lolutæ, vel futuri, quæ lint lolvendæ. Ex præiis tamen percepris novus Cenlus augeri & creari potelt, ii res pecuniis empta iit Census capax.

Octava. Quòd Censuarius poisit pro eodem pretio Census extinguere, non obltante præicriptione, *& quatenus que pallis directè aut indirectè tales facultatem auferentibus, quibuscunque verbis aut clauiulis conficta lit.* Etiam quam conditionem prohibentes Cenlus irrediimibiles ex parte Cenluarii; Hic tamen debet Cenlitori per duos menles ante denunciare, & velle Cenlum redimere, quibus delapiis, quod ii Cenlitarius petat ut ei denunciationem factam, tunc Cenlualista etiam ab eo invito poteit petere illum annum exigere, & ipio autem anno res redit ad libertatem Cenluarii.

Census non debet augeri in eadem re.

Cenluarius potest Censum extinguere.

Pro fine hujus quæitionis Nota. Ubi Bulla Pii V. non eit recepta, licitos & validos eile Contractus Cenluales, in quibus leivantur conditiones de Lege naturæ, & de poiitiva Regni, vel Provinciæ requiritæ, ubi vero recepta eit, etiam in foro conicientiæ ievandas eile conditiones allatas, quia hæc Bulla edita eit, ut ipie Pontifex dicit, ut animarum ialuti conluletur.

Quæstio VIII.

An Cambia ſint Uſuris obnoxia.

Multi præiertim recentiores diiputant, quænam ſit Contractus *Cambium*: Nam aliqui aiierunt eile permutationis: Alii ut Cajetanus, Sylvelter &c. putant pertinere ad Venditionem, & Emptionem. Tertiò. Nonnulli referunt illud ad Contractum *Locationis & conductionis Operarum*; Navarrus denique cap. 17. n. 234. refert Cambium ad *Contractum in-*

Digitized by Google

nominatum, Ego exiſtimo facile, ad quemlibet ex dictis referri, & tanquam ſpecies collocari poſſe, ſub diverſo reſpectu, quem Cambium includit, ego hic ejus examen aſſumo, non propter rationem mutui, ſed propter periculum Uſuræ, cui Cambium eſt obnoxium. Itaque

1. Cambium, Campſor, Campſarius.

Notandum 1. Quòd Cambium nominetenus derivetur à cambire, quod ſignificat permutare, unde Cambium generaliter acceptum ſignificat quamlibet permutationem, ad propoſitum autem, *Permutationem pecuniæ pro pecunia*, in quo Contractu Permutans ſeu dans Cambium *Campſor*, Accipiens verò pecuniam permutatam *Campſarius* appellatur. Differt autem Cambium ab Emptione, quòd in ipſo non detur merces pro pecunia, ſed pretium & merces idem ſunt nempe pecunia: A Mutuo verò, quòd in Mutuo intrinſecè includatur dilatio perſolutionis, non ſic in Cambio, ut patet in Cambio minuto &c.

2. Cambium aliud ficcum, aliud verum.

Cambium autem prima ſui diviſione partitur in *ſiccum*, & *Verum*, ſeu *Reale*. Primum ideo diciter *ſiccum*, quia caret humore juſti tituli, ſed fingitur ſub ſpecie Cambii, cùm revera ſit contractus uſurarius, vel Mutuum, & tunc contingit, quando Campſor dat pecuniam Campſario v. g. Pragæ, ſub ſpecie quòd debeat eas perſolvere cum augmento Viennæ, cùm tamen ſciat Campſarium Viennæ nec habere pecunias, nec correſpondentem potentem ibi eas ſolvere, & Conſequenter quamvis litteras etiam Viennam effingeret, nihil ibi operabantur, ſed Campſarius pecunias cum augmento Pragæ debebit reſtituere.

3. Cambium aliud manuale, aliud locale.

Cambium *Verum* & *Reale*, ſubdividitur in Minutum; ſeu Manuale; & in Locale ſeu per Litteras: *Minutum* eſt illud, quando majores pecuniæ v. g. aurei, & Thaleri permutantur cum minoribus v. g. cruciferis, groſſis &c. aut è contra. *Locale* autem, quando pecuniæ datis litteris alibi perſolvuntur, quod evenit tribus modis, Primò ſi Campſor det pecuniam Campſario Pragæ, ut eam reſtituat addito aliquo lucro Viennæ: Secundò ſi Campſarius det pecuniam Campſori Pragæ, ut eam Viennæ dato Campſori aliquo lucro recipiat: Tertiò ſi Campſor hic det, ut Campſario alibi ſolvatur, qui teneatur per Recambium ex eodem loco curare ſolvi hic Pragæ. His præmiſſis Difficultas eſt, an Ars iſta Nummularia ſit licita, & à peccato excuſari poſſit, eſſe enim periculoſam certiſſimum eſt, quia Campſores ex re ſterili maximos quærunt fructus. Itaque

4. Cambium ſiccum eſt uſurarium.

DICO 1. *Cambium ſiccum illicitum eſt & uſurarium.* Ita Navarrus, Toletus, Bonacinna, Maſtrius, & omnes quaſi Canoniſtæ. Probatur 1. Ex Bullis Pii IV. *Cùm ſicut accepimus*, & Pii V. *In eam pro noſtro paſtorali officio*: edita an 1571. Probatur 2. Quia omnis ille Contractus uſurarius eſt, in quo aliquid ultra ſortem accipitur ob ſolam temporis dilationem, ſed in Cambio ſicco nullus alius intervenit titulus, niſi ſola temporis dilatio, ut patet, ergo.

5. Cambium manuale eſt licitum.

DICO 2. *Cambium minutum licitum eſt, & ab uſuræ peccato immune, ſive exerceatur à Mercatoribus publica authoritate, ſive à privatis.* Ita Leſſius, Navarrus, Sa, Fillucius, Bonacinna, Maſtrius &c. Et Probatur 1. De Campſore Publico, à paritate de Monte Pietatis. Quia ſicut Præſides Montium ſunt à Magiſtratu conſtituti ad publicam Civium & Communitatis utilitatem, ita etiam Campſores, ergo ſicut ipſi ratione laboris, alendorum famulorum, Curæ & ſollicitudinis, ut monetas varias habeant paratas, expectationis, & præparationis ad mutuandum aliquid ultra ſortem accipere poſſunt, ita etiam habent eosdem titulos, ergo. Probatur 2. Quia pecuniam non ſolùm valorem habet, qua rerum pretium eſt, & menſura rerum venalium, qui valor dicitur legalis, & eſt extrinſecus per taxationem nempe Principis, ſed etiam valorem naturalem & intrinſecum ex materia, videlicet, ratione purioris & perfectioris metalli, Copiæ, vel inopiæ, antiquitatis, Commoditatis, utilitatis &c. quæ omnia ſunt pretio æſtimabilia, ergo quamvis pro illis nihil poſſit accipi ultra ſortem in quantum ſunt pretio rerum à Principe taxata, poteſt tamen ob naturalem valorem. Sed pro Medina oppoſitum ſentiente

Dices. Principes non ſolùm taxârunt pecunias ſecundùm quod ſunt rerum pretia, ſed etiam ſecundùm materiam, imò ſecundùm hanc rerum pretia taxârunt, & hinc ſi ejusdem ponderis accipiantur pecuniæ aureæ, argenteæ, & æreæ, ſinè comparatione plus valebit aurea quàm argentea, & hæc quàm cuprea, ergo nihil poteſt pro eis ultra ſortem accipi. Reſpond. negando Antec. aut ſi mavis diſtingue, Principes taxârunt pecunias quoad primarium uſum pecuniarum, concedo: quoad omnem valorem quem habent, & ad omnem uſum quo expendi & applicari poſſunt, nego Antec. & conſequ.

Probatur Concluſio etiam de Privatis: Quia non ſolùm publici Campſores, ſed etiam privati aliquod obſequium pretio æſtimabile præſtant iis, quibus cambiunt huſusmodi pecunias. Verumtamen docent Authores talem privatum non poſſe tantum accipere pro lucro, quantum Campſores publica authoritate conſtituti, utpote cum non habeant tot titulos, uti illi.

6. Cambium locale non est usuris obnoxium.

DICO 3. *Cambium locale, sive Campsor antecedenter pecuniam accipiat ut eam alibi solvi faciat, sive eam priùs det, ut à Campsario alibi solvatur licitum est, & usuris non obnoxium.* Hæc est communis apud Bonacinnam. Probatur. Quia Campsor sufficientes habet titulos in Cambio locali, quocunque modo ex specificatis faciat, ut aliquid ultra sortem accipere possit: ergo. Probatur Antec. Nam Campsarius liberatur ab onere transferendi talem pecuniam ad alium locum, ab expensis in itinere faciendis, à periculo latronum, magisque assecuratur de perceptione certa, sed illi omnes sunt justi tituli ob quos aliquid ultra sortem accipi potest, ergo. Probatur min. Quia justus titulus est si quis Nuntius, vel Veredarius in se susciperet onus transferendi pecunias tuas in alium locum, ergo ille etiam est justus titulus, quia hic intervenit æquivalens & virtualis translatio. Sed

Dices. Ista translatio fit sinè omni incommodo Campsoris, & cum exiguo labore, cùm aliud nihil faciat quàm litteras scribat ad suos Correspondentes in alio loco existentes. Respond. 1. Per accidens esse quòd Campsor alibi habeat Correspondentes, imò ipsius particularis Industriæ; frequenter etiam talis correspondentia multum constat, & diu laborare debent usque dum fidem acquirant, habent insuper curas & sollicitudines, quomodo sibi invicem satisfaciant, ad hoc famulos & servos alere debent. Respond. 2. Ob illam virtualem translationem etiàm Campsores non posse tantum accipere: quantum si verè & realiter transportarent, nec id unquam solvere, qui parùm conscientiam curant. Sed

Instabis. Campsores jam habent alibi depositam pecuniam, imò ipsi eam aliò promovere deberent, unde ipsis nihil laboris, sed plurimùm commodi accrescit si Campsarius hìc v. g. Pragæ accipiat, ut Campsori Viennæ persolvat, cum Campsor absque hoc Viennam deferre deberet. Respond. Iterum hoc esse suæ industriæ, & tantùm per accidens, & nihil impedire quo minùs tutè in conscientia aliquid accipere possit, quod declaro aliquot instantiis; Nam si Nuntius quispiam conduceretur ut Viennam mille thaleros portaret, ille autem absque hoc eò iturus esset ob negotiationem, ille utique pro translatione tali suo labore, cura & industria aliquid accipere posset, ergo & Campsor. Item si Veredarius integram mercedem accipiat ut quempiam Viennam deducat, absq; scrupulo Pragam redeundo colliget tot quot poterit, qui denuò ipsum solvant, licèt absque hoc sit rediturus, ergo etiam Campsor non obstante quod absque illo mille aureos Viennam transferre debeat. Tandem si conducatur Nuntius & Cursor usque Viennam ab uno, ille Nuntius potest conductionem hanc dissimulare, & conduci integro pretio ab altero absque peccato, ut tenent Laymannus sed 5. tract. 4. cap. 19. Ad minus autem poterit ab alio & aliis plures accipere epistolas, expeditiones & pro omnibus solvi, ergo & Campsor.

Probatur Conclusio adhuc ex alio titulo nempe ex varietate pecuniæ, quod alibi vel Campsarius meliorem accipiat, vel Campsor meliorem det, quæ sunt omnia pretio æstimabilia.

7. Recambium & Cambium est usurarium.

DICO 4. *Cambium cum Recambio videtur usurarium, vel ad minus est valde periculosum.* Ita contra Bonacinnam, quoad primam partem Patet: Quia tunc censetur fieri Cambium cum Recambio, quando Titius v. g. Pragæ accipit pecuniam ut eam solvat Viennæ, cùm tamen Viennæ nullam habeat pecuniam, sed rogat Campsorem, ut suo Factori Viennæ mandet, ut nomine Titii Campsori, Viennensi solvat, qui recambit ad Campsorem Pragensem, & hic revera accipit lucrum & Cambii & Recambii hìc Pragæ, sed in tali casu manifestum mihi videtur committi usuram, quia est merum figmentum, & pallium, atque fallacia nugax, cùm Campsor ex suismet pecuniis duplicem mercedem reportet. Sed ex Laymanno

8. Famulus an pro majoribus pecuniis minores possit dare.

Quæres. An famulus cum majoribus pecuniis à Domino suo missus, ut eas Mercatoribus, vel aliis Creditoribus deportet, das permutans cum minoribus, ex iisque Creditoribus solvens, accepto lucro & auctario, peccet, & ad restitutionem teneatur Domino? Respond. Quod si famulus nec expressum, aut implicitum mandatum habuit à Domino grandiores deferendi pecunias, nec majoribus vel minoribus plus utilitatis apud Mercatores & Creditores consequi possit, ipsisque Mercatoribus perinde esse quomodo solvantur, non graviter peccare talem famulum, nec ad restitutionem teneri. Ratio est quia si Commodatarius vel Depositarius ex aliis pecuniis lucrum reportet non peccat nec ad restitutionem tenetur, licèt ad refarciendum damnum, ergo etiam talis famulus. Respond. 2. Si talis famulus frequenter hoc faciat id non posse fieri sinè peccato gravi, & absq; obligatione restituendi, quia per oppositam viam aperiretur Prætoribus & Officialibus minoribus latissima via defraudandi Dominos, Magnates, & Principes, quia in redditibus majores pecunias minoribus permutare possent & exinde iniquè ditescere.

9. Conditiones ad Cambium requisitæ.

Quæres 2. Quæ conditiones ex Bulla Pii V. requiruntur ut Cambia sint licita? Respond. Primò requiri, Ut verè litteræ mittantur, quæ non sint inanes ad speciem externam, sed in facto solutionem con-

contineant. Secundò ut non fiat pactum de ſolvendo intereſſe ſi non determinato tempore Campſarius ſolvat. Tertiò ne Campſor protrahat terminum ſolutionis ob pactum recipiendi lucrum, ob quam protractionem lucrum ei accretum velit. Quartò nè detur ad Cambium niſi pro terminis proximis. Quintò ne termini longiores conſtituantur, quam poſtulet locorum diſtantia.

Quæſtio IX.

An Montes Pietatis Uſuram redoleant?

1. Barnabas ab Interamni erexit montem pietatis.

IN Italia olim ſoli Judæi exercebant Uſuras, quibus Chriſtianorum & quàm maximè pauperum opes exhauriebant, contra quod vitium S. Bernardinus ferventiſſimis ſuis Concionibus graviſſimè detonuit, unde poſt ipſum Viri quidam Religioſi ex Ordine Seraphico Fratrum de Obſervantia huic malo obviare &, Chriſtianorum pauperum indigentiis modo aliquo licito ſtuduerunt ſuccurrere; Quare Venerabilis Pater Barnabas de Interamni, conſultis Univerſitatibus Peruſina & Bononienſi, inter Concionandum efficacibus verbis fideles divites fuit exhortatus, ut perpenſa tanta pauperum per injuſtas uſuras oppreſſione, Eleemoſynis abundantioribus ſuccurrerent, maſſamque aliquam communem congregarent, unde indigentibus ſuccurri poſſet, quam Montem Pietatis vocarent eo felici ſucceſſu quod Peruſii primò Magnates & Divites copioſam pecuniam ſubminiſtrârunt, & Montem Pietatis erexerint. Hoc pium inſtitutum poſtmodum per alias Italiæ Civitates propagarunt doctrina & ſanctitate celebres Viri, B. Jacobus de Marchia. B. Bernardinus de Feltro Ejusdem Ordinis & Obſervantiæ. Eſt igitur Mons Pietatis nihil aliud, quàm magna pecuniæ Summa & quantitas, vel etiam frumenti, vel alterius rei publica authoritate deputatæ, ad occurrendum damno quod frequenter incurrebant Pauperes ex ſolutione uſuræ; Ex qua pecunia vel ſimili re, mutuum datur indigentibus hiſce conditionibus: Primò ut pecunia data mutuò ſit in determinata quantitate, & ad certum tempus. Secundò ut Mutuatarius deponat pignus. Tertiò quòd ſi non reſtituat mutuum ad certum tempus, vendi debet ſub haſta, ſeu plus offerenti, ut pretio illo monti & miniſtris ſatisfiat, & quod ſuperest reſtituitur Domino pignoris. Quartò quia expenſæ fiunt, tum in ædificando domo in qua detinentur pecuniæ, & frumenta, ac pignora, tum in neceſſariis miniſtris ad hujusmodi negotia exercenda ſuſtentandis. Quintò quilibet Mutuatarius ſingulis menſibus vel annis det aliquid ultra ſortem, prout prudentes & pientes pro diverſitate temporis & aliorum circumſtantiarum judicaverint.

2. Mons Pietatis quid ſit.

Mons Pietatis autem alius eſt *ſimplex*, alius *Mixtus*: *Simplex* eſt paulò ante explicatus. *Mixtus* eſt, qui conſtat partim ex pecuniis piè & per modum Eleemoſynæ collatis, & partim ex pecuniis particularium adjunctis, ut ipſi pro rata aliquid annuatim ultra ſortem accipiant, cùm enim pecuniæ priores non ſufficerent, & in quibusdam locis multitudo egenorum eſſet, nec montes per eleemoſynas ſuccreſcerent, ideo conſultum & ſtatutum fuit ut hac via pauperibus provideretur, hac tamen lege, ut conferentes libertatem haberent recuperandi capitale, toties quoties voluerint.

3. Mons pietatis ſimplex & mixtus.

Cum Montibus Pietatis analogizant Montes qui Romæ ſunt, & ab Authoribus, vel cauſa, vel Re ſuper quam fundantur diverſimodè compellantur, ut Mons Julius, Sixtus, Mons Redemptionis Captivorum &c. Fiuntq; tales montes quando Principes vel Respublica pecuniis indigens cauſa belli ſubditos cogit ut pecunias conferant, hac lege, ut ſingulis annis eis quatuor vel quinque pro centum perſolvat cum libertate quòd Princeps Capitale reſtituere poſſit toties quoties voluerit, & quod Creditores jus percipiendi hujusmodi annuum pretium vendere poſſint & alienare. His præmiſſis Difficultas eſt, utrùm iſti Montes immunes ſint ab impietate uſuraria, & non defuerunt Theologi maximè in principio qui eos graviſſimè redarguerint, & Sotus expreſsè tenet eſſe Uſurarios, Attamen

4. Mons pietatis nil uſuræ habet.

DICO 1. *Montes Pietatis ſimplices nihil impietatis uſurariæ redolent.* Eſt jam communis omnium Theologorum. Et Probatur 1. Concluſio authoritate Concilii Lateranenſis ſub Leone X. in ſeſſ. 10. ubi in Bulla *Inter multiplices*, veritatem hanc determinavit his verbis: *Sacro approbante Concilio, declaramus & definimus Montes Pietatis, in quibus pro eorum impenſis, & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas Miniſtrorum expenſas, & aliarum rerum ad eorum conſervationem pertinentium, ultra ſortem, absque lucro eorundem Montium recipitur, neque ſpeciem mali præſeferre, neque peccandi incentivum præſtare, neque ullo pacto improbari, quin imò meritorium eſſe, ac laudari & probari debere tale mutuum, & minimè Uſurarium putari, licereq; illorum pietatem, & miſericordiam populis prædicare, etiam cum Indulgentiis à Sede Apoſtolica ob eam cauſam conceſſis &c. Omnes qui contra prædicare aut diſputare verbo vel ſcriptis auſi fuerint, Excommunicationis latæ ſententiæ incurrere volumus, ergo.*

Dices cum Soto 1. Hanc Bullam non damnare ſententiam oppoſitam, quia Cajetanus tunc interfuit Concilio, utipſemet refert 22. quæſt. 1. art. 10. & tamen contrariam opinionem contra Montes Pietatis tuetur. Sed Contra. Quia Cajetanus tractatum quem edidit contra Montes Pietatis ſcripſit Anno 1498. ſub Alexandro VI. Bulla verò Leonis X. edita fuit Anno 1515. quare vel poſtea Cajetanus ſuam ibi retractavit ſententiam, ut vult Banes, quia omnes Patres Concilii interrogati, uno excepto Jeremia Epiſcopo Tranenſi, reſponderunt *Placet*: Vel ut verius putat Salonius, illi ſeſſioni non interfuit Cajetanus.

Dices 2. Hoc Concilium non fuiſſe uſu receptum. Contra Concilia quoad fidei definitiones ſunt infallibilia independenter ab acceptatione, ergo. Deinde falſum eſt non fuiſſe uſu receptum, ut patet ad oculum ex aliis pluribus ejusdem Concilii determinationibus.

Dices 3. Non pertinere ad Concilia definire veritates ſpeculativas, quæ in ſacris Litteris non continentur, neque Spiritum Sanctum aſſiſtere in his quæſtionibus decidendis. Sed Contra. Ad Concilium pertinet definire omne illud, à quo pendet ſalus animarum, an hoc ſit licitum, vel illicitum, ſed talis eſt præſens veritas, ergo. Deinde, Falſum eſt ad Eccleſiam non ſpectare definire veritates ſpeculativas, nam quæſtio utrum anima ſit immortalis, eſt ſpeculativa, & tamen eſt definita, ergo &c.

Probatur Concluſio 2. Ex Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 8. & 11. De Reform. ubi recenſentur loca pia, quæ ab Epiſcopis viſitari debent, & inter hæc etiam ponitur Mons Pietatis; ergo Concilium cenſet hos montes eſſe pios & licitos.

Probatur 3. Ex pluribus Pontificibus approbantibus & confirmantibus Montes Pietatis, ut ſunt Pius II. Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. ut refert Wadingus in Annalibus Minorum ad Annum 1474. adjungens varias præſertim Ordinis Prædicatorum oppoſitiones, eo quòd Uſurarii apparerent.

Probatur 4. Ratione. Si Montes Pietatis non eſſent immunes ab impietate uſuraria, maximè quia aliquid exigeretur ob mutuum, aut ob dilationem ſolutionis mutui, ſed ob neutram cauſam aliquid in illis exigitur, ergo: Probatur min. Quia quidquid ultra ſortem exigitur, tantùm petitur ob expenſas in adificiis conſervandis, alendis miniſtris & Cuſtodibus, propter obligationem mutuandi, & conſervationis Montis; ſed ob iſtos titulos exigere aliquid non eſt uſurarium; ergo. Probatur. Quia ſi privatus quispiam ob iſtos titulos aliquid ultra ſortem acciperet non eſſet uſurarius, minùs ergo erit Mons Pietatis. Quod ſi tamen in Monte Pietatis aliquid acciperetur ultra ſortem ad augendum Montem, vel ad locupletandum Dominum Montis, uſura eſſet, ſicut etiam ſi ob ſolam dilationem temporis. Item ſi aliquid acciperetur ultra quàm neceſſarium eſt ad ſervandum Montem indemnem, & ultra quàm neceſſarium ſit ad alendos & ſolvendos miniſtros, quare ſi tres per centum ſufficerent pro expenſis omnibus, non poſſent quatuor accipi abſque uſuræ labe. Sed in contra

Arguitur. Recipere aliquid ſupra ſortem ratione mutui uſurarium eſt, ſed in Monte Pietatis recipitur aliquid ſupra ſortem ratione mutui, & conſtat ex *Cap. Conditione*; ergo. Reſpond. negando min. Id enim, quod in Monte ultra ſortem recipitur, non vi mutui recipitur, ſed ratione damni, quod aliàs emergeret, ſi non fieret, nam ſi Mons miniſtros ſimul & pauperes ſuſtentare deberet ſinè ulla refuſione, tandem exhauriretur cum ingenti damno & jactura pauperum; ergo exigere aliquid ad hoc damnum avertendum, non eſt exigere, ratione mutui, ſed ratione damni emergentis. Ex dictis

Collige. Dominium illius Montis non manere ampliùs penes Fundatores, ſed pauperes Dominii capaces, unde ab omni uſura eſt alienus, ſiquidem totum illud, quod ſupra ſortem datur Monti, cedit ad utilitatem, & lucrum dantium. Sed contra hoc

Arguitur 2. Pauperes ſunt mutuatarii hujus pecuniæ, ergo non Domini, quia implicat à ſeipſo mutuum accipere. Reſpond. diſtingvendo Antec. ſunt Mutuatarii ut particulares perſonæ, concedo, ut faciunt Communitatem nego Antec. Quia ut tales in communi ſunt Domini; Sic pons v.g. eſt ad uſum omnium, ſed nullus in particulari poteſt illum deſtruere, imò tenentur omnes illum conſervare.

Collige 2. Si reperiatur lucrum Montis excedere neceſſarios ſumptus ejusdem v.g. Si lucrum ſit *tria*, & ſumtus tantùm *duo*, illud unum quod ſupereſt, reſtituendum Domino, ſi ſcitur, ſi verò non ſciatur, pauperibus, aut ipſi Monti cùm ſit opus pium ad pauperes pertinens, tenetur tamen Miniſter deinceps minùs ſuprà ſortem exigere, quia ſolis ſumptibus neceſſariis Montis, & non ultra, licitum eſt, eis hunc exceſſum taxare.

Collige 3. Licèt Dominium Montis ſit penes pauperes in communi, ſicut eſt pecunia quæ datur pro dotandis Virginibus, vel alendis Scholaribus, adminiſtratio

Digitized by Google

ſtratio tamen ejusdem manet penes Rempublicam, vel penes Eccleſiam, vel penes Patronos.

DICO 2. *Montes mixti quoque ſunt liciti, & ab uſura labe immunes.* Ita Navarrus, Fillucius, Leſſius &c. apud Bonacinnam. Et Probatur. Tum quia ubi tales Montes ſunt inſtituti, jubetur tantùm ut conferenti pecunias hujusmodi aliquid gratitudinis & liberalitatis titulo donetur, ſed hoc eſt licitum, ergo. Tum quia in ſimilibus conceſſionibus intervenit Ratio lucri ceſſantis & damni emergentis: Tum denique quia hac viâ utiliter geritur negotium Mutuatariorum, qui aliàs invenire non poſſent pecuniam pro mutuo accipiendo, ergo.

DICO 3. *Montes Analogizantes cum Montibus pietatis, non ſunt uſuris obnoxii.* Ita communis teſte Azorio apud Bonacinnam. Et Probatur. Tum quia Cenſus ſervatis conditionibus Pii V. ſunt liciti, ergo etiam tales Montes, quia hi non ſunt aliud quàm cenſus fundati in bonis annuis, vel redditibus ipſius Principis & Reipublicæ, v.g. in vectigalibus, taxis vini, carnium &c. Tum quia Montes Pietatis ſunt liciti ergo etiam illi, quia non differunt, niſi quòd Montes ſimplices ſint erecti ad ſubveniendum pauperibus ſingulis, illi autem ad ſubveniendum omnibus, Principi, & Reipublicæ, ergo habitâ ſufficienti ratione tales Montes congeri poſſunt, & qui annuatim auctarium ex illis accipiunt, vel jus ſuum vendunt non erunt uſurarii.

Quæſtio X.

An Uſurarius acquirat Dominium Uſurarum, ſeu illius rei, quàm ſupra ſortem accipit.

AFfirmant multi ut Henricus quodlib. 4. q. 27. Navarrus in manuali cap. 17. Baldus & alii, quibus ſubſcribunt aliqui Scotiſtæ, ut Hiquæus in Comment. ſupra 4. Scoti diſt. 15. q. 2. n. 27. Verùm perperam, unde juxta Doctoris ſubtilis mentem

1. Uſurarius non fit Dominus uſurarum.

Dico 1. *Uſurarius non acquirit Dominium uſurarum, ſeu rerum illarum, quas ultra ſortem acquiſivit.* Ita ſentiunt, D. Thomas 22. q. 78. art. 3. Alenſis 3. part. quæſt. 36. membro 4. art. 2. S. Bonaventura in 4. diſt. 15. q. 2. n. 24. ubi dicit *Non merè liberaliter donat, ſi vel deceptus, vel quaſi neceſſitate tractus donat.* Et paulò infra, *Conſimiliter ſi ſit attractus, ut in uſuris dandis, non eſt merè donatio liberalis*, id eſt voluntaria. Unde Probatur Concluſio. Ad hoc ut privata authoritate Dominium transferatur, requiritur in donante, *libera* id eſt merè liberalis, voluntas dandi, ſicut & recipiendi in recipiente. Secundò Juſtus titulus, vel ſaltèm quòd nulla lege prohibeatur hic donare, vel ille recipere, ut dictum eſt ſupra, ſed in contractu Uſurarum, hæc non reperiuntur, ergo in tali contractu non transfertur dominium uſurarum ad Uſurarium: major & Conſequentia patet. Minor probatur. Nam primis in dante non eſt libera voluntas, quæ ad validandos contractus requiritur, cùm hic penuria pecuniæ preſſus, & ſciens quod aliter non poteſt mutuum accipere, niſi tantum det ultra ſortem, tantum dat, non daturus ſi aliter poſſet acquirere mutuum; Et licèt voluntariè tradat aliquid ultra ſortem, non tamen per hoc intendit Uſurarium abſolvere ab obligatione reſtituendi, adeoque nec transferre in eum dominium rerum datarum, ſed tantùm intendit tradere tanquam in depoſitum, donec fortè aliquando pœnitentiâ ductus Uſurarius reſtituat, vel DEO providente aliunde ab eo æquivalens recipiat: Quod declarari poteſt exemplo Naufragantium, ad quod evitandum aliquando projiciunt merces ex navi, quod licèt volens quis faciat tamen non cedit projectarum rerum dominium, unde ſi veniant ad litus, aut per alium eripiantur manent projicienti, & non ei, qui invenit.

Quòd nec etiam ſit juſtus titulus Probatur. Tum quia lege Divina, naturali & Canonica prohibetur mutuans aliquid ultra ſortem accipere ratione mutui: Tum etiam, ſi quis eſſet titulus, eſſet vel titulus ſolutionis promiſſæ, vel liberalis donationis, non primum, quia ex promiſſione ſolutionis, cujus receptio eſt prohibita à Lege, nulla oritur obligatio: Non ſecundum, quia donatio ſcienter indebiti, & illiciti recipere, non obligat, nec transfert dominium, ergo in propoſito nullus eſt juſtus, titulus adeòque nec translatio dominii.

Confirmatur. Uſurarius ſecundùm omnes tenetur reſtituere uſuras, & Mutuatario conceditur à Jure Canonico actio repetendi, & ex alia parte nullus eſt juſtus titulus, quo veſtiretur receptio Uſurarum, ergo ſinè fundamento aſſeritur Uſurarium acquirere dominium Uſurarum. Sed in contra

Arguitur 1. Dans uſuras voluntariè & liberè dat, & recipiens ſimiliter Liberè recipit: ergo in hunc transfertur dominium uſurarum. Reſpond. 1. negando Antec. pro prima parte juxta jam dicta. Reſpond. 2. Eſto utrobique ſit mutua voluntas dandi, & recipiendi, deeſt tamen juſtus titulus, & præterea Uſurarius

Lege Juſtitiæ prohibetur recipere, & ſic nego Conſequentiam.

Arguitur 2. Si aliquis peteret mutuò pecuniam nulla neceſſitate pulſus, ſed tantùm ſpe majoris lucri, ut ſi ex 100. mutuo acceptis ſperet lucrum ut 20. & ſolvat uſuras tantùm ut decem, talis ſimpliciter transferret dominium pecuniæ uſurariæ, ergo ſimiliter in propoſito. Reſpond. negando Conſequentiam, diſparitas eſt, quia in caſu argumenti committitur turpitudo ex parte tam recipientis, quàm dantis, quia hic animo etiam uſurario dat, & ſic Lex in pœnam malè dantis, interpretatur eum habere pro derelicto, id quod ſic dat, adeoque prohibet illud repeti, ut latiùs infra, cùm de Reſtitutione egero, at in caſu Concluſionis, ex parte dantis nulla eſt turpitudo, nec denegatur, imò conceditur actio repetendi, & ſic non eſt paritas.

Arguitur 3. Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. n. 26. reſpondens ad ſecundum argumentum dicit, *Etſi transferat dominium*, ſupple dans uſuram, *tamen recipiens tenetur reſtituere, ſicut in mutui datione transfertur, & tamen debitor tenetur tandem reſtituere Creditori.* Ubi Scotus abſolutè aſſerit transferri dominium in Uſurarium. Reſpond. cum Aretino, in hac materia, maximè practica, Scotum non admittere Antecedens illius argumenti tanquam in ſe verum, ſed tantùm permittere ut tranſeat, & tranſitione admiſſa negat conſequentiam, quidquid ſit de veritate Antecedentis, quod tamen ex doctrina ipſius ſupra adducta conſtat eſſe falſum. Hinc oritur difficultas an etiam petens mutuum poſſit tuta conſcientia dare aliquid ultra ſortem, quoniam dans nihil poteſt ultra accipere, quia utrinque videtur æqualis obligatio, atque utrumque contra Legem Divinam, naturalem, & Canonicam, ſed

2. Petere mutuum ſub uſura non eſt peccatũ

DICO 2. *Petere mutuum ab Uſurario, ſeu tali cui petens debebit aliquid dare ultra ſortem propter ſolum mutuum non eſt peccatum mortale, ſi ex neceſſitate & juſta cauſa fiat.* Hæc eſt communis. Probatur. Quia in tali caſu non eſt cooperari, nec approbare peccatum Uſurarii, ſed tantùm petere id, quod Uſurarius poteſt facere abſque peccato, atqui Uſurarius poteſt dare mutuum ſinè uſura, & tenetur, ergo in neceſſitate petens non co operatur peccato alterius, ſed quærit ſuum ſublevamen, ad quod in conſcientia tenetur. Secundò ſolvere etiam aliquid ultra ſortem non eſt peccatum, quia nemo peccat, quòd ſe liberet à vexa, omni & meliori modo quo poteſt. Tertiò Nemo peccat in eo in quo involuntariè injuriam patitur, ſed &c. Quartò Non eſt peccatum exponere facultates ſuas & dare eas Tyranno, vel Latroni, ut moleſtias effugiat & perſecutiones, ergo. Dixi autem *Si ex neceſſitate & juſta cauſa id fiat;* Quia ſi abſque tali peteret contra charitatem dando Uſurario occaſionem ad peccatum, quæ neceſſitas & cauſa ſi adeſt, jam petens utitur jure ſuo, & non tenetur vitare peccatum Uſurarii, ideoque nec indirectè videtur cooperari peccato. Per juſtam & neceſſariam cauſam intelligitur in propoſito quælibet, conveniens, utilis, vel neceſſaria, propria, aut aliena, &c.

3. Pœnæ Uſurariorũ.

Pro fine hujus quæſtionis adjungendæ ſunt pœnæ quibus Uſurarii fiunt obnoxii; Et Prima eſt *Infamia*, ex *L. Improbum famosum*, & alibi ſæpe, ad quam tamen incurrendam requiritur plena probatio in Judicio. Secunda eſt: Si Uſurarius ſit Clericus ſit irregularis & incapax beneficii, *Cap. Præterea de Uſuris.* Tertia: Quòd Uſurarii ad Communionẽ Altaris non admittantur, *Cap. In omnibus.* Supra. Quartas Ut excludantur ab oblatione facienda, & admittens manet ſuſpenſus donec ſatisfecerit ad arbitrium Epiſcopi. *ibidem.* Quintò Nec ad Confeſſionem peccatorum admittuntur, donec ſatisfecerint vel promiſerint omni poſſibili modo quamprimùm ſe ſatisfacturos. *Cap. Quanquam de Uſuris in 6.* Sextò: Carent Eccleſiaſticâ Sepulturâ. *Cap. Quia in Omnibus, de Uſuris*, & eos ſepeliens in loco ſacro incurrit excommunicationem Clementinæ, de Uſuris. Septimò, Teſtamenta ipſorum ſunt irrita, niſi, ante mortem ſolverint, aut ſufficientem cautionem dederint. Octavò: Non poſſunt Eccleſiaſtici locare domos exteris Uſurariis, imò tenentur eos expellere ex ſuis terris, intra tres menſes, ſub pœna ſuſpenſionis, ſi ſint Epiſcopi, vel Excommunicationis, ſi inferiores; Vel etiam Interdicti, ſi ſit Collegium aut Univerſitas, *Cap. 1. de Uſuris in 6.* Nonò: Ut Communitates, earum Poteſtates, Judices, & quicunque Officiales, qui condiderint, ſcripſerint, vel dictaverint ſtatuta, quibus Uſuræ permittantur, aut ſolvi permittuntur, aut repeti prohibentur, eoipſo ſint excommunicati, ex Clementina unica de Uſuris. Sunt & aliæ ſpeciales pœnæ Juris quorundam Regnorum quæ in Diœceſeriis, & Juriſperitis illarum partium videri poſſunt.

4. Uſurarius quia ſit manifeſtus

Notandum tamen ſolos Uſurarios manifeſtos & notorios incurrere has pœnas, non verò occultos, ſecundùm Communem Doctorum opinionem. Porro Uſurarius manifeſtus tribus modis cenſetur eſſe talis; Primò per Evidentiam facti, ſi publicè in Civitate exerceat uſuras. Secundò per evidentiam Juris, quia ſcilicet per ſententiam Judicis de illo crimine eſt condemnatus. Tertiò per propriam Confeſſionem extra Judicium coram

ram Sacerdote & testibus, ita ut in plurimorum notitiam devenerit. Ita Navarrus cap. 17. Sylvester & alii.

Quæstio XI.

De Commodato & Precario.

1. Commodatum definitur.

ALtera Species Contractuum qui re perficiuntur est Commodatum, secundùm quid nominis dicitur quasi datum ad commodum alterius, & frequenter etiam confunditur non modò apud vulgum, sed etiam in jure cum mutuare ut patet in *L. 49. §. 2. de Legat. 3. in verbo solitus*, & alibi, in Re autem definitur, quòd sit *Contractus nominatus Realis, bonæ fidei juris gentium, quo certus usus alicujus rei gratuitò conceditur, finito usu in specie reddenda.* Ita *Instit. Quibus modis contrah. Obli.* Dicitur *Contractus nominatus & realis*, quod habetur *§. 2. cit. Instit. bonæ fidei*, habetur *§. 28.* & hæc particula est genus. Additur *quo certus usus* Per quam particulam, distinguitur *à Mutuo* in quo transfertur dominium, & à *Deposito*, in quo committitur sola custodia, item *à Pignore*, quod datur ad securitatem, hinc in Commodato semper daminium manet penes commodantem, usus autem penes Commodatarium. Dicitur *gratuitò* per quod distingvitur à *Locatione*; in qua pro usu intervenit pecunia, ut Locatio tantum sit officii, Commodatum verò præterquam quòd sit officii, sit etiam beneficii. Additur *Conceditur*, Quia ad Commodatum requiritur translatio rei, *L. Obligamus ff. de act. & obligat.* Et insuper ut denotetur quod hæc translatio non sit dominii sed tantùm usûs, dominium etenim penes Commodantem manet, *L. Res commodata ff. de Commodat:* Tandem dicitur *finito usu in specie reddenda* sumendo *speciem* in acceptione Jurisperitarum pro Individuo & numero, per quod insinuatur Commodatum ad certum tempus fieri debet, & differt à Precario, quod certum tempus non habet, unde in Commodato strictè sumpto res commodata ante completum tempus tacitum vel expressum repeti non potest, pro quo fuit concessum, absque injustitia; Neque Commodatarius tenetur illam restituere ante illud tempus etiamsi à Commodante exigeretur, nisi Commodans pateretur æque vel plus & majus detrimentum, Tum quia ex sua re sibi tenetur potiùs consulere, tum quia in tali casu vix intendit se tam strictè obligare: Nec

2. Commodans potest alio uno: tempus repetere, obstat Regula Juris 33. *Mutare Consilium quis non potest in alterius detrimentum.* Et insuper Regula 61. habet *Quod in gratiam alicujus conceditur non est in ejus detrimentum retorquendum:* atqui si Commodatarius restituere teneretur utrumque ei obveniret, ergo: Non obstat, inquam, quia illæ Regulæ intelligendæ sunt vel sinè rationabili causa, vel per se intendendo alterius detrimentum, vel dispendium, secus si per accidens sequatur eo quòd Commodans per se intendat tantùm vitare proprium dispendium & detrimentum.

His præmissis quoad naturam Commodati, tres in hac quæstione examinandæ sunt difficultates. Prima, quæ est facilior, Quis commodare possit? Secunda: An, si Commodatarius in Naufragio, incendio, aut alio simili casu simul non possit salvare res suas, & res commodato acceptas, teneatur ad aliquam restitutionem, si res suas solvet, & relinquat commodatò acceptas? Tertia; An si Commodatarius mittat rem commodatam ad Commodantem per famulum aut alium Internuntium, & illa pereat, vel dispareat, sive per fugam famuli, malitiam, aut alium casum fortuitum, pereat Commodanti, vel Commodatario ita ut restituere teneatur? Pro quarum Resolutione

3. Comodationis finis & effectus, Notandum 1. Finem Commodationis esse ut mutuis officiis. alii alios adjuvemus, & sic communicato rerum usu, communibus vitæ necessitatibus in Republica subveniatur, ita Clarissimus D. Schambogen. Et effectus est, ut pariat obligationem *§. 2. Instit. Quibus modis contrah. Oblig. L. 1. §. 3. ff. de Ob. & Ac.* ex qua nascitur in foro politico *Actio Commodati.*

4. Dolus quid sit, Notandum 2. Dolum ex Ulpiano, ut cum labore §. 1. ff. de dolo, aliud non esse quàm calliditatem, fallaciam, aut machinationem ad circumveniendum, fallendum ac decipiendum alterum adhibitam.

5. Culpa Judicia quæ & quotuplex. Notandum 3. *Culpam juridicam* ut distinguitur à dolo bene definiri, quòd sit *Deviatio incircumspecta, ab eo quod bonum, & secundùm legem esse deberet, quodque per hominis diligentiam potuit præcaveri.* Estque triplex, *Lata, Levis,* & *Levissima.* Culpa lata est deviatio ab ea diligentia, quam homines ejusdem Ordinis, conditionis, & professionis, habere solent, ex Textu *L. Lata culpa, ff. de Verb. Signif.* Culpa levis est deviatio, ab ea diligentia, quam communiter homines diligentes habent in similibus actionibus. Levissima est, incircumspecta deviatio ab ea diligentia, quam communiter homines diligentissimi in similibus operibus adhibent, quod exemplificari hoc modo potest. Titius commodat Mœvio librum ad studendum ex illo per totam Philosophiam, Mœvius autem si relinquat librum illum in scamno extra domum jacere, Culpam latam committit. Si verò reliquit eum in cubiculo aperto tamen ostio, unde subripi potuit, culpam levem committit; Levissimam autem secundùm Navarrum cap. 17. n. 177. si cubiculum clausit, & non probavit,

bavit, an peſſulus, vel penna occluſerit &c. His notatis

6. Commodare poteſt quilibet Dominus.

DICO 1. *Commodatum dare poteſt, quilibet rei Dominus.* Ita habetur *L. 8. ff. hoc titulo.* Debet tamen Dominus conſentire poſſe, ex *L. 1. §. 3. de Pactis. L. 55. ff. de Ob. & Act.* Imò etiam Non Dominus, & malæ fidei poſſeſſor, qui rem alienam ſcit, *L. Commodare. 15. ff. iſto.*

7. Commodare qui non poſſit.

DICO 2. *Commodare alteri non poteſt Uſuarius, ſeu qui habet tantùm rei uſum, & omnes illi, qui contrahere non poſſunt, ut pupillus, furioſus, Prodigus.* Ita habetur *§. 1. Inſtit. de Uſu & habit*: Et ratio etiam eſt, quia illi non habent bonorum ſuorum adminiſtrationem, unde ſi pupillus daret aliquid commodato, non obligaretur ad contractum, ſed poteſt revocari, ſi verò accipiat aliquid commodato ad certum tempus, vel uſum, contractus obligat Commodantem, nam in favorem hujus imbelli ætatis, & non perfecti judicii, Jura conceſſerunt, quòd pupillus bene ſibi alios abſque Tutoris authoritate obligare poſſit, ipſe tamen non poſſit ſinè illa obligari aliis, & hoc habetur L. *Julianus. §. antepenult. ff. de Act. Empt.* Ita quòd pupillus in commodato non teneatur niſi de dolo, unde ſi nullo intervenient dolo res commodata pereat, aut deterior fiat, ad aliud non tenetur, niſi in quantum eſt factus locupletior L. *1. 2. 3. ff. hoc titulo Commodati.*

8. Res mobiles & immobiles commodantur.

DICO 3. *Res omnes tam mobiles quàm immobiles quæ uſu non conſumuntur commodato dari poſſunt.* Hæc eſt communis Jurisperitorum & Theologorum. Et Probatur ex pluribus Juribus, nam de argento habetur L. *5. §. 14.* L. *20. ff. hoc tit.* De Lance, *ibidem §. 3.* De Scypho, L. *final. ff. de Præſcript. Verb.* Unde communis circumfertur hiſtoria, de Juvene quodam, qui plurimum de argento & auro commodato accepit, ut monſtraret ſe divitem, coram amicis puellæ cujusdam, quam affectabat habere uxorem, quam alioquin non fuiſſet habiturus. De Veſtimentis habetur L. *5. §. 8. ff. hoc tit.* De rebus moventibus, v. g. Servo, L. *5. §. 7.* Equo, L. *final. hoc tit.* quem pullus ſequitur, L. *5. §. ff. h. t.* De rebus Immobilibus, ut ſolo. L. *1. §. 1 ff. h. t.* Et etiam aliis incorporalibus, ſi aliquis earum ſit uſus, vel utilitas, ut habitatio & reliquæ ſervitutes cum precario etiam concedi poſſint. *L. 8. §. 5. ff. de Precar.* Dixi autem, *Quæ uſu non conſumuntur*, quia ſi conſumantur non habebunt rationem commodati, ſed mutui, ut contingit in frumento, vino, oleo &c.

9. Commodans nociva tenetur ad damnum.

DICO 4. *Commodans ſcienter rem vitioſam & inutilem ad uſum pro quo petebatur, peccat, & tenetur ad reſarciendo damna Mutuario inde ſubſecuta.* Hæc habetur *L. Iarebus §. ſicut*, & *L. penult. §. Item qui ſciens ff. de Commodato.*

10. Commodatum ſi caſu pereat ad nihil tenetur Commodatarius.

DICO 5. *Si res apud Commodatarium fortuitò & caſu pereat, ad nullam tenetur reſtitutionem, niſi ob dolum vel culpam latam Juridicam.* Hæc eſt communior apud Canoniſtas, contra Sotum lib. 4. de Juſtitia, q. 7. exiſtimantem Commodatarium ad nihil teneri, niſi quando culpam mortalem committit, & per illam perire ſinit rem commodatam. Probatur Concluſio, ex *Cap. Unica. De Commodato.* Item ex *L. 5. §. 4.* & *L. 18.* in præfato titulo. Et ratio eſt, tum quia res Domino ſuo perit: Tum quia nemo majorem diligentiam tenetur adhibere in cuſtodienda re aliena, quàm propria, ergo ſi hæc diligenti ſit præſtita Commodatarius ad nihil amplius tenetur, cùm nec doloſè egiſſe ſupponatur, nec culpam latam commiſerit. Tum quia ad precarium non requiritur niſi diligentia & cuſtodia communis, ita videlicet ut non præſtes dolum nec culpam latam, ut habet *L. Contractus. 23. ff. De Reg. Juris*, & L. *Quæſitum eſt. 8. §. Eum quoque ff. de Precario*, ergo nec major diligentia requiritur in Commodato.

11. Commodatarius in mora tenetur rem perditam reſtituere.

DICO 6. *Si Commodatarius elapſo tempore in pactum deducto, aut uſu jam completo non reſtituat rem accommodatam, aut ſi applicet ad alium uſum, quàm Commodans conſenſerit, & res pereat, tenetur ad reſtitutionem in conſcientia, & in foro fori Commodans acquirit actionem furti.* Hæc eſt communior ſententia Authorum, Et Probatur 1. Quia tempus determinatum & elapſum pro Domino interpellat, ut habetur *Cap. ult. de Locato. L. Magnam. Cod. de Contrahend. Stipul.* Probatur 2. Quia talis eſt in culpa, *Cum autem gratia ſui tantum quis accommodatum accipit, de leviſſima etiam culpa tenetur*, ut habet *Cap. Uni. de Commod.* Item *L. In rebus commodatis. 18. ff. Commodati*, & alibi; dolus autem & fraus nemini patrocinatur, ergo ſi quis tempore elapſo adhuc rem retineat, doloſè agit, ſicut etiam ſi quis ad unum uſum accommodatam applicet ad alium fraudulenter agit, conſequenter peccat, & ad reſtitutionem tenetur; hinc ſi quis tempore elapſo rem pertinaciter retineret usque dum per ſententiam condemnatoriam compelleretur ad reſtituendum, tunc non ſolùm teneretur ad reſtitutionem, ſed etiam valorem inſuper illius in contumaciæ pœnam, ex L. *Non absre C. Undevi.* Tertiò. Quia talis utitur & detinet rem contra Domini voluntatem, adeòque tenetur de damno.

12. Commodatarius non poteſt in alium uſum adhibere rem.

Hinc ſequitur 2. Quòd ſi Commodatarius accepit à me Equum, ut pergat Viennam, ille verò proficiſcatur in Poloniam,

ſoniam, ubi in latrones incidit, aut in aliud infortunium lapſus eſt, tenetur ad reſtitutionem equi deperditi vel deſtructi; Similiter ſi Commodatarius accipiat vaſa argentea, ut in domo ſua ſplendidum exhibeat amicis convivium, ipſe verò transferat ad alium locum, per vias periculoſas, v.g. ultra mare, unde vel naufragio, vel alio periculo, & infortunio exponuntur & pereunt, talis tenetur ad reſtitutionem, & ita ſentiunt quàm plures Authores apud Navarrum in Manual. cap. 17. n. 179. Aretinus, dicit tamen Angelus talem Commodatarium excuſari in caſu, ſi ita res pereat, quod apud Dominum æquè periiſſet, v.g. in univerſali alicujus urbis incendio omnia conflagrante. Niſi fuiſſet in mora, aut dediſſet occaſionem lucri ceſſantis &c.

13. Commodatarius quo ordine teneatur res ſuas & commodatas ſalvare.

DICO 7. *In periculoſo incendio, vel hoſtium incurſu, tenetur Commodatarius res commodatas ſalvare præ ſuis propriis, ſi illæ ſint pretioſiores, ſecus eſt ſi ſint viliores.* Ita plures Authores apud Aretinum, Leſſium. Probatur 1. Pars. Quia Commodatarius tenetur vi contractûs ad res commodatas ſic cuſtodire, ſicut vellet ſuas res habere cuſtoditas, & ſervare ſicut res ſuas vellet habere ſalvatas, ſed Commodatarius vellet res ſuas pretioſiores eſſe ſalvatas præ vilibus, ergo debet ſimiliter res commodatas ſic ſalvare. Tum quia recta ratio non patitur ut quis damnum ſuſtineat ex ſuo beneficio, & quod in gratiam alterius præſtitit; Imo gratitudo exigit, ut cum minori tuo damno benefacientem Commodantem ſerves indemnem, quis enim poſſet dicere æquum eſſe, ut tu in eodem ſtabulo exiſtentem tuum vitulum, & equum 100. aureorum, ſalves vitulum & equum perire ſinas. Ubi tamen notandum, quòd ſi incendium eſſet ita generale, vel naufragium, aut incurſus hoſtium talis, quòd res apud Commodantem æquè fuiſſet peritura, tunc Commodatarius ſalvans pretioſiores Commodantis, & ſuas viliores deperdens, tunc Commodatarius poteſt compenſare res ſuas viliores, nec tenetur ad reſtitutionem, quoadusque ſolvat jacturam rerum ſuarum viliorem. Ratio hujus eſt. Tum quia commune fuit periculum, quod non ratione rei commodatæ accidit, ſed ab extrinſeco. Tum quia in eo caſu videtur plus teneri ſuccurrere rebus propriis, quàm alienis, unde ſi alienis ſuccurrit, compenſationem pro ſuis propriis exigere poteſt. Similiter ſi Commodatarius res commodatas ſalvans debet aliquos ſumptus, expenſas, aut laborem adhibere, ad rerum commodatarum conſervationem, eò quòd vel in aqua, aut igne eſſent paſſæ detrimentum quodpiam, tunc etiam earum expenſarum compenſare urgere & ſollicitare poteſt. Ratio hujus eſt. Quia hi ſumptus & expenſæ non pertinent ad cuſtodiam rei commodatæ, & nemo tenetur ſumptus facere pro rebus alienis.

Probatur 2. Pars. Quia vice verſa æquitas non patitur ut quis longè majorem jacturam patiatur in rebus ſuis propriis, ut ſolvet minorem rem alienam. Tum Quia Commodatarius non tenetur majorem adhibere diligentiam in cuſtodienda re commodata, quàm adhiberet in conſervandis propriis, atqui in propriis rationabiliter vult prius ſalvare pretioſiores, quàm viliores, ergo à pari.

Nota hic iterum Commodatarium teneri tamen ad reſtitutionem valoris rerum, quæ, ut ſuas ſalvaret pretioſiores, perierunt Commodanti; Nam licèt poſſit ſalvare ſuas res pretioſiores, obligatur tamen vi Contractus ad conſervandum indemnem Commodantem, unde hic non debet pati jacturam ſuarum rerum, ut Commodatarius ſalvet pretioſiores, hoc enim fit ea Lege, conditione & onere, ut Commodantem ſalvet indemnem, reſtituendo illi valorem rerum Commodatarum.

14. Commodatarius non tenetur de re in alterius commodū conceſſa.

Nota adhuc me ſemper loqui in præſentiarum de Caſu, quando Commodatarius accipit rem commodatam in ſuam propriam ſolius utilitatem, ſi enim eſſet accepta ad utilitatem utriusque, vel ſolius Commodantis, ut in depoſito, aliter foret Syllogizandum, tunc enim Commodatarius ad nullam reſtitutionem illi tenetur; Et Ratio eſt; Quod non in bonum proprium alicujus conceſſum eſt vel depoſitum, ſed in commodum alterius, non tenetur quis cum proprio damno conſervare rem alienam, quia tunc non ſuæ cauſæ eſt in periculo, ſed alterius commodo, adeoque non eſt æquum, ut Commodatarius ex ipſius rei conſervatione damnum repottet. Similiter Syllogiza, ſi res in utriusque commodum fuit commodata; Nam in hoc caſu non eſt ratio, cur alteri potius quàm tibi conſulere debeas, nam ut vulgatum habet *Charitas incipit ab Ego*, ergo in communi periculo, potius mihi conſulere debeo quàm alteri, unde in illo caſu res Domino perit, & Commodatarius ad nihil tenetur. Videntur Sylveſter, Gabriel, Angelus, Aretinus, Leſſius.

15. Res famulo deſtinato tradita perit Commodanti.

DICO 8. *Si Commodatarius rem commodatam transmittat Commodanti per famulum à Commodante deſtinatum eo fine ut illa res tradatur, ſi tradita fuerit & caſu aut culpa famuli pereat Commodanti perit, ſecus foret ſi in mora fuiſſet & per domeſticum ſuum transmitteret.* Hæc Probatur quoad utramque partem ex L. *Eum qui. §. ult.* & *L. ſi mei Verb. Dominus. ff. de Commodato.* Et ra-

tiò eſt. Quia eoipſo quòd Commodans perſonam determinavit, cui res commodata tradi debuit ratam & gratam habuit ſolutionem, & jam cenſetur facta fuiſſe traditio, adeoque debitum perſolutum, ut habent Leges citatæ. Debet autem Debitor Creditorem monere atque ſignificare ſe per illum famulum rem commodatam miſiſſe. Si verò Commodatarius nullam culpam, nec leviſſimam dediſſet, nec moram feciſſet, & mitteret per famulum ſuum quem alioquin ſemper expertus fuit fidelem, hâc vice tamen auffugit, aut aliàs periit, tunc Commodatarius ad nihil teneretur, quia nec leviſſimæ culpæ reus eſſet, & hoc habent tum Leges ſupra citatæ, tum L. *Argentum. ff. de Commodato*

16. Res in individuo incertæ pereunt Debitori.

DICO 9. *Si res in individuo incerta, certa tamen in ſpecie & quantitate, quale eſt in mutuo & pluribus aliis caſibus transmittatur per famulum non deſignatum à Creditore, perit Debitori.* Ita Navarrus, Medina, Aretinus. Probatur 1. Ex *Cap. Significante, de Pignoribus.* Et ex L. *Incendium C. ſi certum petat.* Probatur etiam ratione. Quia res Domino perit, quando ex parte alterius, qui illius non eſt Dominus nulla intervenit culpa, aut aliud etiam intereſſit pactum, neque in ſingulari eſt debita, atqui dominium rei incertæ, ut eſt obligatio ex mutuo orta, pertinet ad debitorem, tanquam Dominum, ergo. Confirmatur. Quando res eſt indeterminata, Debitor non liberatur ab obligatione ſolvendi, niſi res fuerit tradita Creditori, & ille ſolutionem habeat ratam, ergo.

17. Precarium definitur.

Precarium eſt affine Commodato, quia in utroque gratuitus rei uſus conceditur, *L. 14. ff. de Precario*, neque Dominium transfertur, ſed uſus tantùm ad tempus, *L. 1. §. finali ff. de Precario*, itaque bene definitur, Eſſe, *quod precibus petentis utendum conceditur, tam diu quàm diu is, qui conceſſit, patitur. L. 1. 2. in pri ff. de Precario.* Unde licèt Precarium ſit ſimile contractui, & donationi, non eſt tamen Contractus, neque Donatio, ſed de natura utriusque aliquid participat, ut dicitur in *L. 14. cit.* Nam Donator eo dat animo, ne recipiat, dans verò Precarium, eo dat animo, ut ſibi quoque cum tempore recipere liceat, ex *L. 1. 2. hoc tit.*

18. Precarium & Commodatum quomodo differant.

Precarium autem & Commodatum, licèt ſibi ſint affinia, differunt tamen in pluribus, & primò quàm maximè in eo, quòd in Commodato certus ſit utendi modus, & tempus, in Precario verò nullus modus, neque tempus præfinitur, ſed pro arbitrio concedentis revocari poteſt, ut habetur *L. 1. in pr. §. 2. & L. 15. ff. de Precario*, quamvis aliquod tempus neceſſariò ſit in Precario concedendum, ad uſum, alioquin beneficium ipſi officeret, & ex eo deciperetur. Differunt Secundò, Quòd Commodatum ſit Contractus, Precarium non; Item differunt Quòd Commodatarius, ſi rem commodatam ad ſuam ſolam utilitatem habuerit, tenetur non ſolùm de dolo, ſed etiam culpa lata, levi, & leviſſima, ut habetur *L. 10. & L. 18. in pr. h. t. Et Inſtit. Quibus modis re cont. Obl.* Si verò in Commodantis gratiam ſit conceſſa tenetur de dolo tantùm, ex *L. 5. §. 10. ff. h. tit.* Et etiam de culpa lata, quia hæc dolo æquiparatur, ex L. *1. C. Depoſit. L. 32. ff. eodem.*

Pro fine Nota adhuc ex Oſtienſi, etiam in ipſo Precario differentiam eſſe; Nam ſi res conceditur ad uſum usque ad mortem accipientis, tunc dicitur *Precaria*: Si verò concedantur plures res ad quinquennium determinatè, tunc vocantur *Precaria*; *Precarium* autem propriè, quando conceditur inde determinatè, ut repeti poſſit, quando concedens voluerit, unde apud Authorem citatum, in Summa, & titulo de Precario hi verſus inveniuntur:

Ria, Ria, Rium, tria ſunt quibus eſt caput unum,
Ria ſunt ſolita per ſingula luſtra renaſci;
Ria fit ad mortem, non ultra vult renovari:
Rium finitur tunc, quando Author vult revocare.

Quæſtio XII.

De Depoſito.

12 Depoſitum definitur.

TErtia Species Contractuum realium eſt Depoſitum, ut habetur L. *1. §. 5 ff. De Ob. & Act. §. Praterea. Inſtit. Quibus modis cont. Obl.* quod definio &

DICO 1. *Depoſitum eſt Contractus juris Gentium nominatus & realis, bonæ fidei, de re gratis cuſtodienda, & eadem in ſpecie reſtituenda.* Hæc patet ex Jure §. *2. in fine. Inſtit.* De I. N.G. Civili. L. *7. §. 1. ff. de Pactis*, & Contractus hic denominationem accipit ab eo quod eſt depoſitum, ſeu quod apud alium eſt poſitum, ita ut propoſito *De* augeat *poſitum*, ut oſtendatur totum fidei Depoſitarii eſſe commiſſum, quod ad cuſtodiam rei pertinet, ut habet L. *1. in prin. ff. Depoſiti.*

2. Depoſiti Conditiones.

Ad Depoſitum ſequentes requiruntur Conditiones, ut rectè, verè, & legaliter conſtituatur. Primò, Contrahentium Conſenſus, utpote in omni Contractu neceſſarius. Secundò, ut res tradatur, cùm ſit Contractus realis §. *3. Inſtit.*

ſtit. Quibusmod. Cont. Ob. L. 1. §. 5. de Ob. & A. Tertiò ut res tradatur Cuſtodiæ causâ §. 3. Inſtit. ſupra. Quartò, ut gratis deponatur, eſt enim Depoſitum ſui natura gratuitum. L. 1. §. 8 ff. h. tit. quamvis naturæ Depoſiti non officiat, ſi nulla præcedente Conventione, interveniat donatio honoraria. L. 2. §. 24. De vi. bon. rapt. cap. fin. X. Depoſit. Quintò requiritur ut res in ſpecie, ſeu in individuo reſtituatur Domino petenti, L. 1. §. 5. ff. de Ob. & Act. & quidem incorrupta, ſeu non deteriorata, L. 1. §. 16. ff. h. t. Sextò requiritur, ut dominium in accipientem non transferatur hoc enim manere debet apud Deponentem, L. 17. §. 1. ff. hoc tit.

3. Depoſitum eſt duplex.

DICO 2. *Depoſitum bene dividitur in ſimplex, quod ordinariè Depoſitum vocatur, & in ſequeſtrationem.* Ita Schambogen in tractatu ſuo de Contractibus, quod probat ex L. 5. §. 1. & 2. L. 7. in prin. L. 17. §. 1. & L. penult. ff. h. t. Depoſitum ſimplex ſupra eſt definitum. Altera ſpecies Sequeſtratio, dicitur etiam *Sequeſtrum*, cum hac tamen differentia, ut Sequeſtrum ſit Juris, Sequeſtratio facti, ſic dicitur Sequeſtrum in L. 5. Cod. Quor. Appell. Sequeſtratio verò in *Rubrica*, & L. 1. Cod. de prohib. pecun. ſequeſtrat. Definitur

4. Sequeſtratio definitur.

Sequeſtratio bene deſcribitur, quòd *ſit rei litigioſæ à pluribus, ſecuritatis causâ apud tertium, qui ſequeſter dicitur, facta depoſitio, vel extraditio.* Ita L. 6. & L. 17. in prin. ff. hoc tit. L. 110. ff. de V. S. Sequeſtratio iterum alia eſt neceſſaria, alia voluntaria: *Voluntaria*, quæ ex ſola litigantium voluntate, conventione, & arbitrio proficiſcitur, ex *cit.* Leg. & L. 5. & 6. Cod. eodem. *Neceſſaria* verò eſt, quam Judex ex cauſa, partibus etiam invitis decernit. L. 7. §. final. ff. Qui ſatisd. cogun-tur. Si verò partibus petentibus decernatur ſequeſtratio, oportet, ut partium fiat citatio ex Novell. 113. cap. 16. L. 47. ff. De Jure ju. Sequeſtrationi affinia ſunt, *Miſſio* in poſſeſſionem, *Arreſturi*; Præceptum Judicis de non alienando, quæ omnia finiuntur quando lis terminatur, vel renuntiatur, aut à Judice decernitur.

5. Depoſiti effectus & finis.

Depoſiti finis eſt Cuſtodia rei depoſitæ, L. 1. in prin. L. 6. ff. hoc tit. §. 3. Inſtit. Quibus mod. con. Ob. Effectus verò eſt obligatio d. §. 3. Inſtit. & L. 1. §. 5. ff. De Ob. & Act. quæ actionem parit, & cùm mutua ſit obligatio, ita ut Depoſitarius obligetur ad rem cuſtodiendam, eandemque in ſpecie reſtituendam, & vice verſa, Deponens, ad præſtandum id, quod Depoſitario rei depoſitæ causâ abeſt, ideo etiam mutuæ naſcuntur actiones. Vide dicta de obligatione reſtituendi Commodatarii, quæ etiam hic currunt.

Deponere poſſunt omnes qui contrahere, etiam alterius nomine, L. 1. §. 11. ff. h. t. non tantùm unus ſed & plures L. 1. §. 44. ff. h. t. Suſcipere verò poſſunt omnes qui contrahendo obligantur L. 49. ff. de Ob. & Act.

6. Res mobiles & immobiles poſſunt deponi.

DICO 3. *Res tam mobiles, quàm immobiles ſuo modo deponi poſſunt.* Ita Schambogen & Probatur 1. De rebus Mobilibus, v. g. veſtimentis, ex L. 1. §. 8. ff. h. t. Arca clauſa cum veſtimentis, L. 26. in prin ff. h. t. Quòd ſi autem clauſa ciſta ſit depoſita, & reddatur referata, indeque aliquid videatur ablatum, & quantum ſit ignoretur, tunc deficientibus probationibus aliis, habita conſideratione perſonæ deponentis, juramento creditur, ex L. 1. §. 40. ff. h. t. L. 9. Cod. Unde vi. Poteſt etiam deponi pecunia, L. 1. §. *Eleganter* 33. & ſequentibus. Probatur quoque De rebus Immobilibus. Quæcunque res tradi & cuſtodiri poſſunt, etiam deponi poſſunt, ex L. 1. in prin. & L. 6. §. hoc tit. Sed res immobiles poſſunt tradi, ut habetur L. 27. in prin. ff. De V. Ob. & etiam cuſtodiri, ex L. ſi vendita 11. ff. De peric. & comm. rei vendit. Cuſtodire enim nihil eſt aliud, quàm diligenter conſervare, ne neglecta reddatur deterior, certum autem eſt res immobiles neglectas & non cuſtoditas poſſe deteriorari, ut habetur L. 55. ff. Locati, ergo poſſunt etiam deponi. Probatur hoc ipſum 2. Quia apud omnes indubitatum eſt res immobiles poſſe ſequeſtrari, ſed ſequeſtratio eſt ſpecies Depoſiti, ergo etiam debet admitti quòd immobiles poſſint deponi.

DICES. In jure nullum exemplum rei immobilis depoſitæ conſtat, ergo. Reſp. negando Conſequentiam. Quia non exemplis, ſed Legibus & rationibus ſunt difficultates reſolvendæ, cum exempla non ſoleant regulas infringere, ſed tantùm illuſtrare.

7. Depoſitarius non poteſt re uti.

DICO 4. *Depoſitarius non poteſt re depoſita uti.* Eſt communis Theologorum apud Leſſium, Covarru. Probatur. Quia uſus rei non eſt ei conceſſus, ſed tantùm ut rem cuſtodiat, nam ſi concederetur ad uſum jam non foret Depoſitum, ſed Commodatum, vel mutuum. Nihilominus Covarruvias, Navarrus & alii exiſtimant Depoſitarium poſſe uti Depoſito in tribus caſibus. Primò, ſi Dominus illi hoc conceſſerit, ſed ſi fiat hoc, non habebit amplius rationem Depoſiti, ſed in rebus uſu conſumptibilibus, erit Mutuum, in aliis Commodatum. Secundò, ſi quis bona fide exiſtimaret, Domino id non diſpliciturum, quamvis poſtea ſciret id Domino diſplicuiſſe, ſed tunc debet uſum Domino exigente, compenſare. Tertiò, ſi eſſent res uſu conſumptibiles, ut triticum, oleum, pecunia, & ſciret certè Domino petenti pro omni tempore poſſe in eadem bonitate, & quantitate reſtituere, tunc putant, Dominum non poſſe eſſe

rationabiliter inviturn, ex eo, quòd ſic ſecuriùs res maneret, & magis in ſalvo cùm aliquo per cautum fortaſſem poſſet perire.

2. Depoſitum quando re-ſtitui debeat & quando non.

DICO 5. *Depoſitarius tenetur Domino reddere rationabiliter poſſibiles, ſcitas eſt & preſentes voluntate ut interim dum ſcitas Dominus invitus voluntate in ordinata.* Probatur Ex *L. 1. §. 8. autem, l. penult. C. Depoſit.* & *L. fin. C. de Condictione furt.* Et Ratio eſt. Quia nemo poteſt ſine cauſa & fundamentali ratione alienum detinere, ergo Dna autem *Voluntate amicabiliter*; Nam Doctores quatuor caſus ordinarie excipiunt, ſi petat rem ut tertio noceat, v. g. furtens enim. Secundo, ſi bona ſint fidei addicta; ex *L. Bona fides ff. Depoſit.* puto tamen hoc tantùm verum eſſe, poſſquam Judex prohibuerit extradi. Tertiò, ſi Deponens furiat, & Dominus rei concurrat, tunc vero Dominus citeriùs tuendum Depoſitum. Quartò, in caſu compenſationis, nam ut modicum, Depoſitario datur actio pro ſua indemnitate.

3. Depoſitarii obligatio.

DICO 6. *Depoſitarius nunquam de ſe fortuito tenetur niſi tuliter conveniret, aut niſi culpa ſua ſive mora id acciderit.* Hæc habetur in jure expreſſa, in *Cap. 2. & L. 15. §. ſi conveniat ff. Depoſit.* & in *Contractu de Reg. §. Unde* Juriſte communiter docent Depoſitarium non teneri niſi de dolo malo, ex Juribus citatis, & de culpa lata, ex *L. 32. ff. ibi*: Non tamen de culpa levi, vel levillima, *L. 5. §. ff. De Ob. & Act.* quia ſuæ faciliatati debet is imputare, qui negligenti amico rem cuſtodiendam tradit. *§. 3. Inſtit. Quibus mod. ceſſat ab. Obl.*

10. Depoſitario datur actio.

Econtra datur actio Depoſitario ex *L. 5. ff. Depoſ.* pro indemnitate ſua, & ad id quod rei depoſitæ causâ abeſt, ſi quas in eam expenſas fecerit, *L. 1. §. 9. L. 3. in prin. L. 7. & L. 23. ff. hoc titulo.*

11. Monaſterium non tenetur ſolvere proClerico.

DICO 7. *Eccleſia aut Monaſterium convalidiri non poteſt, ſi Depoſitarium ſuerit Miles, vel Religioſus, ex quo ab illum perrit.* Hæc eſt communis Doctorum, & Probatur Ex *Cap. delicium. De Reg. jur. in 6. & Cap. Epiſcopum. 21. q. 4.* Ubi dicitur *Delictum perſona non eſt in damnum Eccleſia convertendum.* Et Ratio eſt. Quia omnes Contractus pariunt obligationem tantùm inter ipſos contrahentes, ut dicitur *L. 3. C. Uxor pro Marito*, ergo non poteſt Eccleſia vel Monaſterium conveniri propter rem aput Religioſum depoſitam, vel Religioſi mutuatam; Quod dico de Religioſis pariter dicendum eſt de Canonicis. Excipe tamen Niſi illud Depoſitum vel mutuum fit in Eccleſiæ bonum converſum, tunc Eccleſia & Monaſterium tenetur, ex *Cap. 2. De Depoſit. & Cap. penult. Extrav. De fide inſt.* Et ratio eſt, quia nec Eccleſia vel Monaſterium debet locupletiari cum alterius damno & injuria. *L. Nam hoc natur. ff. De Condict. indebit.*

12. Nautæ, Caupones ſpondeo obligantur.

Quæres. An depoſita re, ſciente & permittente Domino adſint, ſtatim contractum aut ſaltem ſubſiſtens, *Reſpond.* Nautas, Caupones, ſtabularios, ut colligitur ex *L. 1. §. ult. ff. Nautæ, Caupones.* Si Dominus adſum, non ſit de ſimilibus, non ſtatim naſcitur ei obligatio talis, niſi expreſsè conſenſerit; ſi depoſitum admittat cuſtodia cauſâ, ubi enim id agitur ut pertonaliter ab ipſis obligetur, tacens conſentienti non æquiparatur, *L. 3. Servitus ff. de Procurat.*

13. Depoſita pecunia cui tangat debatur.

Quæres 2. An Depoſitio pecuniarum habeat vim ſolutionis? V. g. Si quis debitor effet, & offerret Creditori ſuo pecuniam, noluerit accipere eandem, an ſi in tertio loco deponat, liberatus ſit à debito, & ab Intereſſe, quod pendere obligabatur? *Reſpond.* Si omnia à jure requiſita obſerventur, talem debitorem omnino liberari ab Intereſſe, & ab ipſo debito, ſi in tertio loco ſuam pecuniam deponat. Porro tria autem requiruntur, ſi Primo Oblatio ſolemniter in loco & tempore opportuno. *L. 9. Cde ſolut. L. 39. De ſolut.* Secundò ut deponatur, obligatis ſit ex *L. 10. L. fin. de Pign. Act. &c.* Et Tertiò Depoſitio, ſtatque ſi accedant ſimul oblatio, depoſitio, & Depoſitio, tunc Depoſitio extinguit debitum, & ſiſtit curſum & pretentionem ad omnia Intereſſe. *L. 8. L. 19. Cod. de uſuris.*

Queſtio XIII.

De Pignoribus & Hypothecis.

1. Pignus & Hypotheca idem in nomine,

ULtima Contractuum Realium ſpecies eſt Pignus ex *L. final. Inſt. Quibus modis contrahitur Oblig.* Pignus autem derivatur à pugno, ut eſtatur *Cujus ſuris Conſule V. L. Pacis*, quia res quæ pignori dantur manu traduntur. Hypotheca autem eſt verbum græcum, & latinè ſignificat idem quod Pignus, ex Martino dicente; Inter pignus & hypothecam tantùm nominis ſonus differt. Cui aſſentitur Valla. Cicero ad Thermum dicens: Cures velim, ut ne hypotheris decedat, eaſque Procuratoribus Cluvii tradat aut, pecuniam ſolvat, ubi hypothecam pro pignore accipit, & Procuratoribus ſolvendum conſulit.

2. Pignus & Hypotheca in quo differant.

Verum tamen aliqua differentia ex communi uſu & acceptione inter Pignus & Hypo-

Digitized by Google

Hypothecam deprehenditur ; Primò Quòd Pignus simul Creditori tradatur ; Hypotheca non item , *Inſtit. de Act. §. Item ſciendum.* Itaque Pignus contractitur traditione *L. Plebs , 238. ff. de V. S.* Hypotheca vero ſola Conventione ſeu pacto, ſine ullâ traditione. *L. Fritio decem. §. ult. ff. De Pactis* , unde pro fecundo Pignus plerumq; in re mobili conſtituitur, Hypotheca verò in immobili.

Notandum ulteriùs Pignus , ſicut & de Commodato , Mutuo , Depoſito ſupra dixi , triplicitèr accipi poſſe. Primò pro re, quæ pignori datur , live res mobilis ſit , ſive immobilis. Secundò pro Contractu, ſeu Conventione illa, per quam pignus conſtituitur, & Tertiò pro obligatione , quæ ex Contractu oritur. Quibus præmiſſis, quæ de Pignoribus & Hypothecis dicenda erunt breviter expediam. Itaque

DICO 1. *Pignus eſt Contractus nominatus & realis , qua creditori jus in re aliqua conſtituitur , propter crediti reſtituendi fidem , & ſecuritatem.* Hæc eſt conformis Juribus & declaratur : Dicitur *Contractus nominatus* , *L. 1. §. fin. ff. de L. 7. §. 1. ff. De Pactis.* quod eſt genus, Reliqua omnia locum differentiæ habent, ex *Inſtit. Quibus modis contrah. Obligat. ſimula.*

1. Pignus de-finitur ut Contractus.

Pignoris variæ divi-ſiones.

2. Pignoris duplex ſpecies.

Pignus alius eſt *Tacitum*, aliud *Expreſſum*. L. *pen. & toto tit. In quibus cauſ. pign. tacite. contrah.* Tacitum eſt, quod vel tacita conventione, ſeu præſumpta contrahentium conſtituitur à Lege, vel etiam à ſola Lege. *D. tit. In quibus Cauſſ. pignus tacite contrah.* ut ſunt Bona mariti pro dote Uxoris , Bona Tutoris & Curatoris pro adminiſtratione , item Prælati pro adminiſtratione Patris , Bona defuncti ſunt hypotheca pro Legatis. Vide Leſſium. Expreſſum eſt , quod expreſſa contrahentium voluntate & conventione conſtituitur. L. *2. C. de Prator. pign.* & hinc conventionem eſt nullum. L. *Quamvis. 12. ff. hoc tit.* Et hoc eſt, vel *Generale* , vel *Speciale*. Generale eſt , quod in univerſis bonis debitoris conſtituitur. *L. 8. & ſeqq. L. 24. ff. hoc tit.* Speciale , quod in una aliqua , vel certis duntaxat rebus , vel certa bonorum parte conſtituitur. *L. 13. §. 1. ſubſeqq. eo. §. 1. ff. h. t.*

Iterum Pignus aliud eſt Prætorium , quod jure prætorio , id eſt ex Edicto , Creditori ob contumaciam debitoris conſtituitur , per miſſionem in poſſeſſionem bonorum , ex primo decreto , citra ullum judicii ſtrepitum , rei ſervandæ cauſâ. *tit. tit. Cod. de Prator. Pign. L. 3. C. ut poſſeſſionem Legat.* Judiciale , quod Juſſu Magiſtratûs , ex cauſa judiciali, in bonis condemnati conſtituitur. *L. ult. ff. Qui potiores in pign.*

3. Pignoris diverſa ſpecies.

DICO 2. *Pignus conſtituitur , aut rem pignori dare , vel hypotheca obligare poſſunt , omnes qui habent rerum jus rum , vel alterius patrimonii liberam adminiſtrationem , ut ſunt veri rerum Domini.* Ita habetur L. 4. §. 1. *ff. De in item ad. dict. L. 21. C. Mandat.* Et hoc verum eſt, etiamſi ad tempus tantum dominium habeant , quo tamen tempore finito , finitur etiam pignus , *L. 6. Cod. De Uſufruct. Hinc* poſſunt etiam oppignorare filius familias , & ſervus , quibus libera peculii adminiſtratio eſt conceſſa , *L. 15. §. fin. L. 19. ff. de Pignor. act.* Item Socius pro ſua parte rem communem , *L. unic. Cod. Si comm. res pignor. data ſit.* Quarto Reipublicæ Adminiſtrator poteſt res Civitatis , ſi neceſſitas Reipublicæ ſumat, L. *Si ut. ff. h. tit.* Quintò, Tutores & Curatores res pupillorum , & Minorum , ſi de utilitate eorum fit , & fiat Decreto Magiſtratûs *L. 2. Cod. de cocre. Tut. L. 22. C. De Adminiſtr. Tut.* Sextò Procurator rem Domini, ſi Dominus ſpecialiter mandet. L. *Si quæ ff. h. tit.* Vel ſi liberam omnium bonorum habeat adminiſtrationem L. *2. §. 4. ff. de acquir. rer. domin.* Vel ſi dominus poſtmodum ratum habuerit. *D. L. 22. ff. hoc tit.* Septimò , Creditor poteſt ſibi rem oppignorari , alteri item oppignorare *L. 1. §. 1. in fin. Cod. de pign. action.* Octavò, Uſufructuarius , non tantùm Uſufructum. L. *8 , qui tit. §. 2. L. 13. ff. h. t.* Sed etiam ipſum rem uſufructuariam. L. *fructus rei 17. ff. De R. F.* ita tamen ut finito uſufructu finatur quoque pignus , ex *L. 13. ff. h. t.*

4. Pignoris variæ ſpecies.

DICO 3. *Pignus conſtituere non poſſunt , qui non poſſunt alienare.* Ita habetur in L. *fin. Cod. Si aliem. res pign. data ſit.* Et Rationi eſt. Quia bona oppignorare vel hypothecare eſt ſpecies alienationis, ut habetur L. *fin. Cod. De reſc. alien. non licet.* Sed nemo poteſt plus juris in aliquem transferre quam ipſe habet , ex L. *Nemo plus. 54. ff. De R. J.* ergo qui non poteſt alienare , nec conſequenter valet oppignorare. Hinc nec pupilli , nec minores , prodigi & ſimiles , nec mulier interceſſionis cauſâ , pro alio res ſuas oppignorare poſſunt. L. *Mulier 11. C. De Adſtr. pig.*

5. Res quæ pignori dari poſſunt.

DICO 4. *Res omnes pignori vel hypothecæ dari poſſunt , quæ vel propter ipſius rei naturam , vel Legis interdictum , vel propter inhabilitatem alienari non poſſunt.* Hæc habetur in L. *3. §. ſimul. L. 13. ff. h. t. L. 15. ſimul. ff. Quæ res pign.* Unde omnes res tam mobiles quam immobiles debitoris , corporales vel incorporales , & quæcunque ſub emptionem , vel venditionem cedunt , poſſunt oppignorari ; Etiam res primò Fituræ , L. *11. ff. h. t.* Item Nomina & Chirographa Debitorum L. *13. in prin. ff. De pign. act.* Inſtrumenta Contractuum, Ipſa Actio L. *1. Cod. De Prator. Pign.*

6. Res quæ oppignorari non poſſunt.

DICO 5. *Res quæ à commercio hominum ſunt exempta pignori dari nequeunt ,*

Qqq 3

Digitized by Google

§. Res à Commercio exemptæ non possunt pignorari.

unt, veluti sunt res sacræ. L. 21. *Cod. De Sac. S. Eccl.* Religiosæ. L. 3. *Cod. Quæres Pign. &c.* Hinc Jus Patronatus qui tale oppignorare non potest, hinc tamen quoad jus percipiendi aliquos fructus temporales, fuit Patronatus deputatos, hinc licet Villa, vel Possessiones, quibus jus Patronatûs annexum est, oppignorentur, non tamen est oppignoratum jus præsentandi ad beneficia Ecclesiastica. *Cap. Cum Bertholdus de sentent. & re judicata.* Si tamen locus ille vendatur ut debito satisfiat, jus Patronatûs tranfit ad Emptorem, quia accessorium iuum sequitur principale. Mobilia item pretiosa cultui Divino dicata, ut calices, cruces, calulæ &c. oppignorari non possunt, nili in magnima necessitate, ad redimendos ll. q. Captivos, succurrendum proximo in extrema necessitate &c. Homo item liber oppignorari non potest, *Cap. 1. De pignor.* Nili quando certus effet quis, & aliter in pignus pro illo daretur, prout fuisset tratres B. V. de Mercede Redemptionis Captivorum, qui quirto voto adstringuntur ad manendum pro pignore sub Paganorum potestate pro Christianorum liberatione. Potest tamen Lege obligari Debitor, qui solvere non potest, ad servicndum Creditori, donec pro debito fatisfaciat.

9. Pactæ possunt adjici pignoribus.

DICO 6. *Consumma esse quod pignori adjiciantur pacta.* Ita habetur in toto *titulo Cod. De Pact. Pignor. & Lege Commiss.* Hic tamen notandum pacta esse alia licita, & alia esse illicita. Licita sunt, ut Creditor pignus distrahere, vel vendere possit, ea Lege, ut eo, quod inde recuperit sit contentus, L. *fin. Cod. Quæ pignor. pignor. hab.* L. *A. Divo Pio 13. §. fi Pignora ff. De Re jud.* Idque propter incertum vendicionis eventum, ut Creditor loco interessé fructus pignoris percipiat, quale pactum dicitur Antechrysis, de quo infra. Vel si convenium fit, ut si infra certum tempus non fit soluta pecunia, jure emptoris, creditor rem pollideat, justo pretio tunc æstimandam. L. 14. *§. fin. ff. h. t.* Illicita pacta, funt fi v. g. ut Creditor pignus vendere non possit, vel ut Debitor pignus nunquam valeat reluere, argumento L. *final. Cod. De pact. Pign.*

10. Finis Pignoris respectu Creditoris est Securitas in credito recipiendo, respectu debitoris verò credendi facilitas, seu ut facilius fides ei habeatur. *Instit. Quib. mod. contrah. Oblig. §. final.* Et ita pignus utriusque gratiâ tam Creditoris quam Debitoris datur. *d. §. final.* Pignoris effectus est, quòd Creditor per pignoris traditionem juftam acquirat possessionem, sed naturalem L. *ult. ff. De Pign. Act.* Et corporalem L. *Debitor. eod. tit. fin. ff. De Pignor. Act.* ideoque cum non pro suo, sed pro alieno, ut jure pignoris possideat non usucapit. L. 13. *in pign. ff. De Usucap.* Dominium autem & proprietas penes debitorem manet L. 13. *§. 3. ff. De Pign. Act.* Cum Creditor Dominus non sit, sed dominus manetur. L. *Eorum 19. in prin. ff. De Dam. Infect.* Unde si Creditor thesaurum in fundo oppignorato inveneri, ipsum pro parte Debitori tanquam Rei Domino restituere tenetur. L. *Si in qui §. fin. ff. De acquir. rer. domin.* Effectus alter pignoris est, quòd partes actionem pignoritam, Directam quidem cuicunque Debitori, L. 9. *§. 4. De Pign. Act.* Contrariò verò datur ipsi Creditori L. 14. *§. 1. ff. de Pign. Act.* V. g. si in pignore fuerit decepitio. L. 9. *in prin. h. t.* Si res aliena vel alteri obligata fuerit oppignorata, vel si quos fecerit fumptus L. 8. *Cod. h. tit.* adversùs debitorem, ejusque hæredes; ad id quod interfuit Creditoris ipsius L. 14. *§. ff. de Sacrific.* Et denique quod pignoris nomine abeft L. 38. *De Pign. Act.*

11. Antichresis pactum an ulura obnoxium.

Quæres, An pactum Antichresis sit illicitum obnoxium? Pro refolutione nota, pactum Antechresis dici illud, quando partes inter se conveniunt, ut Creditor utatur, fructuque pignore interesse loco donec pecunia folvatur. Refpond. Cum D. Schambogen, Quod si certum fit ex re oppignorata quotannis, magnam inedente fertilitate, plures colligantur fructus, quam legitimum fit interesse pactum non esse servandum in eo, quod legitimum excedit, sed in tortem esse computandum. Si verò fructus fint incerti, ita ut fieri poffit, ut tantum fructum non proferat, quod legitimum interesse non excedat, tunc fructus illos excedentes ad fortem non esse computandam, licèt uno anno plures creverint, quam interesse requirerent, tunc enim unius anni ubertas, compendari debet alterius anni sterilitate. L. 17. *Cod. De Usuris.*

Disp.

DISPUTATIO VII.

De

De Juſtitia ſervanda in Contractibus Verbo, & ſcripto initis.

VErba ligant homines, Taurorum cornua funes, commune habet proverbium ut non ſit ullum dubium, verbam magnam habere obligandi efficaciam, cùm enim ſint ſigna Conceptûs, & Conſenſûs interioris mentis, ideò toties quoties proferuntur cum conſcientia oppoſiti & intentione fallendi, non poſſunt eſſe ſinè peccato, & ſi in materia Juris ſinè Injuſtitia, quia ut dicit Scotus, includunt actum cum circumſtantiis ipſum neceſſariò deformantibus, quanta ergo ex verbis & ſcriptis in Contractibus oriatur obligatio ultro citroque, videndum eſt. Contractus autem quì Verbis perficiuntur ſunt *Sponſio*, *Stipulatio*, *Fidejuſſio*, ad quos reduci poteſt *Luſus*; Scriptis verò perficiuntur, *Emphyteuſis*, *Feudum*, & quotquot valorem non habent, ante Inſtrumenti confectionem. Sit igitur

Quæſtio I.

De Contractu Stipulationis?

1. Stipulationis derivatio.

SUperiùs inſinuavi quidem differentiam, inter donationem, Stipulationem, Pollicitationem & Contractum nunc autem ſpecialiter examinanda eſt Stipulatio, quæ eſt prima ſpecies Contractûs, qui verbis perficitur pro qua Notandum Stipulationem, primam Sponſionis ſpeciem, derivari à *Stipulor*, quod firmum veteribus ſignificabat, quia Stipulatio firmandarum & roborandarum reliquarum obligationum, & maximè pactorum nudorum, ex quibus aliàs non dabatur actio, eſt introducta. Stipulor autem ſecundùm Calepinum derivatur à ſtipe, eo quòd interrogationes quæ in ſtipulatione fiunt, propriè circa pecunias verſentur, Ad rem autem

2. Stipulatio deſcribitur

DICO 1. *Stipulatio eſt Contractus nominatus, verbalis, juris Civilis, & ſtricti juris, quo interrogatione precedente, eamq; congrua reſponſione incontinenti ſubſequente reſpondens interroganti, ad dandum vel faciendum obligatur.* Patet ex pluribus Juribus quòd ſit contractus nominatus, habetur *L. 1. prin. ff. De Pactis. L. 5. §. 1 ff. h. t.* quòd ſit verbalis, juris Civilis, & ſtricti juris, habetur *Inſtit. De Act. §. Actionum. 28.* Breviùs definit Stipulationem, Pomponius: Quòd ſit Conceptio verborum, quibus is qui interrogatur, daturum, facturumve ſe, quod interrogatus eſt, reſpondet, *L. 5. §. 1. ff. h. t.* Olim quidem ad Stipulationem requirebantur verba ſolemnia, civilia, & directa, *Inſtit. h. t. §. 1.* Verùm ſublatâ per Conſtitut. Imp. Leonis ſcrupulosâ verborum ſolemnitate. *L. Omnes. C. h. t.* hodie ad legitimam Stipulationem aliud non requiritur, quàm ut fiat verbis expreſſis, utroq; loquente, & ſe invicem exaudiente *L. 1. prin. & §. 2. h. t.* unde

DICO 2. *Stipulatio inter abſentes fieri non poteſt per epiſtolam.* Ita Schambogen Leſſius &c. Probatur. Quia Stipulatio non poteſt contrahi, niſi utroque loquente *L. 1. ff. h. t.* atqui per epiſtolam, & litteras hoc nequit fieri, ergo &c. Quamvis enim aliàs litteris non minùs, quàm viva voce animi conceptus ſignificare poſſimus, ita ut epiſtola tacitus dicatur nuntius propriè tamen per epiſtolam non loquimur, *L. Miles, 75. in prin. ff. de Legat. 2.* nam is qui ſtipulatur, verba ſtipulantis audire debet, *L. 1. in prin. ff. h. t.* Quòd ſi tamen ſtipulatio inter præſentes fuit legitimè contracta, tunc epiſtola, ut inſtrumentum, quo ea legitimè facta probetur intervenire poteſt. *L. 1. C. h. t. Ea quæ 57. ff. De Donat. inter Vir. &c.* 3. Stipulatio inter abſentes nequit fieri.

Stipulationum aliæ ſunt judiciales, aliæ prætoriæ, aliæ Conventionales, aliæ Communes. De Prætoriis & judicialibus habetur, *Inſtit. De Diviſ. Stipul. in prin. L. 5. in prin. ff. h. t.* Iterum aliæ ſunt utiles, aliæ inutiles, *arg. toto tit. Inſtit. De inutilit. ſtipul.* Puræ aliæ, aliæ conditionales, aliæ pœnales, quando ſcilicet pœna Stipulationi adjicitur *Inſt. h. t. §. final.* 4. Stipulationum diviſio.

DICO 3. *Stipulari aliqui prohibentur à natura, aliqui à lege.* Eſt communis & Declaratur. Quia à natura prohibetur Surdus, mutus *L. 1. in prin. ff. h. t. §. Mutum 7.* & *Inſtit. de Inutil. Stipul.* Infans, furioſus, ebrius &c. Lege autem prohibentur damnati ad ultimum ſupplicium. *L. Qui ultimo. 29. in prin. ff. de Pœn.* Deportati, *arg. L. 17. §. 1. ff. de Pœn.* Stipulari prohibentur à ſe invicem illi, quorum alter alterius poteſtati eſt ſubjectus, & ſic Dominus à Servo *Inſt. De inutilit. Stipul. §. Item inutilis. 6.* Pater à filio *d. §. 6.* excepto peculio Caſtrenſi, quamvis per eos qui ſunt in noſtra poteſtate ſtipulari poſſimus, ut per liberos noſtros *L. Stipulatio 38. L. 40. L. 45. §. final. ff. h. t.* 5. Stipulari quinam prohibentur.

DICO 4. *In Stipulationem deduci poſſunt* 6. Res quænam ſub Stipulationem cadunt.

ſunt res omnes, quæ dari, fieri, & dominio ſeu uſui noſtro ſubjici poſſunt. Ita habetur *L. Inter. 83. §. Sacram. 5. ff. h. tit.* tam mobiles, quàm immobiles, *Inſt. De inutilit. Stipulat.* Corporales & incorporales, ut ſervitutes *Inſt. de ſervit. §. final.* Res tam futuræ quàm præſentes.

Porro in Stipulationem deduci non poſſunt res, quarum jure non eſt commercium, L. 35. in prin. ff. h. t. Res ſacræ, ſanctæ, religioſæ, publicæ, liber homo L. 83. L. 103. ff. h. tit. Finis Stipulationis eſt, ut aliis obligationibus firmandis adhibeatur. Paul. lib. 5. ſent. 7. ut verborum vinculo, & nexu promiſſor obligetur.

Effectus eſt, quòd pariat verborum obligationem, & ad eam exequendam duas actiones, *Conditionem* ſcilicet *certi*, & *Actionem ex ſtipulatu*. Certi condictio datur, ſi certa eſt Stipulatio. L. 24. ff. De reb. Cred. Inſtit. h. t. Actio ex Stipulatu datur, ſi incerta eſt ſtipulatio, unde etiam dicitur incerta, & *incerti*, L. 3. C. De inutil. ſtipul. l. 4. ibidem.

Pro fine nota Stipulationem ordinariè fieri ad firmandas cæteras obligationes, nihilominus tamen poteſt etiam fieri ex liberali animo, & in ſimplici promiſſione, quia ſola liberalitas pro cauſa ſufficit, unde *L. hoc Jure 19. §. penult. ff. De Donat.* dicitur: Quod *Stipulationes ob cauſam factæ, donationem non habeant.* Vide dicta de Promiſſione ſupra.

Quæſtio II.

De Contractu Fidejuſſionis.

STipulationem Fidejuſſio ſubſequitur tanquam illam continens, & includens, nam Fidejuſſor de jure communi, non niſi per ſtipulationem conſtituitur, adeoque poſt illius examen congruo ordine ſequitur fidejuſſio, quæ à *fide* & *juſſu* ſeu *juſſione* ſic dicitur, cùm fidejubere idem ſit, ac fide ſua jubere L. *Creditor 60. §. 1. ff. Mandato*, unde etiam propriè fidejuſſor ille dicitur, qui per ſolennem ſtipulationem, ad majorem Creditoris ſecuritatem, fidem ſuam interponit, ita tamen ut debitor principalis nihilominus obligatus maneat, & nominatur aliter Ad- vel - Repromiſſor. L. 5. §. 2. ff. De V. O. Pro quo

1. Fidejuſſio ſecundùm etymon nominis.

Notandum ulterius, quod nomine fidejuſſorum comprehendatur etiam *Expromiſſor*, *Conſtitutor*, *Mandator*, & *Sponſor*, qui tamen differunt à fidejuſſoribus propriè dictis, nam *Expromiſſor* reo liberato, ſe ſolùm ejus loco, & ſuo nomine adſtringit, & ſe debitorem principalem facit *L. 7. §. 8. ff. De Dolo malo.* Fidejuſſor autem cum principali, & alieno nomine obligatur *L. 5. §. 2. ff. De V. O. Conſtitutor.* per nudum pactum, vel epiſtolam conſtituit ſe ſoluturum, quod ipſe vel alius debet. *L. 26. ff. De Conſt. pecun. Mandator* eſt, qui non tantùm præſens, ſed etiam abſens alteri mandat, ut fidejubeat pro ſe non alio, *L. 22. ff. Mandat.* Vel ut pecuniam alteri alicui concedat *L. 1. §. 1. L. 32. ff. d. t.* ſecus in fidejuſſore, qui non niſi per ſtipulationem obligatur, Stipulatio verò debet fieri inter præſentes. Denique *Sponſor* eſt, qui voluntariè accedit, fidejuſſor autem rogatus. His prænotatis

2. Ex-Promiſſor & Conſtitutor qui ſint

DICO 1. *Fidejuſſio eſt Contractus promiſſorius, quo quis ſtipulanti fidem ſuam, citra innovationem ſuam, in ſubſidium non facta vel præſtita obligationis obſtringit.* Ita Schambogen in tract. de Contract. & deducitur ex *Inſtit. h. t. in prin. §. final. Inſtit. De Replic.* Eſt autem Contractus ſtricti juris argumento *Inſtit. de Act. §. 28.* Promiſſorius ſeu Promiſſio ex *L. 3. L. 34. ff. h. t. Inſtit. eodem.* Reliqua differentiæ locum teneut.

3. Fidejuſſio deſcribitur

Secundùm Jurisperitis Fidejuſſio alia eſt Judicialis, quæ propriè ſatisdatio appellatur, *Inſtit. De Satisdat. §. 4.* Alia Extrajudicialis, quæ in contractibus uſitata, quando alter pro debitore principali fidem obſtringit. Et alia dicitur neceſſaria, ad quam quis à Lege, vel Magiſtratu compellitur: alia Voluntaria, ad quam quis non niſi ſua voluntate adſtringitur. *L. 7. §. 1. L. 8. §. 4. ff. Qui ſatisdare coguntur.*

Finis fidejuſſionis eſt, ut Creditori tutius caveatur. *Inſtit. h. t. in prin. §. final. Inſtit. De Replicat.* Effectus verò quod fidejuſſor ex ſua promiſſione æquè obligetur ac ipſe debitor principalis. *L. 4. §. 1. ff. h. t. Inſtit. h. t. §. 2.*

4. Fidejuſſio plura requirit conditiones.

Ad fidejuſſionem autem quatuor communiter requiruntur Conditiones. Prima eſt, ut hic Contractus ſit acceſſorius, & in ſubſidium alterius contractus, vel obligationis tam præſentis quàm futuræ adhibitus. *Inſtitut. De fidejuſſoribus. §. 1. & 3.* Secunda, Ut fidejuſſor non poſſit in plus obligari, ſive ratione temporis, loci, vel debiti, quàm ipſe principalis *Inſtit. h. t. §. 6.* Tertia: Quod quando obligatio principalis eſt invalida, etiam fidejuſſio ſit invalida ex *L. Cùm Lex. 46. ff. De fidejuſſ.* Quarta: Ut fidejuſſor non poſſit conveniri, niſi facta diſcuſſione bonorum principalis Debitoris conſtiterit, ipſum non eſſe ſolvendo, ex *Auth. Præſente. Cod. De fidejuſſ.*

5. Fidejubere qui poſſint.

DICO 2. *Fidejubere poſſunt omnes, qui ſtipulando obligari, & conveniri poſſunt,* Ita habetur in *L. 3. ff. hoc tit.* Et patet tum quia finis eſt creditori cautiùs providere, per talem autem qui obligari non poteſt nihil providetur; Tum, fruſtra fit quod nullum ſortitur effectum, obligatio autem eſt effectus Fidejuſſionis, ergo &c. Hinc Infertur 1. Si mulier fide-

fidejubeat pro ſuo Marito eſt irrita fidejuſſio ex *Auth. Si qua mulier C. ad S. C. Vellejanum*, unde poteſt repetere, quia non tranſtulit dominium : Similiter ſi fidejubeat pro aliquo absque inſtrumento publico, vel per inſtrumentum absque tamen tribus teſtibus eſt irritum, & ſolvere non tenetur, ex *L. Antiqua. 23. §. fin. C. ad S. C. Vellejanum*, modò tamen ſufficit, ut ſubſcriptio fiat per Notarium. Excipe tamen caſum, niſi mulier ſuam fidejuſſionem juramento firmaſſet, quia juramenta ſunt ſervanda quando ſaluti non ſunt obnoxia. *Cap. Quamvis pactum De Pactis in 6.* Aut niſi mulier beneficio S. C. Vellejani coram Judice & Magiſtratu renunciaſſet.

Infertur 2. Minorem 25. annis, ſi fidejubeat pro aliquo, obligari quidem naturaliter, poteſt tamen fidejuſſionem elidere beneficio reſtitutionis in integrum, ex *L. Ait Prætor. 7. §. Non ſolùm 3. ff. De Minoribus.* Pro Patre autem incarcerato obligatur fidejubere, ita quòd ſi non faciat exhæreditari poſſit.

Infertur 3. Epiſcopos, Clericos, Religioſos non poſſe fidejubere in præjudicium Eccleſiæ, bene tamen in proprium damnum, ut ſi haberet bona patrimonialia, aut ſi fiat de Conſenſu Capituli, vel de licentia Superioris Majoris.

6. Fidejuſſor quomodo teneatur ſolvere.

DICO 3. *Quando ſunt plures fidejuſſores pro eodem debito ſinguli tenentur in ſolidum; qui tamen in ſolidum convenitur, poteſt excipere, ut quilibet conveniatur pro ſua parte.* Ita Leſſius & Probatur ex L. *inter fidejuſſores. 26. ff.* & *L. Non rectè. 3. Cap. De Fidejuſſ.* Et hoc privilegium fuit conceſſum fidejuſſoribus ab Adriano Imperatore, ut ibidem dicitur, ſinè quo antecedenter ſinguli totum ſolvere tenebatur vi Contractus fidejuſſorii; Unde ſi tres fidejuberent pro debitore 300. florenorum, ſi debitor non ſit ſolvendo, & unus fidejuſſorum conveniatur à Creditore, non tenetur hic ſolvere niſi centum florenos, ſed poteſt eum remittere ut reliquas partes à cæteris exigat.

7. Fidejuſſor poteſt aliquid pro obligatione accipere.

DICO 4. *Fidejuſſor ratione periculi atque obligationis, quam in ſe ſuſcipit, poteſt licite aliquid accipere ut pro alio fidejubeat.* Hæc eſt communis Doctorum, Cajetani, Soti, Conradi, Navarri, Medinæ Covarruvias, Aretini &c. Probatur. Quoniam obligatio quam in ſe ſuſcipit eſt pretio æſtimabilis, non ſolùm quando timet rationabiliter ſe cogendum fore ad ſolvendum pro alio, ſed etiam quando nihil tale timet, cum hac tamen limitatione, ſi veriſimile ſit fidejuſſorem nihil ſoluturum, tunc enim valde parum poterit accipere. Et Confirmatur, Quia etiam Creditor poteſt à fidejuſſore aliquid accipere, ut eum ab illa obligatione ſua abſolvat, ergo ſimiliter fidejuſſor.

Quæres. Si terminus à Creditore fuerit debitori principali prolongatus, an pnr hoc fidejuſſor liberetur? Reſpond. cum diſtinctione, ſi fidejuſſor generaliter, nullo tempore adjecto obligatus ſit per prorogationem termini, debitori à Creditori factam, non liberatur, quia fidejuſſor ſimpliciter datus, ad omnem cauſam & caſum, donec Creditori plenè ſit ſatisfactum obligari intelligitur, ex *L. Quæro 54. ff. Locat.* Si vero certum tempus, intra quod tantùm velit eſſe obligatus, adjectum ſit, tunc tempore illo elapſo liberatur fidejuſſor. L. *7. Cod. Locat. L. 13. §. 11. ff. eodem.*

8. Prolongatio termini liberat fidejuſſorem.

Quæres 2. An qui minus idoneum fidejuſſorem acceptat eum approbet ut talem? Reſpond. affirmativè. Sed Notandum quòd minùs idoneus fidejuſſor non tantùm ex re, & opibus, ſed etiam ex fide & conveniendi facilitate æſtimetur. L. *2. in prin. ff. Qui ſatisdare cog.* Qui ergò minùs idoneum ab initio ſemel ſuſceperit, eum amplius reprobare non poteſt, Sed illum approbáſſe intelligitur. L. *3. ff. h. t.* Quod enim quis ſemel probavit amplius reprobare non poteſt, L. *ſi uxor 12. §. fin. ff. ad L. Jul. de Adult.* ita quòd nec ignorantiam ſuam prætexere poſſit *arg. L. 19. in prin. ff. De R. I.* Quòd ſi autem ab initio idoneus, ex poſt facto minùs idoneus fiat, tunc ſi ex neceſſitate, pro forma & ſubſtantia actûs ex diſpoſitione Legis, Judicis officio mediante fuerit datus, debitor iterum ſatisdare, aliumque idoneum dare tenebitur. L. *10. §. final. ff. Qui Satisdare cog.* Si verò ex voluntate & conventione partium fuerit datus, & Creditor eo ſemel contentus fuerit, non poterit rurſus alium petere, quia fidejuſſio deſcendit ex jure Conventionis, ſeu Obligationis, ubi ſi jam datus ſit fidejuſſor Creditori ſatisfactum eſt, & obligatio expirat, *arg. L. 96. §. 2. ff. De ſolut. L. 4. ff. De Hared. vendit.*

Quæſtio III.

De Contractu Sponſionis, Ludi, & Sortium?

1. Sponſio deſcribitur,

SPonſio, à *ſponte do*, vel *ſponte* promitto derivatur, & ſi in lata ſignificatione ſumatur eſt genus ad ſtipulationem, & fidejuſſionem, verùm hic ſumitur pro una determinata ſpecie Contractûs in verbis conſiſtentis, & alio nomine vocatur *Concertatio*, de qua

DICO 1. *Sponſio eſt Contractus, in quo de veritate, & eventu alicujus rei contendentes ſibi viciſſim aliquid ſpondent, ut id ſit ejus qui veritatem fuerit aſſecutus.* Ita Leſſius lib. 2. cap. 26. dub. 1.

Patet. Quia Contractus habet rationem generis, reliqua differentiæ locum tenent. Quòd autem talis contractus ſit licitus patet ex eo, quia quilibet poteſt rem ſuam alteri donare, & donatione transferre dominium in alterum, ergo poteſt etiam contrahere cum altero de dando aliquid ſub conditione, ſive fortuita, ſive induſtriali.

2. Sponſionis conditiones.

Ut autem Sponſiones ſint licitæ, non debent eſſe circa corporis certamina, quæ fiunt causâ odii, æmulationis, libidinis, vel circa ingluviem, aut potum, ut qui plus hauſerit, ille plus lucretur, ſed circa res indifferentes, ut habetur L. *ſi quis ita ſtipulatus ff. de V. Obl.* Hinc quando fit Sponſio circa peccatum committendum ab uno conſpondente, illicita eſſet Sponſio, ut ſi tu diceres te peccaturum, & ego negarem, illicita & fugienda eſſet talis ſponſio; quia lucrum de eò fortiùs illiceret ad peccandum, cùm absque hoc natura prona ſit ad malum; Si verò diceret quis mihi me peccaturum, & ego negarem, ſpondere poſſem, quia penes DEI gratiam lucrum ſperatum me magis retraheret à peccato committendo.

Secunda Conditio eſt, ut uterque contendens ſit dubius & incertus de re de qua contendunt, hinc qui ex certa ſcientia, vel revelatione, vel experientiâ ſenſuum eſſet certus de re de qua certatur, non poteſt licitè certare, quia non eſt æqualis conditio ex utraque parte, quòd ſi verò cognoſceret rem tantum ex opinione probabili vel fide humana, aut probabilibus conjecturis & ſignis, licitè poſſet certare, quia omnia hæc ſigna ſunt fallibilia, & nullam cauſant certitudinem. Tertia Conditio eſt, ut uterque in eodem ſenſu accipiat, id de quo certatur, quia cùm in hoc Contractu unus affirmat quod alter negat, & propoſitiones ſint contradictoriæ vel contrariæ ejusdem, de eodem, & in eodem ſenſu, hinc neceſſe eſt ut ſponſionem facientes in eodem ſenſu accipiant de quo certatur.

3. Ludus triplex eſt.

Ludus, vel Luſus generaliſſimè acceptus ſignificat quodlibet delectamentum animi recreandi gratiâ factû, unde etiam ſecundùm Angelum triplex eſt Ludus, *Spiritualis*, ſcilicet *Corporalis*, & *Diabolicus*; Spiritualis eſt quia provenit ex magna mentis devotione & jubilo, qualem habuit David quando 2. Reg. 6. ſaltavit totis viribus coram Arca Domini, & dixit *Ludam & vilior fiam pluſquam factus ſum.* Corporalis Ludus eſt qui fit ob delectationem, vel propriam, vel aliorum, aut virtutis exercendæ gratiâ, quales olim apud Græcos fuerunt Olympici, omni quinquennio celebrati, in quibus Juvenes ſeſe exercebant, curſu, ſaltu, cæſtibus, diſco ſeu palla, & palæſtra. Item Iſthmy, Nemæi, & apud Romanos Megalenſes, funebres, Plebei, & Apollinares; nunc autem ſunt Comœdiæ, Tragœdiæ, Choreæ, Maſcharæ, Pilealis, haſtiludialis, equitalis, jaculatorius, pyrobolarius & alii plurimi, qui ſua nomina ſortiuntur à rebus quæ exercentur. Dœmoniacus qui operatione Sathanæ inventus eſt ad inducendum hominem ad peccatum, & hic iterum triplex eſt, primus conſiſtit in ludibriis, cum aliquis v. g. proximi defectum in ludum ponit, & repræſentationem, ut inde alter exarcebetur & conturbetur, & hinc ſimpliciter malus eſt; Secundus eſt ludus aleæ, & ſub iſto comprehenduntur omnes qui innituntur ſolum fortunæ, ut ludus chartarum, taxillorum &c. Tertius dicitur mixtus, qui partim fortunæ, partim dexteritati & ingenio innititur, ut eſt ludus talorum & teſſerarum in quibus alea quidem projecta eſt fortunæ, tractus autem ſeu poſitio lapidum ex acumine ingenii provenit. His prænotatis

4. Ludus eſt Contractus.

DICO 2. *Ludus bene definitur, quòd ſit Contractus, quo res ab utroque expoſita vincenti tribuitur.* Patet & declaratur, Contractus dicitur, quia ſive chartis ſive taxillis, aut pila, vel quocunque alio genere ludentes ſæpe expreſsè paciſcuntur de pretio, & quantitate præſtanda vincenti; unde additur *quo res ab utroque expoſita &c.* quia uterque ludentium exponit aliquid periculo ob ancipitem eventum luſûs ad ulterius commodum, atque ex induſtria cooperantur ad eundem ludi eventum, juxta majorem vel minorem peritiam, & juxta Leges & conditiones inter ſe invicem pactas, ſive poſtmodum oblectationem intendant, ſive non.

5. Ludus ſi debitæ adſint conditiones eſt licitus.

DICO 3. *Ludus tam conſiſtens in dexteritate, quam in fortuna non eſt ex natura rei illicitus, adeoque nec lege naturali, nec divina prohibitus, ſi adſint debitæ conditiones.* Hæc eſt communis. Probatur. Quia conventio quæ in ludo intervenit ex utraque parte poteſt eſſe æqualis, & ludentes poſſunt eſſe habiles ad alienandum, poſſuntque exercere ludum ſinè ulla vi, fraude, vel dolo; denique poteſt ordinari ad rationabilem animi oblectationem, ad vitandum otium, & habere reliquas circumſtantias debitas, ergo ex ſe eſt licitus. Nec obſtat quòd Exodi 32. populus reprehendatur, Quia ſedit manducare & bibere, & ſurrexit ludere, quia ibi non ſumitur ludere pro joco aut diſtractione, ſed pro Idololatria, aut Scenicis repræſentationibus obſcænis.

Conditiones autem quæ requiruntur ad juſtitiam luſûs ſunt potiſſimum tres. Primò Ut colludentes ſint habiles ad colludendum, ſcilicet nulla Lege prohibiti, cujus defectu filiusfamilias de bonis adventitiis, vel profectitiis ſinè conſenſu tacito vel expreſſo Patris: Nec minor

aut

aut impubes absque consensu tutoris, vel Curatoris, nec conjunx de bonis dotalibus, vel communibus fibi & alteri conjugi, nec Clericus vel Religiosus nifi meretur & de licentia fui fuperioris, & fecluío fcandalo, ludere poterit, Lege humana id prohibente. Secunda Conditio eft, ut unus non trahat alterum ad ludum inuitu, vi, fraude, convitiis &c. alloquin teneretur ad reftitutionem ejus quod fi lucratus eft, qui enim injuriam paffus eft poteft illatim relcindere contractum & rem alienatam recuperare. Tertia Conditio eft, ut neutra pars utatur fraudibus contra leges Ludi, quas vel ipfi ludentes communi conſenſu, inter fe ftatuunt, vel eo in loco communiter funt receptæ, vel apud eam Gentem cujus mores fubtunt, fi quis enim fraude vincitur, teneretur ad reftitutionem. Nocandum tamen aliquos Authores docere; Talem non teneri ad reftituendum rejus lucri, quod lucratus eft, aut damni quod paſſus eft adverſarius, ſed tantum ad valorem ipſi quam alter habuiſſet lucrandi, vel non amittendi, hac enim ſpe tantum per ejusmodi fraudes illum privavit, imò verius exiſtimo ejo talem teneri ad reftitutionem illius quanti quod per fraudes lucratus eſt, Si autem fraudes aliquæ vel induſtriæ, ſeu artificia fint communiter receptæ, vel in eas colludentes expreſſe vel tacitè conſentiunt, licitæ erunt, nec cauſant reſtitutionis obligationem; Ut ſi quis adverteretur à certè habituro ſuam ſpem, & pecuniam ad aliquam pomum, aut ſi videat eum falli, non monet, quisque enim partes ſuas agit, quod valet maxime, ubi ita conſuetudine receptum eſt.

6. Alterum vitium Jurc Civili eſt prohibitum.

DICO 4. *Jure Cæſareo ſunt prohibiti omnes illi ludi, qui magni fortunæ, quam arte regantur, qui communiter nomine Alearum ſignificantur.* Ita habetur *L. alearum §. 2. ff. De alearibus, & Cod. eodem,* dicit tamen Doctor ſubtilis in 4. dill. 15. q. 2. in fine. De tertio articulo. *Lex ipſa tamen non ligat niſi illos, qui vivendo politicè jubſunt Legi Imperiali, qui forte nullo jure teneor, quia ubi præcipit Lex illa habere locum conſuevit, municipalia præcipiendi impertalium, & pater in Italia.*

Hinc etiam Medina in Summa cap. 14. Valentia diſp. 3. q. 6. §. 5. Cajetanus & alii pariter docent Leges hafce hoc tempore non obligare faltem non ſub mortali, & Ratio eſt. Quia vel ufu non fuit receptæ, vel quoad hoc fine abrogata contraria conſuetudine, paſſim enim in omnibus Regionibus conſtat Lalcos exponere magnas pecunia ſummas, & quidem principaliter ob lucrum, neq; tamen prohibentur a Confeſſariis hoc ſolo nomine, & abſolvuntur absque propoſito ab eis cavendi impoſterum, nili intercederet aliqua ex tribus cauſis, propter quas ſub Gravi hujusmodi ludus prohibuit, quæ funt primo, Quòd ſolent ludi exocitare ad blaſphemias. 2. Quia ex ludi otiumque rixæ & pugnæ inter colludentes. 3. Quia per frequentatos ludus ſubſtantia alicujus ſæpe exhauritur.

7. Ludus ſæpe vitioſus.

Unde ex pluribus circumſtantiis ludi redduntur vitioſi, Primò ſi Ludus nimis avidè expetatur. Secundò, ſi nimium in eo temporis inſumatur. Tertiò, ſi Ludus fit parum decens talem perſonam. Quartò, ſi fit cum ſcandalo. Quintò, ſi occaſio aliarum peccatorum, Perjurii, blaſphemiæ, rixæ, iræ &c. Sextò, ſi Infamiæ eum fraudibus, vel deceptionibus exerceatur. Septimò, ſi cum nocumento Sanitatis. Octavò, ſi cum violentia præcepti Divini, vel Eccleſiaſtici. Nonò, ſi cum detrimento Honorum, Conjugis, Familiæ, Creditorum &c. Decimò, ſi ab illo fugeris, qui alienare non poterat, vel ufuram in extremum gravem neceſſitatem ob perditionem devenire contingat, vel denique ti vitioſum finem aliquem intendat. Dic ut ſupra.

8. Infamia reditur vitioſus.

DICO 5. *Quamvis Ludus ſecundum ſe ſit res indifferens, votum tamen vel juramentum de non ludendo poſſe obligare* non ludendo non obligat mortaliter. Probatur poteſt quis de obligat gravitercr, abſtinendum ab aliquibus etiam licitis & bonis vi. g. à Matrimonio, à certis cibis, & Convivijs &c. ergo & à Ludis, ut è medijs poſſit vacare DEO.

9. Votum de

DICO 6. *Ludere propter lucrum principaliter non eſt peccatum grave.* Ita Molina, Sanchez, Lugo &c. contra Gabrielem; Abulenſem, Salas &c. Ratio eſt; quia non eſt contra præceptum Non ſis, deſiderare Uxorem proximi modo licito, hoc eſt, ſi Maritus ejus moreretur; ergo nec deſiderare per ludum rem proximi modo licito, & faltem per contractum jubſtantialem onerofum, ſi lucratus fueris, nifi fortaſſe avaritia aut Prodigalitas intervenianr.

10. Nec Ludere propter lucrum eſt peccatum.

DICO 7. *Non eſt peccatum mortale ludere pro rebus futuris vg. pro Miſſa certis orationibus pro me, vel pro anima* non *Purgatorij applicandis.* Ita Lugo, Sanchez, Rebell. Navarr. Salas &c. Contra Lugez. Vegam, qui dicunt hunc ludum eſſe Simoniacum, ſi ſe civiliter hoc dezees velimt obligare. Ut autem talis ſuſus ſit licitus notandæ ſunt ſequentes duæ conditiones. Quarum Prima eſt, ne propter præfentium luſti ſe defectus reverentiæ debitæ in oratione ſolvenda, dum propter redirum ad ludum menes diſtractis, & quaſi ludicio modo perfolvitur. Secunda eſt ex utraque parte preces perſolvantur, nam ſi unus aliquid temporale, & alter ſpirituale appetat, poſſet eſſe Simoniæ periculum, quatenus ſpirituale opponitur temporali in contractu onerolo, quod periculum ceſſat, ſi

Ppp 2 utrin-

Digitized by Google

utrunque aliquid spirituale solvitur, commutare enim aliquid Spirituale pro spirituali non est prohibitum, nisi de jure humano in aliquibus Materiis v. g. in Beneficiis.

11. Expenctes menſas ad lucrum peccant.

DICO 8. *Exponentes publicas Aleas ad ludendum, vel ludentes in ſuas domus receptentes graviter peccare.* Ita Authores paſſim & Probatur. Quia id multis Legibus prohibetur. L. 1. 2. 3. ff. *De alea lud. ducbare. alearum ubi C. de alearioribus.* Tum etiam, Quia ibi grave ſcandalum datur, & innumera inde peccata naſcuntur, Blaſphemiæ, Iræ, Rixæ, Furta; imò & homicidia frequentiùs. Romæ quidam ad triremes damnatus eſt, ut refert Lugo ex eo, quòd menſas publicas ludentibus expoſuerit. Ut autem ſit mortale, attendenda eſt qualitas, & ludi, & ludentium, ac pœnæ, quæ illis infliguntur. Imò Navarrus, Lugo, Sanchez docent etiam allantes peccare mortaliter, ſi ſuâ præſentiâ cauſa fiat talis ludi, vel ſi teneatur ad corrigendum ludentes. Secùs ſi ex ſuppoſitione ludi, quem non approbant, delectentur, videntes indultiam, & bonam vel malam ludentium fortunam.

12. Clerici & Religioſi prohibitum eſt ludere.

DICO 9. *Ferè Canonica Clericis & Religioſis prohibitum quoque eſt ludere.* Ita habetur *Cap. 1. diſt. 35.* ubi ſic dicitur: *Epiſcopum aut Presbyter, vel Diaconus, alea, atque ebrietati vacans, aut deſinat, aut deponatur, Subdiaconus, Lector, aut Cantor ſimilia faciens, aut deſinat, aut ſeparetur.* Item in *Cap. Clerici de Vita & honeſtate Clericor.* dicitur: *Ab aleis & taxillis non ludant, nec ludorum ludis intereſſint.* Et Trident. *ſeſſ. 22. Cap. 1. De Reform.* renovat omnes antiquos Canones circa hanc materiam, eorumque pœnas additis aliis Ordinarii arbitrio opponendis dicens ; *Statuit S. Synodus*, ut, quæ aliàs à Summis Pontificibus, & à ſacris Conciliis de Clericorum vita, honeſtate, cultu doctrinaque retinenda, ac fimul de luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, ludibus, ac quibuscunque criminibus, nec non ſæcularibus negotiis fugiendis copioſè ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii impoſendis, obſerventur; nec appellatio excipientem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, ſuſpendat. Ratione harum Canonum agnoſcunt Doctores aliquam peculiarem obligationem in Clericis maximè, ſi ſint cum periculo ſcandali. Aliqui tamen docent, ſi materia non ſit gravis, nullam eſſe obligationem, nec hos Canones hoc tempore eſſe receptos, nec per Superioris executionem mandari. Ita Cajetanus, Henriquez, Lugo, Sanchez, Leſſius &c. Aliqui iterum docent, ſolam frequentiam in Clericis prohiberi, prout patet ex Verbis *Vacans, deſerviens*, quæ conſuetudinem ſignificant. Ita Salas, Molina, Sanchez, Leſſius. Unde non peccant, qui recreationis cauſâ, etiam frequentiùs pro imagine, agno, vel aliqua alia ſimul ac materiali ludunt, ſecluſo Scandalo. Quamvis autem aliqui illas Leges extendant etiam ad Religioſos Laicos, tamen meritò id negat Salas, quia hi nullo modo ſunt Clerici, aut Sacerdotes, Indultus initiati. Fateor nihilominus propter ſtatum perfectionem, & propter ſcandalum, facilius poſſe gravitatem hoc genere Religioſos publicè ludentes, quàm alios. Unde Bannetz, fertur aliquando dixiſſe, ſi unum ex Societate videret charitis ludentem, ſecum ſalutaturum, decrevit mortalis reum. Et Lugo idem dicit, de Capuciis, Carmelitanis Dilcalceatis & ſimilibus.

13. Lucrata in ludo juſte ſibi ſpectant in foro conſcientiæ.

DICO 10. *Ludentes & lucrantes per ludum jure humano prohibitum juſtè lucrata in eo foro conſcientiæ retinere acquiſita, nec ad reſtitutionem obligantur.* Ita communiter Authores, Navarrus, Lugo, Sanchez, Molina, Salas, Leſſius, Antelius p. 4. q. 24. m. 1. art. 3. Adrianus, Medina, A Caſtro, Navarrus cap. 19. n. 19. & eſt bodie communior ſententia, & Probatur, ſtando in jure naturali. Ludus eſt Contractus juſtus tranſlativus dominii, ergo ſtante jure naturali poſſunt tuti conſcientiâ retineri. Antelius addit, quod Leges humanæ prohibeant tales ludos, quia prohibitio facit ſolummodò non eſſe licitum, non tamen, quod contractus talis ſit irritus, nam in Foro Regiæ Juris, *Multa ſint prohibenturque, quæ tamen facta tenent.* Deinde Lex ipſa humana non impedit actum tranſlationem, ut patet ex *Alexandro ſ. de Alexator.* Sed tantum concedit vitio actionem repetendi, idque in judicio tantum, & poſt lententiam judicis, ergo non niſi poſt talem lententiam tenetur ad reſtitutionem.

14. Credito ludenti qua ratione teneatur ſolvere.

Quæres. An qui creditio amiſit per ludum teneatur perſolvere? Reſpond. cum diſtinctione, ſi Luſus non ſit prohibitus, teneturne ſolvere, quia jure naturæ promiſſio ſeria, & voluntaria obligat in conſcientia, maximè ſi ſit uterinq; mutua & onerola? Si autem Luſus ſit prohibitus, nec velit, ut beneficia Legis concedentis repetitionem in judicio, etiam volenti eaſdem reneri ad reſtitutionem. Si verò uti velit beneficio Legis petendo ut promiſſio facta irritetur, poteſt interim dum res agitur in judicio, retinere ſolutionem, quia ſecurus eſt in conſcientia vi legis promiſſionem irritam reddendam, propria autem authoritate non poteſt; ita ſentiunt Salas, Fillucius, Arettinus.

15. Indultus bil ab expoſito lucrari, non tenetur reſtituere.

DICO 11. *Qui alterum vi, minis, & improperiis induxit ad ludendum mibi ab expoſito lucrari, poteſt tamen poſſidere, & indultum acquiſitum conſcientiæ retinere.* Ita Medina, Aretinus & plures alii. Probatur 1. Pars. Quia talis artractus eſt ſimpliciter invitus, & minis aut improperiis inductus ſecundùm quid tantùm conſentit in impugnatione

dominii ſuarum rerum, ergo &: Probatur 2. Pars. Quia ſcienti & volenti non fit injuria, ſed qui pertrahit vi, fraude, aut improperio alium ad ludendum ſciens & volens vult perſolvere à ſe perdita, ergo alter accipiendo non facit illi injuriam. Tum à paritate. Quia Contractus Minoris ſinè authoritate Tutoris vel Curatoris factus valet in quantum redundat in commodum pupilli & minoris, ergo etiam attractus ad luſum lucrari poterit, licet nihil poſſit perdere. Item qui falsè ludit in ludo nihil poteſt lucrari à Colluſore, alter tamen poteſt lucrari, & lucrando dominium transferre, ergo pariter inductus ad luſum poteſt lucrari & lucrata bonâ conſcientiâ retinere. Cætera de Luſu vide apud Authores paſſim.

18. Sortes ſunt in triplici differentia.

Ut autem ad tertiam partem quæſtionis perveniam, Notandum Sortes prout ad propoſitum ſpectat in triplici eſſe differentia. Aliæ enim ſunt divinatoriæ, quando ſcilicet per eas inquiritur de futuris eventibus, & hæ ſunt ſimpliciter illicitæ, easque omnes Patres damnant. Aliæ ſunt Conſultatoriæ in quibus inquiritur divinum Conſilium, ut fecerunt Apoſtoli in electione Matthiæ; De utrisque egregiè diſcurrit S. Auguſtinus in illud Pſalmi 30. In manibus tuis ſortes meæ, dicens: *Non in manibus hominum, ſed in manibus tuis. Quæ ſunt iſtæ ſortes? Quare ſortes? Audito nomine ſortium non debemus ſortilegos quærere. Sors enim non aliquid malieſt: ſed res eſt in dubitatione humana divinam indicans voluntatem. Nam & ſortes miſerunt Apoſtoli.* Aliæ denique ſunt diviſoriæ, ut cum ſortes mittuntur ad aliquod commune bonum dividendum inter plures, de quibus S. Auguſtinus in Epiſt. 180. dicit *Contradictiones ſedat ſortitio, & inter potentes definit.* Quando enim aliqui inter ſe invicem non conveniunt, quam partem quisque debeat accipere, ſortibus id committunt; Vel quando multi unam eandemque rem prætendunt jura ſua allegando, vel rem integram non relinquendo, ſortibus committunt cujus totaliter manere debeat, ſicut fecerunt Milites de tunica inconſutili noſtri Salvatoris. Itaque

DICO 12. *Contractus ſortium bene definitur, quòd ſit ille: quo aliqui jus habentes in aliquare, conveniunt ut mittantur ſortes, quibus conſtet, quisnam illam obtinere debat.* Patet. Probatur quòd ſit licitus, ſi abſint fraudes & inæqualitates Tum ex L. *Si quæ 5. ff. fam. Erciſc.* L. *ſed cùm ambo. ff. De Judic.* & expreſsè dicitur *Can. 1. 26. q 2.* Sortes nihil mali in ſe continere. Tum Quia quòd ſinguli in favorem cæterorum periculo ſortis exponant æquale jus ad rem aliquam eſt commutatio quædam æqualis, atque adeò juſta: ergò. Dixi autem abeſſe debere fraudes, quia ſi quis rem ita diſponat, ut ſors uni determinato contingat, & non aliis, tenebitur reſtituere reliquis id totum, quod ſinguli contribuerunt. Porro hujusmodi ſortes variæ ſunt pro varietate pacti inter partes, aliæ enim ſunt luſoriæ, aliæ electoriæ, aliæ aliis modis, de quibus videri poſſunt Molina, Lopez, Fillucius & alii. Abutentibus autem ſortibus, ſicut & Ariolis in utroque jure graves ſunt decretæ pœnæ.

Quæſtio IV.

De Contractu Emphyteutico.

CONtractus Emphyteuticus à pluribus ad Locationem reducitur, eò quod inmateria conveniant, & magnam habeant analogiam ſeu familiaritatem ex *Inſtit. h. t. §. 3.* verùm, quia hic contractus ſcripturâ perficitur; ad hanc diſputationem collocare voluí, in qua ago de iis quæ verbis & ſcriptis conficiuntur. Derivatur autem Emphytheuſis à verbo græco ἐμφύτευω, quod eſt inſero, conſero, vel implanto, & melioro, eo quod olim inculta & ſterilia in Emphytheuſim darentur, ut culta & fertilia efficerentur, unde etiam *Contractus Inſititicius* dicitur, quoad rem autem

1. Emphytheuſis derivatio.

2. Emphyteuſis definitio.

DICO 1. *Emphytheuſis bene deſcribitur, quòd ſit Contractus Civilis intervenient. ſcripturâ initus, quo ſub lege melioration is, & annua penſionis, res immobilis utenda fruenda conceditur.* Ita Schambogen deducit ex *L. 1. & L. 2. Cod. De jur. Emphyt. Inſtit. h. t. §. 3. & toto tit. Cod. De Jure Emphyth.* Probatur. Quia conſtat genere & differentiis. A venditione differt, quia in venditione transfertur dominium in Emptorem, in Emphyteuſi vero non transfertur dominium in Emphyteutam, ſed ſoli fructus. A Locatione, quia res etiam mobilis locari poteſt, & ad breve tempus, in Emphyteuſi verò ad longum, ſaltèm ad decennium. Deinde in Locatione non transfertur dominium utile, nec Jus in re, ſed Jus ad rem. In Emphyteuſi verò transfertur dominium utile, & Jus in re in Emphyteutam.

In hoc Emphyteutico Contractu obſervandæ ſunt ſequentes Conditiones. Prima eſt, ut ſi penſio, quæ à Juriſtis Canon appellatur, debita per triennium non ſolvatur, res Emphyteutica redeat ad Dominum proprietatis cum omnibus meliorationibus, & operibus ab Emphyteuta factis, niſi legitima adſit excuſatio. Si verò dominium ſpectat ad Eccleſiam, ſufficit ſi per biennium penſio non ſit ſoluta, *Cap. Potuit de Locato.* Praxis tamen eſt, ut ſemel admoneatur. Secunda. Ut ſi

Digitized by Google

res ſinè culpa Emphyteutæ pereat, vel ab hoſtibus occupetur, ceſſet obligatio ſolvendi penſionem *L.1.Cod.de Jure Emphyteutico.* Tertiò. Ut, ſi Emphyteuta, rem notabiliter deteriorem reddat, poteſt ei auferri. *Autor qui rem. Cod.Sacro Sanctis Evang.* Quarta. Ut Emphyteuta Jus ſuum, vel meliorámenta facta non vendat, niſi Dominus pritis monitus videat, an ipſe emere velit, alioquin redeunt omnia ad Dominium proprietatis. *L.3. Cod. De Jure Emphyteutico*, habet autem Dominus duos menſes ad deliberandum. Quinta Ut quoties donatione aut permutatione res ab Emphyteuta alienatur, novus Poſſeſſor Domino directo, *Laudemium*, hoc eſt quinquageſimam partem pretii, ſeu æſtimationis teneatur dare, *L.3.C.De Jure Emphyteut.* hoc tamen per Jura municipalia in Regnis diverſis diverſimodè eſt modificatum, & etiam usque ad 30. partem extentum.

3. Emphyteuſis divisiones.

Emphyteuſis autem multipliciter dividitur, Alia eſt enim *Eccleſiaſtica*, quæ in ſolo, ſeu in re Eccleſiæ conſtituta eſt. Aſia *Civilis publica*, quæ in re ſeu fundo publico, ſive Reipublicæ conſtituitur. Alia *Privata*, quæ in re aut fundo alicujus privati conſtituta dignoſcitur: Alia iterum eſt *Nova*, alia *Antiqua*: Alia, *Perpetua*, quæ in perpetuum: Alia *Temporalis*, qua ad certum tempus eſt conſtituta, quamvis enim primæva Emphyteuſeos natura talis ſit, ut ſit perpetua *L.1.ff. Si ager. vectig.* L.3.*Cod. de fund. Patrim.* &c. Eam tamen etiam ad tempus certum, ut quinque, decem, viginti & annos, vel ad concedentis vitam, aut ad certam generationem, dari poſſe patet, *L.final ff.ſi ager. Vectig. Novell. 12.cap.5.in prin.& cap. 6.§.1.* Alia rursum eſt *Vulgaris* ſeu hæreditaria, quæ ad hæredes quoscunque: Et alia *ſpecialis*, ſeu non hæreditaria, quæ nonniſi ad deſcendentes ex ſe tranſit.

4. Emphyteuſim qui concedere poſſunt.

Dico 2. *Emphyteuſim concedere poſſunt omnes, qui liberam alienandi facultatem habent.* Hæc deducitur ex *L. final. Cod. De Rei. alienand.* Unde non illi quibus rerum alienatio Legibus interdicitur. Sic etiam accipere poſſunt Emphyteuſim omnes, qui non prohibentur, & ad ſolvendum Canonem ſunt idonei, ex *L.3. Cod. h.t.*

5. Emphyteuta non ſolvens penſionem, perdit Emphyteuſim.

Dico 3. *Si Emphyteuta neglexerit debito tempore Canonem ſeu annuam penſionem ſolvere, Emphyteuſis annullatur.* Hæc patet tum ex Conditionibus ſupra requiſitis ad Emphyteuſim, tum ex pluribus Juribus, & quidem ſi Eccleſiaſtica fuerit intra biennium. *Novell.7.cap.3.§. ſcire autem 2. Novella 120. cap.8. §. fin. X. De Locat.* Si verò Civilis eſt, intra triennium. *Novella 7.cap.3.§. 2. L. 2. Cod. De Jure Emphyteut.* Et hoc verum eſt licèt à Domino non ſit interpellatus, ut habet *X.h.t.cap.final.* quia dies interpellat pro Domino, ex *L.Magnam, 12.in fine Cod.de Contrah.& Comm.Stipul.* Ubi adhuc aliam differentiam inter Emphyteuſim Civilem & Eccleſiaſticam nota; Nempe quod in Civili per oblationem Canonis poſt triennium factam mora non purgetur, arg. *L.7. Cod.De Jure Emphyteut.* nam ubicunque dies & pœna ad l'gationi adjuncta eſt mora purgari non poteſt, *L. Trajectitia, 23. ff. De O. & A.* Econtra verò in Emphyteuſi Eccleſiaſtica, mora poſt biennium celeri ſatisfactione purgari poteſt, per *X. De Locat. cap.fin.* ubi additur hæc clauſula limitans, *Niſi celeri ſatisfactione poſtmodum ſibi conſulere ſtuaviſſet* &c.

6. Dominus non poteſt de ſe expellere Emphyteutam.

Dico 4. *Dominus Emphyteutam propria authoritate expellere non poteſt, etiamſi Canonem non ſolverit.* Ita Schambogen. Probatur 1. Quia licèt Domino conceſſum ſit Emphyteutam expellere ex fundo emphyteutico, ſi canonem non perſolvat, ex *L.2.Cod. De Jure Emphyteut.* hoc tamen ad intellectum juris referri debet, id eſt ut fiat Juris remedio, & Judicis miniſterio, ut habetur ex *L. Lex vectigali 31.ff.de Pign.* ergo. Secundò: Emphyteuta verè, & propriè poſſidet feudum, ergo non poteſt ipſi hoc beneficium ſe invito à Domino aufferri, ut patet ex *L. Exſtat.13.ff. Quod metûs causâ*, Nam ut dicitur ibidem, *Ideo judiciorum vigor, juriſque publici tutela videtur in medio conſtituta, ne quisquam ſibi ipſi permittere valeat ultionem.* Tertiò: Per Contradictionem Emphyteutæ res ſit controverſa, ad cujus deciſionem judex requiritur, *nemo enim in propria cauſa jus ſibi ipſi dicere poteſt.tot.tit.Cod.Ne quis in ſua causa. L.Julianus 17.ff. De Judic.*

7. Livellarius Contractus quis ſit.

Quæres. Quid ſit Contractus *Livellarius*, vel *Libellarius*? Reſpond. Quòd hic Contractus olim fuerit ille quo Emphyteuta, ſeu Feudatarius rem Emphyteuticam vel feudalem dat tertio in novam Emphyteuſim, ſeu Feudum. An & quomodo autem id fieri poſſit? videatur Azorius *part.3.lib.10.facta ex integro de Feudis.* Videatur quoque Molina, & alii.

8. Allodium deſcribitur

Quæres 2. Quid ſit *Allodium?* Reſpond. Allodium, barbarum ſatis vocabulum, à Gothis probabiliter introductum; quod Alciatus exiſtimat eſſe dictum *à Laudo*, & Allaudium fundum dici eum, qui pleno jure ad poſſeſſorem pertinet, pro quo nullum alicui Laudemium, ſeu laudativum, & donativum datur, ſignificatur ergò res & hæreditas, propria, nulli quidquam obligata, ex L. *At ſi quis. §. Interdum.ff. De Relig.& ſum.fund.* unde Allodium directè Emphyteuſi, & etiam Feudo opponitur. Sit igitur de hoc poſteriori

Quæſt.

Quæſtio V.

De Contractu Feudali.

1. Feudi etymon.

DE Feudorum origine magna eſt Controverſia inter Feudiſtas, nam aliqui illa à Romanis, alii à Gallis, alii à Longobardis, alii à Germanis derivari aſſerunt, & ſic ſentit quoque Schambogen citans pro ſe Grotium, lib. 1. de Jure belli ac pac. cap. 3. ubi inquit *Feudalis Contractus eſt germanicarum Gentium proprius, neque usquam reperitur, niſi ubi germani poſuerunt ſedes*: hinc etiam Etymologia recenſetur mirabilis & varia, nam aliqui hoc nomen à *faida*, id eſt inimicitia, ſpectata lingua Longobardica; alii à *fœdere*, alii à *fieri*, alii à *fide*, ſeu *fidelitate* deducunt; & hinc Vaſalli ſæpiùs nominantur *fideles*; in Jure feudali ſignificat generaliter genus clientelæ, quo vel dignitas, vel vectigal, vel prædium aliquod, ea lege alicui datur, ut ipſe & ipſius poſteri, atque hæredes beneficii authorem perpetuò agnoſcant, in reautem eſt Contractus de quo agit Jus Canonicum lib. 3. Decret. lib. de feudis, & definitur in *Tit. 23. lib. 2. Feudo.* Eſſe beneficium, quod ex benevolentia datur alicui, ut proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat, uſusfructus verò illius rei, ita ad accipientem tranſeat, ut ad eum, hæredesque ſuos maſculos, ſive fœminas (ſi de his nominatim dictum eſt) in perpetuum pertineat, ad hoc, ut ille, & ſui hæredes fideliter Domino ſerviant, ſive ſervitium illud nominatim, quale eſſe debeat, ſit expreſſum, ſive indeterminatè promiſſum, ita in textu; quæ definitio optima eſt, Verùm quia eſt fuſa & prolixa nimis claritatis gratiâ ponam aliam, interim

2. Feudum multiplicitèr accipitur.

Prænotandum, Feudum tripliciter poſſe accipi; Primò pro re in feudum data, & tunc dicitur res immobilis, vel æquipollens, in qua utile dominium in alterum ſub conditione fidei, & plerumque ſervitiorum perſonalium præſtandorum eſt translatum. Secundò capitur pro ipſo Jure, in qua acceptione dicitur propriè eſſe Feudum, ſcilicet illud ipſum utile, in re illa translatum dominium. Tertiò ſumitur pro Contractu Feudali, quèm proinde definio, &

3. Feudum deſcribitur.

DICO 1. *Feudum eſt Contractus Civilis, interveniente Scripturâ initus, in quo utile dominium rei immobilis transfertur in Feudatarium, ejusque hæredes ſub obligatione fidei, & ſervitiorum plerumque præſtandorum obligatione, manente proprietate rei penes Conferentem beneficium.* Hæc in re eſt communis & patebit per explicationem. Dicitur *Contractus Civilis*, in quo habet rationem genericam. Nam frequenter feuda etiam pecuniâ comparantur, aut aliâ re pretio æſtimabili, ut habetur *tit. 7. 20. & 24. lib. 1. feudorum, & tit. 15. lib. 2. feud.* ita ut nihil referat ſi pecunia aliquando adæquet æſtimationem feudi, nam contractus ex mente contrahentium perficiuntur, ex L. *ſemper ff. De R. I.* Dicitur *interveniente Scriptura*, quia in hoc aſſimilatur Emphyteuſi, quæ licet in pluribus differant, ſunt tamen Contractus valde ſimiles. Dicitur, *in quo utile dominium*, & non ſimplex uſus fructus, quia ex omni perpetua contractu utile dominium acquiritur in quo datur in rem actio. L. *1. §. Uni ff. Si ager vectigal.* Si enim tantùm uſusfructus concederetur feudum non eſſet, nec tranſiret ad hæredes. Dicitur *immobilis*, ſupple vel Æquivalentis, Quia nomine rei immobilis non ſolùm ſignificatur ſolum, ſeu fundus, prædium, ruſticum vel urbanum, verum etiam illa quæ vice rei immobilis fungitur, ſicut cùm de Camera, id eſt Ærario, vel de Caverna, ſeu Cella Vinaria conceditur, *tit. 1. lib. 2. feud.* Similiter de Annuo cenſu, nam hic inter immobilia cenſetur *cap. 1. §. 9. de Verb. Sig. in Clement.* & *Novell. 7. in prin. §. 1.* Item Immobilium loco venit Jurisdictio, Regnum, Ducatus, Comitatus, Marchionatus, & alia ſimilia, ut habetur *tit. 14. lib. 1. feud. & tit. 10. lib. 2. feud.* In particula *Ejusque Hæredes* præſcidi, & non determinavi maſculos vel fœminas, pro diverſitate feudorum, ordinariè tamen maſculi tantùm intelliguntur, niſi expreſsè nominentur fœmellæ, nam fœminæ nequeunt præſtare ea ſervitia Dominis ſicut mares, ut habetur *tit. 36. lib. 2. feudo.* nam neque arma tractare, neque ob pudorem fœmineum publico cœtui poſſunt intereſſe *L. 2. §. C. De his, qui ven. ætat. impetr.* Neque Dominis conſtans vel ſolidum conſilium ſubminiſtrare, neque ſecretum valent continere L. 4. *C. De ſpons.* quæ omnia abhorrent à naturæ feudi. Hinc additur particula *ſub obligatione fidei &c.* In quo eſſentia ipſius feudi conſiſtit, nam Vaſallus tenetur juramentum fidelitatis ſubire, & illud exequi, ut habetur *tit. 3. §. unic. lib. 2. junctο tit. 21. lib. 1. feud.* quod licet aliquando poſſit remitti, nunquam tamen fides.

4. Feudum & Emphyteuſis in quo differant.

Quòd autem proprietas maneat penes conferentem convenit feudum cum Emphyteuſi; Differt tamen ab Emphyteuſi Primò in hoc, quòd in Emphyteuſi debeatur penſio realis ab Emphyteuta; in Feudo autem fidelitas, obſequium, ſeu ſervitium perſonale. Differt Secundò, quia Feudatarius non poteſt donare, alienare, aut transferre Feudum in alium, nec oppignorare, bene tamen Emphyteuta. Tertiò. Quia fœmina non ſuccedit Feudo, niſi exprimatur, in Emphyteuſi verò ſuccedit. Quartò. Quia Feudatarius poteſt ſe abdicare Feudo, non item

Emphy-

Emphyteuta. Quintò. Quia Emphyteuta debet ſolvere penſionem etiam non requiſitus, Feudatarius autem non niſi requiſitus ab infeudante.

5. Feudum multipliciter dividitur.

Feudum apud Feudiſtas Legis multipliciter dividitur: Nam aliud dicitur *Proprium*, ſeu *Rectum*, aliud *Improprium* ſeu *Non rectum*: Illud communes habet conditiones proprietatesque feudi, hoc vel in una, vel in pluribus rationibus ab illis degenerat. Secundò dividitur in *maſculinum*, & *fœmineum*, ſeu *Virile* & *Muliebre*; *Maſculinum* eſt, quod à Maribus habet originem, ſeu de quo masculus eſt prima vice inveſtitus, fœminlum eſt, de quo mulier prima vice fuit inveſtita, quomodo autem hæc inveſtitura fiat dicam inferiùs. Tertiò, dividitur feudum in *Novum* & *Vetus*: *Novum* eſt, cujus cauſam ipſe Vaſallus à Domino concedente habet. *Vetus* quod antè ab aliquo acquiſitum fuit, & ab eo ad alium Vaſallum pervenit. Quartò dividitur feudum in *Nobile* & *Ignobile*. *Nobile* dicitur, quod fuit conceſſum ab habente poteſtatem conferrendi nobilitatem, & voluntatem; *Ignobile*, ſeu *Plebejum*, quod alicui eſt conceſſum, vel ab eo qui caret nobilitandi poteſtate, vel ſi eam habet inveſtit vaſallum ſinè nobilitandi, unde illud, non hoc vaſallum nobilitat. Feudum *Nobile* ſubdividitur in feudum *Regale*, & *Non Regale*: *Regale* eſt, quod alicui conceſſum eſt à Supremo Principe cum Regali dignitate, ut ſunt Ducatus, Marchionatus, & Comitatus &c. quia inveſtiti de illis feudis, ſummam & quaſi regiam accipiunt poteſtatem, exceptis illis quæ ſupremo Principe reſervata ſunt in ſignum ſupremæ poteſtatis. *Non Regale*, quod conceſſum eſt quidem alicui cum nobilitate abſque Regali tamen dignitate. Feudum dividitur Quintò in *Seculare* & *Eccleſiaſticum*, quam diviſionem aliqui à perſona inveſtita, meliùs autè à re in feudum data, deducunt, nam etiam Eccleſiaſtica perſona poteſt feudum ſæculare recognoſcere. Sextò dividitur feudum, in *Ligium*, & *Non Ligium*, *Ligium* eſt, in quo fides directo debetur Domino, contra omnes nullo excepto: *Non Ligium*, in quo fides debetur uni, ita tamen ut eandem præſtare poſſit alteri.

6. Inveſtitura feudi explicatur.

Quia verò ad feudum pervenitur per Inveſtituram, ſinè qua nullum feudum conſtitui poteſt juxta textum *l. feud. tit. 25.* hinc ſciendum Inveſtituram eſſe extrinſecam feudi formam *L. 1. tit. 25.* Inveſtitura derivatur ab inveſtiendo, vel *à feſt*, verbo germanico quod ſignificat firmum & firmatum, & deſcribitur, quod *ſolemnis feudi ceſſio*, ſeu *in rei feudalis miſſio*, quæ duplex eſt Propria & realis, vel Impropria & verbalis: Propria actualem rei poſſeſſionem in Vaſallum transfert, Impropria, quæ eam non transfert, ſed fit tantùm verbis, unà cum actu corporeo, traditione videlicet alicujus ſigni, v. g. ſceptri, Annuli, vel Vexilli, aut gladii, quo accepto conceſſa eſt ipſius feudi apprehenſio. Regna autem olim inveſtiebantur per gladium, Ducatus, Marchionatus, per vexillum, Eccleſiaſtica feuda Archi-Epiſcopatus, Epiſcopatus per Sceptrum, hodie autem iſta ſolemnitas mutata eſt, nunc enim teſte Reinking, *de Regim Sacul. Rom. Imp. lib. 1. cap 16.* inveſtitura fit per Enſem, & quidem ita, ut Vaſallus præſtet juramentum, apprehendat enſis capulum, & oſculetur extremum ejus conum.

7. Infeudare qui poſſint

DICO 2. *In feudum dare poſſunt omnes qui ſunt rerum ſuarum Domini, & alienare, non prohibiti.* Eſt communis omnium, & Patet ex dictis ſupra. Et quia inter dantem & accipientem perpetua ſolet eſſe relatorum natura, ſequitur etiam quòd omnes feudum poſſint acquirere, qui non inveniuntur expreſè prohibiti; Unde

8. Feudatarius non poteſt alienare feudum.

DICO 3. *Feudatarius nullo modo poteſt alienare feudum neque per teſtamentum, neque per contractum ſine conſenſu Domini Proprietarii ad quem ipſo jure redit.* Hæc eſt communis Feudiſtarum. Et Probatur quoad ſingulas partes primò, de alienatione teſtamentaria; Quia expreſſi juris eſt, feudum non cadere ſub teſtamenti factionem, *tit. 8. in prin. L. 1 feud.* ubi dicitur: Nullam ordinationem defuncti in feudo manere vel valere. Probatur hoc ipſum ratione; Nam aliàs fieret injuria Domino Proprietario ſi ipſo invito alius Vaſallus ſubrogetur, *tit. 12. lib. 2. feud.* Imò, ſi eſſet feudum antiquum fieret quoque injuria cognatis, qui à primo inveſtito deſcendunt *tit. 30. & tit. 55. in prin. lib. 2 feud.* Quod adeò verum eſt, ut nec in favorem animæ vel Religionis talis ordinatio teſtamentaria valeat, nam ut dicitur *in d. tit. 55.* Eccleſia Cultrix & nutrix Juſtitiæ, non patitur contra juſtitiam aliquid fieri vel in ſe, vel in alterum.

Probatur quoque 2. Pars. De alienatione per Contractum, Tum ex Juribus allegatis & rationibus adductis, ne Domino, aut agnatis fiat injuria, nam licet jure antiquo poterat concedi feudum in libellum, id eſt in Emphyteuſim, hodie tamen ex Lotharii II. & Friderici Imperatoris conſtitutionibus id eſt correctum, ut nec quidem in libellum concedi poſſit excluſis deſcendentibus & reliquis agnatis ex *tit. 24. §. 2. cum tit. 25. & 26. feud.* Ubi tamen Notandum, quòd tunc cenſeatur alienatio facta, quando res eſt alteri tradita, quare ſi feudum à Vaſallo eſſet tantùm venditum, vel pignori obligatum, nulla facta traditione poſſeſſionis, feudum tunc non intelligeretur alienatum, L. *Alienatum 67. in prin. ff. De V. S.*

Limita-

Limitavi tamen hanc Concluſionem, *ſine Conſenſu Domini Proprietarii*, quia ſi ipſe conſentiat nulla fiet illi injuria, ex *L. 145. ff. De R. J.* Imò excipiuntur quoque nonnulli illi caſus, pro quibus

2. Vaſallus poteſt etiã alteri fœudare.

Dico 2. *Vaſallus poteſt hic feudum conceſſum vtentium alteri ſubfœdare, ſeu etiam dare in feudum.* Ita habetur *tit. 9. in prin. In verbo quod & ipſum ſincere. tit. 24. §. 2. tit. 25. §. 2. lib. 2. feud.* Verumtamen tres ſequentes ſerventur conditiones. Primò, ut aliquæ fraude ſint *d. tit. 55. in prin. recipr. Caſtalii.* Secundò, ut detur perſonæ ejuſdem qualitatis, ut ſi v.g. dans ſit miles, neceſſe eſt ut etiam accipiens ſit miles. *tit. 25. §. 2.* Tertiò, ut in eodem Legis fiat, hoc eſt ua conditione prior Vaſallus recipit Feudum, eadem quoque alteri concedat, v. g. ſi pro maſculis accepit antiquis, non poterit alteri dare, ut & fœminæ ſuccedant *d. tit. 55. §. 2.* Poteſt addi etiam quarta conditio, ut ſcilicet etiam accedat conſenſus agnatorum, ne ju quod cognatis ex primi feudatarii inveſtitione eſt acquiſitum iis invitis auferatur *arg. id. quod noſtrum De R. J.* Et quamvis duræ ſalis inſolitarijs ſint conſenſu cognatorum, nihilominus eo mortuo ſine liberis, cognati feudum ad ſe revocare poſſunt, cum reſoluto jure auctoris, reſolvatur & ius Succeſſoris L. *Lege vectigal. ff. De Pign.*

Excipitur quoque Diviſio feudi inter legitimos hæredes, nam licèt diviſio ſit alienatiua ſpecies, jure tamen feudorum id fieri licèt permittitur etiam invito Domino, præterquam in Ducatu, Marchionatu, quæ ob publicum utilitatem diviſionem non recipiunt, ex Friderici Imperat. *Conſtitut. §5. §4. lib. 2. Feudor.* Excipitur 3. in Dote, nam Mulier, ſi quod feudum habet, poteſt licèt in dotem conferre marito ſuo, *tit. 13. lib. 2. Feud.* Licèt dotis datio ſit quædam alienatio; Pater tamen non poteſt dare feudum filiæ ſuæ, ſi genero in dotem *tit. 9. §. uni lib. 2. feud.*

3. Vaſallus poteſt etiam dare feudum in dotem filiæ.

Dico 5. *Prælatus Eccleſiaſticus non poteſt feudum novum conſtituere.* Ita habetur *Cap. Ubi. De rebus Eccleſiæ alienand. non poteſt Extrav. Com. & tit. 11. in prin. ac tit. 6. in prin. lib. 1. Feud.* quod tamen ſic intelligendum eſt, prout etiam jus feud. interpretatur ... niſi de nouo non Prælata Eccleſiaſtici jus infeudandi acquiſierint, nempe ante Conſtit. Urbani II. qui in Synodo Turonenſi, cum plus conſuluiſſet, ne ulla fieret ordinatio Clericorum absque titulo, id eſt rebus, unde ſe alerent ordinatus *Can. 2. in prin. diſt. 70.* Veruit quoque ne Epiſcopi aliquæ Eccleſiaſtici eandem res in feudum darent, niſi id antiquitus uſurpaſſent, *tit. 6. in prin.* Vide quæ dixi ſupra de alienat. hon. Eccleſ.

5. Prælatus non poteſt feudum nouum conſtituere.

Dico 6. *Poteſt tamen Prælatus Eccleſiaſticus feudum ad Eccleſiam reverſum per mortem ultimi ſeudatarii ſalvo ceteris jure, quo ſe obſtrinxit de novo non conſtituendo, alteri conferre.* Ita Henricus Canſius, cum quo Probo Concluſionem. Quia juramentum ſtrictum interpretatio nem recipit, & ad ea pertinet tantùm, de quibus eſt factum, *cap. 25. penult. De jurejur.* Sed juramentum ſolùm fuit factum de non conſtituendo novo feudo, ergo non debet extendi ad antiquum; Intelligatur tamen totum, ſi id Eccleſiæ utilitas exigat, v. g. ſi haberet villam valde renoſam, eo quod ſalam colligat, ſi id dimnum potius caperet, poterit eandem iterum in feudum dare, aut ſi villæ illius difficilis eſſet adminiſtratu, nam cùm Prælatus Eccleſiaſticus ſit ſolum Adminiſtrator, non debet inutiliter ſungi ſuo officio. Hæc de feudis ſufficiant pro Theologo, Sed

6. Prælatus poteſt feudum ad Eccleſiam vertens alteri conferre.

Ad Aphoriſmum & materiam præcedentem ſit

Quæſtio Ethica:

An defactò Chriſtiani poſſint fœnerari Judæis, Turcis, & Gentilibus?

1. Judæi omnibus aliquo modo fœnerari poſſunt.

REſpond. 1. Judæis olim ad duritiam cordis permiſſum fuiſſe, ut docet noſter Lyranus, alienigenis fœnerari, in quantum ſcilicet illud DEUS non prohibit, quamvis ſemper uſuræ fuerint prohibitæ, ut patet ex Pſalm 14. ubi habitaturus in tabernaculo DEI dicitur *qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*, unde poſtmodum conqueritur Pſalm 54. *Et non defecit de plateis ejus uſura, & dolus.* Et Ezechiel 18. Judius dicitur futurus qui *ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit*, ac proinde Judæi nec hodie fœnerari Chriſtianis poſſunt, cum non ſimus eorum inimici nec hoſtiliter eos tractemus, ne repreſſalia prætendere, imò verius id nobis ex hoc titulo licere poſſe videtur, quare docet S. Bernardinus tom. 1. Serm. 35. art. 2. cap. 2. ex Jure Canonico in cap. Poſt miſeriabilem, Reges & principes aliosque Terrarum dominium debere compellere Judæos ad remittendas eis uſuras.

2. Chriſtiani quibus poſſint fœnerari.

Reſpond. 2. Ab iis omnibus poſſe Chriſtianos exigere uſuras, qui noſtra inique poſſident, & quibu cum juſtum eſt beſlum; ita S. Ambroſius, uti refertur *Cap. ubi ſup. XIV. q. 4.* ubi dicitur, *ab illo exige uſuram, cui meritò nocere deſideras, cui jure inferuntur arma, huic legitimè auferuntur uſuræ.* Et paulo poſt, *abi jus belli, ibi eſt jus uſuræ.* nam cùm licitè hoſtes occidere poſſimus, ita licitè ab eis etiam noſtra recuperare, & proprium il-

Digitized by Google

lorum subtantiam abripere valemus. Idem docet S. Bernardinus Serm. 36. art. 3. cap. 8. quod probat exemplo furiacum qui ab Amalecitis, Chananeis, Amorrhæis & aliis terram promissionis occupantibus, qui fuerat Judæis a DEO data: sed de quibusnam aliis constet has inquam docet, quod Gentes illas Populus Israeliticus juste & secundum Deum poterat expugnare, & penitus exterminare. Eas etiam poterant usuris, sicut & aliis justis pœnis opprimere & continuliter hostle fieri polle, secundum aliquos. Inde fequis tua inuste ulurpat, & non potes illa rehabere nisi sub forma uſuræ, licet tibi secundum jura Canonica, licut & dicto Ambrolii patet, sub illa forma recuperare tua, nisi ex tali specie activum scandalum aliquibus minisfires. Nam multa de fe licita propter tale scandalum sunt evitanda. Unde quidem ex illa littera Deuteron. thalt posse: nam cum sit non fœneraberis fratri tuo, sed alieno &c. per alienum quidem non fignificat quemcunque hominem alienigenum, sed eos alienos tantum, qui terram Judæis, ut præditum eſt, a DEO datam detinebant. Et ratione eorum, sic juste poterant Judæi ea quæ possidebant, fieut præditimus etiam armis auferre; bellum justum habentes contra eos licut etiam juste poterant ab eis usuras percipere, ut sic tua recuperarent ab ipsis, qui injuste possidebant: Sic hodie licri poſſet in similibus casibus, ut casui fupradicta obstaret. Itaque etiam Christianis licet facere contra Paganos. Terra enim, quam possident, nostra esse debet, ideo juste possumus eam exigere ab eis, quibus juste nocete desideramus. Quare dubitari pure poſſumus Turcis, & illis quibus cum nobis eſt bellum exercere ufuras, primo titulo repreſſalíorum, & juſti belli pro lotuado.

Hoc quoque docet egregius Doctor Damhoudericus Juris Conſul in locis Communibus admon. 9. ad Uſurarios. *Cum Turca & Sur accens Christiani facere possunt usuras, ut si bona Ecclesia recuperent, qua Turca & Saracni sine ulla juſta ratione, jure & equitate occisis militibus Christianorum ballenus invaſerunt. Sui ergo à Turca, à latrone, & jure rapacis ufuras accipere it, nec rapinam fecerit, nec fratri nocuerit, & Ecclesiam auxerit.* Attendendum tamen ne ſub hoc praetextu aliena quæramur & rapiantur.

Quæſtio Altera.

Cum quo fit fructuoſiſſimum fœnerari?

Reſpond. cum DEO, Quia ille ad unum, interelle præbet centum, juxta illud Matt. 19. *Centuplu accipiet*: & ita gratioſe ludunt SS. Patres, ut S. Petrus Chrysologus ferm. 42. de terentium & centesimum. Ubi tra mundi centum ad unum, Deus unum accipit ad centum: & tamen homines cum Deo mluunt habere contractum Sunt hoſtitan de cautione ſolliciti? Quare? Nonne hono. homini exigue chartulæ obligatione confulingitur? DEUS, tot, & tantis voluminibus caver., & debitor non cognitur? Et S. Auguſtinus Enarratin Pſal. 36. dicens: Fenera DEO. Si fœnerata hominibus ſpem: & fœnerabis Deo, ſpem non habebis? Si fœnerayeris homini, id eſt, unuum pecuniam tuam dederis a quo aliquid plus quam de illis expectes accipere: non pecuniam lolum, ſed aliquid plus quam dediſti, ſive illud triticum ſit, ſive vinum, ſive oleum, ſive quodlibet aliud: Si plus quam dediſti expectas accipere, fœnerator, ſis: in hoc inde reprobandus, non laudandus. Quid ergo, inquis, facio, ut tu mihi fœnerator? Attende quid facit fœnerator. Nimis vult dare certè, & plus accipere. Hoc fac & tu. Da modica, accipe magna. Vide quàm latè crek at fœnus tuum. Date temporalia, accipe æterna: date eraa, accipe cœlum, ſi cui ſtabo? Pauperibus, & Mendicis. Bonus Ethicus vadat & faciat ſimiliter diſtribuendo, & minus & amplius erogando, hi eaim ſunt quos ſui loco Chriſtus conſtituit, & ipſe pro illis ſe reſtituturum obligavit, quod noſter Auguſtiſſimus Cæſar Leopoldus I. in publico numno pro pauperibus in alma ſua Urbe Viennenſi privilegiatis excuſo, pulchre exprimi juſſit, in cujus parte una eſt imago Chriſti Domini cum inſcriptione, *Quod vni fecisti, mihi*: in altera parte ſunt quinque aſtrifiæ incilæ, cum ſentuate *Centuplum recipies*, cujus eſt hæc effigies.

Moneta Leopoldi I. Cæsaris pro Pauperibus Viennæ.

ETHI-

ETHICÆ SACRÆ

APHORISMUS XII.

Nemo in negotio circumveniat fratrem ſuum. 1. Theſſ. 4.
Pondus habebis juſtum & verum. Deut. 25.

De juſtè emendis & vendendis rebus.

SYMBOLUM.

At tallendum parati.

Dextrum Scylla latus, Lævum implacata charybdis Obſidet,
Virgil. 3. Æneid.

Hinc & inde Periculum.

Declaratio Aphorismi & Symboli.

1. Mercator & Caupo comparantur.

Duæ ſpecies, ait Ethicus ille antiquus, Eccleſiaſticus 26. *difficiles & periculoſæ mihi apparuerunt, difficile exuitur negotians à negligentia: & non juſtificabitur caupo à peccatis labiorum*; ex quo loco communiter inferunt Patres, Mercaturam & Negotiationem vix à peccatis immunes eſſe, nam Græcus textus pro negligentia habet *Peccatum*, unde Syrus legit *Cum difficultate magna liberatur negotiator à peccatis*, & verſio Tigurina legit, *Duo genera difficilia mihi, & periculoſa videntur, Mercator vix evitabit delictum, & caupo culpâ non vacaverit*; Unde Patres communiter docent Mercaturas vix ſinè peccato peragi poſſe, nam quando, alloquitur D. Auguſtinus Enarrat. in Pſal. 70. Mercatorem, aviditate neſcio qua acquirendi &

negotiator, quando damnum passus fuerit, blaphemans: & non erit in re quod dicitur, cota die laudem tuam. Quando autem pro pretiis rerum quas vendit, non solum mentitur, verum etiam fallum jurat: quomodo inore tua tota die laus DEI? Vel quando, si Christiana es, etiam ex eo tuo blasphematur nomen DEI, ut dicatur: Ecce quales fiunt Christiani? Ergo si propterea ille tota die laudem Dei dicit, quia non cognovit negotiationes: corrigant se Christiani, non negotientur. Sed etiam ille non extollitur, Mercator vix evadit sine negligentia, inveniendo pietate, justitia, cuius divino, festis diebus debite celebrandis; Negotiatio enim rerum requirit hominem, unde minima pars eorum DEO offerri potest, & fi quid offertur divinum est. Sed nec ad singulas has mercis fuscitiones recolligi potest. Proinde non venientes Contractibus in rebus vero bo initio primitus Aphorismum Paulinum exhortantem ut in negotiationefeu in otii negotione, emptione & venditione fratrem, proximumque omnem *nemo circumveniat*, quia DEUS est vindex, qui olim graviter praecipit Deut. 25. *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus: nec erit in domo tua modius major & minor; pondus habebis justum & verum, & modius aequalis & verus erit tibi.* Abominatur enim Dominus omnem injustitiam.

Porro non videtur mihi mysteria carere quod Ecclesiasticus citatus Mercatorem cum Caupone coniungit, quod etiam in eodem Symbolo rejiciantur voluti, utercque enim variis fraudibus, dolosis verbis, juramentis & deceptionibus fluitant, & quot verba fundunt tot laqueos ponunt, fruuntque multiplicatis, cautus fit emptor, ne incidat in illas, nam ut ibem Ecclesiasticus cap. loquenti dicit: *Inter medium venditionis & emptionis intervenitur peccatum*, quem textum Cajetanus sic *Peccatum inter emptionem urgetur & venditionem, delictumque cum delinquente conjungitur*, qui citat intimator inter avaros enemtes & vendentes ita peccatum coniungi, ut tari & coutiali, ut vix possibile fit, quin utercque eo capiatur, involvatur, linectatur, & peccati fimibus confringatur, ficut exoppolito ita veritas comprimitur & ftringitur aequivocationibus, & illusionibus, ut ordinarie comprimatur, concelletur, & tandem ex mente mercantium cogatur exulare; nam ut publicbt docet S. Chryfost. hom. 8 in Ill. Matth. 21. *Et ejiciebat omnes vendentes & ementes &c.* dicens: *Ego ficut quia homo mercator, vix aut nunquam potest DEO placere, & ideo nullus Christianus debet effe mercator, aut fi voluerit effe propitiatur de Ecclesia DEI.* dicunt Prophetae: *Quia non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini.* : nam ut etiam eft apud S. Augullinum citatum, ubi nos legimus *litteraturam*, Patres & antiquiores Codices legerunt *literaturam*, & utrumque bene, nam litteratura non modo Grammaticam fignificat, fed etiam arithmeticam cui debiti funt tributae Mercatoribus in fcribendo computus, numerando rationes, odiosa multa nonnulla litteratura. Intelligo tamen Sanctum Chryfoltomum, illos Mercatores effe efficiendos ex Ecclefia, & DEO placere non poffe, qui fraudem unicam & folum conflituunt in ufuris, paratique funt jurare, & pejerare, fraudare & ufuras exercere poffito quod DEI timore, hinc autem non mercaturae vitium eft, fed mercatoris, dicente fupra D. Augultino, *Nonergo culpam autor ad negotium transfero, fed ad mentem, eq mentior, non negotium.* Et eisdem modo loquitur Caffiodorus in dictum Pfalm. 70. *Negotationes illi abominabiles exstimantur, qui fallitate DEI minime confederantes, per immoderatum pecuniae ambitum pollunt merces fuas plus pejerando, quam prebiti, vilesq; estit Dominus de templo ejecit: nolle domum patris mei domum negotiationis.*

1. Mercatorum etiam mendaces.

Quo exemplo quidem principaliter Chriftus Dominus damnavit Negotiationes in templo factas, fecundario tamen perftrinxit quoque ipfos Negotiatores, quod difficulter introibunt in potentias Domini, & hoc longe ante vaticinatus eft Ezechiel cap. 28. *In multitudine negotiationis tuae replevernut cor tuum iniquitate, & peccafti: & ejeci te de monte DEI, & perdidi te, o cherub protegens, de medio lapidum ignitum* Inquit item Habbacuc legitur; *Multitudines negotiationis tuae, replevernut cor tuum iniquitate.* Et Pfalmifta Pfalm. 61. *Verum tamen vanae filii hominum, mendaces filii hominum in ftaterra: ut decipiant ipfi de vanitate in ipfum.* Hinc S. Bernardus noftre gen. S. Sermo 42. ex cap. 7. Viginti tres modus, & abufus Mercatorum refert, quibus fimplices maxime decipiunt, nempe mendacia, perjuria, duplicitatibus, fophifticis verbis mallitiis circumventionibus, fimulatis occultationibus, & damnolis maturis; sed audi quid dicat de mendacio, quid nihil abfurdius, quam more Judae Chriftum vendere pro pecunia, ficut patet. *Ir 4.3.4. abitis* Tanta nempe inter ementes & vendentes inveterata abufio regnat, quod nec emere, nec vendere fciunt, fine deceptione mendacionum, ubi dicit textus, profecto qui veritatem pro pecunia negant, DEUM pro pecunia vendunt. Unde de talibus Pfalmilta ait Pfalm 5. *Non eft in ore eorum veritas, lingua eius dolosa agebant*, id eft, continue agunt, fcilicet vendentes, & de emptoribus Proverb. 20. fcriptum eft : *Malum eft, dicit omnis emptor,*

Digitized by Google

& cùm receſſerit, gloriabitur tunc, ſcilicet proximum ſuum decepiſſe.

4. Mercatura antiqui oderunt.

Imò ipſi Philoſophi, veteresque Sapientes Negotiationes nimio fervore, & ſtudio exercitas odio habuerunt, unde Anacharſis apud Laertium dixit *forum venalitium eſſe locum impoſtorum, deſtinatum ad fallendum invicem*, quamobrem Athenienſes ſtatuerunt, *ut in foro rerum venalium omne mendacium abeſſet*, Cognoverunt enim Mercaturam quandoque eſſe neceſſariam, quandoque utilem, dummodo abſit vitium, quia *Nec Scriptura, nec Philoſophia*, ut loquitur Sarisberienſis, *avitiarum non inaicit fugam, ſed inhibet appetitum*, nam Auguſtino teſte 11. Civit. 16. *Plerumque carius comparatur equus, quàm ſervus, gemma, quam famula.* S. Bernardinus noſter refert quoque Perſis antiquiſſimum fuiſſe filios ſuos ad forum non admiſiſſe, nec mercaturæ forum permiſiſſe, quoniam mentiendi & pejerandi locum illum habuere ſibi perſuaſum. O utinam apud Chriſtianos Ethicos hoc exerceretur, quod Athenienſes caverunt. Leges enim ponere fruſtraneum eſt, niſi ad obſervantiam populus aſſueſcat, bene autem dicit Spiritus Sanctus Proverb. 10. *In multiloquio non deerit peccatum*, Mercatores autem eloquentiſſimos ſe oſtentant, ita ut in communi proverbio ſit de bene loquaci, *Res ſuas vendere novit.* Non abs re igitur Hugo Victor. lib. 2. Erudit. Didaſcal. cap. 14. dicit Mercatoribus propter maximam illis eloquentiam, præfixum Patronum eorumque Dominum eſſe Mercurium, qui à mercibus, & Mercatorum præſidentia hanc ſortitus eſt nomenclaturam; unde Calepinus etiam refert, Mercurium tam Mercatorum, quàm furum DEUM fuiſſe habitum. Officina ergo Mercatorum caduceum affigo, ſicut ſorfices Cauponiæ. Ex ſigno res!

5. Mercurius Mercatorũ Dominus.

Quàm autem hoc fatale ſit Mercatoribus ſignum, non attendunt miſeri, nam ut ait Virgilius de hujus virgæ poteſtate loquens 4. Æneidos:

Animas alias ſub triſtia tartara mittit:
Dat Somnos, adimitque & lumina morte reſignat.
Ille freta agit ventos & turbida tranat
Nubila

Quo prognoſticatur mercatoribus vitiatis DEUM juſtum Vindicem futurum, mox ſubſtantiam illam ablaturum, eosque cum peccatis contriturum, bene enim, dicit Chryſoſtomus citatus, Mercatorum nec eſt ſtabilis ſubſtantia; talium enim ſubſtantia aut ipſis viventibus eſt peritura, aut à malis hæredibus diſſipanda, aut ad extraneos & inimicos hæreditas ipſorum ventura eſt; *Non poteſt enim ad bonum conducere, quod congregatur de malo.* Datque paritatem: Quemadmodum ſi quis triticum, aut aliquam aliam frumenti ſpeciem ad cribrum ponat, hucque & illuc agitetur, grana ſenſim & ſenſim decidunt, nec in cribro aliquid manet niſi ſolum ſtercus, ſit etiam Mercatorum ſubſtantia, dum vadunt & veniunt inter emptitionem & venditionem minuitur, & in noviſſimo nihil remanet niſi ſolum peccatum.

6. Cauponũ malitia deſcribitur.

Quod dictum eſt de Mercatoribus idem dicendum eſt per omnia de Cauponibus, de quibus jam olim conqueſtus fuit Iſaias 1. *Vinum tuum mixtum eſt aquâ*, ubi alia littera habet, *Caupones, & Tabernarii tui miſcent vinum aquâ.* Unde & ſequitur quod in principio dixit Eccleſiaſticus *Non juſtificabitur caupo à peccatis labiorum*, hi enim tot mendaciis abundant in verbis; tot falſitatibus in factis, ut litteraturam negotiativam, & arithmeticam ad excelſum noſcant, atque ex eodem dolio, vinum Rhenanum, Moſellanum, Bohemicum, & Auſtriacum propinare ſciant; hoc proinde duplex hominum genus navigantibus, ſeu in mundo converſantibus, ſunt veluti *Scylla* & *Charybdis*, ac proinde ſimul in duobus extremis poſui, qui enim unum fugit periculum, vix poterit evadere alterum; applicatur igitur illis optimè illud Virgilianum Æneid. 3. *Dextrum Scylla latus, lævum implacata charybdis obſidet.* Quàm autem artificiosè hominibus ſtruant pericula quis enumeret. De Cauponibus S. Bernardinus unicum graviſſimè redarguit, ſcilicet quòd, ſummo mane in quacunque magna ſolennitate aperiendo tabernas, nunquam quaſi audiendo miſſas, nec intrando Eccleſiam, quaſi ſint diaboli parochiani, ad quorum eccleſias, id eſt tabernas majorem habent concurſum, quàm habeant Sacerdotes ad Eccleſiam Chriſti. Et paulo poſt plura enarrata infert, Ex quibus manifeſtè patet, quòd omnium malorum, quæ maximè eo tempore illi patrant, quos recipiunt in tabernis, vel non audiendo miſſam, vel verbum DEI, vel alia perpetrando non urgente neceſſitate participes fiunt, & reddituri ſunt apud juſtum judicem rationem. Sed quod pejus eſt eo tempore ſicut & alio concurrunt illuc propter poteſtates quidam vel quædam qui vendunt aliqua gulæ & potus incitamenta quaſi aut rarò, vel nunquam Eccleſiam viſitantes, quorum malorum tabernarii in cauſa ſunt. Et hoc pro Symboli declaratione atque Aphoriſmi ſufficiant, quantum ad naturam Contractuum, Negotiationum, Emptionis, & Venditionis explicandam accedo, ſit igitur

DISPUTATIO VIII.

De Juſtitia ſervanda in Contractibus ex conſenſu initis.

CONtractibus realibus, item Verborum, & Litteris confectis, ſuccedunt Conſenſuales, quorum quatuor recenſentur ſpecies, nempè, *Emptio-Venditio*, *Locatio-Conductio*, *Societas*, *Mandatum*, de quibus agitur toto tit. *Inſtit. De obligat. ex Conſenſu*, & ego agam in hac Diſputatione; ſit igitur

Quæſtio I.

Quid & quotuplex ſit Emptio-Venditio, quæque licita?

1. Emere quid ſit ex D. Auguſtino.

EMere ſecundùm D. Auguſtinum, eſt acquirere & aliquid amittere, nam ſerm. 24. de verbis Apoſtoli ita diſcurrit: *Quando pro tuis neceſſitatibus procedis ad publicum, das nummos & emis tibi panem . . . . das & accipis, aliquid amittis, quidquid acquiris hoc eſt emere. Nam ſi nihil amittis, & habeas quod non habebas, aut inveniſti, aut donatum accepiſti, aut hæreditate acquiſiviſti. Quando autem aliquid amittis, ut aliquid habeas, tunc emis: quod habes emptum eſt, quod amittis pretium eſt.*

2. Emptio-Venditio definitur.

DICO 1. *Emptio-Venditio bene deſcribitur, quòd ſit contractus gentium, bonæ fidei, conſenſu ſolo initus, de re cum certo pretio commutanda.* Hæc in re eſt communis, & habetur *tot. tit. Inſtit. de Oblig. ex Conſen. & Inſtit. De Act. §. Actionum 28.* Ex hac definitione colligitur tria ad Emptionem-Venditionem requiri, primò ut *Pretium* interveniat, adeò ut ſinè illo nulla Emptio-Venditio eſſe poſſit ex *L. 2. §. 1. L. 36. L. Pacta 72. ff. h. t. L. fin. Cod. eod. tit.* Imò hoc pretium debet eſſe certum, unde ratione defectûs pretii non valet Emptio-Venditio, ſi contrahentes rem emptam velint eo pretio, de quo poſtea conventuri ſunt inter ſe; nec valet ſi pretio fiat, ſed pro pretio quod juſtum declarabitur. Secundò requiritur *Conſenſus*, ut patet ex natura Contractûs generaliter. Et tertiò debet adeſſe *Merx*, quæ eſt res pretio æſtimabilis, ſive poſtmodum ſit mobilis, ut bos, ſive immobilis ut ager, domus &c. ita quòd hæc tria de ſubſtantia Contractûs Emptionis-Venditionis dicantur per Gloſſam. *L. 72. in prin. Verbo, Ex pretio ff. h. t.* Et conjunctim probari debent, ut Emptio-Venditio probata dicatur, ut habet Schambogen ex Marcardo. De Prob. vol. 3. Concluſ. 608. n. 3. Denique ad Emptionem-Venditionem requiritur, quòd tempore Contractûs, bona fides Emptoris interveniat, ex *L. 2. in prin. ff. Pro Empt.* hinc dicitur Contractus bonæ fidei.

Ex hac deſcriptione patet differentia Emptionis-Venditionis ab aliis Contractibus, nam primò differt à Permutatione in hoc, quòd in Permutatione detur res pro re, in Emptione verò pecunia pro re. A Cambio datur pecunia. A Donatione & Promiſſione per hoc, quòd illi Contractus ſint gratuiti, hic autem oneroſus. A Mutuo, quia illud requirit traditionem, & propriè datur pecunia pro pecunia. A Commodato, quia Commodatum manet ſub dominio commodantis. Ab Emphyteuſi, quia per hanc non datur Dominium directum, ſed utile pro annua penſione.

3. Emere-Vendere qui poſſint & non poſſint.

DICO 2. *Emptionem-Venditionem contrahere poſſunt, qui & Reliquos Contractus celebrare valent, & non prohibentur.* Hæc habetur & deducitur ex *L. 43. §. 1. ff. De Procurat.* Excipiuntur igitur furioſi, mente capti, prodigi, infantes, rei Criminis læſæ Majeſtatis & Perduellionis. *L. Quisquis. 5. §. 4. L. fin. Cod. Ad L. Jul. Majeſt.* Excipiuntur 2. Judices, & eorum officiales in loco, in quo Jurisdictionem exercent, præter neceſſaria ad victum & veſtitum, *L. Unica. De Contractibus.* Tertiò Excipiuntur Tutores, & Curatores, & filii ac uxores eorum, qui non poſſunt res illas, quarum curam gerunt, emere. *L. Non licet. ff. De contrahenda emptione.* Quartò Excipiuntur Executores Teſtamentorum, qui non poſſunt res Defuncti emere, ex citatis Legibus.

4. Res vendibiles & emibiles quæ ſint.

DICO 3. *Vendi & emi poſſunt res omnes, quas vel natura, vel Jus Gentium, vel mores Civitatis non exuerunt à commercio hominum.* Hæc eſt omnium Theologorum, & Jurisperitorum, & habetur L. *ſi in Empt. 34. §. 1. h. t.* Unde res corporales & incorporales emi & vendi poſſunt, ut hæreditas jam nata, & Actiones *tot. tit. ff. De Hared. vel Act. Vend.* Spirituales tam reales quàm prædiorum, *L. Cùm manu, 80. §. 1. ff. h. t.* Ita ut vendito fundo, etiam ſervitutes ſequantur. *L. Cùm fundus 12. ff. Comm. Prad.* quàm perſonales, ut Uſusfructus L. *5. §. final. ff. de Privil. & Commod. rei vendita*, annui redditus, res futuræ, ut fœdus animalium L. *80. ff. h. t.* Spes etiam emi poteſt, ut captura piſcium, avium, & Miſſilium, quo caſu licèt nihil acceperit adhuc

Digitized by Google

adhuc tamen subsistit emptio L. *8. §. 1. ff. h. t.* Attamen idem juris non est in fructibus, qui nascentur, hoc enim casu est necesse, ut aliqui fructus nascantur, aliàs emptio corruit, quia deficit ea, quæ inest conditio, L. 1. in fin. ff. De Condit. & Demonst. Spes verò empta est loco materiæ, quæ pretio emi potest, & quasi alea censetur empta. L. *12. in fin. ff. De Act. Empt.* L. *8. §. 1. ff. h. t.*

5. Inventibiles res quæ sint.

DICO 4. *Vendi & emi non possunt res quæ à commercio hominum sunt exempta, quaque aliàs in contractum deduci nequeunt.* Ita habetur *L. 34. §. 1. ff. h. t.* Et tales sunt res sacræ, sanctæ, Religiosæ, hinc gratia sanctificans, donum miraculorum, sacramenta vendi nequeunt absque Simonia, nec actiones Sacramentales, ut ordinatio &c. Item Altaria, Sepulturæ, vasa sacra, & similia ex *L. Si in Emptione §. omnium rerum. ff. h. t.* hoc tamen intellige tales res ultimo nominatas non posse vendi in usus profanas, quamdiu retinet formam consecrationis, eâ tamen destructâ potest materia remanens, ut aurum, argentum &c. vendi. Sunt tamen aliqua quæ etiam post amissam formam consecrationis prohibentur vendi vel converti in alios usus, præterquam pios, ut lapides, & ligna templi diruti, quæ non nisi ad aliud templum, vel locum sacrum aptari nequeunt. Item res sacræ retinentes formam consecrationis possunt vendi aliis Ecclesiis, dummodo non augeatur pretium ratione consecrationis. Item potest res sacra vendi quæ fundatur in aliquo temporali, v. g. Jus Patronatûs adhærens Prædio, Castro &c. dummodo propterea non augeatur pretium. Denique potest res sacra seu Ecclesiastica vendi authoritate Prælatorum, sicut dictum est supra de alienatione Bonorum Ecclesiasticorum.

Secundò vendi non possunt Res publicæ, ut viæ, fora, & similia. *L. Sed Celsus. ff. De contrahenda Emptione.* Tertiò prohibentur vendi venena, quæ nullo modo per admixtionem, vel adjectionem alterius materiæ humanis usibus prodesse possunt. *L. Quod sepe. ff. Illud. ff. eodem.* Quartò homo liber *L. si in emptionem §. omnium rerum*, excipe casum extremæ necessitatis, in quo filius, vel filia se vendere potest, ut succurrat indigentiæ parentum, imò etiam cujuscunque proximi, ut fecit S. Paulinus Episcopus Nolanus, & hodie quarto voto se obstringunt Patres de Redemptione Captivorum. Quintò non potest vendi Res litigiosa, *L. 1. & tot. tit. ff. de Litig.* Sextò Arma barbaris & hostibus Christiani nominis, ut patet ex Bulla Cœnæ, & pluribus Legibus Imperialibus, *L. final. Cod. Quæ res exportari non deb. L. Cotem. ff. in prin. ff. De Publ. & Vectigal.* Septimò Judæis Mancipium Christianum, *L. 1. & 2. Cod. Ne Christ. Mancip.*

Quoad secundam partem Tituli Notandum 1. Emptionem aliam esse inchoatam, cum partes cœperunt de re cum pretio permutanda tractare, vel aliud quid Contractui deest, aliam perfectam, quæ supra fuit definita. Et aliam Consummatam, quando res vendita est tradita, & pretium numeratum. 6. Emptio-Venditio triplex est.

Notandum 2. Emptionem-Venditionem perfectam iterum ex parte mercis, & rei emendæ triplicem esse, Nempe *Naturalis*, *Artificialis*, & *Negotiativa*. *Naturalis* est, quâ emuntur, venduntur aliqua superflua aliis, ad suam, suæque familiæ sustentationem. *Artificialis* est, qua emitur aliquid, ut per artem, laborem, & industriam, melioratum, aut in aliud mutatum denuo vendatur, ut cùm quis emit lanam, ferrum, triticum, ut inde pannum, gladios, & panem conficiat, atque vendat. Et has duas Emptiones comprehendit Scotus in 4. dist. 15. q. 2. sub uno Nomine, scilicet Mutatione Oeconomica. Emptio-Venditio *Negotiativa* est, qua emitur aliquid eo animo, ut idem integrum, & incommutatum vendatur carius, ad lucrum aliquod reportandum. De quibus quæritur, an hæ Emptiones sint licitæ, de quibus

DICO 5. *Emptiones naturalis & artificialis, seu tam Oeconomica quàm Negotiativa est licita servatis certis conditionibus.* Ita Doctor Subtilis in 4. dist. 15. q. 2. §. *Sed quando commutans*, ubi de Venditione & Emptione dicit: *Præter regulas supra dictas, quid justum, quid injustum addo duo. Primum est, quòd talis commutatio sit utilis Reipublicæ. Secundum, quòd talis juxta indigentiam suam & sollicitudinem, & pericula accipiat in commutatione pretium correspondens.* De negotiativa verò in §. subsequenti dicit, De illa autem, Quia unumquemque in opere honesto Reipublicæ servientem oportet de suo labore vivere. Honesto dixi, propter meretrices, & histriones inhonestè viventes. Sed afferens ille, vel conservans, honestè, & utiliter servit Reipublicæ; ergo oportet eum de suo labore vivere. Nec hoc solùm, sed unusquisq; potest industriam suam & sollicitudinem justè vendere: industria illius transferentis res de patria ad patriam requiritur magna, ut consideret quibus patria abundat, & indigeat: ergo potest justè ultra sustentationem necessariam pro se, & familia sua ad illam necessitatem deputata recipere pretium correspondens industriæ suæ: & ultra hoc tertio aliquid correspondens periculis suis. Ex quo enim in periculo suo transfert, si est translator, vel custodit, si est custos: propter hujusmodi periculum potest securè aliquid accipere correspondens. &c. 7. Negotiatio est licita.

Nunc igitur quantum ad illam tertiam regu-

regulam Probatur Concluſio de Negotiativa Emptione. Quia Reipublicæ eſt utile habere conſervatores rerum venalium, ut promptè poſſint inveniri ab indigentibus, & volentibus illas emere: Imò ulteriùs Reipublicæ valde fructuoſum eſt habere tales homines, qui induſtriam ſuam impendant, & adducant res tales, qualibus patria propria caret, ergo mercatura negotiativa utilis eſt & fructuoſa, & conſequenter Mercator vel Negotiator poteſt pro mercede hujus boni operis aliquid inde accipere, & res ultra naturale pretium vendere. Probatur Concluſio 2. quoad regulam quartam. Tum Quia unusquisq; honeſto opere Reipublicæ ſerviens poteſt de ſuo labore vivere, dico *honeſto opere* propter meretrices & hiſtriones, inhoneſtè viventes, ſed afferens aliunde merces, quibus patria propria caret honeſtè & utiliter ſervit Reipublicæ, ergo poteſt de illo labore aliquid accipere. Tum Quia quilibet poteſt ſuam induſtriam, laborem, ſollicitudinem &c. juſtè vendere, quandoque & dona naturalia intellectus, ut conſilia, ſcripturas poſſint vendi juſtè, ſed qui transfert de patria in patriam merces, magna eget cura & ſollicitudine, induſtriâ & vigilantiâ, ergo poteſt juſtè ultra ſuſtentationem neceſſariam pro ſe, & familia ſua ad iſtam neceſſitatem deputatam recipere pretium correſpondens iſti induſtriæ.

Confirmatur 1. Quia juſtè aliquid accipitur ultra ſortem propter periculum lucri ceſſantis, & damni emergentis, ſed talis Mercator exponit ſe periculo magno tam in transferendo, quàm in cuſtodiendo, frequenter enim naves ſubmerguntur, Domus repoſitoriæ ſuccedunt, ergo. Confirmatur 2. Quia bonus Legislator vel Rector Reipublicæ deberet locare pro magno pretio hujusmodi Mercatores, non tantum ſibi ipſis & familiæ ſuæ neceſſariam ſuſtentationem præbendo, ſed etiam induſtriam, peritiam, & pericula compenſando, ergo ubi non eſt talis Lex expreſſa poſſunt ipſi Mercatores juſtè pro ſuis Negotiationibus tantum recipere, quantum alicui Miniſtro Reipublicæ bonus Rector dare deberet.

8. Mercatores qui non ſunt tolerandi.

Ex his duabus Regulis & probationibus infert Doctor Subtilis hoc egregium Corollarium quomodo aliqui ſint vituperabiliter Negotiatores, *ſcilicet illi, qui nec transferunt, nec conſervant, nec eorum induſtriâ melioratur res venalis, nec certificatur alius aliquis ſimplex de valore rei emendæ, ſed modò emit, ut ſtatim ſinè omnibus illis conditionibus vendat; iſte eſt exterminandus à Republica, & exulandus, quia impediunt eos qui œconomicè volunt commutare, & per conſequens faciunt quodlibet venale vel uſuale carius ementi, quàm deberet eſſe, & vilius vendenti, & ſic damnificant utramque partem.*

DICO 6. *Empţio-Venditio Negotiativa, ſeu lucrativa, eſt Clericis & Religioſis interdicta.* Ita habetur *Cap. Sequens. Diſt. 88. Cap. Conſequens*, ubi Gelaſius Pontifex dicit, Clericis ab indignis quæſtibus abſtinendum, & à cujuslibet negotiationis ingenio ceſſandum, aut in quocunque gradu ſint poſiti, mox à Clericalibus Officiis cogantur abſtinere. Idem habetur ex *Cap. Negotiatorem. 8.* ex Hieronymo, & *Cap. Fornicari. 9.* ex D. Auguſtino, & Ratio eſt, quare Eccleſia tam graviter prohibuerit, quia valde indecorum eſt animam DEO dicatam lucris temporalibus incumbere, quæ in tantum hominem abripiunt, quòd vix DEO absque plurimis diſtractionibus poſſit ſervire, hæ enim negotiationes totum hominem habere geſtunt. Et inſuper res ita plena eſt periculis fraudum, injuſtitiarum, multorum juramentorum, atque otioſorum verborum, nam ut bene Eccleſiaſticus dixit cap. 27. *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, ſic & inter medium venditionis & emptionis anguſtiabitur peccatum.* In præfatis autem Juris Canonici locis imponitur Clericis Negotiatoribus pro pœna, Excommunicatio, Suſpenſio, Depoſitio, non latæ ſed ferendæ ſententiæ, quas pœnas innovat Tridentinum *ſeſſ. 22. c. 2. & Cap. Ultimo de Vita & honeſtate Clericor.* Imponitur item pœna, ut poſt trinam monitionem amittant Clericale privilegium Immunitatis à tributis & gabellis &c. Ex quo

9. Negotiatio eſt Clericis interdicta.

Colligitur, hoc præceptum cùm obliget ſub tam gravi pœna eſſe obſervandum ſub mortali.

Colligitur Secundò. Easdem pœnas incurrere Clericos, qui per ſe officium Carnificis, Macellarii, vel Tabernarii exercent.

Colligitur Tertiò. Non eſſe prohibitum Clericis emere res animo iterum vendendi ſinè lucro v. g. ſi emat piſces, vel vinum pretio levi, quando eſt abundantia, ut poſſit poſtea eodem pretio dare amicis. Ratio eſt, quia negotiatio ordinatur ad lucrum, ſed hic nullum eſt lucrum; ergo &c.

Colligitur Quartò. Non eſt prohibitum Clericis emere aliqua, quæ poſtea mutata vendant cum lucro. Unde fas eſt, illis fructus ex propriis fundis vendere, artem ruſticam, & agriculturam exercere materiam ad facienda artefacta emere v. g. ferrum ad faciendos cultellos, colores ad pingendum, & ſic de aliis artibus honeſtis exemplò Pauli Apoſtoli, qui cùm Epiſcopus eſſet, ſcænofactoriam artem exercebat ad alendum ſe & ſocios. Monachi antiqui ſportas, fiſcellas & ſtoreas faciebant, & vendebant, ut ſuſtentationi ſuæ proſpicerent, & in ſudore vultûs veſcerentur pane. Cavendum tamen, ne hac occaſione affectus aliquis avaritiæ ſub-

subrepat, & se ad divitias comparandas ultra suum statum laborent. Laudabile ergo est juxta SS. Patrum Consilia, & Exemplo honesto aliquo labore, & exercitio sibi necessaria procurare, & sic ad Rempublicam spiritualiter & corporaliter adjuvandam concurrere, inter quos labores, minimè numerandi veniunt confectio cartifoliorum, armorum, tabernarum & similium.

Colligitur Quintò. Non esse negotiationem Clericis prohibitam; ut est emptio animalium, quæ pascuis suorum prædiorum alantur, & postea mutata vendantur: Ratio est, quia hoc nihil est, quàm pascua & suam industriam vendere. Possunt item greges habere, ut lac, lanam, fœtus vendant, non tamen conducere alienos agros, ut fructus vendant, quia hoc est illis prohibitum in Concilio Carthaginensi *1.* & *4.* ut patet ex *Cap. 1. Cap. 21. quæst. 3.*

Colligitur Sextò. Non esse negotiationem prohibitam, si ex propria terra, & minera ferrum, vel aliud metallum conficiat, & vendat. Neque esse prohibitum, si Clericus emat fundum cum fructibus jam maturis, & eosdem vendat.

10. Cogi quis potest ad rem suam vendendã.

Quæres: An aliquis possit cogi ad vendendam rem suam? Respond. Regulariter non, bene tamen in certis casibus V. g. si domus impediat fabricam Ecclesiæ, hospitale, Monasterium, Scholas, Palatium Principis, viam publicam &c. *L. Si Locus ff. Quemadmodum servit* amittatur. Possent itè cogi tempore necessitatis divites ad vendendum frumentum *L. 1. ff. De officio Præfecti Urbis.* An autem etiam Clerici Ecclesiastici sic cogi possint? Respond. Per suos Prælatos Ecclesiasticos, affirmativè. Quod si tamen extrema esset necessitas, posset Magistratus, & Princeps Sæcularis frumentum Clerici extrahere, & necessitatem habentibus divendere. Ita Mald. Medina, Diana *Tom. 1. Trad. 2. De Immunitate Ecclesiæ Resol. 8.*

11. Arrha apposita quo modo amittatur.

Quæres 2. An Contractui Emptionis-Venditionis possit arrha apponi? Respond. affirmativè, & Ratio est. Quia arrha, & arrhabo, nihil aliud est, quàm signum celebratæ Venditionis & Emptionis, quod datur in pignus stabilitatis futuræ inter Contrahentes, & quidem si tradatur post perfectam venditionem, id est postquam utraque pars convenit de pretio rei vendibilis, promiseruntque hinc inde stare contractui, tunc de jure communi non licet discedere à Contractu, id docet Molina disp. 338. Filliucius & alii, nisi in aliquo regno aliquid aliud sit constitutum. Si autem tradatur arrha ante perfectam venditionẽ, promittente Emptore se tanti rem empturum, tunc si Emptor non velit stare contractui potest resilire, sed perdit arrham. Si autem Venditor discedat amittit duplum Emptori, id est arrham, quam acceperat & tantundem de bonis suis *L. Contractus §. ult.*

Quæstio II.

An liceat carius merces vendere ob dilatam solutionem, & vilius emere ob solutionis anticipationem?

1. Mimi facetum dictum de carò vendere & vili emere.

CUjusdam Mimi, ut refert S. Augustinus lib. 13. Trinit. cap. 3. facetissima prædicatur urbanitas. Qui cùm promisisset in theatro quid in animo haberent, & quid vellent omnes, aliis ludis se esse dicturum, atq; ad diem constitutum ingenti exspectatione major multitudo confluereret, suspensis & silentibus omnibus, dixisse perhibetur: *vili vultis emere, & carò vendere:* Levissimum istud scenici hujus dictum vili emere, carò vendere; unde in Contractu isto omnis originatur Injustitia, pro quo explicando

2. Pretium quid & quotuplex.

Notandum 1. Pretium aliud non esse quàm nummum seu pecuniam, qua mediante merces comparatur; Estque duplex aliud enim est *Legitimum*, & aliud *naturale* ut docet Aristoteles *6. Ethicor.* *Legitimum* pretium dicitur, quod Lege Principis aut Magistratus taxatum est, *Naturale* est, quod communis hominum æstimatio taxat, considerata naturali rei commoditate in ordine ad usus habendos. Hinc si legitimum pretium modii frumenti sit unus florenus, non licebit illud vendere pluris, quia pretium legitimum taxatur à Principe in ordine ad commune bonum, unde potest aliquis vendere frumentum currenti cariori pretio, etiamsi intelligat ex privatis litteris advenire copiam frumenti, & sic levissimo tore pretio, quia pretium frumenti, non ex tua privata notitia, sed ex publica authoritate dependet.

3. Pretium ex triplici consideratione fit justum.

Notandum 2. Pretium Naturale ex triplici capite potest fieri justum, & secundùm rectam rationem, videlicet ex parte vel Vendentis, vel Ementis, vel Rei venalis: Ex parte rei venalis, attendenda est inprimis commoditas, seu præsentia rei, non in esse suo naturali, sed in ordine ad usus & commoditates hominum; nam res quæ in esse naturæ est vilis, carius venditur, si in ordine ad usus humanos, sit melior, sic panis pluris æstimatur, quàm mus, licèt mus utpote vivens sit perfectior pane juxta illud D. Augustini lib. 2. de Civit. cap. 16. Melior est in domo panis, quàm mus. Ex parte Vendentis Primò attendenda est an ex officio vel casu vendat,

nam qui ex officio vendit, cariùs poteſt vendere, curas enim & labores magnos ſubit, exponit etiam ſe, & merces periculo, quæ omnia pretiò ſunt æſtimabilia. Secundò attendendus eſt locus, in quo venditur, unde licet Mercatori vendere cariùs Merces in Bohemia, quàm in Miſnia, unde illas deportavit. Tertiò attendenda eſt raritas mercium, & multitudo ementium, hæc enim augent pretium mercis; unde cariùs venditur frumentum in æſtate, quàm in autumno, & domus cariori pretio locatur in adventu Principis, quàm alias. Quartò attendi debet, ſi venditor ſpeciali affectu rem vendendam proſequitur, tunc enim cariori pretio poſſet rem vendere, eò quòd ſe privet illo affectu erga rem venditam. Ex parte Emptoris attendendæ ſunt etiam circumſtantiæ, ob quas viliori pretio poteſt licitè emere, quàm aliàs. Primò. Si ipſi non eſt adeò commodum emere merces, ſed rogatus emit. Secundò. Si res vendatur ſub haſta, ſeu publica auxione, quia tunc quaſi ultrò offeruntur merces, & ſic vilescunt. Tertiò. Si multitudo ſit mercium, & paucitas Emptorum.

4. Pretium aliud ſupremum, infimum, & medium.

Notandum 3. Pretium naturale, ſeu illud, quod in communi hominum æſtimatione, vel conſuetudine dicitur juſtum, non conſiſtere in indiviſibili, ſed habere latitudinem conſtantem ex ſupremo, infimo, & medio; *Supremum* alio nomine dicitur Rigoroſum: *Infimum* vocatur pium: & *Medium* dicitur Moderatum, v.g. dicatur pretium modii tritici eſſe quinque florenorum, vel circiter, ſi quis venderet modium pro ſex florenis, exigeret pretium rigoroſum, ſi quatuor florenis contentaretur Venditor, acciperet pretium pium, & faceret proximo ſuo miſericordiam, & qui acciperet quinque, vel quodcunque interjacens, neminem læderet, & intra hanc latitudinem ſtando nec emens nec vendens peccaret. His prænotatis

5. Pretium juſtum in vendendo debet ſervari.

Dico 1. *In vendendo non licet excedere latitudinem juſti pretii, neque in emendo deficere ab infimo, ſeu pio pretio, eſto non excedant, vel deficiant, usque ad dimidium juſti pretii.* Hæc eſt communis poſt D. Thomam 2.2. q. 77. art. 2. Et Scotum in 4. diſt. 21. q. 2. §. Alia translatio &c. contra aliquos qui dicebant licitum eſſe vendere ultra juſtum pretium, & emere citra, dummodo non vendatur ultra, vel ematur citra dimidium juſti pretii. Probatur Concluſio 1. Ex Epiſtola 1. ad Theſſalon. cap. 4. *Nequis ſupergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Dominus de omnibus.* Circumvenit autem fratrem ſuum, qui vendit rem plus quàm valet, aut quovis alio modo per exceſſum, vel per defectum rem cum fratre ſuo permutat; ergo. Probatur Concluſio 2. authoritate D. Auguſtini lib. 13. de Trinit. ubi poſtquam dixiſſet *vilis velle emere, & carò vendere . . . . revera vitium eſt*, ſubjungit *Nam ſcio ipſe hominem, cùm venalis codex . . oblatus fuiſſet, pretique ignarum, & . . quiddam exiguum poſcentem cerneret venditorem juſtum pretium, quod multò amplius erat, nec opinanti dediſſe. Quid ſi etiam ſit quiſpiam nequitia tanta poſſeſſus, ut vili vendat, quod dimiſerunt parentes, & carò emat quod conſumant libidines? Non eſt, ut opinor, incredibilis iſta luxuries. Et ſi quærantur tales, reperiantur, aut etiam non quæſito fortaſſis occurrant, qui nequitia majore, quàm theatrica propoſitione, vel pronuntiationi theatricæ inſultent, magno pretio ſtupra emendo, parvo autem rura vendendo.*

Ubi primò laudat illum hominem, qui juſtum pretium pro codice dedit, & poſtmodum reprehendit, qui cariùs emunt illicita, & vendunt vilius legitimè poſſeſſa, ergo &c. Probatur 3. Omnis Receſſus à medio Juſtitiæ eſt actus Injuſtitiæ, ſed omnis Emptio vel Venditio usque ad dimidium juſti pretii eſt exceſſus, ergo eſt actus injuſtitiæ. Probatur min. quia medium juſtitiæ eſt æqualitas valoris, à qua receditur in tali venditione, quando res emitur vel venditur plus vel minus, quam res valeat, ergo; Quia autem ut bene notat Scotus citatus, difficile eſt attingere punctum æqualitatis, ideo ait, quòd in quocunque gradu circa extrema fiat, juſtè fieri, quod ſi autem exceditur & contrahens, ſubjungit Scotus, decipitur ultra medietatem juſti pretii lex reſcindit contractum, infra illud autem, ſi ex alio apparet injuſtitia debet reſtitutio fieri correſpondens. Exempli gratia, Res valet florenis ſex, ſi ipſam vendo decem, ex jure Civili teneor reſtituere usque ad ſex, quia ultra dimidium juſti pretii; ergo etiam qui vendit novem florenis, ridiculum eſt enim quòd vendens decem florenis teneretur reſtituere quatuor, & non teneretur quoque qui vendit novem florenis. Sed incontra

Opponitur 1. Authoritas Juris Civilis *L. 2. & L. Si voluntate & Cap. Cùm dilecti*, permittitur talis exceſſus, modò non fiat ultra dimidium, juſti pretii, ita ut ſi defraudans conveniatur in judicio abſolvatur, ergo licet excedere latitudinem juſti pretii, modò non excedatur usque ad dimidium juſti pretii. Reſpond. negando Conſequentiam; Quia jura citata id non permittunt, vel approbant tanquam licitum, ſed ſolùm ad evitandas lites, & majora mala non punit illud in foro externo, niſi excedat dimidium juſti pretii, in foro tamen conſcientiæ ad reſtitutionem & compenſationem tenentur, niſi ſibi ipſi invicem condonent.

6. Venditionem Emptionem comitatur quædam condonatio.

Opponitur 2. *L. In cauſa. §. Idem Pomponius, ff. de Minoribus*, & alibi ſæpe habetur, licere naturaliter ementes & ven-

vendentes se circunvenire, & quod pluris eli, minoris emere, & quod minoris eli pluris vendere, ergo qui excedit in emendo vel vendendo excedit latitudinem justi pretii, modo talem non fit ultra, vel infra dimidium non peccat contra justitiam. Respond. ut supra, Leges istas tantum permisisse loqui, & quoad forum justitiæ & externum, non autem coram conscientia; & nisi invicem sibi condonent, nam ut præcitate asserunt & docet Scotus citatus in 4. d. 15. q. 2. *Quandoque relinquitur ipsis communitatibus, ut penitus mutua necessitate reputent sibi mutuo dare æqualem hinc inde, & accipere. Item etiam inter homines necesse est eis contractus, in quibus contrahentes implicite intendunt aliquid de illa indivisibili justitia restitutæ sibi mutuo, ut pro tanto omnes contractum concomitetur aliqua donatio. Est ista eli modus communitatis fundatus super illud Legis naturæ, Hæc faciatis aliis quod vis vobiscum, fatis probabile eli, quod quando sunt mutui contractus, mutua voluntas sibi invicem re, si secundum aliquid defectum abiudicationis patrimonii.* Per quod libylum etiam inflantia alia ex communi Juriſtarum proverbio *Tantum valet res, quantum vendi potest*, ſcilicet hoc intelligendum de latitudine juſti pretii, & attentis circumſtantiis loci, temporis, indultriæ adhibitæ, & voluntaria condonatione, eaque implicita vel explicita, tales enim cenſentur ſemper velle remittere, ſi quid ultra acceptum fuerit, & hoc maxime patet inter Nobiles, & Equites, quando ſibi invicem equos, canes, &c. maximis vendunt pretiis.

9. Carius vendi poteſt ob damnū proprium, non ob lucrum alienum.

Dico 2. Poteſt res cariùs vendi ob damnum proprium, ſed non ob lucrum alienum, quod ex ea accipiet Emptor. Ita Doctor Subtilis in 4. d. 21. q. 2. quod ſic explicat, Et Probat *Si quis multum egeret re ſua, & per hoc ſine inſtantanea indicatur ab illo, ut vendat vel permittet pro re alia, cum poſſit ſe præſervare indemnem, & ex venditione vel permutatione ſibi a minimo damnificatur, poteſt cariùs vendere, quam alius ſine tali damnificatione vendéret, vel permutaret. Sed ſi emens magnum commodum conſequatur ex illa re ſibi vendita, vel permutata, non poteſt cariùs vendi, vel permutari, nam propter magna commodum ejus, quod conſequitur, nec res mea eſt pretioſior, nec mihi melior: & ideo non debet mihi major pretium apportare, ſecus autem eſt, quando damnificor, quia tunc mihi eſt pretioſior, licet non in ſe.*

10. Tempus non poteſt vendi.

Pro ſequentibus Concluſionibus Nota eſt eodem Doctore Regulam primam in juſta Venditione eſſe: *ut non vendatur tempus, quia hoc non eſt ſuum*, ut adducit illum in ſuperiori quæſt. Conclus. 7. quæ ſic declaratur. v. g. Petrus vendit Paulo quodlum tritici in Nativitate Domini, ut ſolvat illum in feſto S. Joannis Baptiſtæ, in hoc caſu conſideranda eſt, an Petrus in Natali Domini, vel circa illud tempus erat venditurus triticum ſuum, vel non ſed expectaturus usque ad feſtum Joannis Baptiſtæ; in quo credit triticum plus valiturum: Si primum, vel determinat pretium ſolvendum in futuro, ſecundum quod curret in Natali Domini: tunc tacitè miſericordiam cum proximo ſupplendo eius indigentiam, & expectando pretium usque ad illud tempus: Aut determinat majus pretium, quàm ſit tunc juſtum, & hic commiſit uſuram, quia vendit tempus. Si verò Petrus triticum non erat venturus, ſed expectaturus illud tempus in quo cariùs vendi poſſit, aut tunc ponit certum pretium, ſcilicet ſecundùm quod res tunc valet, aut non, ſed dimittit certificationem pretii ex aliquo futuro pendentem: Si primum, certum eſt quod tunc etiam magnam miſericordiam proximo præſtaret: Si ſecundum, ſi illi ſtipulatur pretium majus, quàm nunc valeat, tamen non ita immoderatum, quin tempore ſolutionis verſimile ſit, quandoque plus, quandoque minus triticum valiturum, tunc ratione dubii excuſatur, quia ponit ſe in æquali periculo perdendi, & hoc ſicere patet ex *Cap. Navigantes, Extrat.* de uſuris, ubi oſtenditur hoc licitum eſſe in ſimili apud Mercatores Navigantes. Quod ſi relinquat determinationem pretii pendere ex valore futuro tritici, & hoc vel pro determinato tempore illius ſolutionis, vel alio citra illud, in quo non conſuevit regulariter triticum valere, plus, quàm quando dar illud, tunc etiam miſericordiam facit, ſi autem velit pretium determinare protempore indeterminato, ita ut ponat ſe in periculo lucri, & Emptorem in periculum damni, dicendo, volo quòd tantum mihi ſolvas pro tritico, quantum valebit in communique tempore usque ad feſtum S. Joannis Baptiſtæ, quando cariùs vendetur, tunc eſt illicitum & uſurarium ſecundùm omnes. Hinc

9. Solutiones ad dictam non licet cariùs vendere.

Dico 3. *Non licet merces vendere cariùs pretio ſolutionis dilatæ, ſi non plùs valebunt tempore ſolutionis, quàm venduntur.* Ita communis ſenſus Theologorum poſt Scotum citatum.

10. Solutio dicti ſatis augeri poteſt.

Probatur. Solutio dilata, quâ talis præciſe ſolo tempore differt, à ſolutione præſenti, ſed non licet aliquid exigere ratione temporis præciſè ; ergo neque cariùs vendere propter ſolutionem dilatam præciſè. Major eſt certa. Probatur min. Quia tempus non eſt magis vendentis, quàm ementis, eſt etenim omnibus communè ; ergo non licet illud vendenti vendere eminenti exigendo ratione illius aliquid, ut pulchrè deduxit Scotus.

Dico 4. *Si dubium ſit an res valiturus ſit plus tempore ſolutionis, poteſt cariùs ob id ſolutione vendi ſecunda proportione inter certitudinem & pretium.* Hæc patet ex

& intelligenda eſt ſectionum doctrinam in Notabili declaratam. Probatur ex *C. ap. in Civit. d. Iſpan. Et Cap. Novi gantii. S. Adhuc eadem tit.* Ratio etiam eſt, quia ſervatur pretium inter & merces proportio, & utrumque æquali ex parte percipitur.

Dices. Ex eſt Emptoris, quando ipſi advenit illud fortuitum valoris augmentum, ergo contra Juſtitiam eſt, exigere pretium abillo illius augmenti. Reſpondetur non pro augmento, quod tempore venditionis non eſt, ſed pro ſpe futuri augmenti exigi excellum illius valoris, illa autem ſpes eſt annexa rei tempore Venditionis. Ita dictis.

Patet, quid dicendum ſit de Mercatoribus, qui in nundinis vernalibus dilatâ ſolutione vendunt pro centum merces, quas data præſenti ſolutione non venderent, nili pro nonaginta, pro quo conſiderandum eſt Primò, an pretium interim ſit probabiliter augendum, ſi ſic, licebit vendere pro centum, quia dilatio ſolutionis, eſt cauſa tanti lucri ceſſantis. Secundò, an ſit peccatum, ne ſolutionem aliàs juſtam dilatam, vel non recuperes, vel non niſi cum magno labore, & ſumptu, nam tunc ratione periculi tam capitalis, quàm expenſarum licet aliquid ultrò exigere, ut patet ex dictis.

Dico 5. *Nunquam licet emere rem vili ab ſolutionem anticipatam præſtit.* Ratio eſt, quia ſolutio anticipata à præſenti tempore ſolum differt; ergo licut non licet exigere aliquid ratione temporis venditi, neque licebit ementi ratione anticipatæ ſolutionis. Licet tamen vilius emere, Primò, ſi anticipatio ſit cauſa lucri ceſſantis. Secundò, ſi ut periculum ſit mercis non tradantur fideliter, aut tam bonæ. Tertiò. Si periculum ſit Laborum, aut expenſarum in conquirendo Merces. Ratio eſt, quia hæc omnia ſunt pretio æſtimabilia. Hinc Patet, quid dicendum de Mercatoribus, qui à Paſtoribus lanas attivales emunt in vere pro quatuor, quæ in eſtate valebunt pro ſex, dicendum, committere vitium, niſi aliquo ex capite excuſentur.

Patet Secundo. Te non poſſe à Petro ſolutione anticipata emere Chyrographium pro nongentis, ut vi illius Paulus poſt annum ibi ſolvat mille, niſi aliquod prædictorum excuſet.

Quæres. Utrum res, dilatâ ſolutione, vendita tranſiciat in emptori vel Venditorē? Pro intelligentia hujus Quæſiti Notandum 1. Vel res vendita tradita eſt Emptori, vel manet apud Venditorem, quousque pretium ſolvatur. Si primum, & ſine retinendi Fidejuſſio, vel pignus pro ſolutione futura, tunc certum eſt, plenum rei dominium, & conſequenter ejus fructus atque commoda pertinere ad Emptorem. Si verò non intercedeat pignus aut fidejuſſio, neque Venditor ſola promiſſione emptoris eſt contentus, tunc nunquam cenſetur transferri merces in emptorem, quousque ille pretium ſolvat ut habetur *ff. Juſtit. De rerum Dominio.* Notandum tertiò, quatuor modi poſſe eſſe vel de fructibus pendentibus ex re tempore Contractûs, vel de aliis poſitæ natis, ſinde

Dico 6. *Fructus tempore Contractûs pendentes ex re venditâ in eum tranſeunt, quando immatura pertinent ad Emptorem, niſi aliud id expreſſe conventum.* Ita habetur *L. Julianus. ff. De Actionibus empti.* Probatur. Quia fructus ſunt ex re vendita pendentes ſunt pars ipſius rei, ut habetur *L. Fructus ff. De rei vendicatione*; ergo eodem tempore, emitſione tractus, ſicut & cæteras ejus partes.

Dico 7. *Fructus poſt Contractum nati, debentur Emptori ab initio, niſi aliud conventum.* Probatur. Quia hi fructus ſunt aliqui rei fructiferæ; ergo illi debentur, cui debetur res, ſed res debetur Emptori abſoluto Contractu, ergo & fructus. Confirmatur. Periculo & incommoda rei ſic venditæ ſunt Emptoris *L. Qui ſape. 3. in fi. De contrahenda empti.* ergo & eodem modo, quia æqualitas non patitur, ut unus commoda, & alter incommoda ſuſtineat. Dixi, *niſi aliter ſit conventum*, nam ſi ſit, ſtandum eſt conventioni.

1. Fructus pendentes pertinent ad Emptorem

2. Fructus poſt Contractum nati pertinent ad Emptorem

Quæſtio III.

An Venditor teneatur aperire defectum rei vendendæ ubi etiam de Venditione & Emptione alienæ rei.

PRo Reſolutione hujus Quæſtionis Præ Notandum Defectum ſeu vitium rei venalis poſſe eſſe, vel in ſubſtantia, ut ſi Venditur aqua pro vino; vel in qualitate, ut ſi vendatur pecus morbidum pro ſano, vel in quantitate ejus ſcabioſus, calcitroſus, phreneticus, retrogradus, cæcitate laborans, pavidus, vel tam tenebram timeat pro bono & perfecto; vel in quantitate, ut ſi vendantur ſex, pro decem. Et quidem apud omnes certum eſt, quod ſi vitium ſit in ſubſtantia, & occultum annullare Contractum emptionis, in aliis vide quæ dixi ſupra de Contractibus in genere.

1. Defectus rei venditæ.

Dico 1. *Venditor tenetur vitium rei venditæ manifeſtum defectum Emptori, & ſi vendat eam eodem pretio, quo venderetur, ſi careret vitio, peccat contra Juſtitiam.* Ita Doctores communiter. Probatur 1. ex Scriptura Amos 8. ubi impii redarguuntur dicentes *Quando transibit menſis, & venundabimus merces? & Sabbatum, & aperiemus frumentum? ut minuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateram dolioſa, ut poſſidemus in argento eos, & pauperes*

1. Defectus occultus non excuſat à peccato contra Juſtitiam.

perez pro calceamentis, & quisquilius frumenti vendamus? Et Proverb. 11. *Statera dolosa, abominatio est apud Deum: & pondus æquum, voluntas ejus.* Ibi vides quàm graviter redarguantur qui quisquilias pro frumento vendunt, quod est vitium in substantia, qui siclum augent, pretium attendentes, & qui mensuram diminuunt, quod est vitium in quantitate, ergo licet non valet venditio ubi mendax dolosa est, ita nec valet, & contra justitiam est, quando res vitiata pro bona Emptori ingeritur. Probatur 2. Ex *L. Julianus in prin. ff. De Act. Empti & Venditi. Julianus scribit, si de pericolo Commod. rei vend. L. 2. De Ædilitiis Edi.* ubi hoc expressè habetur, ac insuper quod teneantur ad refarciendà omnia damna Emptori inde subsecuta. Probatur 3. Tum Quia dare proximo occasionem damni aut pericli semper est illicitum. Tum Quia inter talem Contractum dedit æqualitas inter pretium & mercem, ergo est contra Justitiam. Hinc peccat contra justitiam qui frumentum cum quisquiliis mixtum vendit eodem pretio, quo purum frumentum. Item qui Merces maledictas, crosum v.g. eodem pretio vendit, quo aridas, quamvis adultum pro firmo. Semina corrupta pro sanis & vividis.

3. Vendens rem vitiosam sine aliquo temporis damno, proportionato tanto pretio, non peccat contra Justitiam celando eam vitium. Probatur. Quia in tali venditione nulla intercedit inæqualitas, cum nullum damnum alteri inferatur; ergo &c. Hinc

Inferur Primò. Non peccare Mercatorem contra justitiam vendendo merces pejores eodem pretio, quo pretentibus bonas, modò tantundem remittat de pretio, quanto pejores sunt merces. Ratio est, quia eminet nullum damnum patitur, & merces serviunt ei ad usum, licèt non usque adeo, bonæ, pro quibus plus dare debuisset. Neque damnandi sunt Sutores, qui calceos confectos ex corio non adeò bono vendunt pretentibus ex bono corio, dummodò non excedant in pretio. Neque Mercatores qui aquam vino miscent, & tantundem de pretio remittunt, præcipuè si vinum sit meracissimum.

Inferur Secundò, illum, qui ovem mordibum ignorantes vendidit pro sana, non teneri ad restitutionem, si cæteræ oves infricantur, sed tantùm quantum pretium excedit valorem ovis morbidæ v. g. vendidi decem, & non valebat nisi novem, teneris ad unum restituendum. Quod si verò serpit vitium rei vendit æ, ex quo grave damnum Emptori, aut alijs proximare potest, debet illud manifestare, aliquin tenebitur ad omnia illa damna refarcienda, ut v. g. si equus sit furiosus, domus ruinosa, medicina nociva, oves morbidæ, quæ alias infricant &c. Ratio est, quia eo ipso quòd venditor rem fuam venalem exponat, censetur cauta eorum malorum, quæ occasione viti emptori præviderentur, licut qui panes venenò infectos vendit, censetur causa homicidij.

Inferur Tertiò. Non esse licitum mercere guttam argenti vivi, vel spinam in aureo, aut sub caudam aselli, vel equi pigri, ut vivacitatem præferat, & sic curius vendatur. Ita expresse in *Lect. Julianus de Ad. Empti & venditi.*

Dico 2. *Si quis vel scit pactum rei esse vitiosam aut vilem, & vendere ni-* Gennius non potest *si verò, quàm valet, v. g. minus* pro vitio, aut vili *pro vitio, aut pro pluris, quàm pro* pro chiri- *eumi five scient five ignorant augere pretium, neque ad infimum justi.* Ita D. Thomas 22. q. 77. art. 2. Conradus, Medina, Lessius, Arriaga, & Probatur. Quia non servatur æqualitas, nam venditor non intendit rem donare, qua parte excedit, sed rotam, ut eft, justo pretio vendere, & commutare; hinc non placet Aretino, dictum Cajetani existimantis, posse Mercatorem ementem gemmam, quam rusticus putavit esse vitream vel christallum tutè in conscientia retinere, etiamsi leviffimo pretio emisset, si rusticum admonuet dicendo: *Ibi* nimirum, fi quid pluris valeret res illa, & rusticus respondeat se condonare, & ratio illius eft cur hoc non placeat, quia hæc pallata donationis intentio non habet tantum vo- luntarij propter rusticj ignorantiã, quantũ eft neccessarium, ut donatio sit valida.

Ab hac tamen Conclusione possunt excipi plures casus; Primò Si æquo in loco gemmæ etiam pretiosissimæ non plus æstimarentur, tunc minoris potest emere, quia ibi non censentur pluris valere, quamvis alibi valeant. Secundò si ex abundantia rerum etiam pretiosarum non fiat illarum æstimatio, aut olim aurum flabis aurum & alij lapides pretiosi communitabantur pro speculis & tintinnabulis. Tertiò, Mangipuis gramnis pro aliello potest emi currenti pretio in loco pro quo pertantur, licèt pretiosæ herbæ in eo lateant, quia tota illa res ad cum usum pro quo emi solet, non plus æstimatur. Quartò, Potest quis emere aurum taxato pretio ordinario, licèt sciat in eo latere thesaurum, vel continere venam auri &c. & Ratio eft ex Soto, Vel quia folum æstimatur & venditur superficies agri, Vel quia emptor emit aurum pretio communi, quo æstimatur ad usum pro quo vendi solet & potest: unde illud pretium eft per se valor agri, valor autem rationc thesauri vel venæ latentis, eft valor per accidens illius agri.

Pro secunda Quæstionis Parte Notandum 1. Rem alienam posse emi tvidio ex. vel vendi bonâ & malâ fide. Bona plicitæ, fide venditur; si probabiliter ignoret esse alienã. Rursus tam bonâ, quàm malâ fides

eſſe poteſt, vel in utroque, vel in uno contrahentium.

Notandum 2. Eum qui rem alienam vendit, & eum qui ære alieno ſolvit, teneri ad evictionem, Exempli Gratia: Vendidiſti bovem alienum *Petro*, quem *Paulus* cognovit eſſe ſuum, & evicit, teneris Petro de evictione, hoc eſt non ſolùm ad reddendum pretium, ſed etiam ad intereſſe, ſeu ad faciendam recompenſam, in quantum intererat *Petro* bovem non fuiſſe evictum. Ita habetur *L. libera, de ſententia & interlocutione.*

6. Merx & pretium alienum non transferunt dominium.

Dico 4. *Si res aliena in Contractu tradatur, ſive inſtar mercis, ſive inſtar pretii, ſive bonâ ſive malâ fide, nunquam transfertur ejus dominium vi hujus contractus præcisè.* Ita habetur *L. Traditio. ff. De acquirendo rer. Dominio.* Ratio eſt; Quia tradens ipſe non habet rei dominium, cùm ſit aliena; ergo non poteſt ejus dominium in alterum transferre, quia nemo poteſt dare alteri, quod non habet. Dixi *Vi hujus Contractus præcisè*; quia ſi intercedat aliquis alius titulus, ut præſcriptio, commixtio &c. tunc poſſet contingere ut res aliena translata, in hoc Contractu fiat accipientis. Hinc patet, ſi equum alienum dono accepiſti, & eundem Paulo pro *100.* bona fide vendidiſti, re comperta, & Domino comparente, teneri te ad reſtituendos Domino illos *100.* florenos, ſi ipſum equum à *Paulo* nequeas recuperare. Ita Navarrus, Leſſius; Ratio eſt, quia res illa tua non eſt; ergo alteri illam, cujus eſt, reſtituere teneris.

Quæſtio IV.

An & quæ Venditio-ReEmptio, & Emptio-Revenditio ſit licita? qui Contractus Hiſpanis Mohatra dictus eſt.

1. Mohatra Contractus eſt Venditio reemptio.

Dupliciter poteſt aliquis Vendere & Re Vendere, *Inſtantaneè*, ſcilicet. & *Temporaneè*. Primum contingit, quando aliquis in inſtanti, vel parva aut exigua mora intercedente, eandem rem eidem à quo creditò emerat, vendit, absque eo quod expreſſum pactum de revendendo, aut reemendo ſit primæ venditioni annexum. Secundò poteſt hoc idem fieri cum adjuncto pacto expreſſo de *re eadem revendenda*; Explico hanc Venditionem-Reemptionem; Titius pauper eget pecuniâ, & hanc non poteſt invenire niſi apud Mercatorem, hic negat mutuum illi poſſe dare, ſed velle dare merces, ut eas ſibi revendat, atque pro tanto pretio debitor maneat; Titius verò neceſſitate pulſus ut habeat pecuniam paratam acceptat hanc obligationem, & vendit eaſdem merces, quas emerat centum florenis quod erat ſummum pretium, nonaginta florenis, quod ſuppono fuiſſe pretium infimum, manetque Mercatori obligatus pro centum florenis, qui Contractus Hiſpanis dicitur *Barata*, & *Mohatra*, Italis *Storola*. Temporanea Venditio-Reemptio, quando aliqua res v.g. villa, pagus, domus emitur pro determinato, juſto, & numerato pretio, adjuncto pacto expreſſo, ut iterum eandem rem determinato, vel indeterminato tempore teneatur revendere eidem Venditori à quo emerat, & hoc pactum poteſt intercedere vel in gratiam & favorem, vel in beneficium Emtoris, & de utraque hac Venditione - Reemptione in hac agam quæſtione. Pro qua

4. Vendere revendere non eſt illicitum.

Dico 1. *Non videtur ulla ratione illicitum eſſe, rem etiam creditò emptam eidem revendere pro numerata pecunia & juſto pretio, dummodo nullum pactum obligans apponatur.* Ita Navarrus 23. n. 91. Leſſius, &c. Probatur. Quia omnis Venditio dummodo juſto pretio fiat, quamvis ſummo, eſt licita, ſed in tali caſu ſuppono Mercatorem vendere merces juſto pretio licèt rigoroſo, ergo eſt juſta, & Conſequenter etiam ſecunda revenditio, cùm fiat pretio infimo, quod utique juſtum eſt, maximè in pecunia numerata, quæ ſemper plus æſtimatur, quàm credita. Confirmatur 1. Quia merces oblata à proxonetis ſemper viliori æſtimantur pretio, unde etiam panni, qui in plateis circumferuntur viliori emuntur pretio, quàm qui in officinis quæruntur. Confirmantur 2. Quia poterat aliquis tertius leviori & infimo pretio emere, ergo etiam primus Emptor hoc idem poteſt, nam per hoc quòd prius fuit Venditor nullum amiſit jus emendi. Tertiò. Quia Mercator reemens merces Titio facit duplex beneficium, nam primò liberat eum à labore in quærendo emptore; Secundò ab expenſis, quas in proxonetas deberet inſumere; ergo &c.

3. Mohatra ſimpliciter eſt illicita.

Dico 2. *Venditio-Revenditio cum pacto & obligatione merces credito & ſummo pretio emptas, revendere pronumerata pecunia & infimo pretio, quæ dicitur Contractus Mohatra eſt ſimpliciter & abſolutè illicita & injuſta.* Hæc Probatur ex Decreto Innocentii XI. edito Anno 1679. die 2. Martii; feria 5. In quo damnatur hæc propoſitio, quæ eſt numero 40. *Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu ejusdem Perſonæ, & cum contractu retrovenditionis pravè inito, cum intentione lucri*: ergo ſtante hoc damnationis decreto Contractus Mohatra illicitus eſt. Probatur 2. Ratione. Tum, Quia talis Contractus aliud

non

Digitized by Google

non eſt, niſi uſura palliata ; ergo illicitus. Probatur Antec. Quia licèt nihil ex pacto petat ultra ſortem, per pactum tamen iſtud quærit lucrum & accipit notabile quid ultra ſortem. Tertiò. Quia Uſurarium eſt dare mutuo cum obligatione conferendi aliquod Officium, & ſi ſpirituale fuerit, erit inſuper Simonia; ergo etiam uſurarium eſt ſub pallio venditionis obligare Emptorem ad ſibi revendendum ſub infimo pretio ad habendam numeratam pecuniam, nam Revenditor, nec merces, nec aliquid aliud quæſivit, quàm pecuniam ſibi mutuò dari, quam miſer alio modo non poteſt acquirere, niſi cùm tanto onere, & damno manifeſto, ergo &c. Quartò. Quia ex generali regula, omnis Contractus eſt illicitus & injuſtus, ubi fraus & dolus intercedit in præjudicium & damnum unius ex contrahentibus, atqui hic Contractus Mohatra eſt talis, ergo &c. Major patet ; probatur minor quia illa venditio eſt doloſa, ſimulata, ad extorquendum lucrum à mutuo, nam Titius emptor non quærit merces ſed pecuniam ſibi mutuandam, & Mercator non vult dare pecuniam mutuo niſi præmittat emptionem talem, adeoque verè mentalem committit uſuram, & inſuper notabiliter proximùm defraudat, adeoque eſt illicita & injuſta iſta Venditio-Revenditio, quod Confirmatur, Quia Titius emens illas merces non indiget eis, & invito obtruduntur, in quas nunquam conſentiret, ſi alio modo poſſet habere, & ſi non neceſſitate premeretur.

4. Revenditio temporanea licita eſt.

DICO 3. *Emptio-Venditio temporanea cum pacto revenditionis in favorem eſt omnino licita.* Ita Doctores communiter apud Leſſium lib. 2. cap. 23. dub. 24. Et Probatur 1. ex Levit. 25. *Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea eſt, & vos advenæ & coloni mei eſtis; unde cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur*, id eſt revendendi, quando Venditor pretium invenire poterit, idque usque infra tempus Jubilæi, in quo omnes poſſeſſiones campeſtres ad primum Venditorem redibant, nam ibidem excipiuntur domus intra Urbis muros. *Qui vendiderit domum intra Urbis muros, habebit licentiam redimendi donec unus impleatur annus : ſi non redemerit, & anni circulus fuerit evolutus, emptor poſſidebit eam, & poſteri ejus in perpetuum, & redimi non poterit, etiam in Jubileo.* Probatur 2. Ex L. *In Re mandata. 21. C. Mandati*, ubi dicitur quod *Quisque in rebus ſuis ſit moderator & arbiter* ergo quilibet Venditor poteſt rem vendere cum pacto & conditione revendendi. Confirmatur. Quia cenſus ordinariè cum tali pactò ſaltem implicito venduntur, quod non ſolùm certum puto, ſed cum Juriſtis ulteriùs

5. Revendere aliq. competit poteſt.

DICO 4. *Emptor qui in Contractu venditionis revendet promiſit ad revendendum etiam compelli poteſt.* Ita Chriſtophorus Schamlogen. Probatur 1. Ex *L. 3. Cod. de Pact. inter Empt. & Vendit.* Ubi in textu clarè & expreſsè conſtituitur neque obſtat, quod ibi dicitur *Reſtituere*, nam hoc intelligi debet ſecundùm ſubjectam materiam, ut idem ſignificet quod revendere, vel id quod revenditionis conſequens eſt, nempe Venditori rem reſtituere. Probatur 2. Ratione. Quia Contractus quilibet ſemper eſt interpretandus juxta contrahentium mentem. L. *Semper in Stipul ff. De R.I.* Et prout ipſi cõtrahentes verisimiliter reſpondiſſent, ſi tempore Contractus fuiſſent interrogati. *L. Tale pactum §. final. ff. De Pactis.* Et denique Contractus quilibet in eum debet interpretari modum, per quem nemo ex Contrahentibus decipiatur. ex *L. Si quod ff. De Reſcind. Venait.* Sed compellando Emptorem promittentem ad Revenditionem, ſatis fit menti contrahentium, & nemo ex contrahentibus læditur, & oppoſitum ſequitur ſi non obligetur, ergo Emptor promittens revendere etiam compelli poteſt.

6. Pactum revenditioni adjectum diminuit rei pretiũ.

DICO 5. *Quando pactum revenditionis adjicitur in favorem ſolius venditoris, ut poſſit eam redimere dum voluerit, res minoris debet vendi ; ſi in favorem Emptoris, tunc pluris, quàm poſſit tertiò vendere ; ſi in favorem utriusque, tunc etiam non debet tali pretio vendi, ſicut poſſet ſine tali obligatione, ſed minori, majori tamen quàm in favorem ſolius venditoris.* Hæc in re eſt communis apud Covarruviam, Medinam, Leſſium &c. & Probatur quoad 1. partem. Quia onus illud revendendi quod Emptori imponit Venditor, eſt profectò grave & pretio æſtimabile, cùm ſit quædam ſervitutis ſpecies, ergo de pretio rei detrahendum eſt, quantum illud onus æſtimari poteſt ; Intellige tamen, ſi res revendatur in eodem ſtatu, quo fuerat empta, ſi enim fuerit meliorata, aut expenſas aliquas in aliam fecerit, tunc poterit revenditor pretium elevare, & augere, in quantum ſumptus in eam fecit ; alioquin enim non ſervaretur æqualitas & Emptor primus plus debito gravaretur, maximè ſi res non protuliſſet debitos & deſideratos fructus.

Probatur 2. Pars. Quia Venditori graviſſimum imponitur onus, conſtituiturque in continuo metu, quòd Emptor rem venalem ipſi ſit indicturus nam ſemper teneretur habere apud ſe vel amicos paratam pecuniam ad eam exſolvendam, & econtra Emptor acquirit rem in perpetuum, quantum ex parte ſua, non ſecùs ac ſi aliquis tertius emiſſet abſque tali pacto, ſed iſta utrinque ſunt æſtimabilia pretio, ergo Emptor tenebitur plus ſolvere, quàm alius tertius, qui ſinè tali onere & gravamine emiſſet.

Tertia

Tertia ſequitur ex illis duabus primis, totam hanc doctrinam ex Medina hoc modo exemplificat Leſius, V. g. Valeat res in ſe centum aureos, cum pacto autem in favorem ſolius Venditoris tunc valebit 80. vel 90. prout prudens conſideratis circumſtantiis judicaverit.

7. Protomiſeos jus bonum & rectum.

Quæres. An etiam poſſit Emptioni-Venditioni adjici pactum denon vendendo niſi proximo, vel Conſanguineo? Pro reſolutione hujus Quæſiti, nota ex doctrina Legiſperitorum, tale pactum vocari, *Jus Retractus, Jus Protomiſeos* ſeu *Prælationis*: Eſtque duplex, *Conventionalis* ſcilicet, qui ex pacto & hominum conventione proficiſcitur, de quo agitur in *L. 2. Cod. Pact. int. Empt. & Vendit.* Et alius eſt *Legalis*, ſeu *Conſuetudinarius*, quem Lex & conſuetudo in quibusdam locis introduxit, & de hoc agitur Levitici cap. 25. *Si attenuatus frater tuus vendiderit poſſeſſiunculam ſuam, & voluerit propinquus ejus poteſt redimere quod ille vendiderat; ſin autem non habuerit proximum, & ipſe pretium ad redimendum potuerit invenire: computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit: & quod reliquum eſt, reddet emptori ſicque recipiet poſſeſſionem ſuam.* Hoc præmiſſo Reſpond. Affirmativè, ex Conſtitutione Friderici. *Lib. 5 feud. tit. 13. & ſequent.* Ubi hoc jus Retractus, ſeu Protomiſeos conceditur agnatis, quòd rem immobilem, per venditionem aut ſimilem contractum alienatam, intra certum tempus, æquali pretio quod dedit, vel dare paratus fuit emptor, redimere poſſint, & hoc jus fuit inductum ad conſervandum familiarum ſplendorem.

Quæſtio V.

An Monopolia ſint licita?

1. Monopolium ſecundùm nomen, & rem explicatur.

MOnopolium quantum ad Etymologiã nominis derivatur à *Monos*, quod ſignificat unus, unum, & à *polio*, quod latinè dicitur Venditio; unde Bibliopola, librorum venditor; vinopola, vini venditor appellantur, & *Monopola*, idem eſt, ac unus venditor, imò poteſt etiam dici, quod derivetur à *polis*, quod ſignificat Civitatem, ut *Heliopolis*, Gen. 41. Civitas ſolis appellatur, unde Monopolium poteſt dici unius in Civitate negotiatio. Itaque Monopolium in re eſt Genus Negotiationis & Mercantiæ, quando unus vel plures efficiunt, ut illi ſoli emant vel vendant certas merces, ita ut alii omnes ab ipſis, pretiò, quò ipſi voluerint cogantur emere. Contingit autem hoc multipliciter.

2. Monopolium dupliciter poſſit fieri.

Primò, Authoritate publica, ut cùm unus aut duo privilegium obtinent à Principe, ut ſoli ipſi tale genus Mercium introducere, vel vendere poſſint. Secundò. Privatâ induſtriâ, ut ſi tu impedias, nè certæ merces per alium, quàm per te invehantur, & non niſi certo pretio vendantur. Vel tempore Meſſis, aut Vindemiæ emas omne triticum, & vinum pretio vili tunc current, ut poſtea cogantur omnes à te emere pretio ſummo. Major, Medina, Gabriel, Sylveſter, Molina, Angelus &c. docent talem peccare contra Juſtitiam. Negat Corduba, Navarrus, Toletus, Lugo &c. Ratio horum poſtremorum eſt, quia talis utitur jure ſuo emendo pretio juſto, & nolendo vendere, niſi pretio ſummo, nam quilibet Dominus poteſt rem ſuam retinere, donec pretium ſummum inveniat, licèt omnia hæc juſta lege prohiberi poſſint. Unde

3. Monopolia jure Cæſareo prohibita ſunt.

Dico 1. *Monopolia privata quando duo vel tres conveniunt de re aliqua non niſi in pretio à ſe determinato, vendenda vel emenda, aut etiam merces certas omnes ad ſe trahendo, ut poſt modum alii ab ipſis ſint obligati emere, injuſta eſt, & jure Cæſareo graviter prohibita.* Ita habetur in *L. Unica Cod. de Monopol.* in qua graviſſimè prohibetur, & ſub pœna privationis omnium bonorum, ac exilii perpetui, ne aliquis, aut aliqui obtineant, ut per ipſos ſolos merces aliquæ vendantur, & ſub pœna quadraginta librarum auri prohibetur, nè Mercatores inter ſe conveniant de non vendenda merce infra certum pretium, & ne Artifices conveniant, nè unus opus ab alio cœptum proſequatur &c. Deinde ſeclusâ Legis prohibitione videtur etiam id opponi Charitati, quæ licet non obliget te ad vendendum infra ſummum, obligat tamen ad non diſvadendum aliis, nè minori pretiò vendant, ſicut licèt caſtitas non obliget ad Virginitatem, vel Cœlibatum ſervandum, obligat tamen ne publicè quis cœlibatum diſvadeat, vel Virginitatem.

4. Principes ſupremi poſſunt conſtituere Monopolia.

Dico 2. *Monopolia authoritate publicâ introducta à Principe aliquo Supremo, vel Magiſtratu abſoluto licita ſunt.* Hæc eſt communis apud Theologos, & Probatur 1. ex antiquorum Regnorum praxi, nam in Africa corallia ab uno ſolo apud Hipponem fuerunt vendita Alumen in Sicilia & Hetruria, uvæ paſſæ in Achaja, bitumen in Judæa, quod quia Græci Aſphalton vocant, omne genus monopolii *Aſphaltivum* dicitur; In Gallia ſal, in pluribus Germaniæ ditionibus Tabaca, in Hiſpania verò quaſi omnium rerum etiam ad victum neceſſariarum Monopolia reperiuntur. Secundò ex Neceſſitate: Quia poteſt contingere quòd Rex, aut ſupremus Princeps qui ſuperiorem non habet, gravi prematur neceſſitate, eaque publica, tunc ut congreget pecuniam, poteſt quibusdam Mercatoribus pro certa ſumma pecuniæ juſta & rationali tale privilegium concedere, nam ſicut pro bono publico poteſt ſubditis ſuis contributiones imponere, ita poteſt eos tali oneri ſubjicere, ut res ab uno emant, quia tunc à contributionibus aliis liberantur,

&

& in bonum publicum impenditur. Et hoc quàm maximè verum eſt, ſi concedantur Monopolia rerum ad victum non ita neceſſariarum, ut ſunt ſericum, fimbriæ argenteæ, aureæ, chartæ lutoriæ, tabaca, dummodo ſemper moderatum ſtatuatur pretium. Tertiò ex Convenientia v. g. ſi absque tali prohibitione non inveniretur, qui aliquod mercium genus providere vellet, in ea abundantia, quæ Reipublicæ neceſſaria eſt, ſic conceditur privilegium Typographis nè per decennium ullus audeat recudere certos libros. Inventoribus alicujus Machinæ vel artificii Reipublicæ utilis juſtiſſimè in præmium ſuæ inventionis conceditur talis facultas. Eſt enim præmium illud fructus induſtriæ, & non decet ut alii cum authoris præjudicio lucrum æquale ex ejus Vigiliis reportent.

5. Monopolæ qui peccant contra juſtitiã.

Dico 3. *Monopolia Mercatorum conſpirantium ad arctandum pretium rerum, nè aliter, quàm rigoroſo vendantur, illicita ſunt, & ſi juſtum pretium excedunt peccant contra Juſtitiam.* Ita Medina, Navarrus, Sotus, Aretinus, Leſſius, &c. Probatur. Quia jure Gentium, vel etiam naturæ introductum eſt, quòd ſicut pretia rerum ſunt diviſibilia, ita omnibus permittatur ut pretio diviſibili merces emant vel vendant homines in Republica; ergo contra hoc jus faciunt, qui propria authoritate hoc pretium diviſibile arctant ad indiviſibile, & rigoroſum; & conſequenter ſi illud adhuc excedunt juſtitiam lædunt, & ad reſtitutionem tenentur. Et quod dico de Venditoribus, dicendum pariter eſt de Emptoribus, qui conſpirant, ut non emant merces niſi infimo pretio, & Ratio eſt, quia tales impediunt alios à venditione rerum ſuarum juſto pretio.

6. Cariſtiam annonæ inducentes peccant.

Dico 4. *Monopolia quibus tempore Meſſis vel Vindemiæ, aut quo res abundanter exiſtunt, coëmuntur infimo pretio, ut poſtmodum omnes cogantur ab eis pretio emere ſummo, graviſſimè peccant contra charitatem, & ſi excedant etiam contra Juſtitiam.* Ita Authores ſupra citati & Probatur ex *4. quæſt. 4. Cap. Quicunque*, ubi turpe lucrum vocatur tempore Vindemiæ, vilius emere, & poſtea cariùs vendere, verba Canonis ſic ſonant; *Quicunque tempore Meſſis vel Vindemiæ, non neceſſitate, ſed propter cupiditatem, comparat annonam vel vinum, v. g. de duobus nummis comparat modium unum, & ſervat usque dum vendatur denariis quatuor, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus.* Probatur etiam ratione. Quia rem vendunt pro arbitratu, & cùm miſeri cives aliunde habere non poſſint, tantùm ei dant quantum petere volunt, unde dicit Aretinus quòd tales puniendi ſint à Republica, & tanquam pernitioſi, tempore caritatis in pœnam cogi poſſunt, ut vilius vendant. Quòd ſi autem excedant in pretio juſto, nullum poteſt eſſe dubium, quin ad reſtitutionem teneantur, quod addo ad omne dubium excludendum, quia mihi ſat probabile eſt tales Congregatores contra juſtitiam Legalem, & publicam peccare, quia cum notabili gravamine in Rempublicam Cariſtiam inducunt; Imò etiam ajo peccare contra particularem, ſi hanc Cariſtiam inducant, fraude, & dolo emendo, aut etiam impediendo nè merces aliunde introducantur, ut ipſi cariori pretio vendere poſſint; In quibus omnibus Diſcretio Confeſſarii & Viri prudentis judicium diſcerne debet.

Quæſtio VI.

De Contractu Locationis-Conductionis.

1. Locatio-Conductio deſcribitur

COntractuum Conſenſualium altera ſpecies eſt Locatio-Conductio, ut habetur *Inſtit. De Oblig. ex Conſenſu*, quàm definio &

Dico 1. *Locatio-Conductio eſt Contractus nominatus Juris Gentium, bonæ fidei, conſenſu initus, quo convenimus cum aliquo, ut pro certa mercede, operam, vel uſum aut fructum concedat.* In re eſt communis. Probatur per ſingulas partes. Ly *Contractus* habet rationem generis, & habetur *L. ſ. 1. ff. De Pact.* Quòd autem ſit *nominatus*, & *Juris Gentium L. 1. in prin. ff. h. t.* Bonæ fidei, *Inſtit. de Act. §. Actionum 28.* conſenſu initus, *Inſtit. De Oblig. ex Conſenſu.* Dicitur *pro mercede*, in quo convenit cum Emptione, quia ut Locatio-Conductio legitime contrahatur tria ſunt, ſicut in emptione, neceſſaria, videlicet *Res* vel *Opera*, *Merces*, & circa utrumque *Conſenſus L. 1. L. 2. & paſſim ff. Locati*, ubi hoc nota quod ad ineundam conventionem conſenſus debeat eſſe expreſſus, ad initæ verò continuationem ſufficiat tacitus *L. 13. in fine ff. Locat. L. 16. Cod. De Locat. & Conduct.* Dicitur *Operam* vel *Uſum*, aut *Uſumfructum*, quia aliquando conceditur ſola opera, nam aliquando poteſt quis locare ſuam operam, ſuam perſonam, vel ſuum ſervum; aliquando verò conceditur & locatur ſolus uſus, ut cùm locatur equus vel veſtis. Aliquando etiam fructus, ut cùm locatur grex, ager, vinea &c. Qui prædium ruſticanum conducit, appellari ſolet Colonus, qui verò domum Inquilinus. Unde ut dixi hic Contractus habet magnam ſimilitudinem cum emptione, & venditione, ſicut enim in illis neceſſe eſt dare pecuniam pro merce, ita in hoc Contractu, niſi pro uſu, vel fructu rei locatæ detur pecunia, definit eſſe Contractus locationis, & fit contractus innominatus, & permutatio ſimplex. Eſt tamen hæc differentia inter hos duos Contractus, quòd emptio & venditio per ſe verſetur circa dominium trasferendum, locatio autem & conductio circa

uſum & fructum ut, ut habetur L. Nonſolet ff. Locati.

1. Conducio Locatio duplex eſt.

Dividitur Locatio-Conductio in *Expreſſam*, & *Tacitam*: Prima ſit expreſſa partium convencione & Conſenſu: *Tacita*, quæ ex præſumpta, & tacita partium convention & conſenſu inducitur, ut ſi Conductor qui ad certum tempus conduxit, tempore illo finito, in conductione remaneritt, & quidem in ruſtico præſtito ad annum, etiamſi prior locatio fuerit majoris temporis, in Urbano verò, prout Conductor inhabitaverit. *L. 13. §. fin. L. 14. ff. h. t.*

2. Locare qui poſſint & quæ.

Dico 2. *Locare poſſunt & conducere omnes, qui partem ſui poſſeſſionis, & occaſionis ad conducendum emtas non mobiles quam immobiles.* Hæc patet ex ſæpe ſupra dictis de aliis Contractibus. Et quidem de Rebus mobilibus habetur *L. final. 4. §. 1. ff. h. tit.* ut grex *L. 9. §. 4. ff. h. t.* De Immobilibus ut ſunt, fundus, prædia &c. *L. 15. §. ff. h. tit.* Item publica *L. 15. ff. hoc tit.* Item Incorporales, ut Jura, Uſufructus *L. 15. §. ff. De Uſufructu.* Item habitatio. *Inſtit. De Uſu & habit. §. ſed Item.* Vectigal. *L. 3. in fin. Cod. hoc tit.* Res Eccleſiaſticæ, ſi Eccleſiæ utilitas requirat. *Extrav. D. 3. cap. 2. Novell. 120. cap. 3. & 6.* Pro hoc Contractu notandum quoque, illum qui rem concedit ad uſum & ufumfructum vocari Locatorem, qui verò accipit Conductorem vocari, ele quibus

3. Locata res penit Locatorem.

Dico 3. *Res locata ſalſtat periculo Locatoris, ita quod ſi res perit ſine lata vel levi culpa Conductoris per caſum fortuitum, & divinum terminſuem perat Locatori.* Hæc eſt indubitata, & ſequitur ex natura & proprietate hujus Contractus. Et habetur *L. Ex Conducto 9. §. fin. in fine ff. Locati. Et L. Contracti ff. De R. I.* Nam cùm dominium non transferat, Domino perit ſi perit, dummodo Conductor culpam non dederit. Quod non ſolum verum eſt de rebus materialibus, ut ſi equus fulmine feriretur aut domus incêdio conſumaretur, ſed etiam de perſonis humanis, nam Conductor non tenetur de damno accidente perſonæ locatæ ad operas, unde ſi quempiam conduxiſſem ad operas in vinea, vel ſeminio meo præſtandas, & ille pedem &c. frangat, non teneor ad damnum hoc, illi reſarciendum.

4. Conductor in quatuor caſibus poteſt pelli.

Dico 4. *Locator rei immobilis non poteſt Conductorem Colonum, vel Inquilinum expellere ante finitum tempus Conductionis, niſi in quatuor caſibus.* Ita habetur L. *Ade Cod. Locato. Adè, quam te conduxi non habere dico, ſi perſonam Domino in ſolatium ſubrogſi, teneamur tu ejus velit non oportet, niſi propria uſibus Dominus cum neceſſarium eſſe probaverit, aut corrigere domum maluerit, aut ſi tu male in re locata verſata es.* Et approbatur in Jure Canonico *Cap. Propter Sollicitatem. 3. §. Verum, De Locat. & Conduct.* itaque prima cauſa expulſionis eſt, ſi domus v. g. ſit ipſi Locatori neceſſaria ad habitandum, nam hoc Inquilinus poteſt dimittere domum ex cauſa Dominus juſta, ita vicißim Locatius hoc competit jus, poſſe autem dimittere Inquilinum, domum mox infra dictum, non obſtet ergo Locatori hic ulterioris conditionis, quare ſi v.g. Locator duxiſſet uxorem, & commodè habitare non poſſet niſi expellendo Inquilinum, hoc facere valet. Secunda cauſa eſt, ſi domus ob cauſa indigeat reparatione, in his autem caſibus remittenda eſt penſio pro rata temporis. Tertio ſi Conductor perverſo modo utatur in præjudicium Locatoris, ut ſi aleret porcos in Solario, ſi Meretrices in prolibulo, ſi aquam funderet ſuper ligna, aut aliàs non habitaret ſecundum conventionem, quia Dominus non tenetur pati tale damnum ex culpa Inquilini. Quarta cauſa eſt, ſi Inquilinus non ſolverit pentionem per biennium, juxta modificationem juris Canonici citati, & tunc etiam concedit poſſe purgare moram ordinando ſatisfactionem, hoc autem intelligi, & ret eſt ultra biennium concludta. Hinc

5. Si Conductor nequeat ſolvere penſiones, ut Conductio finiatur.

Dico 5. *Si Conductor nequeat ſolvere quod ſe tenet ex parte rei, non tenetur ſolvere penſiones illius temporis, quo impedimentum durat, niſi impedimentum illius proveniat ab ipſi Conductore.* Patet ex L. habitatores ff. Locati. Probatur. Co ductor non conſentit in rem niſi quatenus hic & nunc ipſi deſcribit poſſeſſionis vi hujus Contractus, non tenetur ſolvere mercedem, ſi res non fuerit apta ad uſum vel fructum. Dixi in Conclusione, *ni impedimentum illud ex.* ut habetur ex L. *Uno ff. Locati*, quia iniquum eſſet ut Locator damnum patiatur ex culpa voluntario Conductoris. Unde ſi domus ex culpa & dolo Conductoris corruerit, non tantùm de domo teneretur, ſed etiam ruinendus foret, ut habetur *L. Capitalem 5. Incendium ff. De Loc. & Cond.*

6. Conductor quando ad penſiones teneatur.

Infertur Primò. Si domus conducta ruinam minetur, nocturnis ſpiritibus infeſtetur, vel ob imminentem hoſtis timorem conveniunter inhabitari nequeat, vel ab hoſtilibus penſis deſtruatur tenet Conductorem ſolvere penſionem, pro rata tantùm temporis, quo ea uſus fuit, non verò pro tempore, quò ea uſus non fuit, nec potuit. Idem dicendum ſi domus inhabitari nequeat propter graſſantem peſtem vicinam. *L. habitatores 5. ultimo.*

Infertur Secundò. Teneri ſolvere Conductorem penſionem, ſi ideo non habitare domum, quia cogitur alio migrare, vel quali non utitur operâ, vel conductæ ex eo, quia amplius illâ non indiget. Ratio eſt, quia quod non inhabitet, aut utatur

Digitized by Google

utatur re conducta, non eſt defectus ex parte rei conductæ, ſed exparte & defectu ipſius Conductoris.

7. Remiſſio debet fieri Conductori ob ſterilitatem.

Dico 6. *Ob magnam ſterilitatem ex naturâ Contractûs Locationis, & æquitate debet Conductori remiſſio fieri pensionis à Locatore.* Ita Panormit. Conradus, Arretinus, Lellius, & hæbetur in utroque Jure Canonico quidem *Cap. Propter ſterilitatem. Extra De Locat. & Conduct.* ubi Gregorius IX. dicit: *Propter ſterilitatem aſſiduitem magno incommodo Conductoris, vitio rei, ſui culpa Coloni, ſeu caſu fortuito contingentem, Coloni Eccleſia ſua pro rata, penſionis remiſſio eſt facienda: Niſi cum ubertate præcedente, vel ſubſequenti anni ſuſtinet ſterilitas compenſari.* Hæc etiam habetur in Jure Civili *L. 15. §. 2. & 3. L. 25. §. 8. L. fi. Cod. hoc tit.* Et ratio eſt, quia naturalis æquitas requirit, ut non ſolus Conductor ſit ſemper in periculo damnorum, & Locator ſemper ſit lucratus. Sed difficultas eſt, quænam ſit dicenda magna ſterilitas, mihi videtur ſentiendum cum communi, tunc dici ſterilitatem magnam, quando deducto ſemine, & detractis expenſis non remanet tantum, quantum importat ſolutio dimidiæ penſionis.

Ab hac Concluſione excipe ſequentes caſus Primo, Niſi aliter fuiſſet conventum, unde ſi conveniret, quòd in quocunque eventu velles ſolvere integram penſionem, in hoc foret ſtandum; nam licet Emptor exponit ſe periculo rei emptæ, v.g. fructuum in ſpecie &c. ita etiam Conductor poteſt ſe exponere, cùm hi duo Contractus valde ſymboliceat, ut habetur *L. 2. ff. Locati.* Secundò, niſi ſterilitas ita in prioribus annis vel in ſubiequentibus magna ubertate ſit compenſata, ut habetur *d. l. 15.* Tertiò, Niſi fructus ſint plene percepti & in horreum relati, aut quando infortunium non eſt inſolitum, Leſſius tamen exiſtimat eſſe remiſſionem faciendam, ſi fetus in horreo, vel domo reconditi fructus caſu fortuito pereant.

8. Ferilitas non auget penſionem conventam

Dico 7. *Ob ubertatem & fertilitatem extraordinariam, nullatenus Locatarius habet majorem penſionem exigendi.* Ita habetur *L. 25. §. 8.* ubi dicitur *Medium damnum, aquo animo ferre debet Colonus, cui immodicum lucrum non aufertur.* Et ratio eſt, quia nec in contrario caſu, Locator Conductori damnum refarcit, ſed tantum penſionem remittit, ne damnum intolerabile patiatur, ergo nec in illo penſionem per quam lucretur, augere poterit.

Hæc de Locatione - Conductione rerum & fundorum, nunc aliquid dicendum reſtat de Locatione operarum, & quidem particularia eſt difficultas, an ille qui pluribus ſuam operam locat, poſſit ſingulis integrum ſtipendium exigere, ubi tamen notandum duplicitèr poſſe aliquem ſuas operas locare. Primò *in ſolidum*, ita ut aliis deſtinentibus illi ſoli operam ſuam impedire debeat; Secundò, *Dimidiatè*, ut non niſi partem operæ tuæ illi locet. Ubi iterum conſideranduin eſt, an opera in ſolidum locata pluribus, ſit ſingulis æque utilis ac ſi eſſet uni locata, & ac ſi non fuiſſet pluribus locata, vel non? Hinc

9. Operam pluribus locatam ſi quis locet, ſtipendia non ſolvuntur integrum ſed pro quota parte.

Dico 8. *Non licet eandem operam integro ſtipendio multis locare, ſtatuta illa ſunt inconmoda.* Ita Leſſius. Probatur. Quia opera illa reſpectu unguibus ſuas non eſt tanti valoris, quanti foret, ſi ea non licet uni applicaretur; ergo injuſtè vendituc ſingulis integro ſtipendio. Probatur Conſequentia. Quia tunc nulli datur valor ſui pretii.

10. Stipendia integrum ſolvendo ſi pluribus ſingi poſſit.

Dico 9. *Qui pluribus vendit ſuam operam in ſolidum, ſive illo alias incommodato, poteſt à ſingulis integrum ſtipendium exigere.* Ita Leſſius. Probatur. Opera mea reſpectu tui non minoris valet, ex eo præcisè quod alteri ſit locata, modo interim tibi æqualiter prodeſt; ergo locando tibi illam in ſolidum, poſſum tantum ſtipendium à te exigere, quantum exigeremus, ſi alteri illam non locaſſem. Conſequentia patet. Quia tanti eſt valoris reſpectu tui. Confirmatur Opera mea alteri locata, non eſt minùs utilis tibi, quàm ſi alteri non fuiſſet locata, quæ minus gravis, quia altero deficiente totam ubi foli exhibebo; ergo obligando tibi illam in ſolidum, poſſum à te pretium exigere integrum, acſi tibi ſoli eam locaſſem.

Verumtamen cenſeo hoc non eſſe univerſaliter ſentiendum, ſed cum eodem Leſſio limitandum, primò: Niſi aliquin meres annua vel diuma ita ex taxata authoritate publica, vel recepta alio, ut five unius, five plurium caulas agas, non poſſis amplius exigere, ut ſit cum ſalarium eſt conſtitutum ex publico, & non exigitatis privatis. Secundò, ut non accipiat plura ſtipendia, niſi pro actione quam ſimul pluribus impendit in ſolidum, idque pro tempore, quo illis eſt dum, non autem pro illis quæ ſingulis, ſingulis, unde poteſt accipere pro itinere, quod omnium cauſa facit, pro numero dierum, quo cundo & redeundo durat, non autem pro ſolitudinibus, quas pro diverſis diverſis facit in termino conſtitutus v.g. Si pro cegotio Petri tibi pervenit Romam, vel Viennam impendat quinm diem, pro negotio Pauli duos dies, pro negotio Andreæ dimidium tunc ſingulis ſolvent pro ſingulis negotiis ſuis pro rata temporis. Sed in contra

Arguitur 1. Non licet vendere eandem rem v. g. bovem pluribus integro pretio, ergo nec operam multis locare integro ſtipendio. Reſpond. negando

Conſequentiam. Diſparitas eſt, quia idem bos nequit pluribus tradi, nec æquivalenter commodari in ſolidum, ſicut opera. Quòd ſi fingamus eundem bovem poſſe ſingulis in ſolidum dari, & ſingulis poſſe eſſe æquè utilem, poterit etiam ſingulis integro pretio vendi.

Arguitur 2. Nullus Contractus eſt licitus, in quo non ſervatur æqualitas inter datum & acceptum, ſed hæc non ſervaretur in propoſito, ergo &c. Probatur minor; Opera valet *duo* tantùm v.g., & pretium, *quatuor*, ſed inter *duo* & *quatuor* non eſt æqualitas; ergo &c. Reſpond. negando min. ad probationem dico, Operam illam dupliciter poſſe conſiderari. Primò, ut terminatur ad unum tantùm obſequium, & ut ſubeſt uni tantùm obligationi, & hoc modò valet tantùm duo. Alterò modò, ut terminatur ad plura obſequia, vel ut ſubeſt pluribus obligationibus ſinè alterius præjudicio, & hoc modò conſiderata tanti eſt pretii, quanti eſſent plures operæ ſeorſim ſumptæ, quia tantùm præſtat, quantum plures, & hoc ex ſua induſtria & dexteritate.

Arguitur 3. Ergo Sacerdos promittens Paulo Miſſam, & acceptò ab illo ſtipendio integro, poterit aliud integrũ petere à Petro, ob eandem Miſſam, & ſic in infinitum, &c. negando Conſequentiam. Quia eadem Miſſa pluribus applicata nõ tantũ prodeſt ſingulis, quantũ ſi uni applicaretur, ut bene docet *in* Doctor *Quodlib. 18.* ſecùs eſt de opera, quæ ſingulis tantum prodeſt, quantum ſi non fuiſſet alteri locata. Unde hæc Propoſitio. *Non eſt contra Juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre*, damnata eſt ab Alexandro Septimo Anno *1665.* 24. Septembris. Ex dictis

Patet Primo. Quòd *Petrus* conductus à *Paulo*, ut pro expediendis negotiis *Romam* eat, poſſit ſuam operam locare *Joanni* volenti etiam unum pro ſuis negotiis conducere.

Secundò. Si iturus Pragâ Viennam voluiſſet conducere equum, & alius voluit dare ſtipendium, illi, qui equum ſuum usque Viennam transferat, poſſe te parcere tuis ſumptibus, & accipere ſtipendium oblatum pro transferendo equo usque Viennam.

Quæſtio VII.

De Contractu Societatis.

1. Societas deſcribitur

COnſenſualium Contractuum tertiâ ſpecies eſt Societatis *Inſtit. De Obl. ex Cap. in prin. L. 2. ff. De Ob. & Act.* quæ aliquando dicitur Conſortium, & Communio. *L. 3. §. 1. L. 53. L. ſi unus 67. ff. h. t.* Et quidem Societas hodie eſt uſitatiſſima, nam hanc inter ſe ipſos contrahunt Mercatores, & frequenter etiam alios adſciſcunt, qui pecunias contribuunt ad negotiandum, ut proinde multæ fraudes hic intercedere poſſint, proinde hujus Contractûs examen eſt Confeſſariis neceſſarium & notitia. Itaque

Dico 1. *Societas eſt Contractus juris gentium, bonæ fidei, ſolo conſenſu initus de re vel negotiatione honeſta, ejuſque lucro, vel damno communiter habendo.* Hæc in re eſt communis, & Explicatur. Dicitur *Contractus juris Gencium*, ſic enim habetur *L. 7. §. 1. ff. De Pact.* Bonæ fidei, ex *Inſtit. De Act. §. 28.* De re, vel negotiatione, ex *§. 1. 2. 3. Inſtit. h. t.* Unde effectus hujus Contractûs eſt Contributio, quæ conſtat ex rebus diverſi generis v.g. unus contribuit pecuniam, alter induſtriam, & tertius merces. Finis hujus Societatis eſt lucrum acquirendum, aut pro uniuscujusque *quota*, vel parte rata diſtribuendum. Firmatur hic Contractus quibuscunque ſignis externis talem conſenſum, tam inter abſentes, quàm præſentes expreſſivis. Ex his

Conſtat Eum, qui locat animalia cuſtodienda Paſtori aſſignato eidem determinato ſtipendio pro labore, non contrahere eum paſtore Societatem, ſed locationem. Ratio eſt, quia lucrum non eſt commune utrique, ſed eſt ſolius locantis, qui pro labore poteſt paſtori aſſignare certam partem fructuum orientium ex animalibus. Similiter non eſt Societas, ſed Locatio, vel Conductio, quando emis dominium uti e animalium, ſolutâ Domino certâ penſione ex fructibus eorundem.

2. Societatis multiplex diviſio.

Societas eſt alia *omnium bonorum L. 1. §. 1. L. 3. §. 1. L. 52. §. 16. & ſeq. ff. h. t.* Et hæc per omnia præſentiâ & futura intelligitur, etiam hæreditaria, donata, legata, caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, quæ omnia æqualiter dividenda ſunt inter partes ſolutâ Societate, niſi in Contractu aliud fuiſſet expreſſum. Aliæ *particularium tantùm bonorum*, *Inſtit. h. t. in prin.* Hæc etiam poteſt eſſe circa certam & determinatam negotiationem, debent autem illa bona legitimè eſſe acquiſita, non verò furto, aut maleficiò, aliàs non ſubſiſteret Societas. Adhuc alia eſt Societas *ad totam vitam*, alia *ad certum tempus*, vel usque ad finem talis negotiationis, quâ finitâ ſolvitur Societas. Alia iterum eſt *publica*, quæ de rebus publicis, & vectigalibus contrahuntur, & hæc vocatur Romæ Societas Officiorum. nam Romæ ſunt multa officia, quæ habent ſuos redditus, & à Papa venduntur certo quodam pretio, cùm autem ſint multi, qui non habent tantam ſummam, ut ſoli poſſint emere, conceſſum eſt à Papa, ut cum

aliis

aliis pluribus emantur, & quamvis in uno ſit officium, tamen pro rata Contributionis ad emptionem diſtribuatur Sociis de redditibus annuis. Vide L. *5. in princip. L. Adeo. 59. ff. hoc tit.* Et hæc Societas eſt publica. Alia *privata* quæ de rebus privatorum fit *dict.* L. *Adeo, & tot. tit. ff. hoc. t.* In hac Societate poteſt alicui committi cura, & adminiſtratio bonorum ad Societatem, & aſſignari eidem ſtipendium ſui laboris ex maſſa Societatis, & talis non habet rationem Socii, & de lucro communi non participat, nec ejus induſtria cenſetur collata in bonum commune, nam ſi totum periret, adhuc deberetur ipſi dari ſtipendium.

3. Societatis quatuor regulæ.

Dico 2. *Ut Societas legitimè contrahatur, requiritur ut interveniat Conſenſus, Res licita, honeſta, & bona fides Servatis certis Regulis.* Ita habetur L. *3. §. fin. ff. hoc t.* quoad primam partem, quoad partem de Regulis, quatuor communiter aſſignantur, quæ omnes in particula *bona fides* comprehenduntur. Prima eſt ut in hoc Contractu ſervetur proportio Geometrica inter illud, quod Socius apponit de ſuo, & lucrum, quod participat, ita ut qui plus apponit vel in pecuniis, vel in Capitali, vel in induſtria, vel in periculo aut damno, plus debeat de lucro participare, L. *6.* L. *29. in prin.* L. *Quod enim, 80. ff. h. t.* Unde contingere poteſt quòd aliquis de induſtria plus appoſuerit, hæc plus quàm pecunia æſtimari debet, nam aliquando ſola induſtria acquirit & conſervat lucrum. Et ratio eſt, quia aliàs Contractus Societatis non eſſet æqualis, ſed injuſtus cum obligatione reſtituendi.

Secunda Regula eſt, ut quando fit pactum de dividendo lucro, & non exprimitur de partibus inæqualibus, lucrum dividatur in partes æquales, patet ex *Inſtit. De Societate, §. Et quidem.* Et ex L. *ſi non fuerit, ff. pro Socio.* Hæc autem æqualitas non debet eſſe Arithmetica, ſed Geometrica, ut ſupra dixi.

Tertia Regula eſt, quando nihil explicatur de damno diſtribuendo, intelligitur eodem modo diſtribuendum, ſicut lucrum; & eadem proportione, quod intelligendum eſt de damno, non proveniente ex culpa Socii, quia ſi ſic proveniret, ipſi ſoli adſcriberetur.

Quarta. Ut in diviſione lucri vel damni, vel circa onera ſerventur pacta, niſi ſpeciali Jure prohibita eſſent, vel niſi in eis injuſtitia ex natura rei appareret, ut ſi unus ſolus damnum pateretur & nullum lucrum haberet, ut habetur L. *ſi non fuerit ff. pro Socio.* Hæc enim Leonina eſſet Societas, ſiquidem Leo cum vulpe ita communem prædam dividebat.

4. Societatem inire poſſunt, qui poſſunt habere commercium.

Dico 3. *Societatem inire & contrahere poſſunt omnes, quibus licitum eſt commercium, & jure non prohibentur.* Hæc patet ex ſupra dictis. Hinc poteſt Pater cum filiofamilias de peculio caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi, *L. ſi. id 58. §. ff. h. t.* Patronus cum liberto. L. *2. Cod. h. t.* Dominus cum ſervo communi. *L. 19. §. fin.* L. *20. ff. De Pecul.* Uxor cum Marito, ſi non fiat donationis cauſa, Societatem inire poſſunt. *L. Cum. 32. §. 24. ff. De Donat. inter vir.*

Contrahitur porrò Societas, vel purè, L. *6. Cod. h. t.* Vel ſub conditione. *d. L. 6. &* L. *1. L. 6 ff. hoc tit.* Ad tempus, ac etiam in perpetuum, id eſt quoad vivunt Socii. *L. 1. ff. h. t.* Scripturâ, vel ſinè Scriptura, uti & literis, & per nuntium L. *4. in prin. ff. h. t.* & quidem contrahitur jure quodam fraternitatis, *L. Verum eſt, 63. ff. h. t.* unde de natura Societatis eſſe dicitur, ut inter Socios lucri & damni participatio & communio juxta proportionem Geometricam inducatur.

5. Societas variis modis contrahitur.

Sed de Contracta Societate ſub conditione Theologi difficultatem movent, An ſi quis Societatem contraheret cum Mercatoribus v.g. hac lege & pacto, ut de quantitate pecuniæ quam pro ſorte contribuit ſervetur indemnis, & tantùm illi annuatim pendatur certum lucrum parvum pro incerto magno, hoc licitè fieri poſſit, ad quod Reſpondeo &

6. Aſſecuratio poteſt etiam in Contractu Societatis apponi.

Dico 4. *Contractui puro Societatis non poteſt dicta Conditio aſſecurationis apponi, bene tamen, ſi fiat Contractus mixtus de Conſenſu utriuſque contrahentis.* Hæc eſt communior hoc tempore inter Doctores, qui copioſè videri poſſunt apud Leſſium lib. 2. Summæ Caſuum Conſcientiæ cap. 41. ubi dicit *Contractui Societatis poſſunt annecti alii duo, unus, aſſecuratio quædam capitalis: ſicut enim unus poteſt capitalem aſſecurationem cum tertio facere, ita poteſt cum Socio, dato juſto aſſecurationis pretio: Poteſt etiam locare fructus, & lucrum pretio conenienti, vel aſſecurationem lucri facere*; & ita ſentit Cajetanus opuſculo 6. q. 6. art. ult. Et hoc non videtur negari poſſe, dummodo neuter adigatur, ſed liber utrinque relinquatur.

Probatur Concluſio quoad primam partem: Quia ſi ita iniretur Societas, ut unus ſolum lucrum reportaret, alter autem totaliter & ſolus damno expoſitus eſſet, Leonina foret Societas.

Probatur 2. Pars Primò Ex jure Canonico, Cap. Per veſtras. De Donat. inter Vir. & Uxorem, ubi dicitur; *Cùm ergo poſſit ei modicum credi dotis, cui creditum eſt corpus uxoris, mandamus, quatenus dotem faciatis aſſignari eidem ſub ea, quam poteſt, cautione præſtare, vel alicui mercatori committi, ut de parte honeſti lucri, dictus vir onera poſſit Matrimonii ſuſtentare.* Ubi, ut bene advertit Navarrus, vult Innocentius III. ut dos Mulieris apud Mercatorem integra & ſalva permaneat,

mancat, nam ob id mandat eam à Marito auferri, ne si simul ad lucrum & ad damnum dos Mercatori credatur, ea periculo amittonis subjiciatur.

Probatur 2. Ex Jure Civili, *L. Si eam dotem 22. S. sin autem in fin. ff. de Jure Dotium.* ubi habetur similis textus prioriex Sacris Canonibus allato. *Et L. si non fuerint. 29. ff. Pro Socio* ubi dicitur *In causa societatis pacis, ut nullam partem damni alter sentiat*, quod alia ratione fieri non potest nisi Contractui Societatis adjiciatur Contractus affecurationis de Sorte, seu Capitali.

Probatur 3. ratione. Tum Quia si hic Contractus esset illicitus, vel id esset ratione pacti annexi affecurationis, vel ratione lucri certi pro incerto, vel quòd Mercator debeat aliquid dare ultra fortem, & supra naturam Contractûs, quod saperet inique tum usuræ, Vel denique quòd non servaretur inter ipsos contrahentes æqualitas, cum Socius apponens servetur indemnis & certus de lucro, mercator in continuo periculo, sed ex nullo horum modorum potest esse contractus talis & mixtus inæqualis, ergo &c. Major patet, quia nullum aliud caput affignari potest unde oriretur aliqua injustitia: Probatur min. primò Generaliter; Quia omnes isti Contractus, V. g. affecurationis, Venditionis, Locationis & c. potfunt licitè fieri cum diversis, ut de se patet, ergo etiam cum eodem, quæ enim in diversis justa, funt quoque justa in eodem subjecto, si contrahentes in principio sponte & absque dolo fic conveniant.

7. Societas potest substituere locum pro re Contractus.

Probatur min. principalis, quod singulas partes, nam imprimis talis Contractus quatenus illicitus, eo quòd pactum affecurationis fit adjectum, quia in Contractu Locationis & Commodati potest aliquis, adjicere pactum affecurationis, ita quòd Conductor & Commodatarius fuliciat in se periculum rei, & Commodantem atque Locantem servet indemnem, ut patet ex *L. 3. ff. Depositi.* Neque ex fecundo Capite fcilicet ratione lucri certi pro incerto, potest esse injustitia, nam potest justè & licitè vendi jactus retis propter spem piscium capiendorum, ergo etiam lucrum magnum speratum potest vendi pro parvo aliquo pretio. Et tertio capite, quòd debeat mercator aliquid clare ultra fortem & naturam Contractûs non est quoque injustitia, quia hoc quod Mercator præstat vi Contractûs Societatis, cunc non esset Leonina, sed obligatur ex allo in quo nova datur compensatio æqualis illi gravamini, licilicet magnum lucrum speratum, pro quo dat parvum. Denique non lædetur hoc contrahendi genere æqualitas, quia fuppono quod præsentes & conficientes vim utrinque æstimaverint cauſam deponentis forteun, & Mercatoris fuſcipientis in fe periculum fortis cum illius affecuratione; adeoque nulla potest esse iniquitas; Nam ex parte deponentis pollunt tria concurrere, nempe depositio pecuniæ, quæ non obstante Mercatorum affecuratione eſt in periculo; fecundò, æſtimatio commoditatis quam haberet ex pecunia præſenti; & tertiò æſtimatio lucri ſperati, in eum reliqueret in puro Societatis contractu, Econtra ex parte Mercatoris tria quoque funt, quæ utiliter ex pecunia accepta obveniunt, primò ex majore quantitate pecuniarum majorem fibi comparant fidem, plurasque fimul coëmere poſſunt; Secundò, quia affecuratio data non eſt tanta, quia eſt ſimè hypotheca, unde ſi pecunia illa una cum bonis aliis periret, nihil juvaret deponentem. Tertiò, eſt obligatio ſolvendi parvum lucrum, quæ obligationi Mercatore propter ipſum majoris lucri parvum æſtimatur.

8. Societas non lædit Societatem.

Disco 1. *Societas ut multis modis fuitur.* Hæc fola inæqualitas allegatorum ſufficiens Mutua Societarum voluntate & conſenſu *L. 5. Cod. h. t. Inſtit. eadem §. manet.* a quo alia fuitur. voluntas colligitur ſi ſeparatim agere coeperint. Secundò. Remuneratione, modò hæc ſit tempeſtive, & ſine dolo malo, nam ſi callidè, & ideo Socius renuntiet, ut aliquid lucrum abſentiens ſibi habeat, non liberatur. *L. 63. §. 3. ff. h. t.* Et cogitur nihilominus hoc lucrum cum altero communicare, non tamen alter, quia callidè renuntians liberat quidem damni à ſocio tamen liberatur à Socio, & ſic damni participes, licet expers manet *L. 17. §. 1. ff. h. t.* Tertiò morte naturali Socii *L. 65. §. Socium. 60. in fin. ff. h. t.* Nam in Societate, homiois fides, diligentia, ſolertia, mores & indultria eligunur *§. ſolvitur §. Inſtit. h. t.* quales ſortè in hærede non inveniemus, aut licèt inveniremur perſona tamen neequidici electa; Tum etiam, quia alioquin Socius contra juris diſpoſitionem in Societate manere cogeretur. *L. final. ff. Communi dividun.* Quartò finitur Societas, etiam morte Civili, ut Capitis diminutione maxima, & media, *L. 63. §. fin. ff. h. t.* Quintò, per interitum rei in Societatem collatæ *L. 58. & L. Verum, 65. §. fin. ff. h. t.* Sextò, Si res Societati collata fuit ſacra, vel publica *L. 1. ff. eod.* Septimò, Tempore, & modo, cujus gratia Societas facta eſt, finito, *§. 1. rem ſi alicujus, Inſtit. h. t.* Octavò, Publicatione bonorum omnium *L. 63. ff. h. t. §. finaliter. 7. Inſtit eodem.* Nono, Ereditate, ut ſi quis ob egeſtatem bonis cedat, *Inſtit. h. t. §. Item ſi quis. §.* &c.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæstio VIII.

De Contractu Mandati.

1. Mandatum variè accipitur.

MAndatum constituit ultimam Contractuum Consentualium speciem *Instit. de Obl. ex Consensu*; Verumtamen secundùm se hoc vocabulum plures habet significationes, nam dicimus aliquando mandare memoriæ, terræ, oblivioni; Aliquando etiam sumitur pro mandato Jurisdictionali, quod authoritate Magistratûs, aut Superioris decernitur, & ad obtemperandum injungit necessitatem, de quo *tit. Cod. de Mandat. Princip. & Novella 17.* Ut autem ad propositum pertinet accipitur pro conventione, quæ à volente & sponte suscipitur, unde is qui mandat, Mandans, *L. 3. ff. h. t.* & Mandatur *L. 10. L. 26. Cod. dict.* qui autem mandatum suscipit, Mandatarius, & in jure passim Procurator appellatur, *L. 6. §. 6. L. 7. ff. h. t.*

2. Mandatum describitur.

Dico 1. *Mandatum bene describitur, quòd sit Contractus, juris gentium, bonæ fidei, ex consensu initus, quo negotium aliquod, ex amicitia alteri expedienaum committitur, & expediendum suscipitur.* Patet. Nam quòd sit Contractus, habetur *L. 8. in prin. ff. De Mand.* Juris gentium verò, argum. *L. 5. ff. De Justit. & Jure. §. 1. & 2. in fin. Instit.* Bonæ fidei autem, *§. Actionum, 28. Instit. De Act.* Ex consensu initus, *Instit. De Oblig. ex consensu in princip.* Reliqua verò gratiosè differentiam ab aliis Contractibus explicant.

3. Mandati plures divisiones.

Mandatum multipliciter dividitur, seu plures sunt species. Nam primò aliud est *Speciale*, aliud *Generale*. *Speciale* est, quo aliquod negotium expressè gerendum committitur, per *L. 6. §. 6. ff. h. t.* Et hoc iterum vel est *Certum*, quod certam & præscriptam habet formam, à qua recedi non debet. *§. Is qui 8. Instit. h. t.* Vel *Incertum*, seu indeterminatum, in quo certa forma non est præscripta, ideoque illud Mandatarius, prout expedit mandanti gerere potest per *L. 3. §. 1. ff. h. t.* Mandatum Generale est, quo alicui bona & negotia universa administranda committuntur per *L. Illud nullam. 25. ff. de Minorib. d. L. 65. §. 6 ff. h. t.* Generale iterum aliud est *Cum liberâ*, vel *sinè liberâ*. Generale cum libera est, quando non solùm universorum bonorum, vel negotiorum administratio est concessa, sed etiam potestas data agendi ea, quæ Dominus ageret *L. 58. ff. de Procur.* exceptis tamen iis, quæ speciale mandatum desiderant, ut est Matrimonium. Generale sinè libera est, quo alicui generaliter omnium bonorum administratio, sed non libera demandata est *L. Mandato. 60. ff. de Procurat.* Aliud iterum est expressum, quod verbis expressis, aliud tacitum quod per patientiam inducitur *L. 6. §. 2. L. 15. ff. h. t.* Aliud est *Judiciale*, sive ad lites, aliud *Extra-Judiciale*, sive ad Negotia.

4. Mandare qui, & quæ possint mandari.

Dico 2. *Mandare possunt omnes qui jure non prohibentur, & vice versa omnes mandatum suscipere valent dummodo non sint prohibiti.* Patet ex sæpe dictis de Contractibus tam in genere, quàm specie. Hinc excluduntur Pupilli, prodigi, furiosi & similes, sic quoque prohibetur Clericus suscipere mandata in sæcularibus, in *Extravag. Ne Clerici vel Monachi negot. sæcul. &c. Novell. 123. cap. 6.* Mandari possunt tam lites & actiones in judicio peragendæ, *L. 1. §. 1. & tot. tit. De Procurat.* Quàm alia negotia, & quævis res aliæ licitæ & honestæ, futuræ tamen, *L. Si verò §. si post. 14 ff. h. t.* Mandari autem non possunt res turpes & inhonestæ, & quæ sunt contra bonos mores, ut scilicet inter mandatum & mandatarium actio mandati detur *L. 6. §. 3. ff. h. tit. Cap. Non est 58. De Reg. Juris in 6.* hinc

5. Mandans homicidiũ eadem pœnâ tenetur ut Mandatarius.

Dico 3. *Mandans homicidium, non solùm jure Canonico sed etiam Civili, eadem pœna tenetur quâ mandatarius.* Hæc est communis. Et patet ex Scriptura 2. Reg. 12. Ubi David Mandator homicidii Uriæ graviter punitur. Et Probatur ex Jure Canonico Per *Can. Pernitiosè. 23. De Pœnit. dist. 1. Cap. Mulieres 6. in fin. X. de Sent. Excommunicatione.* Probatur ex Jure Civili; Quia licèt rei turpis & inhonestæ mandatum non valeat, ita ut inter mandantem & mandatarium detur actio, valet tamen ad hoc, ut delinquens, ei adversùs quem deliquit, publico teneatur crimine, *L. 5. Cod. ae Accusat.* Et quidem Mandatarius ex ipso delicto quo ipse deliquerit, & mandans etiam ex eodem, quo illud fieri mandaverit; hinc si quis ex mandato alterius homicidium commiserit, & mandantem, & mandatarium, ordinariâ Legis Corneliæ pœnâ, afficiendum Doctores communiter concludunt. Probatur 2. Mandator homicidii pro homicida habetur L. *Nihil. 15. §. 1. ff. Ad* L. *Cornel. De sicariis*; nam pro homicida gratis haberetur si non esset pœnâ homicidii afficiendus, parum enim vel nihil interest, an quis occidat, an causam mortis præbeat. *d. L. 15.* sed mandatum causam mortis præbuit, ergo mandans eadem pœnâ plectendus est ac Mandatarius exequens, sicut is qui album corrupit, & qui album corrumpere mandavit *L. 7. §. 7. ff. De Jurisd.* Confirmatur. Quia eodem modo injuriarum tenetur ille, qui fecit injuriam, & ille qui injuriam fieri dolosè procuravit & mandavit, *L. Non solum. 11. §. 3. ff.*

De Injur. §. restat. eodem. Q. ita damnum dare & delictum perpetrare is intelligitur, qui jubet damnum dare vel delicta perpetrare, & hic quod quis per alium facit, per se facisse censetur. *L. 15. De iis qui in Testam. &c. Cap. Quisquis 72. De Reg. Jur. in 6.*

6. Mandatum multis modis dissolvitur.

Mandatum multis modis dissolvitur. Primò. Utrinque Mandantis & Mandatarii consensu. *arg. Inst. Quibus modis tollit. Obligat. §. finali.* Secundò, Revocatione, si re adhuc integra mandans mandatum suum revocet. *L. 13. §. 26. L. 27. §. fin. ff. h. tit.* Tertiò, Renuntiatione *d. L. 27. §. fin. ff. h. t.* Quartò morte mandantis §. *Item si Inst. h. t.* Quia cessat voluntas, non tamen instituit morte mandantis, si quid fieri post mortem mandavit. *L. 12. §. final. L. 13. ff. h. t.* Item mandatum dotis, vel libertatis danæ, laxove, morte mandantis non expirat, *arg. L. 30. ejus §. 1. ff. De Fure Dot.* Item si mandatarius ignoret mortè mandantis, & negotium expediat, adhuc mandati actionem habet. *L. 26 ff. h. t.* Quintò finitur quoque mandatum morte mandatarii, ita ut hæredes mandatum nec possint, nec teneantur implere *L. 27. §. 3. L. 34. §. 2. vers. Fero. ff. h. t.* quia electa est pericula industria, quæ vel non est, vel licet sit, non est tamen electa in hæredum ob errorem, vel imperitiam hæredis mandans damno affici non debeat. *d. L. Mandatum. 27. in fin. ff. h. t.* Sextò denique finitur mandatum temporis, diei, vel Conditionis *L. 3. §. 4. ff. h. t.* Hæc de Mandato, & omnibus Contractibus Consensualibus, in quibus plura Justitiæ inferiæ, plusquam tutus foret pro Theologo, superflua tamen non erunt, quia & magnum lumen pro directione conficientiarum præbere possunt, & cum simul susceperim Contractus examinare fecundum combinationem justitiarum, plura quoque ex Eisdem Legibus erunt affumendæ.

Ad Aphorismum & materiam præcedentem sit

Quæstio Politica:

An Nobiles, Virosque Illustres deceat agere Negotiatores?

7. Nobiles suis fruges vendere possunt.

RIspond. 1. Si Negotiatio sit œconomica, qua fructus terræ, hortorum, villarum, bestiarum, fluminum venduntur & distribuntur, ut nummus inde conquisitus in alias accessitates expenditur, omnino Nobilibus personis decoram esse & convenientem, utpote cùm sit fignum magnæ beneficentiæ divinæ, juxta illud quod dicitur Ifaiæ 23. *Et erunt negotiationes ejus & mercedes ejus sanctificata Domino: non condentur, neque reponentur: quia ipsi, qui habitaverunt coram Domino, erit negotiatio ejus.* Ubi post pœnitentiam Urbis Tyri approbatur negotiatio eius, & ita quoque negotiatus fuit Regi Pharaoni ad exemplum magnus ille Patriarcha Joleph, & in noltra quoque Inclyta ab Illustribus personis exercetur Germania, quorum tota Subllantia in fructibus terræ, & frugibus consistit, passis profectò in fudore vultûs collectus, à DEO benedictus, & lucrum ab omni ulcra macula, si titè dilponatur, longè remotissimum.

8. Nobiles non decent agere Mercaturas.

Respond. 2. Negotiationem & Mercantiam illam artificiosis innixam adinventionibus exercendam in Officinis ex mechanica profellione prorlus dedecere Illustrem, ac quemque Nobilem virum, ita lemit noltet Guevarra in fuo Principum horologio lib. 3. cap. 21. dicens, Viros naturâ verecundos, & loco illustri polltos, fummò fludio avarorum probrum quod eli Mercatura decet declinage, quia per hoc perdunt honorem & nobilitatis æstimationem, infinities autem pluris eli honor qui perit, quàm opes quæ per fordidam parantur Mercantiam, nam hujusmodi Mercatores omnium linguis funt expoliti, & quemadmodum illi inventi funt lucris ab aliis exfugendis, ita alii ut tuntur vigilantiâ, ut talem Euclionem ipsollent honore. Unde fabdit; Dolendum profectò eli virum nobili loco natum, ita avaritiæ effe deditum, ut famæ & exiltimationis nulla habita ratione, dum paullum modò conradat opum, ad exercendas fe demittat officia, quæ ad homines potius humiles, quàm viros generolos & nobiles pertinent, quæ quidem res non lolum ipli dedecoti; led totum quoque univerlis probro eli. Ut idem prellus dicam; Animi mihi videtur prorlus degeneris, virum nobilem Ordinis equellris negotio Officio, ad obeundum agricolæ munus fe demittere. Exillimat autem dictus Author, quòd omnes artes antiquitus quali pericrint, quod tamen Ordinis Equeltris maximè omnium jaceat artificium, & dignitas, Nam multum temporis Philolophi prilci feribendis Legibus, quas Equites observarent, confumpserunt. Hinc rigidiffimus videtur Ordo Carthulianorum, ita quondam rigidiffimus erat Equitum, quibus ego juratus affirmo; Si in fervandis legibus Equeltris ordinis, lequitum bonorum ac nobilium fungeretur officio; futurum ut neque in vita tempus fupereffet, ut effent vitiofi; neque in morte mali Chriltiani arguerentur.

tus. Virtus Equeſtr. minimè ſimulatus, non ſit ſuperbus, malitioſus, furibundus, gulioſus, timidus, impurus, temax, mendax, blaſphemus, in ſummo non calcari auro, ſed vitæ integritate glorietur.

Etiam tanta hodie Principes ut cernitur diligentia in explorandis iis, quibus animas commendant, quanta Romani utebantur in iis, quibus arma credebant! Antiquitus enim non acceptebat baltei militaris dignitatem, niſi qui natalibus clarus, forma conſpicuus, ſermone moderatus, bello exercitatus, animo impaviduş, armis fortis, & vita integer erat: In ſumma, Omnibus ſe probare, & nemini querimoniæ cauſſam præbere neceſſe erat. His autem virtutibus qui effulgebant Equites, multis etiam Romæ Privilegiis fruebantur. Solis enim licebat annulos digitis arctos indurere; equo per plateas vehi; geſtare ephebiſm; lutiſmibus uti gentilitiis; ſor bus claufis prandere; è poculis argenteis bibere; in Senatu ſententiam dicere; ducibus provocare; vexilla militaria petere; arma habere; legationibus fungi, & portarum urnis cuſtodiæ præeſſe. Author eſt harum Bloundus libro de Italia illuſtrata. Hæc ille, quæ ſuſius adducere volui, ad nobilium excitandos animos, nè ad mechanica artificia lucrandi, aut opes congregandi gratia ſeſe abjiciant, nolim tamen per hoc intendere quidquam, quaſi domeſticam illuſtres Viri rerum curam adhibere non debeant, imò quàm maximè, ſed eo temperamento, ut ſolum quid habere, ſecundum quid debeat eſſe conſideret, nam plures jam nobilium ſenio Plinio Sepoſiti, ſq. ea invaſit habendi cupido, ut poſſideri magis, quàm poſſidere videantur, & hoc eſt turpe, nec Ethicum, nec Politicum.

Talit erg Dominus DEUS hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, ut operaretur & cuſtodiret illum. Et poſt transgreſſionem Agricolarum illi in pœnitentiam injunxit Gen. 3.

Et poſt Adamum Seth, Henoch, Noë, Abrahamum, Iſaac, Jacob, omnesque Patriarchæ agricolæ fuerunt, quod Cicero etiam agnovit lib. 1. Officiorum dum ait: *Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur nihil eſt agriculturâ melius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.* Et *Aſtricola ait Servius, ut poſtea dixit nullus.* Et *Columella eum ſum. quem labore pepererint.*

Secundò Agricolæ continuò exercent laborem, quo corpus corroboratur, roboratur, & vigoratur, unde olim dixit Ariſtoteles lib. 1. Oeconom. *Agricultura eſt omnium artium optima*, & à Dive Auguſtino vocatur *Ars omnium innocentiſſima*, quoniam ſecundùm naturam à terra, quæ omnium mater eſt, hæ ſuum fugit de petra durißima; unde Ethicus peſſimus noſter Eccleſiaſticus cap. 7. dicit: *Non oderis laboriſoſa opera, & craſtinationem creatam ab Altiſſimo.* Et Virgilius hoc perpendens exclamat lib. 2. Georgic.

O fortunatos nimium, ſua ſi bona noſſent
Agricolæ, quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.

Tertiò laboribus ſuis Agricolæ animum à variis abſtrahunt vitiis, apud illos enim omne exulat otium, & omnis carnis illecebra tollitur, juxta illud tritum Poëtæ

Otia ſi tollas periere cupidinis arcus.
Quæritur Agricolæ, quare ſit factus adulter?
In promptu cauſſa eſt, otioſiſſimus erat.

Ecentra autem quæ Mercatores invehunt, aut Opifices conficiunt multa ſunt, quæ rebus publicis nocent, fœminas laſcivas, vitroſque reddunt effœminatos, delicatos & molles, otioſos, & ad omnia pronos vitia, per quæ Juſtitia ceſſe è terra, atque migravit in cœlum.

Quarto Agricultura ad heroica diſponit opera, nam homines huic aſſueti ad arma capeſcendia ſunt commeditores, quàm Mercatores, facilisque bello meleſtias ſufferunt, incommoda caloris, frigoris, famis & ſitis generoſius tolerant, inimi cubare nihil facient, longo enim uſu jam pellis eorum obduruit, quare Antiqui Romani Agricolas non ſolùm pro militia, ſed etiam pro Conſulatu & Magiſtratu, ab aratro & ligone evocarunt, imò ipſi Romulus & Remus, ac Camillus prius non niſi Agricolæ fuerunt, ſicut

Tit etiam

Quæſtio Altera.

An in Republica meliores ſint Ruſtici & agricolæ, quàm Mercatores?

1. Agricultura præfertur Mercaturæ.

REſpond. Tametſi Mercatores non ſint à Republica propulſandi, nam illorum ſtudio ea quæ in una Provincia ſunt luxperfluæ evehuntur, & quæ deſunt apportantur, ut Regna in neutro defectum patiantur, atque etiam illorum beneficio Cives omnibus rariſsimis aliarum Gentium, earumque fructibus gaudere & uti poſſint, cùm totus Mundus per ipſos factus ſit unum quodammodo Emporium: Nihilominus dico Agricolas Reipublicæ eſſe utiliores, in ſe meliores, quoniam & honeſtiore occupantur labore: Nam primò ipſa eſt ab omnium Conditore DEO inſtituta, quia de Adamo adhuc in ſtatu innocentiæ conſtituto legitur Geneſis 2.

Digitized by Google

etiam de noſtro primo Bohemiæ Duce Primislao refert Cosmas Hiſtoricus Decanus Pragenſis, quem Lybuſſa ſolemniſſima Amazia, ſibi in maritum & Populi in Ducem accivit, ad quem Nuntii accedentes, inquiunt, Vir fortunate Diis nobis generate, & ſicut mos eſt ruſticis, non ſufficit ſemel dixiſſe, ſed inflata buccina ingeminarunt

Salve Dux, Salve magna digniſſime laude,
Salve boves, muta veſtes, aſcende Caballum,

Domina noſtra Lybuſſa, & plebs univerſa mandat, ut citò venias, tibi Conjugem accipias, atque filiis & nepotibus tuis ab aratro fatale pares Regnum.

4. Romani fuerunt agricolæ.

Sed ſicut multæ gentes ſibi agricolas pro Ducibus elegerunt, ita Romanis nihil delitioſis extitit, quàm quòd poſt Conſulatus hoſtes devictos, & copias eorum deletas, iterum Veterani ad rura fuerint regreſſi, ut & ipſi laboribus exercitæ vitæ requiem conſequerentur, & alios ſpes futuræ quietis operibus ſubeundis faciat promptiores, uti fecerunt Cincinnatus Fabricius, Curius Dentatus &c. Quare ex potioribus laudibus quas illi Viro honorato tribuere ſolebant, hæc erat; Eſſe bonum Civem & bonum agricolam, prout Cicero lib. de Senectute de Catone Cenſorino teſtatur, quòd pro ſumma laude illi datum fuerat ut *Optimus Senator, Optimus Orator, Optimus Imperator, & Optimus Agricola diceretur.* Hæ deliciæ procul ſunt à Mercatoribus, quibus nulla unquam quietis ſpes affulget, quoniam qui theſaurizant aurum, & argentum, *Non eſt finis acquiſitionis eorum*, ſpes igitur omnis fugit quietis propter perpetuam ſollicitudinem; Unde Oraculum Delphicum de Aglao Sene, & paupere, qui parvum prædium colebat indeque vivebat, dixit; *Feliciſſimum omnium Mortalium eſſe Aglaum.*

INDEX.

Rerum Præcipuarum, quæ in Prima Parte hac Ethicæ Sacræ continentur.

Littera P. paginam. N. numerum marginalem deſignat.

A.

Abraham an fuerit mentitus Gen. 22. pag. 122. num. 7.

Abſtinentia quid ſit. pag. 295. n. 2. jejunium eſt illa perfectius. p. 296. n. 3. *vide Jejunium. Temperantia.*

Acceſſio facit Dominum cujus eſt materia. p. 405. n. 5.

Accoia etymon. p. 241. n. 6. deſcribitur ibid. n. 7. eſt de genere ſuo peccatum mortale. p. 242. n. 8. quæ ejus filiæ. ibid. n. 9.

Actus erroneus multipliciter accipi poteſt. pag. 118. n. 1. vide *Erroneus actus.* idem actus nequit eſſe fides & ſcientia. p. 92. n. 6. nec actus fidei & ſcientiæ connaturaliter poſſunt eſſe ſimul. ibid. n. 7. vide *Fides, Scientia.* Actus ſuper naturales generant habitus ordinis naturalis. p. 44. n. 6.

Adjectio quando fiat, & per eam dominium acquiratur. p. 405. n. 1. eſt duplex. ibid. n. 2. adjectum fit domini cui res adjicitur. ibid. n. 3. & 4.

Adulterium quid ſit. p. 316. eſt graviſſimum peccatum. ibid. n. 2. adulterium eſt, etiamſi Maritus conſentiat Uxoris in concubitum alienum. p. 317. n. 3. Conjuges alienas perſonas appetentes adulterantur. ibid. n. 4. Conjugum exceſſus adulterinus p. 318. n. 5. adulter perdit jus debitum petendi. ibid. n. 6. Maritus tenetur reddere debitum adulteræ ſuæ uxori in quibusdam caſibus. ibid. n. 7.

Ædificans in fundo alieno, non fit dominus ædificati. p. 406. n. 7.

Æquitas qualis virtus. p. 354. n. 12.

Æquivocatio tripliciter fieri poteſt. p. 124. n. 11. nequit Deus æquivocare, nec mentali reſtrictione uti. p. 125. n. 12.

Agonizandum pro juſtitia. p. 357. n. 4.

Agricultura præſtat Mercantiæ. p. 513. n. 3. Romani fuerunt agricolæ. p. 514. n. 4.

Alcoranus quid ſit. p. 168. n. 5. alcorani cribratio p. 170. n. 7. rationes Richardi contra alcoranum. ibid. n. 8.

Alearum luſus jure civili eſt prohibitus p. 483. vide *Ludus.*

Alienans contra legem facit actum nullum. p. 372. n. 3.

Alienatio deſcribitur. p. 412. n. 1. alia valida alia invalida. ibid. n. 2. Eccleſiaſtici non poſſunt alienare bona Eccleſiæ. ibid. n. 3. decretum Urbani 8. de non alienandis hujusmodi bonis. p. 413. n. 4. cauſæ ſufficientes ad alienandum. ib. n. 5. nec poſſunt bona unius Eccleſiæ transferri in aliam. p. 414. n. 8. poteſt tamen Papa ſic transferre. p. 415. n. 9.

Allodium deſcribitur. p. 486. n. 8.

Amari poteſt â nobis Deus & proximus multipliciter p. 224. n. 1. vide *Amor.*

Ambitio eſt vitium oppoſitum magnanimitati. p. 350. n. 4. vide *Superbia.*

Amentes & parvuli ſunt capaces dominii. p. 399. n. 8.

Amicitia inter Deum & hominem eſſe poteſt. p. 213. n. 6. & p. 215. n. 2. deſcribitur. p. 216. n. 3. amicitiæ veræ conditiones. p. 215. n. 1. qualis eſt virtus. p. 354. n. 10. amicitiæ ſigna in duplici differentia. p. 457. n. 2.

Amor Dei eſt juge ſacrificium. p. 209. n. 1. amor menſura amoris quomodo. p. 212. n. 5. amor Dei alius intenſivus alius extenſivus. p. 217. n. 1. alius tenerior alius fortior ibid. n. 2. tenemur Deum amare intenſivè & extenſivè. p. 218. n. 3. præceptum dilectionis Dei poteſt adimpleri in hac vita. ibid. n. 4. poteſt abſolutè diligi abſque habitu ſuper naturali. p. 219. n. 5. an naturaliter ab aliquo diligatur incertum eſt. ibid. n. 6. quo tempore diligendus variæ opiniones. p. 220. n. 1. & 2. homo tenetur non odiſſe Deum ibid. n. 3. non tamen tenetur toties quoties occurrit memoriæ, diligere. ibid. n. 4. tenetur tamen in articulo mortis. p. 221. n. 5. etiam quando quis eſt peccati conſcius & tenetur Miſſam celebrare. ibid. n. 6. ſatisfacit præcepto dilectionis Dei, ſi diligat omni die Dominico & Feſto. ibid. n. 7. quibus diebus tenetur probabiliter diligere. ibid. n. 8.

INDEX.

Amor vitæ & Patriæ distinguuntur specie.p.223. n.4. habent diversam propositionem & approximationem objecti. ibid.n.5.

Angeli non habent difficultatem ad operandum p.13.n.1. fuerunt in ipsis Virtutes Theologicæ. ibid.n.2. etiam Morales. ibid. n.3.potest inter ipsos & homines intercedere justitia. p. 365.n.4.

Animalia fera quæ nullius sunt, capta fiunt occupantis.p.40 1.n. 2. mansuefacta sunt , & quamdiu domini. p.403.n.6. non sunt occupantis, etsi domini conspectum effugiant, ib. n.7. vide *Occupatio.*

Annamitæ Gentiles qui. p.174.n.4.

Antichresis pactum an sit usuræ obnoxium. p. 478.n.11.

Apiorusmus primus : de bona Juventutis educatione p. 1. secundus : de futurorum consideratione.p. 64. tertius: de vera fide amplectenda & tenenda.p.72. quartus : de Spe & fiducia in solo Deo habenda. p. 188. quintus: de Deo summo bono diligendo.p.209. Sextus de Prudentia in Vita & actione. p.264. Septimus de Vita temperatè agenda.p.289. Octavus: de adversitatibus fortiter perferendis. p. 339. nonus : de justitia cum hominibus servanda. p.355. decimus: de fidelitate in servandis contractibus.p.435. undecimus: de fugiendo Usurariorum vitio.p.448.duodecimus: de justè emendis & vendendis rebus.p.491.

Apostoli ethica tradiderunt documenta, p. 2. n.1.

Appetitus sensitivus non habet habitus virtutum p.24.n.6.& 7. generantur tamen in ipso habitus. p.25.n.8.

Apprehensiones complexæ propter veracitatem Divinam pertinent etiam ad fidem.p.126. n. 1.vide *Fides.*

Arbor implantata & radicata fit Domini cujus & fundus.p.406.n.8.

Arrha contractui appositа, quomodo amittatur.497.n.11.

Arrogantia & ambitio gradus est & filia Superbiæ p.332.n.17.vide *Superbia.*

Articulus Fidei,& propositio fidei non sunt idem p.86.n.2. aliud est credere articulum fidei, aliud scire esse talem.p.152.n.1.vide *Propositio Fidei.*

